

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

I




SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.
140

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

I

BIBLIOTECA
DE
AUTORES CRISTIANOS

Declarada de interés nacional

LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. AP. 466

MATRITI • MCMLIII

PROFESSORES SOCIETATIS IESU
FACULTATUM PHILOSOPHICARUM
IN HISPANIA

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

Ad mentem Constitutionis Apostolicae
"Deus scientiarum Dominus"

I

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

INTEGRUM OPUS TRIBUS VOLUMINIBUS CONSTABIT:

Vol. I. Introductio in Philosophiam. Logica. Critica. Metaphysica generalis.

Vol. II. Philosophia naturalis, seu Cosmologia, et Psychologia philosophica.

Vol. III. Theodicea. Ethica.

PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA

I

INTRODUCTIO IN PHILOSOPHIAM. LOGICA. CRITICA. METAPHYSICA GENERALIS

AUCTORIBUS

P. LEOVIGILDO SALCEDO, S. I.

IN FAC. MATRITENSI PROFESSORE

P. IESU ITURRIOZ, S. I.

IN FAC. P. CASTELLANAE PROFESSORE

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

MATRITI • MCMLIII

NIHIL OBSTAT:

LIC. ALOYSIUS SÁNCHEZ
Censor.

IMPRIMI POTEST:

EMMANUEL OLLEROS, S. I.,
Prov.

IMPRIMATUR:

† IOSEPHUS MARIA,
Ep. aux. et Vic. gral.
Madrid, 5 marzo 1953.

Rivadeneyra, . A.—Paseo Onésimo Redondo, 26.—Madrid.

INDEX GENERALIS

TRACTATUS I

Introductio in Philosophiam

TRACTATUS II

Logica

TRACTATUS III

Critica

TRACTATUS IV

Metaphysica generalis

INDEX THESEON

PAG.

Ex Critica

Ex Metaphysica generali

PROLOGUS

Documenta plura sunt ab Ecclesia in decursu historico tradita, quibus relatio inter fidem et rationem, inter theologiam et philosophiam doceretur, inter quae maxime *Constitutio dogmatica de fide catholica* eminet a Concilio Vaticano prolata, cuius caput 4 de fide et ratione peculiariter agit. Sollemnissimum hoc documentum, quod ut suprema norma ad regendam rationem valere debet, aliis pluribus documentis complendum est, ut recte doctrinam Ecclesiae agnoscentes, rectius eandem exsequi possimus.

Recentius documentum a Pio XII traditum valorem habet etiam universalem, non enim proprie tantum ad clericos dirigitur sed universam Ecclesiam docet; illud est: *Humani generis* insignitum, in quo iter ad philosophiam claris verbis et instantibus monitis ita designatur, ut nemini catholicorum extra eam progredi liceat.

Quanti enim Ecclesia humanam rationem faciat ad vitam religiosam rite exsequendam, omnibus compertum est; hoc autem munus "ratio tum solum apte ac tuto absolvere poterit, cum debito modo exculta fuerit; nempe cum fuerit sana illa philosophia imbuta, quae veluti patrimonium iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum; atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinae "revelationis" trutinam vocavit. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita et recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia—rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis—ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem".

Quibus prudentissimis verbis programma quasi minimum philosophiae sanae delineatum fuit, quod, quantum ad nos

refert, qui hanc Summam exarandam sumpsimus, fidelissime explicandum et evolvendum prae oculis habebitur.

Sed et ad ipsam hanc explicationem instituendam normae quaedam iisdem Litteris traduntur, quarum nunquam immemores esse volumus. Plura quidem Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; at "quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget". Qua quidem norma Ecclesia valorem absolutum talium principiorum profitetur, qui non potest variationibus culturae obnoxius esse. Quod si haec norma parum moderno progressui evolutivo conformis cuiquam visa fuerit, ad haec attendat, quae, ad ipsa haec principia pertractanda, commendat Pontifex. Nam "etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus" licet

a) philosophiam aptiore ac ditiore veste induere;
b) efficacioribus dictionibus communire;
c) quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere;
d) sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare.

Nunquam tamen fas est,

a) eam subvertere,
b) falsis principiis contaminare,
c) quasi magnum quidem sed obsoletum existimare monumentum.

Ecclesia quidem viam progressui ultro pandit, investigationem seriam ac profundam instanter fovet, difficilem veritatis exquirendae viam conantibus animos iniicit; hanc tamen menti humanae cautionem proponit ne a veritate acquisita in errorem deviet: "Quidquid veri mens humana, sincere quaerens, invenire poterit, iam acquisitae veritati profecto adversari nequit; siquidem Deus, summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut rite acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur. Quapropter christianus, sive philosophus, sive theologus, non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac iusta in trutina reponat, ne adeptam veritatem amittat, vel

corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento".

Haec quidem pro omnibus catholicis prolata fuere, necnon veritatem integram et sanam tuto habere conantibus. Futuri vero sacerdotes, qui philosophicis disciplinis validius et securius instruendi sunt, magistri enim veritatis constituti rationis lumine fidei monumenta explicare et pluribus non credentibus iter ad Ecclesiam aperire debebunt, ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia praeparandi sunt, "quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus pervestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina revelatione quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sani progressionis fructus utiliter et secure colligendos".

Quapropter, Constitutio Apostolica de Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum, *Deus scientiarum Dominus*, a Pio Papa XI indicta, praecepit ut "in Facultate Philosophica Philosophia scholastica tradatur, eaque ita ut auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S.Thomae Aquinatis instituantur. Ex hac autem doctrina diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur".

Hanc ergo *Summam Philosophiae Scholasticae* redacturi, studiorum Ducem Sanctum Thomam profundissimo amore sequendum suscipimus; hoc autem inde ab initio patentissime profitemur: ea nos libertate hunc Ducem secuturos quam ipsa Ecclesia nedum permittit sed positive commendat, nec ideo quod Stum.Thomam Ducem habeamus et pedetentim exsequi intendamus, iam etiam nos ad scholae, sic dictae, Thomisticae placita et systematicas elucubrationes ligatos existimare.

Nostra haec *Summa,* iuxta classicas paedagogicas normas evolvenda, tribus voluminibus expedietur: Primum, *Introductionem ad Philosophiam, Logicam, Criticam* et *Metaphysicam;* alterum, *Cosmologiam* et *Psychologiam;* tertium, *Theodiceam* et *Ethicam* amplectetur.

Summam quidem alumnis proponimus, quanta possimus claritate illuminatam, quae tam ad theologica studia dein

fructuose instituenda, quam ad propriam ideologiam comparandam sufficiat; non tamen tam compendiosam et ieiunam, ut non viam aperiat ad ampliorem et profundiorem institutionem etiam Facultatibus Ecclesiasticis accommodatam, imo etiam ad primas investigationes brevi indicata bibliographia suscipiendas.

Velit Beata Virgo, Sedes Sapientiae, eiusque Filius, Verbum Patris, sic nostram mentem illuminare et elocutionem informare, ut nostrum hoc opus, tanto consilio susceptum et tanta diligentia elaboratum, futuris sacerdotibus validum et gratum iuvamen evadat, ut ministerio sacro, aptis armis instructi, fructuose ad maiorem Dei gloriam fungantur.

I. ITURRIOZ, S.I.

SIGLA ET BREVIATIONES

AAS	Acta Apostolicae Sedis.
Ang	Angelicum.
Ant	Antonianum.
ArchHistDoctLitMA....	Archives d'Histoire Doctrinale et Littéraire du Moyen Age.
ArchPhi	Archives de Philosophie.
ASS	Acta Sanctae Sedis.
BAC	Biblioteca de Autores Cristianos.
BeitGPhMA	Beiträge zur Geschichte der Philosophie (und Theologie) des Mittelalters.
CIC	Codex Iuris Canonici.
CiudDios	La Ciudad de Dios.
CivCatt	La Civiltà Cattolica.
CL	Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentium... Collectio Lacensis.
CT	La Ciencia Tomista.
D	H. DENZINGER-I. B. UMBERG, S. I., Enchiridion symbolorum[21-8].
DAFC	A. D'ALÈS, Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.
Dialec	Dialectica.
DivThom (Fr.)	Divus Thomas. Freibourg in der Schweis.
DivThom (Pi)	Divus Thomas. Piacenza.
DM	Disputationes Metaphysicae FRANCISCI SUÁREZ.
DPCR	Dictionnaire Pratique des Sciences Religieuses.
DTC	A. VACANT, E. MANGENOT, E. AMANN, Dictionnaire de Theologie Catholique.
EC	Enchiridion Clericorum.
EstBA	Estudios. Buenos Aires.
EstEcl	Estudios Eclesiásticos.
EstFranc	Estudios Franciscanos.
Et	Etudes.
FrancStud	Franciscans Studies.
Greg	Gregorianum.
LavThPh	Laval Théologique et Philosophique.
MiscCom	Miscellanea Comillas.
ML, MG	J. P. MIGNE, Patrologiae Cursus completus. Series prima latina. Series graeca.
NouvRevTh	Nouvelle Revue Théologique.
Ort	Ortodoxia.

Pens	Pensamiento.
PhilosJahrb	Philosophisches Jahrbuch.
RazFe	Razón y Fe.
RechScRel	Recherches de Science Religieuse.
RelCult	Religión y Cultura.
RevEspT	Revista Española de Teología.
RevFil	Revista de Filosofía.
RevMeMor	Revue de Mataphysique et de Morale.
RevNeoscolPh	Revue Néo-scolastique de Philosophie.
RevPhil	Revue de Philosophie.
RevPhilLo	Revue Philosophique de Louvain.
RevPortFil	Revista Portuguesa de Filosofía.
RevPsGeAp	Revista de Psicología general y aplicada.
RevQSc	Revue de Questions Scientifiques.
RevScPhTh	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.
RevScRel	Revue des Sciences Religieuses.
RevThom	Revue Thomiste.
RivFilNeo	Rivista de Filosofía Neoscolastica.
Schol	Scholastik.
Stimm	Stimmen (aus Maria-Laach; ab anno 1915: der Zeit).
VerVid	Verdad y Vida.
ThQschr	Theologische Quartalschrift (Tübingen).
ZkathTh	Zeitschrift für katholische Theologie.

TRACTATUS I

Introductio in Philosophiam

Auctore

P. Leovigildo Salcedo, S. I.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Praeter introductiones generales, quae in manualibus scholasticis exhibentur, inter quas consuli possunt:

J. Urráburu: *Institutiones Philosophiae* vol. 1 (Valladolid 1890).
T. Pesch: *Institutiones logicae et ontologiae* pars 1ª, editio altera a *C. Frick* parata (Freibourg 1914).
J. Dávila: *Introductio ad Philosophiam et Logicam* (Méjico 1945).
J. Donat: *Logica et introductio ad Philosophiam christianam*[9] (Barcelona 1944).
J. De Vries: *Logica cui praemittitur Introductio in Philosophiam* (Freibourg 1950), etc.

Sequentia opera, secundum indolem diversam uniuscuiusque et finem qui intendatur, praecipue consuli possunt:

Alvarez de Linera, A.: *Introducción a la Filosofía* (Madrid 1940).
Baudin, E.: *Introduction à la Philosophie* (Paris 1932).
Brunner, A.: *Ideario filosófico. El hombre de hoy ante los problemas fundamentales de la Filosofía*[2]. Trad. por J. Iriarte (Madrid 1940).
Coiazzi, A. e Mazzantini, C.: *Breve introduzione alla Filosofia* (Roma 1936).
De Raeymaeker, L.: *Introductio generalis ad Philosophiam et ad Thomismum*[2] (Lovanii 1934).
— *Introduction à la Philosophie* (Louvain 1947).
Díez Blanco, A.: *Introducción a la Filosofía* (Valladolid 1940).
D'Ors Rovira, E.: *El secreto de la Filosofía* (Barcelona 1947).
Drews, A.: *Einfuhrung in die Philosophie* (Berlin 1921).
Font Puig, P.: *Introducción general lógica y psicológica a la Filosofía* (Barcelona 1949).
Gaos, J.: *Dos ideas de la Filosofía* (pro y contra de la filosofía de la filosofía) (Méjico 1940).
García Bacca, J. D.: *Introducción al filosofar.* Incitaciones y sugerencias (Buenos Aires 1940).
García Morente, M. y Zaragüeta, J.: *Fundamentos de Filosofía e historia de los sistemas filosóficos*[3] (Madrid 1947).
Guzmán Renshaw, E.: *Filosofía de la Filosofía* (Madrid 1947).
Joad, C. E. M.: *Guía de la Filosofía* (Buenos Aires 1940).
Külpe, O.: *Introducción a la Filosofía* (Madrid-Buenos Aires 1931).
Lehmann, R.: *Introducción a la Filosofía.* Trad. por J. Marías (Buenos Aires 1941).
Le Senne, R.: *Introduction à la Philosophie* (Paris 1939).
Marías, J.: *Introducción a la Filosofía* (Madrid 1947).

MARITAIN, J.: *Elèments de Philosophie*[2] (Paris 1946. Est versio hispana, Buenos Aires 1945).
MEYER, H.: *Das Wesen der Philosophie und die philosophischen Probleme.* Zugleich eine Philosophie der Gegenwart (Bonn 1936)
MÜLLER, A.: *Introducción a la Filosofía*[2], trad. por J. GAOS (Madrid 1940).
MUÑOZ ALONSO, A.: *Fundamentos de Filosofía* (Murcia 1947).
PAULSEN, F.: *Einleitung in die Philosophie* (Berlin 1893).
PETITOT, H.: *Introduction à la Philosophie traditionelle ou classique* (Paris 1914).
RUBERT CANDAU, J. M.: *¿Qué es Filosofía?* (Madrid 1947).
RYAN, J. H.: *An Introduction to Philosophy* (New York 1932).
PALLARÉS, E.: *Introducción a la Filosofía. ¿Qué es Filosofía?* (Méjico 1948).
SEPICH, J. R.: *Introducción a la Filosofía* (Buenos Aires 1942)
WAHL, J.: *Introducción a la Filosofía,* trad. por J. GAOS (Méjico 1950).
ZARAGÜETA, J.: *Una introducción moderna a la Filosofía escolástica* (Granada).
ZUBIRI, X.: *Naturaleza. Historia. Dios* (Madrid 1944).

PROOEMIUM

De ipsa introductione; eius finis, methodus et capita praecipua

DE VRIES J., *Logica cui praemittitur Introductio in Philosophiam* n.1-5; NABER A., *Introductio generalis in universam Philosophiam* p.3;4; MUÑOZ ALONSO A., *Fundamentos de Filosofía* c.1 p.1 (Murcia 1947); KÜLPE O., *Introducción a la Filosofía trad.* por C. Jesinghaus (Madrid-Buenos Aires 1931) p.11.

1. Introductio, ut ex termino ipso patet, aliquam manuductionem et ingressum in philosophiam significat; proinde eius finis est aliqualem notitiam praeviam philosophiae praebere, dum eius divisionem, utilitatem, etc., indicat.

2. Methodi introductionis. Diversae methodi seu viae ab aliis ad hunc finem obtinendum proponuntur:

a) METHODUS GENETICA SEU HISTORICA, iuxta quam Philosophia, sicut aliquod factum historicum describitur in sua evolutione; itaque proponuntur diversa systemata, doctrinae, diversaeque solutiones, ut ex illa quasi experientia deducere possimus quid nomine Philosophiae intelligatur. Sic v. c. M. GARCÍA MORENTE [1], JULIÁN MARÍAS [2].

b) METHODUS COMPENDIARIA proponit quasi encyclopediam totius Philosophiae, in qua breviter praecipuae quaestiones, scholae et solutiones diversae proponuntur. Saepe cum anteriori methodo historica coniungitur. Sic ipse Garcia Morente, E. Huidobro [3], A. Muñoz Alonso [4] et alii plures.

c) METHODUS SYSTEMATICA, seu propaedeutica aliquas quaestiones de notione, divisione, utilitate, etc., Philosophiae proponit, quae tironum animos disponant ad altiorum rerum investigandarum contemplationem. Sic v.c. compendia J. de

[1] *Fundamentos de Filosofía* (Madrid 1947) máxime c.1.

[2] *Introducción a la Filosofía* (Madrid 1947). Los requisitos a la Introducción a la Filosofía p.1s; c.12 p.439s.

[3] *Problemas filosóficos fundamentales e historia de los sistemas*[3] (Burgos 1948).

[4] *Fundamentos de Filosofía* (Murcia 1947); haec opera antea nominabantur *Introducción a la Filosofía;* nunc vero propriore nomine gaudent.

Vries, J. Dávila, J. Donat, J. Maritain, L. de Raeymaeker [5].

Est igitur quaedam philosophia de ipsa Philosophia, sed vulgari sensu exposita. Non vero ex illa consideratio historica excluditur. Haec via erit etiam nostra; etenim postea in reliquis tractatibus et conspectus historicus, et diversae quaestiones et theoriae ampliori modo proponuntur.

3. Divisio tractatus. Proponemus igitur ex ordine, prout rerum natura postulare videtur, sequentes quaestiones:

1. De origine et definitione Philosophiae.
2. De divisione Philosophiae.
3. De relatione Philosophiae ad reliquas scientias et praesertim ad Theologiam.
4. De utilitate et methodo Philosophiae.
5. De Philosophia scholastica et de Philosophia christiana.
6. Conspectus systematicus et conspectus historicus Philosophiae.

CAPUT I

De origine et definitione Philosophiae

Aristoteles, 1 *Metaph.* 1-2; S. Th., *In Metaph. lect.* 1-3; 1 *C. Gent.* c.3; Suárez, DM 1; J. Maritain, *Les degrés du savoir* (Paris 1932; est versio hispana); M. García Morente, *Fundamentos de Filosofía* [2] c.1; Quiles I., *Filosofar y vivir. Esencia de la filosofía* (Buenos Aires 1948); Antunes J., *Que é ■ filosofia?:* Broteria 46 (1948) 38-53.

4. Origo. Non sine ratione originem Philosophiae proponunt veteres in *admiratione;* ita Plato: Μάλα φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν. Οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη [1]. Aristoteles: Διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. [2]

Homo enim, prout rationalis, admirationis capax est, cum nempe res miras videt, quarum causas ignorat, ad earum investigationem plenioremque cognitionem adducitur. Apposite S. Thomas: "Naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causas eorum, quae videntur. Unde prop-

[5] Circa haec omnia cf. bibliographiam generalem.

[1] *Theaetet.* (p.155d). Solet Plato citari secundum editionem Enrici Estiennes.

[2] *Metaph* 2 (982b12). Haec citatio Aristotelis fit iuxta editionem Bekkerianam Academiae regiae borussicae (1831-70); prior numerus intra uncinos positus paginam, a vel b columnam, numerus postremus lineam designat.

ter admirationem eorum, quae videbantur, quorum causae latebant, homines primo philosophari coeperunt"[3]. In ipsa igitur *natura humana* originis philosophiae ratio datur, quatenus homo ducitur ad ultimas causas omnium rerum investigandas[4]; quod etiam ipsa historia et quotidiana experientia testatur; unde iam a primis historicis temporibus illa tendentia, etsi multis erroribus et mysticis solutionibus foedata, apud populos aliquatenus otiosos apparet.

5. Dicimus *otiosos,* quia otium sive ut graeci dicunt σχόλη (schola), necessarium est ad scientificam curiositatem fovendam, iuxta notum effatum: "Prius est esse quam philosophari"[5]. "Cultura" igitur, quae dicitur tum floret cum conditiones pacis et abundantiae dantur. Nil mirum, quod prima Philosophiae strictae investigatio apud graecos et romanos (magnam Graeciam) primo incrementum susceperit, ubi optimae hae omnes conditiones dabantur.

6. Definitio Philosophiae. a) *Nominalis.* Vocem ipsam si spectes, a duabus vocabulis graecis φίλος amans, studens, et σοφία sapientia, provenit, et amantem sive studiosum scientiae significat. *Sapientes* vero ante PYTHAGORAM dicebantur omnes illi, qui aliqua sive arte, sive scientia excellebant, v.c. poetae, rhetores; maxime vero qui in natura perscrutanda eminebant[6].

7. b) *Realis,* quae ab auctoribus generatim datur:

Scientia omnium rerum per ultimas causas naturali lumine comparata. Explicatur haec definitio breviter:

EST SCIENTIA; nempe cognitio certa et evidens per reflexionem et demonstrationem acquisita.

Cognitio vero, seu illa repraesentatio, seu expressio, seu similitudo rerum, qua intra nos notitiam habemus diversarum rerum, multipliciter accipi potest:

Cognitio sensitiva, communis homini cum brutis, est materialis et versatur circa res materiales et concretas.

Cognitio intellectiva est spiritualis, de rebus immaterialibus, sive positive, ut Deus, sive praecisive ut substantia.

Haec cognitio intellectualis potest esse: 1) *vulgaris,* nem-

---

[3] 3 *C. Gent.* c.25.

[4] Cf. ARISTOTELEM, 1 *Metaph.* 1 (980a22): "Omnes homines naturaliter scire desiderant".

[5] Cf. PLAT., *Theaetet.* l.c.

[6] Circa ipsum vocabulum "Sapientiae", cf. URRÁBURU, *Inst. Phil. Logica* introd. n.2; et T. PESCH-FRICK, *Inst. Phil., Logica* pars 1.ª, n.1.

pe cognitio rerum in se ipsis, non per, nec cum causis, spontanea, sine magna reflexione, sine methodo et securitate, hominum incultorum et puerorum propria; huic accedit cognitio *praescientifica,* quae cum aliqua reflexione causas proximas et apparentes investigat; 2) *scientifica* est notitia rerum ordinata iuxta methodum et per causas proprias; denique 3) *philosophica* est omnium cognitionum naturalium perfectissima, per ultimas nempe causas. Haec cognitio potest considerari *subiective* sive ut actus sive ut habitus, et *obiective,* sive ut disciplina [7].

Cognitio obiective considerata, seu disciplina est complexus ordinatus propositionum demonstratarum ad determinatum obiectum pertinentium [8].

EST SCIENTIA OMNIUM RERUM. Omnia enim obiecta a Philosophia respiciuntur; obiecta nempe interna, v. c. ipsa cognitio, et externa, ut Deus, mundus et homo. His verbis significamus obiectum materiale Philosophiae.

Obiectum enim potest esse *materiale et formale. Obiectum materiale* est res, quae ab aliqua scientia, cognitione, libro tractatur cum omnibus suis notis et proprietatibus, prout in realitate (a parte rei) iacet.

Obiectum formale est ille respectus, nota, proprietas, quae hic et nunc in hac cognitione, scientia consideratur.

PER ULTIMAS CAUSAS SEU RATIONES; causae autem hic possunt sumi lato sensu, et sic Deus habet rationem suimetipsius, nempe suam essentiam, quae est ratio intrinseca et adaequata ipsius; et sensu proprio, qui datur in omnibus rebus creatis, quae habent causas sive extrinsecas, efficientem, finalem, sive intrinsecas, materialem et formalem, vel saltem formalem.

Illae causae debent esse *ultimae,* quia aliqualis consideratio causarum saltem proximarum in omnibus scientiis particularibus datur. Possunt vero esse sive *relative ultimae* i. e. in certo quodam genere, v. c. leges physicae, leges cogitandi, leges morales, et *absolute ultimae,* v. c. ipsae rerum essentiae vel ipse Deus.

Hisce verbis indicatur *obiectum formale quod* Philosophiae; et ita distinguitur Philosophia ab omni alia scientia.

NATURALI LUMINE COMPARATA: his verbis proponitur fons

[7] Cf. J. HELLÍN, *Theologia nat.* n.3.
[8] Cf. J. HELLÍN, ibid.

seu medium per quod acquirimus cognitionem certam de rebus, et indicatur *obiectum formale sub quo* Philosophiae, quod facit ut obiectum formale quod attingatur ratione sui ab hac *scientia,* et triplex esse potest: ratione abstractionis, finalitatis, luminis. *Obiectum formale sub quo ratione luminis* est facultas vel principia vel facta naturalia vel supernaturalia ex quibus pervenitur ad notitiam conclusionum.

8. Recentissime aliqui brevissimam proponunt definitionem Philosophiae: "Scientia universalis ordinis naturalis" [9].

Qua *universalis* distingueretur ab omni scientia particulari; qua *ordinis naturalis* a sacra theologia.

Praeterea haec definitio optime notioni communi historice ortae responderet.

Brevius adhuc ita: "Scientia humana universalis."

Universalis: obiectum formale quod; *Humana*: obiectum formale sub quo; nam etsi theologia sit scientia hominis, quia ab homine possidetur, non tamen est humana sive propria hominis, quia est praeter ordinem naturae humanae; est namque ipsa revelatio, quae non debetur homini.

Haec vero definitio probanda et admittenda videtur quia clara, brevissima et realis, et respondens necessitatibus et exigentiis et activitatibus hominum.

9. Evolutio historica definitionis Philosophiae.

EISLER: *Wörterbuch der philosophischen Begriffe,* II, *Philosophie:* LALANDE, A. *Vocabulaire technique et critique de la Philosophie,* II, *Philosophie;* J. DONAT, *Logica* n.4,5; PESCH-FRICK, *Institutiones Logicae* n.5-6; M. G. MORENTE, *Introducción a la Filosofía* c.1.

Quamvis, DIOGENE LAERTIO [10] et IAMBLICO [11] auctoribus, PYTHAGORAS (c. 580-500) auctor huius notionis sensu strictiori habeatur [12], tamen iam antea fere certo in HERACLITO invenitur proprius sensus, ut apparet in fragmento 35: "χρὴ γὰρ εὖ μάλα πολλῶν ἵστορας φιλοσόφους ἄνδρας εἶναι καθ' 'Ηράκλειτον". Apud sophistas pro methodo apta ad disputandum (PROTA-

[9] J. DE VRIES, *Logica* n.20.

[10] *De v tis, dogm. philos.* prooemium 8.

[11] *Ort. Pyt.* 58.

[12] Cf. CIC., passim: *In Tusc.* 5,3. "Interrogatus is a Leonte Phliasiorum principe, qua maxime arte confideret, respondisse fertur "artem quidem se scire nullam, sed esse φιλόσοφον; neminem enim hominum aiebat sine temeritate sapientem dici posse, cum id solius Dei esset." Quod philosophiae nomen ita deinceps posteris placuit, ut qualibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel aliis videretur excellere, nonnisi philosophus vocaretur" (cf. praeterea S. AUGUSTINUM, *De Trinitate* 14,1,2; S. TH., *In lib I Metaph.* lect.3). Sunt namque iuxta illum multi "qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientes studiosos, id est enim philosophos."

GORAS, PLATO) vel pro apta demonstratione theoretica (PRODICUS, GEORGIAS) habetur. Pari modo apud *Socratem* amorem, impetum in sapientiam significat [13].

Apud PLATONEM et ARISTOTELEM primo significare incipit non solum amorem sapientiae, sed etiam ipsam sapientiam [14], scientiam universalem; e contra aliae scientiae particulares (ἐν μέρει).

In antiquitate praeterea saepe coniungitur cum *sapientia*, exercitio nempe virtutum (SOCRATES, PLATO, STOICI). Patet autem tunc temporis campum philosophiae esse campum omnium scientiarum. Cum enim ipsi veteres non tot cognitiones nec variatissimas haberent, omnia facile sub illa complectebantur.

Medio aevo fere eamdem veteres scholastici definitionem amplitudinemque philosophiae retinent; ita tamen ut theologiam paulatim ab ipsa separent, quod optime significatur illis notis vocabulis "lumine naturali" additis [15].

Apud modernos in primis haec amplitudo paulatim minuitur, ita ut constanter constituantur in scientias separatas, partes, quas antea Philosophia complectebatur, v. c. medicina, chemia, biologia...

Nihil mirum quod apud multos auctores modernos primum sit problema determinare quid ipsa Philosophia sit.

"Non exstat, ait WINDELBAND, definitio philosophiae ab omnibus agnita" [16], et A. RIEHL: "Primum problema philosophicum hodie philosophia ipsa est" [17].

Quare saepius valedicunt etiam communi definitioni. Nil restat "nisi ut communi definitioni philosophiae renuntiemus" ait O. KÜLPE [18].

Inter hos aliqui ita inficiantur intellectui eiusque culturae ut reiciant omnem philosophiam speculativam ut vitae humanae inimicam; sic v. c. multi asseclae, "Philosophiae vitae", BERGSON, J. ORTEGA [19]; eodem modo illi qui philosophiam ad summam omnium scientiarum positivarum, vel ad systema generale humanarum cognitionum redigunt, v. c. po-

[13] *Phaed.* 278,2.

[14] Cf. 1 *Metaph.* 1 (981b28); sic etiam CIC., *De officiis* 2,2.

[15] Cf. S. ALBERTUM MAGNUM, *Sum. Theol.* 1,4; S. TH., 1 *C. Gent.* c.94: "Sapientia in cognitione altissimarum causarum consistit."

[16] *Einleitung in die Philosophie* [3] (1929) 9.

[17] *Zur Einfuhrung i. d. Philosophie der Gegenwart* (1913) 3.

[18] *Einleitung in d. Philosophie* [8] (1918) 408.

[19] Iuxta J. ORTEGA, la filosofía es un quehacer del hombre que ha perdido la fe. Vide prólogo a la versión española de la *Historia de la Filosofía* de E. BREHIER.

sitivistae, ut COMTE[20]. Recentius vero concipiunt illam ut modum scientificum cogitandi, vel methodum ad conceptionem mundi acquirendam (AVENARIUS), vel ut totalizationem omnium scientiarum (E. MACH).

Iuxta E. KANT Philosophia est fere unice theoria cognitionis, seu critica, est enim "Philosophia systema omnis cognitionis philosophicae"[21], quae inquirit in principia a priori omnis possibilitatis cognitionis scientificae. Hanc directionem idealisticam multi kantiani et neokantiani sequuntur.

In moderna theoria valorum Philosophia concipitur ut scientia normativa de valoribus (Schola Badensis). Alii ipsam ut scientiam spiritus, alii ut connexam cum Phaenomenologia (E. HUSSERL) accipiunt. Sed in tanta varietate tot sententiarum illa eminet generalitas cognitionis, illa simplicitas per ultimas rationes, quae, ut lux in tenebris, semper tamquam ratio ultima Philosophiae apparet[22].

CAPUT II

De divisione Philosophiae

ARISTOTELES, *Metaph.*, 6,1; S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei* 8.4-8; S. TH., *In Boethii De Trinitate* q.5 a.1: *In 6 Metaph.*, lect.1; SUÁREZ, DM 1 s.2 n.7.8.13; DOMINICUS GUNDISSALIMUS, *De divisione Philosophiae* (ed. L. Baur in Beiträge zur Ges. der Phil und Theol. des Mit.4 2-3); J. MARIÉTAN, *Problème de la classification des sciences d'Aristote à S. Thomas* (Fribourg [Suise] 1901); J. HELLÍN, *Theologia naturalis* n.6 (Madrid 1950); CH. RENOUVIER, *Esquisse d'une classification systèmatique des doctrines metaphysiques* 2 vol. (Paris 1885-6); J. MARITAIN, *Les degrés du savoir* p.75 (Paris 1932); ROMERO F. PUCCIARELLI E., *Logica*[9] apéndice A y B (Buenos Aires 1945).

10. Ad distinctiorem ideam Philosophiae habendam eius divisionem proponere iuvat, etsi apud veteres non daretur divisio Philosophiae sensu recentiore, sed scientiae solummodo.

Omnis vero divisio ordinatur secundum *unum determinatum fundamentum;* ita celebres sunt divisiones scientiarum: 1) *secundum facultates hominis,* ita F. BACON (1561-1626), cuius divisionem postea excoluit D'ALEMBERT[1] (1717-1783), vel 2) *secundum simplicitatem ac generalitatem,* ita

[20] *Cours de Philosophie positive* 13,5.
[21] KRITIK *der reinen Vern.* S.633.
[22] Cf. EISLER, *Wörterbuch...* vocabulum "Philosophie".

[1] Vide F. ROMERO E. PUCCIARELLI, *Logica*[9] apéndice B.

A. COMTE et positivistae; vel 3) *secundum gradum abstractionis a materia,* divisio celebris apud scholasticos, vel 4) *secundum finalitatem speculativam.*

Quod clarius apparebit in historica expositione praecipuarum divisionum, prout a De Vries [2] optime proponuntur.

11. Divisio Platonis. *Ex obiecto.* Ad mentem Platonis, proponere videtur XENOCRATES discipulus eius primam historicam divisionem Philosophiae (scientiae) in *Dialecticam* (logicam), quae circa ideas et cognitionem, *Physicam,* quae circa "naturam" et res huius mundi, et *Ethicam,* quae circa bonum seu actiones humanas recte ordinandas versatur. Hanc sequuntur Sancti Patres et in primis S. AUGUSTINUS [3], qui eam tripartitionem ad bipartitam distributionem Philosophiae *theoreticae* (contemplativae) et *practicae* (activae) reducit, et alii doctores usque ad medium aevum (S. ISIDORUS, ALCUINUS, SCOTUS ERIUGENA).

Haec divisio nimis cohaeret cum systemate idearum Platonico. Ita Physica non respicit nisi mundum sensibilem; per "dialecticam" vero ingressus patet ad mundum intelligibilem, ubi conceptus et ideae transcendentes cognoscuntur, quae verae realitates sunt.

12. Divisio Aristotelis. *Ex fine* scientiam ARISTOTELES dividit primo in *theoreticam, practicam et poieticam* [4]. *Prima theoretica* agit de integro ordine entis, qui independens est ab activitate humana; *altera practica* de activitate interna hominis, maxime voluntaria, inde Philosophia moralis; *tertia poietica* de activitate externa, de operibus artis. His Logicam praemittit tamquam instrumentum, *organum* scientiae.

Philosophia theoretica dividitur secundum gradum abstractionis a materia, in *physicam,* quae res materiales considerat, abstrahendo unice ab individuatione, secundum earum naturas non separatas a materia, et moviles; in qua includebatur tractatio de anima, quatenus refertur ad corpus essentialiter ut forma non separata. *In mathematicam,* quae abstrahit a materia, nempe ab omnibus mutationibus, generatione et corruptione, alteratione, etc., et solum retinet quantitatem, figuram, numerum. *In scientiam theologicam,* quae abstrahit ab omni materia retinetque ens immateriale. Haec

[2] Vide *Logica* n.25s.
[3] Cf. *De civ. Dei* 8,4.
[4] 6 *Topic.* 6 (145a15).

vocatur etiam "Philosophia prima", opposita Philosophiae secundae (physica et mathematica), tum ob eius dignitatem, tum etiam quia principia demonstrationis Philosophiae secundae praebet. Denique dicitur *Metaphysica,* quae vox forsitan ab Andronico Rhodensi (s. I) casu posita fuit, cum hos libros post physicam exposuit sub titulo "τὰ μετὰ τὰ φυσικά"; haec primum ordinem, postea vero *trans-ultra-physicam* significavit.

13. *Philosophia practica* dividitur a discipulis Aristotelis (EUDEMO, A. AFRODISIAS) in *ethicam,* quae vitam moralem individualem; *oeconomicam,* quae rem familiarem; et *politicam,* quae vitam civilem considerat atque moderatur.

His prae oculis habitis, en conspectum scientiae, prout ab ARISTOTELE proponeretur:

<table>
<tr><td rowspan="8">Scientia omnis (Philosophia)</td><td colspan="3">I. Organon: Logica.</td></tr>
<tr><td rowspan="3">II. Philosophia theoretica.</td><td>1. Physica..........</td><td rowspan="2">Philosophia secunda.</td></tr>
<tr><td>2. Mathematica......</td></tr>
<tr><td colspan="2">3. Metaphysica; philosophia prima; theologia.</td></tr>
<tr><td rowspan="3">III. Philosophia practica seu moralis</td><td colspan="2">1. Ethica.</td></tr>
<tr><td colspan="2">2. Oeconomica.</td></tr>
<tr><td colspan="2">3. Politica.</td></tr>
<tr><td colspan="3">IV. Philosophia poietica seu factiva: Artis.</td></tr>
</table>

Haec divisio ab ARISTOTELE insinuata, aliqualem imperfectionem continet, cum eius fundamentum, finis nempe, non perfecte divisum sit inter partes, et extra divisionem relinquat logicam; tamen aliud optimum fundamentum innuit, quod postea a scholasticis perficietur.

14. Divisio scholastica. Vestigia ARISTOTELIS secuti scholastici suam divisionem usque ad s. XVIII proponunt. Ita DIVUS THOMAS:

"... sapientis est ordinare. Cuius ratio est, quia sapientia est potissima perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem... Invenitur autem duplex ordo in rebus... Ordo autem quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius est ordo quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum quae sunt voces significativae. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem ordo est, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus quarum ipsa est causa, sicut in arca et domo... Ad Philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana

considerat, sed non facit, ita quod sub naturali Philosophia comprehendamus et metaphysicam. Ordo autem quem ratio facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam... Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralem Philosophiae. Ordo autem, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas"[5].

Per ultima verba S. THOMAS Poieticam a Philosophia excludere videtur.

Itaque S. THOMAS ponit: *Philosophiam realem* (late physicam), quae includit physicam propriam et metaphysicam, et *rationis* (logicam) prout ordinat actus mentis, et voluntatis (ethicam).

Confer S. AUGUSTINUM paulo aliter proponentem divisionem in *De civitate Dei,* 11, 25. Uberius autem S. BONAVENTURA in opusc.: *De reductione artium ad theologiam; itinerarium mentis ad Deum,* c. 3 sub fine. Divisionem scientiae ad mentem SUAREZ vide apud HELLIN[6].

Apud scholasticos sec. XVII, *Metaphysica,* cuius obiectum est ens immateriale, dividitur, si obiectum est tantum praecisive immateriale in *Ontologiam,* nomen primo a J. D. DUHAMEL propositum[7]; si vero est tantum positive immateriale in *Theologiam naturalem* et quodammodo etiam in *Psychologiam.* Iuxta hanc igitur tendentiam ita distribuebantur materiae in cursu trienni: 1) Logica; 2) Physica (ad quam Psychologia); 3) Metaphysica et Ethica.—Postea vero *Metaphysica, philosophia entis,* post Logicam collocatur (MAIGNAN) († 1676); et WOLF, *Theologiam naturalem, theodiceam* a Leibniz nuncupatam[8], a Metaphysica separat.

15. Divisio wolfiana. Haec divisio etiam nunc a multis scholasticis proponitur; immo in distribuendis ipsis partibus in toto philosophico curriculo, binas partes per annum dividendo, etiam nunc servatur. Sensu igitur rationalistico leibnitiano ita WOLF proponit divisionem:

[5] *In X Ethic. ad Nic.* lect.1.
[6] *Theologia nat.* n.12.
[7] *Philosophia vetus et nova* (1678).
[8] LEIBNIZ, *Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme e l'origine du mal* (1710); in hoc opere obiectionibus BAYLE (1650-1706) respondet.

Philosophia
- I. Philosophia propaedeutica: Logica.
- II. Philosophia theoretica; Metaphysica......
  - I. Metaphysica generalis: Ontologia
  - II. Metaphysica specialis...
    - 1. Cosmologia: de mundo corporeo.
    - 2. Psychologia: de anima.
    - 3. Theologia naturalis.
- III. Philosophia practica seu moralis.

Haec divisio wolfiana aliquatenus coincidit cum aristotelica; datur magna similitudo inter Ontologiam et Metaphysicam; tamen pessimum incommodum in ea invenitur, eo quod theologia naturalis a metaphysica separata et cum cosmologia et psychologia ordinata sit; praeterea modus procedendi toto caelo differt. WOLF enim rationalistici aevi filius, more geometrico, et generalioribus conceptibus ad inferiora procedit et quamvis errores, qui inde eruuntur, ab scholasticis, talem methodum usurpantibus, vitentur, tamen difficultas didactica magna exsistit pro incipientibus; cum e contra ARISTOTELES incipiat ab inferioribus, et experientia ad altiora procedat, ita ut metaphysica sit fastigium, ad quod praeparandum omnia conspirent.

Tamen etiam nunc hic ordo a multis scholasticis retinetur, ita ut hanc ordinariam proponant divisionem:

PHILOSOPHIA
- Rationis (logos) ut est instrumentum veri obtinendi: *Logica* ....
  - procurat rectitudinem: *Dialectica*
  - procurat veritatem: *Critica.*
- Speculativa realitatis: *Phil. realis seu Metaphysica*..
  - in gre. «ut entia»: *Metaphysica generalis* seu *Ontologia* sensu stricto.
  - specialis «talis entis»: *Metaphysica specialis.*
    - ens ut corporeum: *Cosmologia.*
    - ens ut vivens: *Psychologia.*
    - ens ut absolutum: *Theodicea.*
- Practica, de actibus humanis....
  - mere in se conformandis regulae morum: *Philosophia moralis, Ethica.*
  - productivis operum externorum artis: *Aesthetica.*

16. In *tendentia kantiana,* reiecta metaphysica et eius partibus, solum remanet triplex divisio in Criticam cognitionis, moralitatis et iudicii.

In *tendentia positivistica* nulla datur propria Philosophia nec eius divisio.

In *tendentia valorum et exsistentiae* aliqua brevis proponitur divisio [9].

17. De modernis subdivisionibus [10]. His temporibus

[9] Vide apud J. DÁVILA, *Introd. in Phil. et Logica* n.117.
[10] Cf. J. DONAT, *Logica* n.10; DE VRIES, *Logica* n.30a.

etiam apud scholasticos novae indicantur subdivisiones, quae ad partes supra indicatas revocari possunt. Et merito quidem, cum enim ambitus cognitionum in dies crescat, oportet Ethicam, Psychologiam etc., in varios tractatus dividi, ut commodius et exponantur et discantur. Difficultas quae exsurgit contra indolem philosophicam tot partium et separationem a scientiis particularibus solvitur, dum istae partes semper per principia metaphysica et ultimas rationes considerentur, quae in scientiis particularibus non servantur.

18. En praecipuas disciplinas modernas.

Introductio in Philosophiam quae per diversa tentamina in dies crescere videtur.

Critica (criteriologia, logica materialis) quamvis saepe passim ab auctoribus scholasticis tractetur, ex professo a KANTIO inducta est. Nunc ab omnibus auctoribus ut disciplina specialis habetur vel seiunctim vel simul cum logica formali.

19. Aesthetica de pulchro deque operibus artis disputat. Quamvis iam ab antiquitate multa de pulchro tradantur, tamen ut tractatus specialis primo a ALEX. BAUNGARTEN (1714-62), et ex inde ut *theoria artis* proponitur. Sub philosophia *factiva* ARISTOTELIS ponenda videtur. De pulchro agit Ontologia.

20. Philosophia historiae, quae in remotiores rationes eventuum historiae inquirit. Huiusmodi aliqua a S. AUGUSTINO in *De civitate Dei* praelibantur; auctores vero eius considerantur J. VICO (1668-1744) et G. HERDER (1744-1803). Haec vero scientia, quia non solum a voluntate humana, sed etiam a divina Providentia pendet, apte cohaeret cum theologia, ubi per revelationem ratio voluntatis divinae nobis manifestatur.

21. Sociologia de societate humana agit et a A. COMTE (1798-1857) ut suprema scientia loco metaphysicae inducitur. Hodie vero ut scientia particularis proponi solet. Tamen Philosophia multa circa societatis naturam, condicionem etc. dicere solet, ut videre licet apud ARISTOTELEM, S. THOMAM, SUAREZ.

22. Philosophia religionis de notione religionis, ut operationis humanae, de eiusque obiecto, divisione agit. Eam


primo rationalistae deistae s. XVIII proponunt ut partem specialem philosophiae, ut ostenderent solam naturalem religionem esse rectam, omnibus revelatis, etiam christiana, reiectis. Contra hos scripsit opus "Philosophie der Religion" S. STORCHENAU (1731-97). Ab historia et psychologia religionis separari debet, quia scientiae particulares sunt.

23. Philosophia iuris de essentia, origine et fundamento ordinis iuridici tractat, et tamquam pars philosophiae socialis (ethicae) ponitur. Quae pars, sicut etiam *philosophia linguae* et huiusmodi maxime cohaeret cum *Philosophia culturae,* quae a W. DILTHEY (1833-1912) ut specialis pars Philosophiae colitur; singulae partes huius culturae separatim etiam postea coluntur v. c. oeconomica, technica. *Cultura* accipi potest vel de integra activitate humana, vel de sola *activitate externa* et in hoc postremo casu sub "Philosophia factiva" ARISTOTELIS caderet.

24. Philosophia scientiae est quaedam critica circa fundamenta scientiarum, quae desiderabatur maxime saeculo XIX post lamentabilem Philosophiae defectionem. Nunc admittitur et maxime a viris scientificis colitur, ex quibus POINCARÉ Philosophiam matheseos, DILTHEY, RICKERT Philosophiam scientiarum spiritus tractant.

25. Anthropologia philosophica integrum hominem considerat, psychologia vero vitam consciam solummodo. Reagit contra nimiam separationem animae et corporis, quam fovet CARTESIUS. Moderni multi philosophi sive vitae sive exsistentiae integrum hominem concretum considerant. Tamen, etsi optime ab integra experientia humana procedat, totum ultimum fundamentum in metaphysica invenire debet.

26. Sequens schema divisionis ab aliquibus proponitur inserendo illas partes divisioni adaequatae ARISTOTELIS et S. THOMAE, quia hae omnes modernae partes illi subordinari posse videntur:



Hic apparet quo pacto Critica ad Metaphysicam pertineat, iuxta multorum placita [11]; Logica vero, licet ad aliquod opus ordinetur, non Philosophiae practicae, sed theoreticae annumeratur, quia est opus intellectus, cuius est scire res.

Aliqui, sicut etiam in hac praesenti Summa, tractatum integrum de viventibus psychologiae tradunt. Tunc Cosmologia solum de anorganicis aget. Hoc vero aliis non placet, quia de facto hodie vita psychica vitam consciam significat.

Philosophia religionis, sicut Philosophia iuris et Sociologia, pro diversis fundamentis et considerationibus diversimode ordinari posset.

Vide etiam has alias divisiones hodiernorum auctorum non scholasticorum [12]:

[11] Vide v. c. A. González Alvarez, *Introducción a la Metafísica* (Mendoza 1951) c.3 a.4 p.184s; ubi etiam copia bibliographiae datur.

[12] Apud F. Larroyo y M. A. Ceballos, *La lógica de la ciencia* [5] (Méjico 1945) p.35.53.

DIVISIO PROBLEMATUM ET SCIENTIARUM SECUNDUM HODIERNAS PHILOSOPHIAE PERENNIS TENDENTIAS.

- Philosophia theoretica (speculativa)......
  - I. Problemata noetica........
    - 1. Logica.
    - 2. Methodologia.
    - 3. Theoria cognitionis (Epistemologia).
  - II. Problemata metaphysica
    - 1. Metaphysica generalis
    - 2. Metaphysica specialis..
      - a) Metaphysica avalorativa.
        - α) Metaphysica naturae: Cosmologia, Metaphysica vitae.
        - β) Metapsychologia: animae individualis, animae socialis.
        - γ) Theologia naturalis.
      - b) Metaphysica valorativa.
- Philosophia practica - Philosophia valorum: III. Problemata axioanthropologica.....
  - 1. Axiologia generalis.
  - 2. Axiologia specialis.. (cum fundamento metaphysico)
    - a) Philosophia moralis (ethica). Philosophia iuris, Philosophia societatis, Philosophia educationis.
    - b) Philosophia artis (aesthetica).
    - c) Philosophia Religionis.
    - d) Mystica.
    - e) Philosophia historiae.

DIVISIO SYSTEMATICA SCIENTIARUM PHILOSOPHICARUM SECUNDUM ORDINEM ET DIVISIONEM BONORUM ET VALORUM.

Bona: res (obiecta) asociales *Dispositio subiectiva:* captatio	*Ordo valorum*	*Bona:* personae sociales *Dispositio subiectiva:* activitas
Campus LOGICAE Nucleus axiologicus: a) valor fundamentalis: *veritas;* b) valores derivati: *exactitudo, aproximatio, probabilitas,* etc. Bonum: *scientia.* Dispositio subiectiva: *iudicare.* Conceptio mundi: *intellectualismus.*	*Primus gradus:* Totalitas infinita Bona futura	Campus ETHICAE Nucleus axiologicus: a) valor fundamentalis: *bonitas;* b) valores derivati: *veracitas, fortitudo, modus, iustitia,* etc. Bonum: *moralitas.* Dispositio subiectiva: *ratio agendi autonoma.* Conceptio mundi: *ethicismus.*
Campus AESTHETICAE Nucleus axiologicus: a) valor fundamentalis: *pulchritudo;* b) valores derivati: *venustas, elegantia, ironia,* etc. Bonum: *opus artis.* Dispositio subiectiva: *contemplatio.* Conceptio mundi: *aestheticismus.*	*Secundus gradus* Particularitas finita Bona praesentia	Campus EROTICAE Nucleus axiologicus: a) valor fundamentalis: *felicitas;* b) valores derivati: *teneritas, gaudium, voluptas,* etc. Bonum: *communitas amorosa.* Dispositio subiectiva: *inclinatio, deditio.* Concepto mundi: *erotismus.*
Campus MYSTICAE Nucleus axiologicus: a) valor fundamentalis: *sanctitas impersonalis;* b) valores derivati: *pietas, gratia, beatitudo impersonales.* Bonum: *unio mystica.* Activitas subiectiva: *deificatio.* Conceptio mundi: *mysticismus.*	*Tertius gradus:* Totalitas finita Bona aeternitatis	Campus PHILOSOPHIAE RELIGIONIS Nucleus axiologicus: a) valor fundamentalis: *sanctitas personalis;* b) valores derivati: *pietas, gratia divina, beatitudo personales* Bonum: *mundus deorum.* Activitas subiectiva: *extasis religiosus.* Conceptio mundi: *theismus - polytheismus.*

Campus PHILOSOPHIAE HISTORIAE

Nucleus axiologicus: *universalitas valorum culturalium*
Factum reflexionis: *fieri culturae humanae.*

27. Circa *ordinem* quo *in curriculo ordinario* studiorum hae omnes partes tractari debent, sunt diversae sententiae; et de facto diversis temporibus diverso ordine propositae sunt. Nunc generatim Logica, Critica et Ontologia (metaphysica generalis praecisive) praemittuntur Psychologiae et Cosmologiae; ultimae vero Ethica et Theologia naturalis traduntur. Haec distributio duo incommoda praebet, et difficultatis quoad Criticam et Ontologiam, et defectus transitionis ad Metaphysicam ex Philosophia secunda; praeterea dissociantur metaphysica generalis (Ontologia ex una parte et Theologia naturalis ex alia). Tamen hae difficultates non adeo insolubiles, ut superari non possint, et aliunde utilitas, quae in hoc ordine servando exsurgit, nos illum adhuc retinere cogit.

CAPUT III

De relatione Philosophiae ad reliquas scientias, et praesertim ad Theologiam

J. DÁVILA, *Introductio ad Philosophiam et Logicam* n.119-126; J. DONAT, *Logica* n.6,13; PESCH-FRICK, *Institutiones Log. et Ont.* n.21-44; LEO XIII, *Encycl. "Aeterni Patris"* (1879); S. TERÁN, *Superioridad de la filosofía sobre las disciplinas humanas, desde el punto de vista de la ciencia misma:* Ort 4 (1943) 245-323.

28. Primis temporibus, ut ex supra dictis patet, non nisi unica scientia ac philosophia considerabatur in varias partes divisa; nulla igitur quaestio de distinctione et relatione inter Philosophiam et reliquas scientias agitari poterat.

Sed temporibus recentioribus ab omnibus, positivistas si excipias, iure talis quaestio agitatur, cum distinctio illa facile pateat ratione obiecti formalis quod vel quo utriusque disciplinae. Quare in primis dicamus de *relatione inter Philosophiam et reliquas humanas scientias.*

29. *Prima* igitur inter omnes scientias humanas est *Philosophia,* tum quia scientiae a suo obiecto formali specificantur et obiectum formale Philosophiae, ultimae et altissimae rationes rerum, multum excedit obiectum formale ceterarum scientiarum; i. e. explicationes rationesque proximae aliquarum rerum; tum quia ipsa est et fundamentum et culmen omnium scientiarum.

Fundamentum, quia Philosophia scientiis offert omnia sua

praesupposita omnino fundamentalia, v. c. naturam facultatis cognoscitivae, leges logicas quibus ipsa regitur, principia prima metaphysica, notiones primas seu praedicamenta, quae omnia in Philosophia ostenduntur vel demonstrantur.

Culmen, quia Philosophia scientias particulares complet et unit; *complet,* quatenus ea, quae nullo modo ab illis traduntur, explicat, proponit, v. c. ius poenale necessarium complementum accipit tum a Psychologia, ubi de libertate, tum maxime ab Ethica ubi de natura obligationis ac coactionis legis agitur; *unit,* quia praebet ipsis v. c. ex finalitate mundi, ex divina Providentia aliquam conceptionem harmonicam, sine qua diversae notitiae v.c. mundi, creationis, indigesta moles semper evaderent.

30. Nec tamen ipsa Philosophia ita independens ab scientiis est habenda, ut non multum adiuvetur ipsis experientiis scientificis et legibus scientiarum stricte determinatis; naturae enim rerum determinantur ex proprietatibus modisque constantibus agendi earum, quae omnia scientiarum propria sunt. Unde scientiae particulares et Philosophia non solum inimicae vel indifferentes inter se esse non debent, sed maximas amicitias fovere inter se, ipsis curandum est.

31. De relatione Philosophiam inter et Theologiam [1]. Historia teste, sola Philosophia, licet perfecta de se scientia, non sufficit ut homines res morales ac religiosas expedite et nullo admixto errore doceat. Quare moraliter, non absolute necessaria fuit revelatio [2]; et Deus suavissima Providentia ea homini revelavit, vel quae nullo modo ab ipso cognosci naturaliter possunt, vel quae, licet ipsi rationi impervia non sint, tamen non faciliter ab ea attinguntur. Huiusmodi veritates recte ordinatae constituunt scientiam Theologicam supernaturalem. De relatione inter Theologiam et Philosophiam dicemus nunc ex ordine: de non oppositione, de relativa independentia, de dependentia secundum quid, de mutuo iuvamine.

32. In primis igitur, *nulla vera dissensio* dari potest inter veritates utriusque scientiae; cum idem Deus sapientis-

[1] Optime quaestionem tractat T. PESH-FRICK, *Inst. Logicae* n.30s.

[2] Vide D 1786; Conc. Vaticanum, s.3 c.2 de Rev.: "Divinae revelationi tribuendum est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint". Cf. praeterea Encycl. "Humani generis" (AAS [1950] p.562).

simus et verax, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere, inanis est omnis contradictionis species; quae inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur [3].

Patet autem mysteria stricta, quae a fide proponuntur, posse esse supra, non vero contra rationem naturalem; intellectus ipsa comprehendere non potest, sed certe a difficultatibus et contradictionibus liberare; unde apparet contradictiones, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta [4].

33. De relativa independentia Philosophiae a Theologia. Philosophia non dependet a Theologia suo obiecto formali, nec methodo et principio demonstrationis ut ex diversis earum definitionibus patet, quare traditionalismus philosophicus reiciendus est. Itaque licet Philosophia quasdam veritates possit habere communes cum Theologia, v. c. Dei exsistentiam, veritates ordinis moralis, etc. patet eas solum ut obiectum materiale esse communes; alias vero veritates neque hoc pacto esse communes, ut mysteria stricte dicta. Consequenter non obligatur Philosophia eodem modo ac certitudine illas veritates demonstrare, ut v. c. in famosa quaestione *de aeternitate mundi,* philosophice disputata, theologice vero certa.

34. De dependentia Philosophiae a Theologia tanquam a norma extrinseca et per se negativa. Debet in primis dari subordinatio aliqua, ut generatim datur inter omnes scientias reales, ita ut inferiores scientiae superioribus subordinentur. Theologia vero omnino Philosophiam et sua infallibilitate et suo obiecto et fine excedit. Quare recte damnata est illa sententia: "Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione" [5].

Hinc "libertas cogitandi" absoluta modernorum reicienda est.

35. Unde Philosophia ita doctrinam fidei respicere debet ut nihil ipsa doceat, quod fidei contradicat; est enim per

[3] Conc. Vat., s.3 c.4; D 1797; cf. praeterea S. Th., *C. Gent.* c.17; in disp.24 q.1 a.3.
[4] S. Th., 1 q.1 a.8.
[5] Prop.14 *Syllab.* (D 1714).

se Theologia *norma negativa non positiva.* Dicimus per se; per accidens enim potest esse etiam aliquatenus norma positiva; in obiecto enim materiali communi, cogita v. c. de notione personae, de quantitatis essentia, de quibus Philosophia et Theologia agunt, Philosophia aliqua proponit, quae non nisi occasione veritatis revelatae proponeret; et praeterea adest obligatio positiva adhaesionis veritatibus revelatis, post philosophicam iustificationem praeambulorum fidei. Ita loquitur Leo XIII in Encyclica *Aeterni Patris*: "Cum constet, ea, quae revelatione innotescunt, certa veritate pollere et, quae fidei adversantur, pariter cum recta ratione pugnare, noverit philosophus catholicus, se fidei simul et veritatis iura violaturum, si conclusionem aliquam amplectatur, quam revelatae doctrinae repugnare intellexerit" [6].

36. Hinc sensum illius verbi "ancillae Theologiae", quod Philosophiae datur iam a Patribus graecis, facile colligere poteris [7]. Non enim significat servitutem timoris et irrationalem, sed e contra omnino rationalem, nempe *tutam opem,* quam Philosophia et Theologia sibi mutuo oferre debent; "cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat" [8].

Tristis vero historia eorum, qui a doctrina fidei recedunt, hoc maxime confirmat. Fere enim nulla est veritas fundamentalis, quae ab his heterodoxis non negetur, ita ut ipsi philosophi moderni hanc miseram condicionem suae philosophiae fateantur. "In ipsa enim moderna philosophia non est nisi plena anarchia (F. Paulsen), infinita dissensio (Eucken), dissipata confusio (W. Windelband), chaos et confusio (F. Heinemann) [9].

Intranquillitas huius pugnae et obscuritatis animos multorum nunc agitat, et huc illucque sese vertunt illa intranquillitate exsistentialistica permoti et quaerunt lumen, quod nunquam "extra lucem veram, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum" [10] inveniri poterit.

[6] Cf. etiam Conc. Vat., s.3 c.4; D 1799.
[7] Circa huiusmodi nominis historiam conferre potes J. Donat, *Logica* n.18.
[8] Conc. Vat. ut supra.
[9] Ipsa verba horum auctorum citata habes apud ipsum J. Donat, *Log.* n.19.
[10] Io 1,9

CAPUT IV

De momento et utilitate Philosophiae

DE VRIES, *Logica* n.44s.; J. DONAT, *Logica* n.56; LEO XIII, Encyclica *Aeterni Patris.*

37. In utilitatem Philosophiae multipliciter multi *pseudoscientifici* petunt; ut apparet ex tendentia irrationalistica hodie frequentissima in "Philosophia vitae" et in "Philosophia exsistentiae". Secundum has tendentias debemus interpretari mundum *modo irrationali,* sensu quodam vel animi sentimento et affectionibus, non vero cognitione intellectuali. Realitas talibus experientiis attingitur et mere symbolice iudiciis exprimitur.

Eodem modo "*Theologiae Dialecticae*" *sectatores* naturam humanam nimis deprimentes post peccatum originale, ipsam Philosophiam deprimunt, eiusque valorem potius negativum, plenum insufficientiae propriae et desperationis, quam positivum, extollunt.

Huc revocari possunt *neokantiani,* qui reiecta metaphysica, Philosophiam ad unam theoriam cognitionis, et "*Metaphysicae Inductivae*" *defensores,* qui ad quamdam conceptionem mundi et unitatem hypothetici valoris Philosophiam reducere conantur.

Attamen ex hactenus dictis de natura et relatione Philosophiae ad reliquas scientias, satis effulget eius utilitas et praestantia, quam paucis nunc exponemus.

38. 1. *In ordine mere speculativo* et quidem spectata natura hominis, statim apparet magnum momentum scientiae philosophicae. Ordinat enim et colit illam partem nobilissimam hominis, rationem nempe, qua ipse ceteras creaturas huius mundi superat; et quidem per cognitionem universalissimam entis et ultimas eius causas. Unde in ordine scientifico res huius mundi in unitatem redigit, omnibusque scientiis naturalibus sua principia fundamentalia praebet, omnesque illustrat. Merito igitur S. Thomas: "Unde haec est ultima perfectio, ad quam anima potest pervenire secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius"[1].

---

[1] *De verit.* q.2 a.2.

Qua de causa Philosophia optime respondet in ordine naturali illae nobilissimae tendentiae humanae, quae non nisi ultimis fundamentis et rationibus rite ordinatis expletur.

39. 2. *In ordine magis practico,* scientia non est propter se ipsam sed propter hominem; valor tamen practicus non ad res mere materiales est ordinandus, et hoc pacto etiam maxima utilitas Philosophiae patet ut custos veritatum religiosarum, moralium, socialium et metaphysicarum, quibus homines individui, familiae ac societates reguntur et suam felicitatem, securitatem et rectitudinem consequuntur. Ita philosophia quae tales veritates et illustrat et conservat "magistra vitae" iure dicitur [2].

40. Philosophia est custos ordinis religiosi. Et in primis *religionis naturalis,* quatenus ipsa scientia quo maior est eo facilius in Deum ducit, secundum notum effatum: "Levis scientia a Deo avertit, magna vero ad ipsum ducit." "Leves gustus in Philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere" [3]. Demonstrat enim Dei exsistentiam, cum omnibus suis attributis, in quibus omnia religionis officia et iura fundantur, simulque ostendit falsitatem omnium atheisticarum sententiarum, quae tot ac tantorum malorum in mundo causa fuerunt.

Praeterea fundamenta iacit religionis revelatae, prout saepius indicatum manet.

41. Eodem titulo *est custos moralitatis,* quatenus non solum praecepta moralia ostendit ac tuetur, sed etiam omne fundamentum totius ordinis moralis proponit ac demonstrat: nempe ipsam Dei voluntatem, contra omnes falsitates, quae moralitatem autonomam seu independentem cum tot periculosis sequelis propugnat.

42. Pariter *est custos ordinis socialis,* tum familiaris, dum statuit iura et officia indissolubilis matrimonii, officia parentum ac filiorum, tum civilis cum fundamentum societatis civilis, in obedientia et debita subiectione proponit. Denique dum retinet iura intra debitos limites proprietatis, ipsam societatem contra pernitiosissimos errores modernos communismi ac liberalismi tuetur.

---

[2] Sic Cicero in *Tusc.* 5,2: "O vitae Philosophia dux! O virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! Quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset! Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti..."

[3] Baco Verul., *De Dignitate et augmentis scientiarum* 1,5.

43. *Ipsa denique recta directio omnium scientiarum* maxime a Philosophia dependet; nam prout principia et fundamenta Philosophica ponantur ita postea in ipsis scientiis procedendum est. Cogita v.c. de evolutione materialistica in biologia, de relativitate, de positivismo empiristico, et quot perversae directiones in scientiis ex iis theoriis sequantur.

Imo vero ipsas tendentias in theatro, in fabulis romanensibus, in tota re litterarum, in artibus pulchris picturae, sculturae, etc., ab ipso conceptu philosophico de pulchro,, de bono, etc., omnibus nobis maxime pendere, videre licet.

44. *Summi Pontifices* causam malorum doctrinam perversam philosophicam nominant. Ita LEO XIII[4]: malorum causa "in eo consistere, quod prava de divinis humanisque rebus scita, e scholis philosophorum iam pridem profecta, in omnes civitatis ordines irrepserint, communi plurimorum suffragio recepta... Ex adverso, si sana mens hominum fuerit, et solidis verisque principiis firmiter insistat, tum vero in publicum privatumque commodum plurima beneficia progignet". Et quamvis Romanus Pontifex asserat Philosophiam esse imparem omnibus omnino erroribus propulsandis, addit: "Sed neque spernenda seu posthabenda sunt naturalia adiumenta, quae divinae sapientiae beneficio, fortiter suaviterque omnia disponentis, hominum generi suppetunt; quibus in adiumentis rectum Philosophiae usum constat esse praecipuum... Igitur postulat ipsius Divinae Providentiae ratio, ut in revocandis ad fidem et ad salutem populis etiam ab humana scientia praesidium quaeratur; quam industriam, probabilem ac sapientem, in more positam fuisse praeclarissimorum Ecclesiae Patrum, antiquitatis monumenta testantur." Nil mirum si Romani Pontifices ipsam "perennis Philosophiae" restaurationem maxime cupiant, cum ipsa sit unica quae contra tot errores modernos nos munire, et viam ad vitam et fidem supernaturalem sternere, possit.

[4] Encycl. *Aeterni Patris.*

CAPUT V

De Philosophia 1) perenni, 2) christiana, 3) scholastica

Cf. bibliographiam specialem pro unaquaque parte.

45. De Philosophia perenni.

J. DONAT, *Logica* n.35; J. DE VRIES, *Logica* n.88; J. BARION, *Philosophia perennis als Problem und als Aufgabe* (München 1936); A. TRUYOL Y SERRA, *La situación filosófica actual y la idea de la "filosofía perenne"*: Anales de la Univ. de Murcia (1947-8) p.343-66.

Frequens est usus hodiernus huius vocabuli apud modernos auctores, qui primo invenitur apud AUG. STEUCHUM, religiosum St. Salvatoris (1496-1549) in eius opere illustri "De perenni Philosophia libri X" (1540) [1]; in quo eruditissime ac non sine exaggeratione ostendere intendit omnem philosophiam antiquitatis amplexam esse non solum veritates naturales, sed etiam supernaturales: "quod omnes fere gentes aliqua monumenta de Patre ac Filio et Spiritu, de angelis bonis et malis, de creatione humana et mundi recondita suis litteris habuerint".

Intelligimus vero hac voce "Philosophiae perennis" illum complexum veritatum fundamentalium, legum cogitandi et agendi, qui generatim a magnis philosophis antiquitatis graecae et latinae, per sanctos Patres ac doctores Ecclesiae, per Philosophiam scholasticam usque ad modernam Philosophiam neoscholasticam et christianam incipit, augetur et confirmatur. Hae veritates ipsa naturali evidentia, qua fulgent, hominibus bonae voluntatis faciliter apparent, et postea revelatione supernaturali firmiter confirmantur [2].

Vocatur etiam ab aliis [3] *Philosophia veritatis naturalis,* cui contradicere videntur illi qui a sensu communi, a recto usu cursuque ordinario nostrae facultatis deflectere videntur.

---

[1] Cf. H. EBERT, *Augustinus Steuchus und seine Philosophia perennis:* Philosophisches Jahrbuch (1939).

[2] A. HUXLEY scripsit opus *La Filosofía perenne,* in linguam hispanam ex anglica a C. A. JORDANA (Buenos Aires) interpretatum, in quo quasi substratum omnium religionum et philosophiarum ingenue invenire intendit.

[3] Vide J. DONAT, *Logica* n.35.

46. Philosophia scholastica.

J. Donat, *Logica* n.37s; A. Naber, *Introductio generalis in universam Philosophiam* c.3; M. de Wulf, *Introduction a la Philosophie Neo-scholastique* (Louvain 1904); Idem, *Histoire de la Philosophie Medièvale* (Louvain 1936); M. Grabmann, *Die Philosophie des Mittelalters* (1921) p.26-48, versio hispana, *Filosofía Medieval* (Colección Labor, n.177) p.43-70; Idem, *Geschichte der scholastichen Methode* (Freiburg 1912); E. Gilson, *La Philosophie du Moyen-age* 2 vol. (1922); B. Haureau, *Histoire de la Philosophie scholastique* 3 vol. (Paris 1872-1880); F. J. Thonnard, *Precis d'histoire de la Philosophie* n.178; F. Klimke, *Historia de la Filosofía*, versión española (Barcelona 1947) p.308s.

Philosophia perennis in doctrinis essentialibus cum *Philosophia Scholastica* convenit. Re vera, magna ingenia quae Scholasticam coluerunt immensam auctoritatem extrinsecam illi praebent. Non tamen tam ex auctoritate quam ex intrinsecis suis principiis et rationibus illa praeferenda videtur. Quare opere pretium est venerabilem illam Philosophiam paucis adumbrare, et sic indolem et naturam Philosophiae scholasticae proponere, ut qua ratione etiam nunc proponenda imo et colenda sit, facilius omnibus appareat.

47. Quid Philosophia scholastica. Si *nomen spectes, scholasticus, doctor scholasticus,* in primis magistros, qui septem artes liberales, Philosophiam ac Theologiam docebant, significat; postea vero etiam ad doctrinam in scholis propositam significandam adhibetur. Nunc vero generatim intelligitur doctrina tum philosophica tum theologica, quae tempore medii aevi tradita est.

Etenim re vera a saec. VII usque ad saec. XVI in Occidente christiano invenitur complexus doctrinalis, qui lumine rationis mundum interpretari intendit, ita ut etiamsi a diversis auctoribus diversis sententiis nonnulla explicentur, tamen communis aliqua quasi familiaris ratio inter illos detur, qui inde scholastici dicuntur. De essentia huius scholasticae doctrinae non pauca aliquatenus erronea vel minus recta dicta sunt; aliqui enim in *methodo deductiva,* quae deductione et syllogismis conclusionem infert, ponere illam conantur: alii *ex tempore medii aevi,* quo suam maximam evolutionem obtinuit, vel *ex relatione peculiari inter Philosophiam et Theologiam,* cum illa ancilla et adiutrix Theologiae sit, Scholasticam distinguere volunt; plurimi vero inter modernos auctores ex aliquibus doctrinis particularibus, v.c. ex quaestionibus universalium illam definire intendunt. His omnibus consideratis, sic cum aliquibus [4] definiri potest: *Philosophia scholastica est systema philosophicum, quod ut fundamentales doctrinas potissimum ex*

[4] Cf. J. Dávila, *Logica* n.130.

Aristotele provenientes et a SS. Patribus, ac praesertim a Sto. Thoma, emendatas et auctas et communiter a doctoribus catholicis acceptas, assumit, methodoque deductiva eas ordinate proponit". Hae vero doctrinae ordinatae et debito modo propositae post curriculum philosophicum apparebunt [5]; interim aliqua in problematibus philosophicis et historico conspectu praelibare licebit (v. n.66 ss).

48. *Proprietates vero huius Philosophiae scholasticae* hae proponi possunt:

Est christiana sensu iam saepius explicato, ubi de relatione inter Philosophiam et Theologiam egimus; inde maxime differt a reliquis systematibus et praecipue a modernis.

49. *Est Aristotelea* praesertim, nam etiamsi initio magnum pateretur influxum neoplatonicum, imo etiam ex Stoicis ac Platone aliquas sententias mutuata sit, tamen principia fundamentalia ex Aristotele recipit, quamvis non caece, sed erroribus omnibus purgatis diligentia tum SS. Patrum tum vel maxime S. Thomae.

Nihil vero obstat quominus inter magnos doctores scholasticos, licet in fundamentalibus conveniant, tamen aliqua diversitas in secundariis doctrinis admittatur. Libertatem enim vere scientificam semper florescere oportet.

50. *Est traditionalis,* sicut re vera omnis scientia esse decet. Discipuli enim a suis magistris et generationes posteriores a superioribus multa accipiunt fundamenta, supra quae ultra progredi oportet; nec "ab ovo" semper incipiendum est, sicut frequenter in modernis systematibus accidere videmus, cum unusquisque pro suo fere lubitu nova fundamenta novasque methodos iacere, suumque novum systema invenire conatur.

51. *Methodo dialectica speciali utitur in docendo,* quae licet non ita elegans ac iucunda sit, tamen utilissimam profectui alumnorum esse experientia docet. Hic specialis modus proponendi quaestiones (theses), argumentandi forma syllogistica, arguendi modo strictiori, si initio aliquam offert difficultatem, postea exercitatione toto curriculi tempore facilis apparet et obtinetur.

Quanti vero Ecclesia Philosophiam scholasticam aestimet

[5] Cf. tamen M. de Wulf, *Histoire de la Philosophie Médiévale* n.8-18.

ex frequenti commendatione RR. Pontificum clarissime videre licet.

Vide, sis, bullam SIXTI V *Triumphalis Ierusalem* 1588; PII VI constitutionem *Auctorem fidei* 1794 contra Synodum Pistoriensem; propositionem 13 in Syllabo PII IX damnatam: "Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt" [6].

Vide etiam Encyclicam LEONIS XIII *Aeterni Patris* de instauranda Philosophia Scholastica; PII X Encyclicam *Pascendi* (1907); PII XI Encyclicam *Studiorum ducem* (1923); Codicem Iuris Canonici, c.1366 p.2.ª Denique Encyclica *Humani generis*, PII XII (1950) [7], contra omnes errores qui paulatim in novam Theologiam irrepsere, doctrinam ac methodum scholasticam iterum enixe commendat:

"In conspectu est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad exsistentiam unius Dei personalis certo demonstrandam... Hoc tamen munus ratio tum solum apte ac tuto absolvere poterit, cum debito modo exculta fuerit; nempe cum fuerit sana illa Philosophia imbuta, quae veluti patrimonio iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum, atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac definita, ad ipsius divinae "revelationis" trutinam vocavit. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia—rationis nempe sufficientis, causalitatis, et finalitatis—ac demum certae et inmutabilis veritatis assecutionem.

In hac Philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe neque indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia libere peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget... Quae si bene perspecta fuerint, facile patebit cur Ecclesia exigat ut futuri sacerdotes philosophicis doctrinis instruantur "ad Angelici doctoris rationem, doctrinam et principia" [8] "quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus persvestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina "revelatione" quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda eficacissimam esse, necnon ad sani progressionis fructus utiliter et secure colligendos" [9].

52. Non defuerunt nec desunt, qui Philosophiam scholasticam reiciant, quia "libertate philosophandi careat, vel quia methodo an-

[6] D 1713.
[7] Cf. AAS 42 (1950) 561s.
[8] C. I. C. can.1366,2.
[9] AAS 38 (1946) p.387.

tiquata utatur, vel quia quaestiones modernas negligat, vel tandem quia bona fuerit temporibus medii aevi, non vero nostris"; quibus omnibus obiectionibus eadem Encyclica respondere videmus: "Hac de causa maxime deplorandum est, Philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam hodie a nonnullis despectui haberi, ita ut antiquata quoad formam, rationalistica, ut aiunt, quoad cogitandi processum, impudenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse; dum contra asseverant res, praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam; non tamen praebere philosophandi rationem, quae hodiernae nostrae culturae ac necessitatibus respondeat. Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam inmutabilium essentiarum esse, dum hodierna mens ad "exsistentiam" singulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem. Dum vero hanc philosophiam despiciunt, alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive Orientis, sive Occidentis populorum, ita ut in animos insinuare videantur quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis, cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum praesertim de commentis illis agatur, quae vel "immanentismum" vocant, vel "idealismum", vel "materialismum" sive historicum, sive dialecticum, ac vel etiam "exsistentialismum" sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest.

Ac denique Philosophiae nostris traditae scholis hoc vitio vertunt, eam nempe in cognitionis processu ad intellectum unice respicere, neglecto munere voluntatis et affectuum animi. Quod quidem verum non est. Nunquam enim christiana philosophia utilitatem negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas..." Encyclica defendit in specie duas disciplinas philosophicas, theodiceam nempe et ethicam, contra oppugnationes quorumdam doctorum.

53. Philosophia christiana.

Cf. J. De Vries, *Logica* p.43 (Friburgo 1950); J. Iriarte, *La Controversia sobre la noción de Filosofía cristiana. I. Preliminares:* EstEcl 17 p.289, et Pens 1 (1943) 7-29; 275-298; 2 (1946) 153-177; 3 (1947) 173-198. In iis locis ampla bibliographia; U. Degl'Inocenti, O. P., *Osservazione sulla filosofia cristiana:* Ang 18 (1941) 357-378; J. Zaragüeta, *Escolástica y filosofía cristiana:* RevFil 6 (1947) 589-646.

Celebris et ingens exstitit controversia circa Philosophiae christianae nomen ac exsistentiam. Alii enim hoc nomen et realitatem christianae Philosophiae admittere et probare conantur, v.c. M. Blondel et J. Maritain; qui Philosophiam christianam stricte talem admittunt sive quia viam parat ad fidem, sive quia eius munus praecipuum est excitare desiderium

ordinis supernaturalis, prout est philosophia "insufficientiae humanae" (BLONDEL), sive quia ipsi exigunt philosophiam saltem moralem procedere a fine supernaturali hominis tamquam a supremo principio (MARITAIN).

Alii e contra, v.c. E. BREHIER, quibus aliqui catholici aliquatenus adhaerent, v. c. P. MANDONNET, G. MANSER ab hoc etiam nomine abhorrent; aestimant enim aliquam contradictionem inveniri in ipsis terminis "Philosophiae christianae". Si enim Philosophia iuxta eius definitionem *ex ratione* tantum naturali suas hauriat cognitiones, quo pacto scientia quae *ex revelatione supernaturali* novas accipiat veritates recte Philosophia dici poterit? Si vero nihil ex revelatione acceperit, quo iure *christiana* dicitur? Num v.c. potest dari aliqua geometria vel mathesis quae christiana dicenda sit?

54. Sed sensu recto haec omnia intelligenda sunt. Nec enim ex alia parte *tendentia rationalistica* duci debemus, secundum quam ratio humana omnino independens debet suas quaestiones tractare, nulla habita ratione revelationis divinae, quo sensu omnis philosophia christiana excluditur; nec ex alia parte *tendentia traditionalistica* nos trahi oportet, quae docet humanam rationem imparem esse ad praecipuas quaestiones v.c. de Dei exsistentia, de moralitate, de animae humanae immortalitate, spiritualitate, solvendas, sed solummodo revelatione divina, *per traditionem* nobis oblatam, solvi posse; sic enim potius quam Philosophiam Theologiam haberemus, si hypothesis possibilis esset. Inter has diversas sententias via media incedendum est.

Possumus igitur admittere nomen et exsistentiam *Philosophiae Christianae,* non quatenus logice dependeat a revelatione; philosophia enim vera nihil demonstrat nisi ex rationibus naturalibus; nec quatenus de se positive ad revelationem ducat, quia v. c. Dei exsistentiam demonstret; haec enim manent in ordine naturali; nec quia cognoscit desiderium naturale ordinis supernaturalis, quia etiam si hoc esset possibile, quod non videtur admittendum, tamen illud desiderium esset revelationis in genere, non revelationis christianae. Sed solummodo:

55. 1. Quatenus est *Philosophia fidei consona*: a) habet fidem ut normam negativam; nihil enim dicit quod fidei veritatibus contradicere possit; immo ea quae fides docet peculiari modo, ratione naturali, illustrat atque defendit. Patet non eodem modo loqui posse de geometria vel mathesi christiana,

cum enim non obiectum commune cum fide habeant, nec fidem respicere ut normam aliquam debent; b) *multa nova potest a fide recipere, sed non per se* (*logice*), ita ut rationibus fidei aliquid demonstret, *sed per accidens* (*psychologice*), ita ut, quod occasione fidei cognovit, ratione naturali examinet, suasque cognitiones philosophicas ampliores et quodammodo firmiores securioresque reddat.

56. 2. Quatenus *de facto aliqua exstitit Philosophia quae fuit fidei consona,* immo paedagogus in evangelium [10] et quae christiana dicitur. Ita saepius intelligitur Philosophia christiana qualis a Patribus et doctoribus scholasticis exculta fuit. Quod aliquid novum supra primam notionem addit; nam posset aliquis aliquam philosophiam fundamentis platonicam fidei consonam proponere, et tunc esset christiana, sed diverso sensu ac nunc intelligitur.

57. 3. Haec Philosophia christiana est stricto sensu *rationalis,* seu nititur lumine naturali rationis humanae; manet consequenter in campo stricte philosophico, et nullatenus theologia dici potest. Quare Philosophiam huiusmodi nullo iure accusant heterodoxi quasi praeiudiciis imbutam et libertate carentem, quia fidem respiciat et sit ancilla theologiae. Nam hoc obtinet non ex praeiudiciis seu opinionibus falsis alte in animo defixis, sed motivis omnino rationalibus et fortissimis.

58. 4. Denique patet hanc Philosophiam christianam esse illam, quae *thomistica ampliore sensu,* seu *scholastica* dici solet. Sed prae oculis habendum est in moderno modo loquendi Philosophiam christianam dici in oppositione ad multiplicem Philosophiam modernam, quatenus illum complexum veritatum amplectitur, qui perennitatem obtinet et cum fide maxime cohaeret; cum e contra scholastica intelligatur sensu magis historico.

59. Quo sensu scholastica sit sequenda et quomodo profitenda. Philosophia scholastica et christiana. quatenus talem complexum veritatum fidei consonarum amplectitur ab omnibus omnino tenenda atque profitenda est. Quae obligatio inde oritur, quod homo quoad intellectum Deo subordinatur, sive mediante lumine naturali, sive a fortiori supernaturali nobis loquenti; etenim idem est fons utriusque veritatis, et nemo potest tractare veritates naturales, nulla habita

[10] Cf. Encycl. *Aeterni Patris* LEONIS XIII.

ratione ordinis supernaturalis. Si vero Philosophia christiana et scholastica intelligatur illa historica, quae a scholasticis auctoribus et praecipue a S. THOMA proponitur, salva vera libertate in rebus in quibus ita iudicat mater Ecclesia, enixe commendatur et in scholis catholicis praescribitur. En aliqua Ecclesiae documenta [11]:

60. Auctoritas S. Thomae commendatur 1) ex eius *intrinseco valore*. Ita LEO XIII:

"Inter scholasticos doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas... rationem ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere, neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta" [12].

Et 2) *ex eius doctrinae ab omnibus doctoribus agnitione*. Quam sic LEO XIII memorat:

"Doctissimi, inquit, homines, superioribus praesertim aetatibus, Theologiae et Philosophiae laude praestantissimis, conquisitis incredibili studio Thomae voluminibus inmortalibus, angelicae sapientiae eius sese non tam excolendos, quam penitus innutriendos tradiderunt. Omnes prope conditores et legiferos ordinum iussisse constat scholares suos, doctrinis S. Thomae studere et religiosus haerere... Atque hoc loco magna cum voluptate provolat animus ad celeberrimas illas, quae olim in Europa floruerunt, Academias et Scholas, Parisiensem nempe, Salmantinam, Complutensem, Duacenam, Tolosanam, Lovaniensem... Iamvero compertum est, in magnis illis humanae sapientiae domiciliis, tamquam in suo regno, Thomam consedisse principem; atque omnium vel Doctorum vel Auditorum animos miro consensu in unius Angelici Doctoris magisterio et auctoritate conquievisse" [13].

61. Fere omnes RR. Pontifices eius doctrinam vel commendant vel doceri in Scholis catholicis iubent. Hos memorat LEO XIII in eadem Encyclica *Aeterni Patris* [14].

Et ipse R. Pontifex sic eum ibidem commendat:

"Inter Scholasticos doctores, omnium princeps et magister, longe eminet Thomas Aquinas; qui veteres doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coaugmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis ita adauxit ut Catholicae Ecclesiae singulare praesidium

[11] Vide J. SALAVERRI, *Sacrae Theol. Summa* I n.871-884; J. HELLÍN, *Theologia nat.* p.5.
[12] LEO XIII, Encycl. *Aeterni Patris*: EC 416s.
[13] LEO XIII, ibid.: EC 418.
[14] Ibid.: EC 419.

et decus iure meritoque habeatur... illud a se ipse impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit"[15].

Quae commendatio lex a BENEDICTO XV in Ecclesia evadit, ut apparet in *Cod. Iur. Can.*:

"Philosophiae rationalis et Theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant" (c. 1366 § 2).

Haec omnia confirmat PIUS XI in sua Encyclica *Studiorum ducem* et addit:

"Nos vero haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus, ut non modo Angelicum, sed etiam Communem seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam, ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, suam Ecclesia fecerit"[16].

PIUS XII deinde sic loquitur:

"Ea est Aquinatis sapientia... quae ad dogmata fidei declaranda et defendenda maxime aptetur; ea est quae grassantes primarios errores cuiusvis temporis efficienter valeat arcere et invicte debellare. Quapropter animum afferte plenum amoris et studii erga S. Thomam: totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum in ea habeatur, libenter amplectimini"[17].

62. *Libertas et aemulatio* inter catholicas scholas ab ipsis RR. Pontificibus defenditur ac praescribitur: Nam in primis hae omnes commendationes doctrinae S. Thomae ab ipsis proponuntur ut optimum remedium contra modernos grassantes errores, nempe rationalismi, modernismi, etc. Non contra doctrinam ab aliis doctoribus propositam. Sic enim ipse LEO XIII in sua Encyclica *Aeterni Patris* loquitur:

"... edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum"; et post exhortationem ad sequendam sapientiam S. Thomae, ipse explicat quid pro sapientia intelligat: "Sapientiam Sti. Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel deni-

[15] Encycl. *Aeterni Patris:* EC 416s.
[16] PIUS XI, Encycl. *Studiorum ducem:* AAS (1923) 314; EC 1174.
[17] PIUS XII, Sermo *Sollemnis conventus:* AAS 39 (1939) 246.

que quoquo modo non probabile, id nullo pacto animo est aetati nostrae ad imitandum proponi"[18].

63. PIUS XI in eandem commendationem libertatis, et iuxtae rectaeque aemulationis, solvit domesticam catholicorum doctorum altercationem:

"Inter amatores S. Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, *honestam illam quidem cupimus iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur,* intercedere, at obtrectationem nullam, quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in *Codice Iuris Canonici* praecipitur (1366 § 2), atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in his rebus, de quibus in scholis catholicis inter meliores notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur"[19].

Sic denique PIUS XII libertatem emulationemque tuetur:

"Decessorum Nostrorum monita Nostra facimus, quibus veri nominis in scientia progressum et legitimam in studiis libertatem tueri voluerunt. Probamus prorsus ac commendamus novis disciplinarum inventis antiquam sapientiam, ubi opus sit, aequari; ea de quibus bonae notae Angelici Doctoris interpretes disputare solent, libere agitari; nova vero subsidia ex historia deprompta in textibus Aquinatis plenius intelligendis adhiberi. Neque ullus privatus "se in Ecclesia pro magistro gerat"; nec "quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia"; nec denique vana dissidia foveantur... Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae S. THOMAE non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur"[20].

64. Quae vero sit *indoles auctoritatis* S. THOMAE secundum RR. Pontificum mentem, videtur posse explicari illis verbis, quae *S. Congregatio de Sem. et Stud.* in approbatione viginti et quattuor thesium philosophicarum[21] adhibuit; et

[18] LEO XIII. Encycl. *Aeterni Patris:* EC 429. Cf. praeterea BENEDICTUM XV in Encycl. *Ad Beatissimi:* AAS 6 (1914) 576-577, ubi de altercationibus inter auctores catholicos conquaestus est.

[19] D 2192.

[20] PIUS XII, Sermo *Sollemnis conventus:* AAS 31 (1939) 247, ubi etiam verba BENEDICTI XV et PII XI citantur.

[21] Has theses videre licet in AAS 6 (1914) 383-384: *Theses quaedam, in doctrina Sancti Thomae Aquinatis contentae, et a philosophiae magistris propositae, adprobantur.*

Postquam Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X Motu proprio *Doctoris Angelici,* edito die 29 iunii 1914, salubriter praescripsit, ut in omnibus philosophiae scholis principia et maiora Thomae Aquinatis pronuntiata sancte teneantur, nonnulli diversorum Institutorum magistri huic sacrae Studiorum Congregationi theses aliquas proposuerunt examinandas, quas ipsi, tamquam ad praecipua sancti Praeceptoris principia in re praesertim metaphysica exactas, tradere et propugnare consueverunt,

BENEDICTUS XV confirmavit: "Propanantur, inquit, veluti tutae normae directivae."

Quae sane norma ab ipso BENEDICTO XV explicatur in Ep. ad R. P. WLOD. LEDOKOWSKI hoc pacto:

"Recte nos te sensisse arbitramur, quum eos putasti Angelico

Sacra haec Congregatio, supra dictis thesibus rite examinatis et sanctissimo Domino subiectis, de eiusdem Sanctitatis Suae mandato, respondet, eas plane continere sancti Doctoris principia et pronuntiata maiora.

Sunt autem hae:

I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex patentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus exsistit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus, cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coartatur, ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

IV. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis.

V. Est praeterea in omni creatura realis compositio subiecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus: ea vero, nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, intelligi non posset.

VI. Praeter absoluta accidentia est etiam relativum, sive *ad aliquid*. Quamvis enim *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhaerens, saepe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distinctam a subiecto.

VII. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex: essentiae cum esse et substantiae cum accidentibus.

VIII. Creatura vero corporalis est quoad ipsam essentiam composita potentia et actu; quae potentia et actus ordinis essentiae, materiae et formae nominibus designantur.

IX. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumpitur, nec ponitur in praedicamento, nisi reductive ut principium substantiale.

X. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum eius quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quae extensionem substantiae tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidens.

XI. Quantitate signata materia principium est individuationis, id est, numericae distinctionis, quae in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

XII. Eadem efficitur quantitate ut corpus circumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse possit.

XIII. Corpora dividuntur bifariam: quaedam enim sunt viventia, quaedam expertia vitae. In viventibus, ut in eodem subiecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma substantialis, animae nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

XIV. Vegetalis et sensilis ordinis animae nequaquam per se subsistunt, sed tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto composito, eo ipso per accidens corrumpuntur.

XV. Contra, per se subsistit anima humana, quae, cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

XVI. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit eiusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo et animal et vivens et corpus et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

XVII. Duplicis ordinis facultates, organicae et inorganicae, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant: priores, ad quas sensus pertinet,

Doctoris satis adhaerere, qui universas de S. THOMAE doctrina theses perinde proponendas censeant, ac tutas ad dirigendum normas, *nullo scilicet omnium amplectendarum thesium imposito officio*"[22].

---

in composito subiectantur, posteriores in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

XVIII. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint quoque gradus intellectualitatis Adaequatum intellectionis obiectum est communiter ipsum ens; proprium vero intellectus humani in praesenti statu unionis, quidditatibus abstractis a condicionibus materialibus continetur.

XIX. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibilibus. Cum autem sensibile non sit intellegibile in actu, praeter intellectum formaliter intelligentem, admittenda est in anima virtus activa, quae species intellegibiles a phantasmatibus abstrahat.

XX. Per has species directe universalia cognoscimus; singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmata; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

XXI. Intellectum sequitur, non praecedit, voluntas, quae necessario appetit id quod sibi praesentatur tamquam bonum ex omni parte explens appetitum, sed inter plura bona, quae iudicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit. Sequitur proinde electio iudicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

XXII. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam: videlicet, a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique, ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, disposuit et dirigit ad finem.

XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius *esse* idenitificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

XXIV. Ipsa igitur puritate sui *esse*, a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum nonnisi per creationem a Deo procedere potuisse; deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse communicabilem; nullum denique creatum agens in esse cuiuscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa.—Datum Romae die 27 iulii 1914.—B. CARD. LORENZELLI, *Praefectus*.

Invenitur praeterea ulterior declaratio circa obligationem sequendi ipsas 24 theses, in AAS 8 (1916) p.157.

"... sequentia dubia ad hanc S. C. de Seminariis et studiorum universitatibus delata sunt: ... II. Utrum omnes vigintiquatuor theses philosophicae, a Sacra Studiorum Congregatione probatae, germanam S. Thomae doctrinam revera contineant, et, in casu affirmativo, utrum imponi debeant Scholis catholicis tenendae?

His dubiis Emi.ac Rmi. DD. Cardinales huius S. Congregationis, in plenario coetu, habito diebus XXII et XXIV, mense februario huius anni, ita respondendum censuerunt:

Ad II. Omnes illae vigintiquattuor theses philosophicae germanam S. Thomae doctrinam exprimunt, eaeque proponantur veluti tutae normae directivae.

Die XXV eodem mense eodemque anno, SSmus. Dominus Noster Benedictus PP. XV, in audientia infrascripto Secretario impertita, sententiam Emorum. Patrum suprema sua auctoritate ratam habuit et confirmavit.—Datum Romae, die VII martii, in ipso festo S. Thomae, an. MCMXVI. CAIETANUS CARD. BISLETI, *Praefectus*, etc.

Unde clare ex hac responsione apparet nullam adesse obligationem has theses ut certas habendi, cum S. Congregatio interrogata utrum imponi possint, responderit solummodo ut *tutas normas directivas* proponendas esse, ad quod sufficit ex modo communi loquendi ut sint solide probabiles, nullumque periculum creent, ut multi tenent circa aliquas theses ex vigintiquattuor.

[22] Vide in RazFe 49 (1917) 344-345; cf. etiam RIQUET, *S. Thomas et les authorités en philosophie*: ArchPhil 3 (1925) vol.3 c.2 p.117-155.

Ex quibus satis patet posse aliquem optimum esse STI. THOMAE discipulum, licet aliquam ex supra dictis thesibus non teneat, vel ipsum S. THOMAM alio sensu adiumentis historicis interpretari conetur.

CAPUT VI

Lineamenta historica

65. Finis huius capitis. Duplici modo et fine in Introductione Philosophiae evolutio historica proponi potest; primo modo, initio, tamquam propaedeusis et manuductio vitalis in omnes quaestiones tractandas; nam quid Philosophia, eius divisio, finis, etc. optime apparet in eius quasi vita et progressu, qui ex historia patet; alio vero modo proponi potest sub fine tamquam recapitulatio earum omnium rerum quae per diversa capita proponebantur. Finis itaque huius conspectus ex his facile constat.

Et in primis praecipua problemata, quae agitantur in Philosophia, postea vero magnas periodos et maximi nominis auctores proponemus. In duos itaque articulos hoc caput dividemus.

ARTICULUS I

PROBLEMATA QUAE IN PHILOSOPHIA AGITANTUR ET EORUM SOLUTIONES

A. NABER, *Introductio generalis...* p.27; J. DÁVILA, *Introductio ad Philosophiam et Logica* c.2 n.98-106; E. HUIDOBRO DE LA IGLESIA, *Problemas filosóficos fundamentales e historia de los sistemas*[3] (Burgos 1948); P. JANET, G. SEAILES, *Histoire de la Philosophie* (París 1932); A. MUÑOZ ALONSO, *Fundamentos de Filosofía* (Murcia 1947).

66. Hae omnes quaestiones ad *tria praecipua capita* reduci possunt:

1. Circa ipsum esse rerum ... { mundi externi; subiecti cogitantis; primae causae, Dei }
2. Circa ipsum rerum cognosci
3. Circa valorem seu circa bonum et malum.

Problemata circa ipsum esse rerum. Natura duce, intellectus humanus sponte *ad res externas* tendit, ut ad res rea-

liter, in seipsis exsistentes; realismus spontaneus, qui postea critice iustificatur. Et hoc quod experientia nostra nobis manifestat etiam ex ipsa historia patet.

Circa has res, quae sese nostris sensibus offerunt, plures quaestiones exsurgunt circa qualitates, activitates, compositionem, essentiam ultimam corporum etc.

67. Et in primis quaeritur *circa qualitates primarias* quid v.c. colores, quantitas, extensio rerum; quomodo ad invicem sese habeant, seu qui influxus mutui. Postea vero ulterius quaeritur *ultima quasi radix et fundamentum harum qualitatum:* utrum sit *unica substantia seu ens reale fixum* (monismus), et consequenter, utrum reliqua entia sint solum manifestationes et evolutiones necessariae huius entis, ita ut distinctio inter ens unicum et reliqua entia tantum apparens sit; vel etiam *sit unicum ens, sed fluens* (dynamismus), ita ut nihil staticum sed omnia purum fluens sint; vel e contra *utrum plura et diversa entia admittenda sint* (realismus pluralisticus); et in hac ultima suppositione, quaenam sint illa entia (dualismus platonicus, hylemorphismus aristotelicus); quomodo ad invicem uniantur, quae activitates mutuae, quomodo diversitas, mutationes etc. explicentur. Ex his vero diversis explicationibus, ad diversa entia specifice diversa et inter se irreductibilia forte perveniendum sit, unde diversa systemata antiqua materialismi, vitalismi, hylozoismi, spiritualismi, etc.

Circa has omnes quaestiones physica antiqua, moderna Cosmologia agunt; considerant enim obiectum, quod per sensus in nostram mentem ingreditur, et circa ipsum speculantur. Quae speculatio consequenter nos in alium terminum ducit, in ipsum nempe subiectum.

68. Haec autem entia plus minusve immediate percepta ad ultimam causam et rationem omnium nos perducere possunt; unde plura alia exsurgunt problemata. In primis *circa ipsam exsistentiam Entis Infiniti* seu *Dei;* respondet atheismus negative, solutio vero theistica affirmative. Ille vero Deus estne unicus, an plures, an potius omnia Deus. Sic diverso modo solutio monotheistica, politheista et pantheista (ad quam reduci potest panentheista).

Admissa exsistentia Dei solutione monotheistica, quae aliqualem de Dei natura ideam imperfectam supponit, necessario exsurgit multiplex *quaestio de Dei essentia.* In primis de essentia quasi physica; quae sint eius attributa essentialia et

quomodo intelligenda sint. Nempe utrum et quomodo Deus sit infinitus, immensus, immutabilis, aeternus, liber in suis operationibus, et maxime omnisciens, ubi agitatur maxima quaestio de praedestinatione et de dominio absoluto Dei.

Quae omnia necessario ducunt ad determinandam quaestionem ipsius metaphysicae essentiae divinae, seu illius attributi seu complexus attributorum, quae in Deo tamquam radix et fundamentum ceterorum attributorum concipiantur.

69. Problemata cognitionis. Inter subiectum et obiectum datur illa relatio, quae novum *problema rationis* seu *logicum* statim suscitat.

In primis quaeritur quo iure ratio nostra quae per plures discursus ac laboriosos saepe processus ad aliquam veritatem affirmandam venerit, huiusmodi ponat affirmationem; utrum recte ita procedat, quae regulae dentur vel principia, quae re vera illum processum et legitimum et rectum ostendant. Hinc enascuntur diversae *quaestiones circa rectitudinem* cognitionum nostrarum; de conceptu eiusque signo, vocabulo; de iudiciis et propositionibus; de ratiocinio eiusque signo, argumentatione cum suis regulis, figuris, modis rectis demonstrandis; de quibus Logica seu Dialectica agere debet.

Exsurgit praeterea problema maxime agitatum, quando cognitiones considerantur prout sunt repraesentationes, imagines intentionales rerum. Illaene cognitiones repraesentant ipsam realitatem, vel potius ipsam realitatem ponunt? En iam *celeberrimum problema criticum.*

Quod *in genere* ita proponitur: utrum mens humana sit apta ad verum adsequendum?

In specie vero quaeritur de diversis facultatibus, quibus ad realitatem cognoscendam homo utitur.

1. Utrum per experientiam internam vel externam aliquid novi discere homo possit.

2. Utrum per ideas universales, per iudicia universalia, sive immediata sive mediata, nempe per ratiocinium veritas attingi possit.

3. Utrum per fidem humanam in testimonium aliorum praestitam possimus certitudinem circa facta historica haurire.

Ad has quaestiones diversimode respondent infinita fere systemata, quae ad haec capita reduci possunt: Scepticismus omnis generis negat nos posse certitudinem aliquam fundatam habere, vel in omni vel saltem in aliquo realitatis campo.

Agnosticismus tenet nos nullam realitatem prout est in se cognoscere posse.

Idealismus, iuxta quem cognitiones nostrae non sunt repraesentativae, sed productivae realitatis, ita ut esse rerum sit earum *percipi*.

Pragmatismus et relativismus, qui non admittunt veritatem aliquam fixam et absolutam, sed variabilem.

Proinde veritas logica et rectitudo nostrarum cognitionum his problematibus agitantur, quae quidem cum ipsa rerum realitate seu ontologica veritate connectuntur.

70. Problemata valoris moralis, seu circa bonum et malum. Sicut ex proportione operationis cognoscitivae ad realitatem exsurgit problema veritatis et falsitatis, pariter ex relatione operationis volitivae, affectivae ad sua obiecta, finem, etc. problema bonitatis et malitiae exsurgit.

Plures inde quaestiones sub hoc respectu considerantur.

In primis quaeritur quae sit ipsa bonitas, et maxime ipsa malitia, quibus aliquae actiones bonae, aliae vero malae constituantur.

Quid obligatio, et quae eius divisio iterum in perfectam et imperfectam; quae sint normae moralitatis; utrum finis, obiectum et circumstantiae illam constituant, an solus progressus utilitas, vitalitas.

Estne illa norma et lex et obligatio in natura fundata, consequenter fixa et immutabilis, an in sola voluntate praecipiente, et consequenter mutabilis.

Tandem quo pacto illa norma ad diversas activitates humanas, tum individuales tum etiam sociales applicetur. Unde plurimae quaestiones circa originem, naturam societatis, et circa iura et obligationes quae exinde exsurgunt.

Denique activitas humana multipliciter consideratur in relatione *ad opera artis, late considerata,* ad *culturam* seu ad *quaestiones circa scientiam spiritus,* quae multum his temporibus investigantur; unde plures quaestiones, quae saepius specialem considerationem in aliis tractatibus seu scientiis obtinent, cum tamen aliquo modo etiam in Philosophia suum locum obtinere possint.

71. Circa haec omnia philosophi in toto decursu historicae evolutionis Philosophiae quaestiones movere consueverunt,

diversas solutiones tentaverunt, multa falsa veritatibus admixta docuerunt, ita ut bonus veritatis inquisitor cum maxima cura procedere debeat, bonasque solum margaritas, dum falsas praetermittit, seligat.

ARTICULUS II

Evolutio historica secundum diversas periodos et auctores

Zeferino González, *Historia de la Filosofía*[2] 4 vol. (Madrid 1886); D. Domínguez, *Historia de la Filosofía*[5] (Santander 1946); F. Klimke, *Historia de la filosofía* (versio hispana, Barcelona 1947); M. de Wulf, *Elementos de historia de la Filosofía*[3] (versio hispana, Barcelona 1927); W. Brugger, S. I., *Philosophisches Wörterbuch* (Freiburg 1947; est versio hispana) p.437s.

72. In hoc brevi historico conspectu a philosophia *indica et sinensi* et aliorum antiquitatis populorum praescindimus, quia potius mythica prima, vel moralis altera, de ipsis primis principiis et causis rerum lumine naturali non directe agunt, et proinde neque stricte philosophia est, nec aliqualem in philosophiam occidentis influxum habuerunt.

Prima vero initia philosophandi apud graecos invenimus, ita ut per diversas periodos maxime philosophia apud ipsos floruerit, et postea in romanos, Sanctos Patres doctoresque Ecclesiae, licet a suis purgata vitiis, maximum influxum habuerit. Quare iure meritoque de hac prima loquemur.

§ 1. **Philosophia graeco-romana.**

73. Tres periodos in hac philosophia distinguere possumus, si prima initia fabulis immixta relinquamus: 1.^{am} periodum antesocraticam; 2.^{am} periodum classicam; 3.^{am} periodum hellenisticam.

Periodus antesocratica. Solet vocari *cosmologica*, agitur enim de mundo, qui per sensus statim nobis sese offert seu de principiis materialibus mundi; ad quam quaestionem respondet

74. Solutio sensualistica. Primi qui anthropomorphismo mythorum superato varietatem mundi ad unitatem rationis reducere conantur *Ionici* sunt, qui nimis experientiae sensuum dediti principium *materiale* unicum quaerunt. Thales a Mileto (s. VI a. Ch.) aquam, Anaximenes (c. 590-598) aerem principium huiusmodi esse docuerunt; Anaximander (n. c. 610) materiam indeterminatam, non aliquod sensibile, ut principium rerum proposuit.

Ephesus, post eversionem Mileti a persis, potentissima omnium civitatum ionicarum fuit, ubi HERACLITUS (540-475), sententiis praeteritorum innixus, non unum elementum, ne indeterminatum quidem, sed ipsum transitum ex uno in aliud, unicum ens esse docuit. *Logos* quidam rebus immanens, non tamen omnino immaterialis, principium huius evolutionis statuitur; Logos vivus et divinus. Prima igitur consequentia huius doctrinae esset Pantheismus et monismus. Praeterea hoc principium evolutionis perpetuae ad agnosticismum ducit, cum dicat Heraclitus: "quod est, dum est, non est", quia statim mutatur; sic enim principium identitatis et ideo contradictionis et omnis possibilitas recte cogitandi destruitur. Doctrina igitur HERACLITI metaphysica tou fieri est, quae in motus experientia nititur. In HERACLITO tamen novus gressus in conceptus abstractione datur, novusque progressus.

75. SOLUTIO RATIONALISTICA. PYTHAGORICI. Proportione et pondere rerum captus PYTHAGORAS A SAMOS (580-500), numeros, ut signa talem proportionem exprimentia, veram realitatem et fontem rationis universi esse affirmavit. Numeri, quia immutabiles, priores sunt omnibus mutabilibus, et exemplaria idealia omnium rerum, imo et ipsa essentia immutabilis rerum. PYTHAGORAS itaque novum gressum in cogitando, secundum nempe gradum abstractionis adeptus est.

XENOPHANES COLOPHONIUS (570-478) scholam eleaticam condidisse fertur, *identitatem absolutam* Dei et Cosmos defendebat Ἓν καὶ πᾶν.

ELEATICI: PARMENIDES AB ELEA (530-444) unitate entis captus, suum principium unitatis absolutae a priori statuit, eiusque consequentias educit. Unitatem logicam et analogicam conceptus entis ad realitatem transfert, secundum principium extremi rationalismi: "idem est cogitare et esse". Ideoque ens non potest mutari, quia neque mutaretur in ens, quod iam est, neque in non ens, quia ens non potest fieri to non ens. Experientia autem sensuum est illusio (τὰ πρὸς δόξαν) utilis tantum ad praxim. PARMENIDES habetur ut primus *metaphysicus*, quatenus de ente ut ente, ultimo abstractionis gradu, loquitur, eiusque problemata ontologica et critica proponit, diverso prorsus modo ac HERACLITUS.

ZENO AB ELEA (490) subtilissime defendit immutabilitatem propugnatam a PARMENIDE ope suae dichotomiae, et argumenti *Achillis* de impossibilitate motus.

76. CONCILIATIO PHYSICA. ATOMISMUS. Hic primus fuit qui quaestionem de essentia et evolutione rerum solvere conatur ex datis experientiae cum ratione collatis. LEUCIPPUS c. a. 500 scholam Abderae (in limite Thraciae et Macedoniae) condidit et systema atomisticum creavit. DEMOCRITUS (460-400) discipulus eius opus extendit. EMPEDOCLES (c. 483-423) agrigentinus Athenas migravit et ANAXAGORAS CLAZOMENE (500-428) amicus Periclis. Motus, iuxta illos, est realis (data sensuum), quia ens divisum est in aliis entibus minutissimis et infinitis a fato quodam ductis. Hae vero entitaculae entis proprietates possident: aeternitatem, perfectionem in suo ordine, indivisibilitatem, immutabilitatem (data intellectus). ANAXAGORAS vero novum elementum adhibuit: *to Nous,* elementum spirituale, intellectum universalem et providentem, qui omnia scit et regit (Deum); ita materialismum atomismi superavit.

77. CONCILIATIO PSYCHOLOGICA. Desperat de cognitione ipsius realitatis, ad hominem confugit, et *sophistica* dicitur. PROTAGORAS ABDERITA (480-410) ad contradictoria concilianda, experientiae nempe et rationis, ad ipsum subiectum cogitans confugit: "Homo omnium rerum mensura"; cum obiective omnia mutentur, unice in homine immutabilitas idearum fundatur. GORGIAS autem LEONTINUS (c. 480-375) agnosticismum quemdam profitebatur. CALICLES autem docebat tendentiis subiectivis et passionibus acquiescendum esse, ut felicitatem assequamur.

78. Periodus classica. Sophistae suis paradoxis reflexionem circa valorem idearum abstractarum et scientiae excitarunt, et SOCRATES (470-399) sua methodo ironica, paradoxali et in fine etiam *maieutica* hac via progressus est. Non agitur iam de primo elemento inveniendo, sed de omnibus rebus definiendis, ita ut essentia universalis uniuscuiusque inveniatur et cum aliis comparetur. Vera via intellectus nostri abstractivi invenitur, ut scientia universalis strueretur: Philosophia genuina oriebatur.

79. PLATO (429-348), discipulus SOCRATIS, scholam "Academiae" condidit, et dialogis, stylo quidem pulcherrimo, doctrinam suam subobscure tradidit. Ipse ad veram scientiam universalem statuendam et ad data sensibilia cum ipsa concilianda, suum systema idearum proposuit, quod ita sonat:

Datur mundus sensibilis (κόσμος αἰσθητός) mutationibus subiectus (mundus Heracliti), et mundus intelligibilis (κόσμος νοητός) aeternus et immutabilis (mundus Parmenidis), non unico ente, sed pluribus ideis constat (εἴδη) inter quas eminet idea Boni. In vita praemundana anima humana, quae praeexistebat, has ideas contemplata est, et nunc occasione cognitionis mundi sensibilis, de quo solam opinionem (δόξα) habere potest, idearum recordatur (ἀνάμνησις) et de his scientiam propriam habet (ἐπιστήμη). In hoc *realismo idealistico*, pulchre PLATO disserit de immortalitate animae humanae, de Deo ut architecto (δημιουργός) mundi, qui contemplans ideas tamquam exemplaria (παραδείγματα) ex materia mundum sensibilem format. Triplicem vero animam et foedum communismum defendit. Hic *realismus exaggeratus* PLATONIS ducit eius philosophiam ad explicandas proprietates mere logicas conceptuum per proprietates reales rerum. Sed iam in ipso aliqua fundamenta peripatetismi inveniuntur: Idea nempe *potentiae,* quatenus affirmavit omnem ideam participare a nonente, quia est simul "ipsa" et "non alia"; et idea actus quatenus *idea Boni* apparet ut fons ceterarum idearum et "perfectio pura".

80. ARISTOTELES (384-322) Stagirae in Thracia natus, discipulus PLATONIS, doctrinam de universalibus sui magistri reiecit. Ipse vero tenet, conceptum universalem abstractione ἀφαίρεσις) ex sensibilibus fieri, et habere valorem obiectivum, quia ipsam essentiam in rebus immanentem exhibet.

Doctrina eius essentialis circa rerum constitutionem est *hylemorphismus,* iuxta quem corpora materia et forma constant. Forma vero, quae dat determinationem specificam rebus, in ipsis invenitur et non est forma separata platonica. Haec doctrina, qua omnes mutationes tum substantiales tum accidentales explicantur, in doctrinam de *potentia et actu* omnino fundamentalem in systemate aristotelico-thomista influit. Transitus de potentia in actum motus dicitur; nihil vero transit de potentia in actum nisi per aliud ens actu; unde principium causalitatis, exsurgit: Quidquid movetur ab alio movetur. Inde in primum motorem immobilem, Deum, ut actum purum pervenit, sensu tamen valde obscuro; Deus enim non est creator, sed mera ratio essendi ordinis et motus; ita Deus non novit mundum, quia mundus ut imperfectissimus non adaequatur sapientiae divinae, ideoque Providentia divina in tantum est in quantum est finis ultimus rerum, non autem in quantum omnia conscie dirigat.

ARISTOTELES omnes aspectus humanae sapientiae in magna synthesi metaphysico-cosmologica et psychologico-morali comprehendit. Cardinem, in quo duae tendentiae mentis, idealistica et positivistica convenirent, invenit, et optime indolem mentis abstractivam intellexit. Discipuli eius immediati physicam colunt. Logica tantum et Rhetorica maxima aestimatione est prosecuta apud stoicos, Porphyrium, romanos et scholasticos priores (s.VIII ad XII), dum suum opus metaphysicum a syriacis recipitur, per quos ad arabas pervenit, et ab eis saeculo XII ab scholasticis suscipitur.

81. Periodus hellenistica, dicta etiam **ethica seu occassus.** Discipuli PLATONIS sub nomine Academiae congregati et *Aristotelis* sub Licaei seu Peripatetici, Athenis remanent per saecula, donec a Iustiniano Imperatore, anno 529 p.Ch., ut ultimum paganismi praesidium, prohibiti sunt. *Academia* a s.III a.Ch. ad scepticismum declinavit; *Peripatetici* autem, metaphysica posthabita, quaestionibus physicis vel moralibus operam dederunt. In hac tamen periodo "transitionis", usque ad mortem Plotini a.270 p.Ch., evolutio providentialis Philosophiae producitur a rationalismo graeco ad Philosophiam christiano-augustinianam, in qua ratio lumine fidei illustratur et quasi naturali modo ultraprogreditur. Haec vero "transitio" in duas alias periodos dividitur: moralem nempe et mysticam. Unde stoicismus et neoplatonismus: ZENO et PLOTINUS.

82. Tres sunt notae quae in *periodo morali* dominantur: *materialismus,* unice bona materialia considerat; *egoismus,* omnia systemata de individuo eiusque felicitate (ataraxia) exponit; *naturalismus,* omni religione posthabita, solis viribus naturalibus beatitudinem quaerit.

ZENO CITIENSIS (336-264) rigidiorem doctrinam ethicam cum pantheismo materialistico coniunxit: "Virtus, tota nempe beatitudo hominis, in vita rationi conformi et in liberatione ab omni perturbatione animi consistit." Praecipui stoici fuerunt: CLEANTHUS (330-232) successor ZENONIS Athenis; CRYSIPPUS (280-207) dialecticus

potens; POSIDONIUS (c.135-51), encyclopedista, qui rationem graecam cogitandi Romae induxit; SENECA (c.1-65); EPICTETUS (c.50-138) et MARCUS AURELIUS (121-180) Imperator, Romae.

EPICURUS autem (341-270) moralem absolutae moderationis fundat, et in sensibili delectatione felicitatem hominis reponit.

PYRRHO tandem eleata (365-275) scepticismum docuit ad quem platonicos adduxit: ARCESILAUM (314-240) et CARNEADEM (214-129) probabilismum quendam profitentes. Quem scepticismum AENESIDEMUS (c.50 a.Ch.) et SEXTUS EMPIRICUS (c.150 p.Ch.) usque ad s.II p.Ch. protraxerunt. Ex scepticismo natus est Ecclecticismus, cui CICERO (106-43) deditus fuit.

83. *Periodus mystica.* Dum tendentiae morales initio aetatis christianae Romae coluntur, philosophia graeca novas vias aggreditur, cum modum unionis animi humani cum principio fundamentali omnis entis excogitat; in quo sensu haec philosophia "mystica" dicitur, et eius origo in relatione cum religionibus orientalibus hellenisticis invenitur. Alexandriae PHILO (c.25 a.Ch.) iudaeus, dogmata hebraea rationalistice interpretari conatur; PLUTARCHUS († 431) idem cum mythis paganis, et *Gnostici* cum dogmatibus christianis facere intendunt.

Neoplatonismus autem ab AMMONIO SACCA (c.175-242), fidei christianae desertore, Alexandriae conditus, maximum philosophum tunc temporis, PLOTINUM (205-270), AMMONII discipulum est nactus. Iuxta ipsum ex Uno, Principio omnium perfectissimo procedit intellectus (νοῦς) per generationem, qui ideas divinas, non subsistentes ut PLATO volebat, contemplatur. Ab intellectu postea necessario procedit anima mundi, imperfectior, quae continet animas particulares (λόγοι σπερματικοί) et ex his denique procedunt materia et corpora. Materia denique est malum (πρῶτον κακόν) et non ens (μὴ ὄν) quare labor hominis debet esse consequenter mysticus, nempe sese a materia et ab eiusdem tendentiis liberare, ut ad contemplationem Unius et ad unionem cum ipso pervenire tandem possit. Cum vero in PLOTINO religio sit medium ad unionem mysticam fovendam, ipsa suos fines cum Philosophia confundit.

Diuturna est igitur elaboratio philosophica et rationalis a tempore ARISTOTELIS facta, quae philosophiam rationalem firmam et strictam, fidei viam sternentem, parat.

§ 2. **Philosophia christiana.**

84. Periodus patristica. Christus Dominus, ut credenti *ipsum vivere* esse debet, ita philosopho novam mundi conceptionem sub luce supernaturali fidei proponit. Itaque etsi christianismus non philosophia, sed religio quaedam sit, doctrina tamen eius quaestiones illas ultimas et abditas attingit, quas cosmologi, metaphysici, moralistae graeci tractaverant. Eas autem a Patribus declarari certe oportebat, si modo fides apud excultos in philosophia viros propaganda et adversus impugnantes defendenda erat.

Sic *philosophia christiana* orta est, quae inde ab initio possibilitatem cognitionis verae et certae; in theodicea exsistentiam, unicitatem, omniperfectionem, omniscientiam, omnipotentiam, providentiam ac transcendentiam Dei; in cosmologia praecipue creationem; in psychologia unitatem substantialem hominis, libertatem atque immortalitatem animae; in ethica quaestionem de ultimo fine vindicabat.

Haec omnia, quae subobscure vel etiam erronee apud antiquos philosophos proponebantur, clare et constanter, iuvamine utique fidei, Patres Ecclesiae docent, etiamsi non semper argumentis omnino perfectis. Illa enim mira assimilatio philosophiae antiquitatis maxime vero platonicae diversis tentaminibus, veritatibus fidei non derelictis, fieri oportebat. Sub hac luce Patres iudicare oportet.

85. *Haec periodus in duas partes dividi potest:*

1. **Initialis:** Apologetarum, antignosticorum, et alexandrinorum. Inter apologetas eminent ARISTIDES (c.140), ATHENAGORAS (c.150), MINUTIUS FELIX (c.200), IUSTINUS (c.163-7), TATIANUS (c.162), ac postea LACTANTIUS (c.330) et TERTULLIANUS (c.160-245).

Antignostici praecipui nominantur: S. IRENAEUS (140-202) et S. HYPPOLYTUS († 235).

Alexandrini praecipui sunt: PANTAENUS (c.150), CLEMENS (c.150-225), et ORIGENES (185-254).

86. 2. **Splendoris:** Tractantur plures quaestiones theologicae de Trinitate, de Verbo Incarnato, de rebus moralibus. SS. ATHANASIUS (c.295-373), GREGORIUS NYSSENUS (c.335-394), BASILIUS (c.330-379), GREGORIUS NACIANZENUS (329-390), AMBROSIUS (340-397), HILARIUS († 366), HIERONYMUS (340-420) et alii fidem illustrant atque defendunt contra ARIUM († 336), APOLLINAREM (c.375) NESTORIUM († 440), EUTIYCHEM (n.378)... pelagianismum et manicheismum.

In prima periodo non magna dantur ingenia, sed optima conamina partialesque exitus, qui aliquando nonnullis erroribus, v.c. circa animae spiritualitatem, miscentur. *In secunda vero periodo* datur plenior adsimilatio fidei et philosophiae, quamvis potius quam philosophica eluceant ingenia theologica. Eminet inter omnes

87. S. AUGUSTINUS (354-430), qui primus inter christianos magnam synthesim religioso-philosophicam perfecit Platonismo praecipue innixus. Celeberrima est in primis eius solutio ad quaestionem scepticorum per immediatam evidentiam propriae dubitationis et exsistentiae dubitantis. Cum tamen immutabilem veritatem iudiciorum necessariorum nuda experientia firmari non posse concedat, ad eam explicandam, adducit, ut PLATO, immutabilitatem idearum insensibilium, quas in Verbo subsistere contendit. Eas vero "illuminatione divi-

na", quae est notio valde obscura in systemate augustiniano, cognoscimus. Simul ab his veritatibus deducit tandem exsistentiam Dei et complures alias conclusiones in theodicea. In physica tenet creationem materiae, et in ethica beatitudinem reponit potius in fruitione quam in speculatione Summi Boni. Ceterum complura alia ex proprio ingenio Platonismo addit, erroresque fidei contrarios acriter impugnat. De origine vero mali contra manichaeos optime disserit. AUGUSTINI influxus adeo fuit magnus, ut merito affirmare possimus impossibilitatem intelligendi occidentalem *culturam*, eius operibus non cognitis. Etiam hodie maximi habetur, primus "homo modernus" dicitur, eiusque solutiones et argumenta in lucem denuo eduntur.

88. Periodus medii aevi. Post imperii romani subversionem, *nova in Europa aetas* venit in qua christianis nova *cultura* erat creanda. Et in primis datur aliqua *obscura periodus*, in qua antiquitatis reliquiae per compilatores potius quam philosophos asservantur. Qui etsi pauca omnino proprio marte ponant, tamen miram illam et splendidam evolutionem theologicam suis operibus parant.

Antiquitatem potius respicere dicendi sunt BOETHIUS, S. ISIDORUS et IOANNES DAMASCENUS: qui veterum opera cognoscentes ac retractantes, non immediatum influxum per suam, sed per aliorum scientiam exercent. BEDA *autem*, RHABANUS MAURUS et SCOTUS ERIUGENA moderna tempora potius respiciunt; nam ideis et speculatione originalioribus posteritatem attingunt.

M. S. BOETHIUS (480-526) maxima auctoritate et influxu in medio aevo gaudet, praesertim ob eius versiones ARISTOTELIS (nonnulla opera logica) et PORPHYRII (*Eisagoge*) et ob opuscula theologica. Illi magna ex parte debetur vocabularium technicum scholasticae. Incarceratus et occisus est a THEODORICO, cuius consiliarius fuerat, in qua captivitate eius opus *De consolatione Philosophiae* scripsit.

S. ISIDORUS (636) cum sua schola hispalensi magnum exercuit influxum in conservatione scientiae antiquae; notanda praecipue est quaedam magna sententiarum compilatio (*Etymologiae*) philosophico-theologico-moralis; quod genus litterarium postea admodum invaluit. PROSPERUS AQUITANIAE († 463), atque SAMUEL TAJUS (TAJÓN) (683), illud ut videtur prius excoluerunt, neque antiquiora restant monumenta.

S. IOANNES DAMASCENUS († 749): magnum ingenium, altius BOETHIO, licet in medio aevo non ita cognitum. Prima pars eius libri *Fons cognitionis* aristotelicam philosophiam redolet.

S. BEDA (674-755) per EGBERTUM et *scholam Yorkianam* attingit ALCUINUM et *Carolingiam renascentiam*, quare sine ulteriori solutione continuitatis evolutio philosophiae producitur.

89. Philosophia scholastica saeculo XI enasci dici potest, cum S. ANSELMUS CANTUARIENSIS (1033-1109) contra clericos in traditionibus ALCUINI ET MAURI efformatos consurgit. Hi enim nimium

amorem erga Dialecticam ostendentes revelationis valorem infirmabant, dum rationem enervarent et conceptus universales veritate destituerent. Sic v.c. ANSELMUS PERIPATETICUS, BERENGARIUS DE TOURS († 1088), ac postea ROSCELLINUS († 1125).

Contra eos primum LANFRANCUS (1010-1089) et postea eius discipulus ANSELMUS intellectus capacitatem ad veritatem assequendam fidemque tutandam opportune vindicant, etsi in realismum aliquando exaggeratum incidant. In quo realismo potissimum GULIELMUS CAMPELLENSIS (c.1070-1121) erravit; inde vero ex disputata quaestione de universalibus primus splendor ortus est.

90. ABAELARDUS (1079-1142) vitam valde turbulentam egit tum ob rationes doctrinales, tum maxime ob parum moderatas passiones. De christiana theologia bene meritus est, quia per librum suum *Sic et non,* in quo sententias Patrum apparenter oppositas collegit, methodum ad eas explicandas docuit, quae est quasi praenuntium methodi scholasticae. Eius opera praecipua ad logicam pertinent, in quibus non modo non nominalista, ut aliquando accusatus est, sed praeclarus moderatus realista, apparet. PETRUS LOMBARDUS (c.1100-1160) forte eius discipulus *primam summam theologiae* in quattuor suis sententiarum libris scripsit, et hic fuit textus theologicus universalissimus usque ad saeculum XVI, saepius commentatus.

Iam ab ABAELARDO continenter philosophia progreditur usque ad culmen saeculi XIII. *Scholae* enim *monachales,* ut clarissima *schola Chartrensis,* dein universitates, quae hoc tempore florent, studium scientificum novarum ordinum mendicantium, denique novae versiones auctorum graecorum et arabum ingenium mediaevale fecundant et dirigunt.

91. Arabum philosophia. Etenim dum exstincta fere veterum sapientia in Occidente iacebat, in Oriente apud Arabas, qui ex Syria et Persia eam deprompserant, maxime vigebat. AL-KINDI († 873), AL-FARABI († 950), AVICENNA (IBN SINA 980-1073), ARISTOTELEM commentantur; quibus vero mahumedani theologi, duce ALGAZEL (GAZALI 1059-1111) tanquam heterodoxis adversantur. Deinde autem cordubenses, Bagdadum aemulantes, philosophiam aggrediuntur, et apud illos maxime eminent AVEMPACE († 1138), ABUBACER (IBN TUFAIL † 1185) et AVERROES (1126-1198) *magnus commentator.* Proprias speculationes addunt Aristotelismo, aliquibus sententiis Neoplatonismi permixtis. Defendunt creationismum et dubitant circa unitatem intellectus agentis, ut cum AVERROE immortalitatem personalem animarum negent.

92. Splendor philosophiae scholasticae. Diversae tendentiae. Haec elementa in ordinem culturalem convergentia suo modo auctores assimilant, et inde oriuntur diversae huius temporis scholae, quae ad tres reduci possunt: novatorum prima, omnia fere sine delectu suscipientium; altera augustiniana, quae dum doctrinas aristotelicas reicere plane non audet, doctrinam augustinianam, saepe non cohaerenter, in pluribus quaestionibus retinet; tertia denique, quam nunc thomisticam dicimus, ex Aristotelicis doctrinis ita omnia illa

suscipit quae consona fidei videntur, ut et augustinismum simul timide relinquat, et arabum iudaeorumque errores acriter debellet.

Inter *philosophos novatores* maxime eminet SIGER DE BRAVANTIA (1235-1284?) ingenio subtilis, doctrina labilis, damnatus bis de averroismo (aeternitatem mundi et unitatem intellectus humani defendente) atque a STO. THOMA acerrime impugnatus.

93. *Tendentia augustiniana,* quae in universitate Parisiensi usque ad medium saeculum XIII maxime valebat, plurimas sententias peripateticas, praecipue a tempore GULIELMI DE ALVERNIA († 1249) secuta erat. Synthesim tamen plenam efficere non valuit tum ob immatura adhuc tempora tum ob quemdam mysticismum, quem ex S. Francisco acceperant; maximi enim huius temporis augustiniani ex ordine S. Francisci fuerunt, ut ALEXANDER HALENSIS († 1245) et S. BONAVENTURA (1221-1274). Postea vero, cum S. THOMAS verum aristotelismum instauravit, augustinismi nomen fere servatum est ad plurimas sententias Augustino oppositas eius auctoritate firmandas, sicut v.c. hylemorphismus universalis pluriformista in creaturis, et creationis temporalitas. Inter augustinianos praeterea nominandi sunt HENRICUS GANDAVENSIS (c.1217-1293), GODOFREDUS DE FONTIBUS (c.1285-1300), saeculares, et GUNDISALVUS HISPANUS O. F. M. (c.1200).

94. S. ALBERTUS MAGNUS (c.1200-1280) "Doctor universalis" magnam Aristotelismi instaurationem incepit, quam S. THOMAS eius discipulus perfecit. Priorum dominicorum viam desserentes, novam methodum et novas doctrinas aristotelicas ita sequuntur, ut omnes postea fratres praedicatores augustinismum relinquant, et aristotelismum (thomismum) sequantur. S. ALBERTUS, amplissimo ingenio et scientia universali, doctrinam et elementa philosophiae aristoteleae a vitiis Arabum liberatam veritatibus fidei concinnavit, atque paulatim aristotelismum christianum inchoavit. Tamen eius systema non perfecta synthesis habenda est; quod maxime praestavit.

95. S. THOMAS (c.1225-1274), licet scientia positiva et investigatione non adeo excellat ut S. ALBERTUS, assiduitate tamen laboris ac ingenii perspicuitate maxime eminuit et optime perfecit, ut doctrina et methodus aristotelica cohaerenter et faciliter ad theologiam applicarentur. Cuius meritum inde patet non ex nova creatione et innovatione doctrinarum, sed ex opportunitate, claritate et amplitudine, qua aristotelismum theologiae aptavit, cum tam periculose ex traditione arabica in aulas christianas grassaretur.

Etenim S. THOMAS ita metaphysicam aristotelicam assump-

sit, ut simul etiam conservaret doctrinam platonicam de participatione, et miram augustinismi et aristotelismi harmoniam induceret. Principium quasi fundamentale eius metaphysicae in notione potentiae et actus eiusque compositione reponit: sic omne ens vel est Summum vel est aliqua essentia (potentia) quae actum essendi participat; eodem modo ens creatum componitur ex substantia et accidente, et ens corporale ex materia et forma; ita integram ontologiam et physicam hac theoria potentiae et actus S. THOMAS explicat et paene exhaurit. Ceterum eius methodus philosophandi ab experientia initium sumit, ex qua rerum cognitio per intellectum agentem abstrahitur. Hac autem cognitione innixus valet homo Dei exsistentiam quinque viis demonstrare, et etiam varia attributa per analogiam cum ente creato cognoscere. In qua naturali Dei cognitione ut Summi Boni beatitudo humana consisteret, nisi homo ad ordinem supernaturalem elevatus esset. Anima vero cum sit forma substantialis unica compositi humani, et non merus *auriga* PLATONIS, est simul vere spiritualis et immortalis, et medium locum obtinet in ordine creationis. Dum enim subest intelligentiis separatis, seu angelis, qui sphaeras caelestes regunt, mundum irrationalem et insensibilem plene superat.

96. Opera S. Thomae quadruplici coetu distribuere oportet:

a) *Opera systematica: In quattuor libros sententiarum Petri Lombardi* (1252-1256); *Summa contra gentiles* i.e. arabes (c.1258-1260); *Summa theologica* (1265-1274) opus egregium nec absolutum.

b) *Quaestiones, nempe "disputatae"* in diversis ordinariis disputationibus, et *quodlibetales* in extraordinariis.

c) *Commentaria in opera Aristotelis,* scripta maturo iam ingenio et aetate provecta, sunt praecipua: *In 2 libros posteriorum Analyticorum, In 8 libros Physicorum, In 3 libros de Anima, In 12 priores libros Metaphysicorum, In 10 libros Ethicorum.*

d) *Opuscula,* quorum circiter quinquaginta numerantur, sunt praecipua philosophica haec: *De ente et essentia* (c.1256), *Expositio in librum Boethii de Trinitate* (ubi principia philosophiae scientiarum), *De regimine principum ad regem Cypri* (ubi doctrina de re publica),

Ecclesia Doctorem Angelicum principem habet inter Doctores omnium scholarum, quem, salva legitima libertate (v.n.63) sequi iubet. Quare etiam dici solet "Doctor Communis".

97. Saeculum XIV; Philosophiae declinatio. Mendicantes ordines novaeque universitates ut ex una parte doctrinae unitati favent, sic etiam ex alia casum scholasticae philosophiae parant. Novi enim doctores, eo ipso quod ad aliquam religionem pertinent determinatam doctrinam defendere et contrariam impugnare tenentur; universitates autem, ut alumnorum copia gaudeant, nimis in gradibus conferendis facilitati indulgent. Unde faciliter altiora studia desseruntur, atque dum ingenia potius critica et analytica quam positiva et synthetica efformantur, subtilitates inanes Dialecticae pro veris problematibus excoluntur. Hunc vero descensum, qui usque ad nominalismum pervenit, praenuntiavit potius quam induxit

98. DUNS SCOTO (1266-1308) "Doctor subtilis" qui quidem iure postremus auctor magnae scholasticae habetur, tum ob summum ingenium tum etiam ob unitatem systematicam, ut modernae ostendunt investigationes. Sed eius tendentia nimis critica amorque methodi quasi mathematicae nominalistas iam iam redolet. Adversum S. THOMAM negat unicitatem formarum, radicalem positionem individuationis in materia signata quantitate, et denique primatum intellectus ad voluntatem transfert. Plures veritates, quae hactenus rationi naturali perviae habebantur, theologiae et fidei restringit; distinctionem formalem ex natura rei ad plures quaestiones in metaphysica solvendas proponit, et primus veram scholam franciscanam *scotisticam* condit.

99. Nominalismus. Post SCOTUM acrior etiam criticismus et taedium metaphysicum in dies in scholis invaluit. GULIELMUS OCKAM (1295-1350), ab Ecclesia incarceratus et excommunicatus ob eius tristes interventus in saecularia principum negotia, inter omnes nominalistas eminet. Cum ipso in memoriam revocandi sunt DURANDUS A ST. PORCIANO O. P. († 1334), PETRUS AUREOLUS († 1322), qui illi viam paraverant, eiusque successores ROBERTUS HOLCOT († 1349), NICOLAUS DE ULTRECURIA (c.1345), et GABRIEL BIEL († 1495), quorum primus admisit theoriam duplicis veritatis, alter de principio causalitatis dubitavit, et tertius in ipsum LUTHERUM influxum exercuit. Aliqua vero bona in nominalismo invenire possumus alicuius momenti, quae tamen eius influxum perniciosum non rependunt. Maxime methodum experimentalem fovent, quae tamen iam antea ex tempore ROGERII BACONIS (c.1210-1298) maxime Oxonii vigebat, et cum metaphysicae cultu optime componebatur. Accedit quod fere omnes investigationis exitus nominalistarum—v.c. theoriae mechanicae et physicae IOANNIS BURIDANI († c.1358), quae hucusque GALILEO tribuebantur—, ignotae et fere steriles manserunt.

100. Finis philosophiae mediaevalis. Etsi nominalismus "via moderna" ut dicebatur numquam "viam antiquam" aristotelico-thomisticam devincere plane potuit, tamen declinatio in omnibus scholis in quaestionibus parvi momenti tractandis et ipse linguae despectus, multos ad alias quaestiones magis practicas et quasi mysticas tractandas adduxit.

RAIMUNDUS LULLIUS (1233-1315?) reddere conatur christianae scientiae primitivam puritatem et per cognitionem encyclopedicam omnium scientiarum, aliquam synthesim sapientiae christianae et apologeticam contra errores paganorum mahumedanorum construere. Influxus neoplatonismi tunc temporis magnus fuit, quem iam Lullius recepit; sed praecipue illi, qui ad mystica studia sese tradiderunt, ut Magister ECKHARDUS O. P. (c.1260-1327) aliique, qui cum thomismo doctrinas neoplatonicas PSEUDO-DIONISII coniungentes, saltem in modo loquendi audaciore ad quemdam pantheismum declinaverunt.

NICOLAUS CUSANUS (1401-1464) inter hos omnes ob suum neoplatonismum eminet, et in ipso tendentia modernae iam iam relucent. Clavis systematis eius est "illuminatio intellectus" a Verbo, illuminatio fidei, mystica. Ratio enim impotens est ad universae realitatis compendium efficiendum, siquidem conceptus universales a realitate concreta differunt (*nominalismus*) et illuminatio fidei supplet impotentiam naturae.

§ 3. Philosophia moderna.

101. Renascentia. In hac periodo duplex coetus philosophorum distingui potest: Scholasticorum et independentium, ex quibus alii critici et ecclectici vocari possunt, alii vero philosophiae antiquae, praecipue graecae, restauratores:

I. L. VIVES (1492-1550) in synthesim reducit praecipuas doctrinas cuiusque scholae; sed argumento auctoritatis et methodo deductiva vetat abuti, dum ipse methodo inductiva et stylo claro uti studet.

GÓMEZ PEREIRA (1500-1558) medicus, F. BACONEM et CARTESIUM sua sententia nominalistica et critica praecedere videtur: "Nosco me aliquid noscere, et quidquid noscit, est, ergo ego sum."

Inter platonicos praeter BESSARION († 1472) et PLETHON († 1450) graecos eminent MARSILIUS FICINUS (1433-1499), PICO DELLA MIRANDOLA († 1494), IOANNES REUCHLIN († 1522), ERASMUS (1467-1536). Inter aristotelicos PETRUS POMPONACIUS († 1524), IACOBUS ZABARELLA (1589). Inter stoicos, IUSTUS LIPSIUS († 1606), inter epicureos, LAURENTIUS VALLA († 1457), GASSENDI († 1655); sub influxu NICOLAI CUSAE et neoplatonismi, pampsychismi et stoicismi apparent GIORDANUS BRUNO (1548-1600) et THOMAS CAMPANELLA († 1638).

102. Philosophiae scholasticae renovatio. Etiam in hac periodo novum et clarissimum splendorem scholastica obtinet. A vitiis et corruptelis liberata non modo veterum perfectionem recuperat, sed etiam aliquo modo superat novasque

scientias generat: *Philosophiam iuris, Ius gentium, et Systemata moralia.*

Magistri ordinis Praedicatorum ab ineunte saeculo *Summam* DIVI THOMAE praeclaris commentariis exposuerunt. Ita PETRUS BRUXELLEXIS († 1516) in universitate parisina, in Italia cardinalis THOMAS DE VIO (*Caietanus*) (1469-1525) commentator profundus *Summae Theologicae*, FRANCISCUS SILVESTER FERRARIENSIS (1474-1525) *Summae contra Gentes* commentator.

103. Praecipuus autem renovationis focus in Hispania invenitur, ubi scholastica in tres magnas scholas, *Salmanticensem, Complutensem, et Conimbrincensem* dividitur [1].

Salmanticae a Dominicanis renovatio initur: FRANCISCUS DE VITORIA († 1546), pater scholae, methodum traditionalem adhibuit, sed convenienter aptatam, ut indolem novae scholae ad progrediendum impulerit. Ipse in suo magno opere *De iure belli ac pacis* Iuris Gentium recentiorum fundamenta iecit.

DOMINICUS SOTO (1494-1560) peritissimus in methodo scholastica adhibenda, est auctor tractatus *De iustitia et iure,* vera metaphysica iuridica.

MELCHIOR CANUS († 1560) in suo opere *De locis theologicis* Logicam theologicam ad instar Aristotelis instaurat. DOMINICUS BAÑEZ († 1604) est auctor sententiae praemotionis physicae, quae postea a thomistis defenditur. IOANNES A STO. THOMA (1589-1644) clarus thomista, maxime in rebus logicis exponendis eminet.

104. *Conimbricae PP. Societatis Iesu* vel maxime scholasticam promovent. PETRUS FONSECA (1528-1599) auctor habetur doctrinae *scientiae mediae,* cum clare distingueret diversa obiecta divinae cognitionis. *Commentator Aristotelis,* methodum classicam cum methodo scholastica coniunxit in suo celebri *Cursu conimbricensi,* in quo plures doctores S. I. ut B. ALVAREZ, GOES, et COUTO laboraverunt. LUDOVICUS DE MOLINA (1535-1600) systema *Molinismi* condit, quo profunde quaestionem de praedestinatione et conciliatione gratiae divinae cum libertate humana proponit. GABRIEL VAZQUEZ († 1604) acutus commentator *Summae* STI. THOMAE quaestiones metaphysicas profunde tractat.

---

[1] Cf. M. SOLANA, *Historia de la Fil. española. Epoca del renacimiento* 3 vol. (Madrid 1941).

Inter omnes vero doctores Societatis Iesu in ipsa praecipue universitate Conimbricensi FRANCISCUS SUAREZ (1548-1617) maxime excelluit.

Praeter amplissima commentaria in *Summam* STI. THOMAE ipse scripsit opera philosophica: tractatus *De anima, De Legibus* et praesertim *Disputationes metaphysicae*. Hoc opus egregium meliora scholasticae tempora in memoriam revocat. Quinquaginta et quattuor disputationes circa tres magnos conceptus. *Ens, Ens ut causam;* et *Ens speciale* disponit, relicta partitione et methodo antiqua commentatorum Aristotelis. Defendit SUAREZ analogiam attributionis intrinsecae conceptus entis, principium formale et radicale individuationis non in materia signata quantitate, sed in tota physica rei essentia reponit, essentiam ab exsistentia solum ratione cum fundamento in re in creaturis distinguit, cum actus non limitetur per potentiam realiter distinctam; suppositalitatem esse modum realiter distinctum a natura defendit. Inclinatur ad communem sententiam, quae potentias realiter distinguit ab essentia animae. Tenet intellectum cognoscere directe singulare sensibile, et universale directum fieri per meram praecisionem intellectus possibilis. Reicit praemotionem physicam in determinatione voluntatis, et post iudicium ultimum practicum in eius potestate esse sese etiam determinare ad minus bonum prosequendum. Affirmat scientiam mediam in Deo, ut cognoscat futuribilia, quae cognoscit in se ipsis. Primus in historia scholasticae perspicue agit de iure gentium, quod clare a iure civili distinguit. Auctoritas civilis traditur a Deo communitati, quae illam transfert in determinatam personam, quae non est mera mandataria communitatis. SUAREZ denique defendit exsistentiam societatis omnium gentium Iure quodam *Internationali* fundatam, prout a VITORIA iam proponebatur.

Itaque quamvis SUAREZ aliquando a thomistis recedat in sua interpretatione STI. THOMAE, et saepe etiam aliorum auctorum sententias ipse sequatur, tamen et genuinus thomista est habendus, et *ecclecticismi* accusatio est reicienda, cum eius synthesis ut firmissima laudetur et eius systema ut omnino cohaerens habeatur.

105. *Compluti Carmelitani collegii S. Cyrilli* ediderunt *Artium cursum et Disputationes in Aristotelis Dialecticam et Philosophiam Naturalem iuxta miram Angelici Doctoris Divi Thomae doctrinam et eius scholam,* qui fidelissime S. Thomam sunt secuti. De unaquaque quaestione ab omni collegio disputabatur, ut et unitas operis et

fidelitas in S. THOMAM servaretur; haec ratio publica ordinis erat, quamvis privatim alios doctores sequerentur.

Ex ipso carmelitano ordine in Gallia HONORATUS A S. MARIA (1651-1729) in suis disputationibus CARTESIUM et GASSENDI refutavit et IANSENIUM oppugnavit. *Ex ordine S. Augustini* FR. DIDACUS DE ZÚÑIGA (1536) peripatetismum scholasticum magna libertate secutus est. Inter *franciscanos,* praeter alios, magnus eminet auctor Philosophiae iuris FR. ALPHONSUS DE CASTRO (1495-1558), qui iuris poenalis fundamenta systematica iecit.

106. Philosophia non scholastica. Dum in Hispania ita florebat Scholastica, in Europa iam iam novae tendentiae, libero examine et novis scientiis iuvantibus, incipiunt. Duplex datur praesertim *tendentia,* alia *rationalistica,* quae more geometrico et mathematico suas propositiones demonstrare conatur, alia *empirica,* quae in experientia solum inniti studet.

107. Tendentia rationalismi philosophici. RENATUS DESCARTES (CARTESIUS) (1596-1650), rationalismi pater et totius philosophiae modernae habetur. Etsi aliquo influxu scholastico in sua educatione imbutus augustinianismum redolere aliquando videatur, ipse vult ab initio suam philosophiam de novo construere. Inde punctum centrale sui systematis est quaestio de methodo; quam solvit proponendo in primis dubium methodicum circa omnes veritates, ut obscuritates a philosophis propositas removeat. Primam veritatem invenit in exsistentia ipsius ego cogitantis, quia in idea clara sese mihi manifestat, unde concludit *criterium veritatis esse ideam claram:* inde more geometrico suum construit systema, ab experientia sensibili praescindendo, et ut statuat dependentiam inter ordinem cognitionis et ordinem entis ad Deum summe veracem recurrit, ideas innatas claras et veras nobis infundentem, ubi re vera periculum latet futuri idealismi. Cartesianismus hominum mentes celeriter occupavit et nefastum influxum exercuit.

NICOLAUS MALEBRANCHE (1639-1715) bona intentione fovet rationalismum cartesianum, ita ut actionem inter substantias creatas neget, et occasionalismum doceat, quo Deum ut unicam causam veram admittit. Secundum ideas cartesianas claras et distinctas affirmat esse ideas ontologicas, essentiam possibilem extra subiectum, quae in ipso Deo inveniendae sunt, qui infinite praesens est *visione naturali* menti nostrae. BARUCH SPINOZA (1632-1677) suam metaphysicam evolvit systematice in *Ethica* more geometrico propositam; ex erronea vero definitione substantiae et causae ad rigidum pantheismum pervenit.

108. GODEFREDUS GULIELMUS LEIBNIZ (1646-1716) eruditissimus vir, horum auctorum non ignarus, voluit suam philosophiam ex congerie omnium sententiarum rationalistarum construere; ita ut vitaret errores occasionalismi et pantheismi, et desiderio duceretur scientiae universalis struendae, in qua omnes veritates rationales quasi mathematice coniungerentur. Postremus itaque est conatus Scholasticae cum Rationalismo Renascentiae conciliandi. Ad pantheismum spinozanum vitandum "Monadologiam" invenit, quae continet novam et

complicatam theoriam idearum innatarum. CHRISTIANUS WOLFF (1679-1754) eius magistri LEIBNIZ systema prosequitur, simplicius reddit et latino ac germano sermone maxime vulgat. Admittit exsistentiam essentiarum finitarum ex experientia tum interna tum externa, exsistentiam autem Dei tum ut rationem sufficientem possibilium, tum etiam ob argumentum ontologicum.

109. Empirismus. Dum rationalismus in Europa continentali ita progreditur, in insulis britannicis, ubi tendentiae nominalisticae adhuc perdurabant, empirismus viget. Iam FRANCISCUS BACON (1561-1626) de novo scientiam supra nova fundamenta construere intendebat in suis operibus *De dignitate et augmentis scientiarum* et *Novum Organum Scientiarum.* Sua enim *methodologia* a vacuitate abstractionum praescindit et ipsam naturam examinat. "Vera enim scientia, ait, tum in ipsa realitate rerum, tum in ipsa indole animi humani niti debet." Cum vero THOMAS HOBBES (1588-1679) *Mathematismum* deductivum cartesianum et *Innatismum* idearum propagaret, IOANNES LOCKE (1632-1704) omnem ideam innatam omniaque principia ratiocinii negavit, et acerrime affirmavit omnem ideam acquiri ex experientia, quae unicum est fundamentum omnium tum externarum tum internarum cognitionum. GEORGIUS BERKELEY (1685-1753), cum in eodem empirismo innitatur, affirmat qualitates primarias corporum et ipsa corpora non percipi experientia, sed eorum *esse* esse percipi; spatium enim, tempus, motum et substantias esse a mente sub Dei influxu conflatas.

DAVID HUME (1711-1776) ulterius procedit in consequentiis empiristicis deducendis, ut usque ad purum *phaenomenalismum* et ad universalem scepticismum perveniat. Ipse suum influxum exercet tum in atheos encyclopedistas gallos, tum etiam in Kant, quem a somno dogmatico excitavit et in idealismum transcendentalem induxit.

110. Descensus scholasticae et defectio a traditione. Dum hae tendentiae philosophiae modernae progrediuntur, scholastica philosophia in profundum cadit post suum magnum Renascentiae splendorem. Cuius decensus causae variae fuerunt. Quaestiones agitantur minoris momenti, subtilitates dialecticae nimio amore coluntur, et diversae scholae tempus in suis peculiaribus thesibus contra alios scholasticus defendendis misere terunt. Haec vero ratio philosophandi in dies solum clericalis fit, et apud ipsos scholasticos datur vel ignorantia vel etiam impugnatio scientifici progressus, quae ad propagationem empirismi et cartesianismi conferunt. Solummodo aliqui ut IOANNES B. DUHAMEL (1624-1705) et CARD. IOANNES B. TOLOMEI (1653-1726) e tali naufragio salvantur et philosophiam scholasticam cum nova physica coniungere conantur.

Illustratione imperante, sollertia ingenia, taedio scholasticae imbuta, aristotelismum traditionalem relinquunt et ad philosophiam rationalisticam, Wolffianam praesertim, sese convertunt, in qua cla-

ritatem et ideas fundamentales ecclectice inveniebant, dum quaestiones maximas methaphysicae traditionalis v.c. abstractionis theoriam, analogiam entis, oblivioni mandarent. Tendentia haec tum in Germania tum etiam in Gallia praecipue cernitur v.c. apud BENEDICTUM STATTLER (1731-1797) et SEGISMUNDUM STORCHENAU (1731-1797). Laudandi tamen sunt, quatenus fundamenta religionis contra atheismum encyclopedistarum strenue defendere contendebant.

111. Philosophia recentior. Non scholastica. Idealismus. Empirismus anglicus, qui rationem puram spernendo philosophiam usque ad scepticismum HUMII perduxit, et rationalismus continentalis Europae, qui e contra experientiam fere negligebat, coegerunt EMMANUELEM KANT (1724-1804) ob utriusque insufficientiam ad veram et universalem scientiam statuendam, ut novam viam quaereret. Cum enim scientiarum positivarum progressum et consensionem consideraret, illi in mentem venit philosophiae deesse rectam considerationem obiecti tractandi. Itaque *criticam instituit cognitionis humanae,* qua detegeret condiciones possibilitatis scientiae; quam, complexum propositionum necessariarum et universalium circa aliquod obiectum esse cogitabat. Sed eius inquisitionis succesus ob praeiudicia empiristica et rationalistica infelix fuit. Negavit enim possibilitatem metaphysicae; asseruit *phaenomena* i.e. apparentias, non *noumena* i.e. res ipsas, nobis cognitione attingi, attribuit denique non rebus, nec subiecto cognoscenti, sed subiecto cuidam mere logico *a priori* momentum universalitatis et necessitatis iudiciorum.

112. Inde processit I. G. FICHTE (1772-1814) ad idealismum metaphysicum, cum cohaerenter negaret exsistentiam rei in se, seu independentis a subiecto; et substitueret pro *ego logico* Kantismi *ego absolutum* omnis realitatis, utique pure idealis, principium. Ego individualis non est nisi apparentia huius *ego absoluti,* quod est primum et unicum principium omnibus immanens.

In FRID. GULIELMO SCHELLING (1775-1854) triplex stadium distingui potest; in primo et praecipuo negat egocentrismum FICHTE et affirmat principium supremum esse identitatem absolutam inter *Ego* et *Non-Ego,* inter spiritum et naturam, quae intuitione aliqua quasi mystica nobis manifestatur. Haec doctrina *Idealismus obiectivus* vocari solet.

GEOR. GUL. FRID. HEGEL (1770-1831) omnia ad *Ideam absolutam* reduxit, quae in processu dialectico, per thesim, antithesim et synthesim progrediente, sese evolvit in omnem realitatem naturae atque spiritus, tum subiectivi tum obiectivi. Vocari solet *idealismus absolutus.*

113. Reactio antikantiana. Dum idealistae postremas Kantismi conclusiones deducunt et ipsum KANTIUM impugnant,

triplex contra idealismum directio philosophica paulatim exsurgit: materialismus, positivismus et vitalismus, quae systemata, si modo neo-idealisticae, neoscholasticae et exsistentialistae tendentiae addantur campum sibi vindicant philosophiae nostri temporis. Brevissime igitur ea exponamus.

Omnes fere philosophi postkantiani rationi parum fidunt, attamen strictiorem idealismum initio fovent FRID. KRAUSE (1781-1832), FRID. E. SCHLEIERMACHER (1768-1834) et ARCTURUS SCHOPENHAUER (1788-1860). Primus in Philosophia Iuris aliqualem influxum habuit, et in Hispania influxu praesertim JULIANI SANZ DEL RÍO († 1869) eius doctrinae plures asseclas invenerunt. Alter apud theologos protestantes et apud modernistas magni est habitus. SCHOPENHAUER denique maximum in totam philosophiam pessimismum sparsit. Affirmavit enim mundum esse obiectivationem voluntatis absolutae, carentis cognitione et consequenter finalitate, quam adimpleret et ita quiesceret. Sic haec absoluta voluntas semper est inquieta et infelix, et solum silentio contemplationis aestheticae, vel compassione aliorum, vel annihilatione quadam quasi budhistica a dolore liberatur.

114. Post hos, dum alii minoris notae auctores, inter quos I. FRID. HERBART (1776-1841) et ADOLPHUS TRENDELENBURG (1802-1872) magis ad realismum pluralisticum convertebantur, neokantismus, regens contra materialismum ubique paene valentem, animos sibi paulatim devinxit. Sic ad splendorem *neo-kantismi* perventum est saeculo XIX, quem maxime foverunt schola logicistica Marburgensis et valoristica Badensis. In prima eminent HERMANNUS COHEN (1842-1918) et PAULUS NATORP (n.1854), in altera vero GUL. WINDELBAND (1848-1915) et HENRICUS RICKERT (n.1863).

Nostris demum temporibus idealismum Hegelianum magis constructivum tenent, in Italia BEN. CROCE (1866-1952) et IOAN GENTILE (1875-1944) in suo *idealismo actualistico*, in Germania autem E. HUSSERL (1859-1938), discipulus FRANCISCI BRENTANO (1838-1917), qui dum scientiam et genuinam philosophiam realem contra empiristas psychologistas restituere conatur, in novum idealismum tendentiae platonicae incidit. Eius vero systema, quod *Idealismus Phaenomenologicus* vocari solet non multum invaluit, certe autem methodus eius phaenomenologica, ut apud *valoristas* AL. MEINONG (1853-1921) et MAX SCHELER (1875-1928), qui obiectivitatem valorum defendit.

115. *Reactio violenta contra idealismum* exsurgit ex parte materialismi et positivismi.

Materialismus vult explicationem totius universi dare solis viribus materialibus innixus. Nihil praeter materiam admittit et ad quemdam pantheismum monisticum accedit. Tres formae materialismi distinguuntur: materialismus scientificus, oeconomicus et monisticus.

Materialismus scientificus explicationem scientificam et philosophicam universi dare intendit, ita L. FEUERBACH (1804-1872), IAC. MOLESCHOTT (1822-1893), FELIX LE DANTEC (1869-1917) aliique multi minoris notae.

Materialismus oeconomicus pedisequus idealismi hegeliani et ma-

terialismi FEUERBACH condiciones oeconomicas et sociales explicare intendit, ut CAROLUS MARX (1818-1883) et FRID. ENGELS (1820-1895). Denique *Materialismus monisticus* omnem ordinem moralem explicare intendit, et evolutionismum monisticum tenet, ita ERNESTUS HENR. HAECKEL (1834-1919) fraudator pseudoscientificus, qui monismum pantheisticum docet. Harum tendentiarum fructus est hodiernus Communismus, qui minimum utique habet valorem philosophicum, cum sese ad rem et vitam practicam convertens veritatis inquisitionem philosophicam contemnat.

116. Positivismus spernit speculationem metaphysicam rerum transcendentalium et solummodo quaerit descriptionem et explicationem factorum experientiae nostrae, ut novo apparatu scientifico universalior quaedam mundi conceptio (weltanschauung) physicis legibus et experimentis proponeret, quae multorum mentibus arrideret. In criteriologia sensismum nominalisticum, in sociologia materialismum, in psychologia associationismum, in religione atheismum profitetur. Apud diversos tamen auctores diversos aspectus et directiones obtinet; sic AUGUSTUS COMTE (1798-1857), praecipuus auctor, a quo et nomen positivismi venit, proponit praeter theoriam cognitionis, sociologiam ut supremam et universalem scientiam, et religionem humanitatis; IOANNES STUART MILL (1806-1873) logicam, maxime inductivam, evolvit; CAROLUS DARWIN (1809-1882) positivismum biologicum evolutionis docet; HERBERTUS SPENCER (1820-1903) evolutionismum universalem et systematicum proponit.

117. Alii vero *evolutionistae positivistae* ab his immediate pendent, qui omni consideratione metaphysica reiecta, cognitionem ut meram functionem biologicam concipiunt, cuius utilitatem, non veritatem, debemus quaerere. Sic RIC. AVENARIUS (1843-1896) cum suo empiriocritismo, seu critica experientiae purae, WILLIAM JAMES (1842-1910) purum pragmatismum cognitionis docens, E. MACH (1838-1916) immanentista, qui omnia ad sensationes reducit, et IOAN. VAIHINGER (1852-1933) fictionalista, qui positivismum pragmatisticum cum Kantismo coniunxit.

118. Vitalismus. Cum pragmatismi conclusiones resumeret, eique alia elementa ex SCHOPENHAUER adderet, propriam vitalismi structuram FRID. G. NIETZSCHE (1844-1900) proposuit. Mundus iuxta illum est opus non bonum nec utile, sed aestheticum, in quo maximus valor vita est. Haec vero indesinenter per iteratos cyclos et, sine misericordia atque iustitia, usque ad productionem *super-hominis* progredi debet, illius nempe *bestiae* magnificae, illustratae ac sanguinariae, quae debiles spernere ac destruere debet. Qua de causa omnis virtus et moralitas misericordiae et caritatis, velut christiana, expellenda est, quia debiles tuetur adversus vitae progredientis crudelitatem.

Eamdem viam quasi zoologicam vitalismi O. SPENGLER (1880-1936) ingressus est, qui etiamsi magis psychismum consideret, et amplissimas historiae syntheses multiplicet, animalitatis ambitum vix superat.

Maiorem spiritualitatem attingit cum HENR. BERGSON (1859-1941) intuitionismi moderni fundatore, qui omnia in fluxu vitali reponit (*l'élan vital*) novas semper ac varias et meliores formas producenti,

cum GUL. DILTHEY (1833-1912) conditore *historicismi* per quem, spreta metaphysica eiusque constructionibus non scientificis, ad ipsam realitatem arationalem et mere historicam accedit, diversis vitae conceptionibus (weltanschauung); cum RUDULPHO EUCKEN (1846-1926) duce *neo-idealismi* hodierni; G. SIMMEL (1858-1918) cum suo apriorismo historico et morali descriptiva; E. TRIELTSCH (1865-1923) cum apriorismo religioso, et multis aliis, qui cum vitam historicae analysi subicerent, valores etiam religiosos et morales ut *vitales* habuerunt. Et quoniam valorem absolutae veritatis non supra vitam quaerunt, relativismum historicum non superant in eoque deficiunt. Denique in Hispania J. ORTEGA, DILTHEY pedisequus, ratio-vitalismum proprium, relativisticum et humanisticum creat.

119. Exsistentialismus. Huic vitalismo affinis est philosophia *exsistentiae,* tendentia nunc actualissima. A S. AUGUSTINO, et a B. PASCAL (1623-1662) originem remotam dum vult habere, proxime certe a SÖREN KIERKEGAARD (1813-1855) procedit, qui reiciens abstractas elucubrationes hegelianas, theologiam exsistentiae humanae proposuit, qua per *paradoxam* inter essentiam christianismi et rationem, singularem hominem ad liberam sui actuationem acquirendam excitat. KARL JASPER (n.1883) et MARTIN HEIDEGGER (n.1889) diverso modo in philosophia hanc tendentiam interpretantur; secundum HEIDEGGER per humanae exsistentiae interpretationem via aperienda est ad ontologiam, ad esse, transcendens omnia entia nobis familiaria, quod homini sese praesentat tamquam nihilum omnis entis intramundani per angorem (*die Angst*). Duplex directio datur in exsistentialismo Galliae, alia athea, quam tenet praecipue JEAN-PAUL SARTRE (n.1905) qui philosophiam aliquam litterariam et fere absurdam defendit; alia vero christiana, cuius praecipuus coryphaeus est GABRIEL MARCEL (1889), qui tenet hominem per spem posse ad transcendentiam Entis supremi pervenire.

120. Incrementum recentis scholasticae philosophiae. Initio saeculi XIX Philosophia christiana misere demittitur, cum CARTESIUS et GASSENDI in scholis etiam ecclesiasticis ad eruditionem philosophicam comparandam adhiberentur. Idealismus vero constructivus in toto suo vigore novam synthesim et scientiae unitatem quaerere intendebat. Diversi conatus conciliandi has tendentias idealismi cum philosophia christiana inveniuntur maxime in Germania post eversionem napoleonicam. In Gallia vero contra rationalismum *Eversionis Gallicae,* exsurgit tendentia arationalistica *traditionalismi,* ut L. DE BONALD (1754-1840), F. DE LAMENNAIS (1782-1854), L. G. BAUTEIN († 1861) et aliorum; et *ontologismus,* qui in Deo docet nos ideas universales intueri, ita A. GRATRY (1802-1872) et alii, quibus schola lovaniensis accedit, ut UBAGHS (1800-1875) et in Italia V. GIOBERTI (1801-1852) et ANTONIUS ROSMINI (1759-1855), pii sacerdotis, cuius plurimae sententiae ab Ecclesia sunt damnatae, cum vellet tendentias kantianas et hegelianas cum christiana philosophia conciliare.

121. *Felicius tentatur restauratio* in Hispania per IACOBUM BALMES (1810-1848) clarum plane virum, qui quaerit et fundat suam doctrinam in S. THOMAE auctoritate, quamvis ipse non thomista proprie, sed independens sit. In Italia suam scho-

lam et sententias secuti sunt aliqui professores Universitatis Gregorianae, ut D. PALMIERI (1828-1909) et S. TONGIORGI (1820-1865).

Aliunde vero V. BUZZETTI (1777-1824) discipulus iesuitarum hispanorum in exilium missorum, genuinum thomismum docuit, quem eius discipuli DOMIN. et SERA. SORDI S. I. (1793-1865) propagarunt per scriptores M. LIBERATORE († 1892) CAIET. SANSEVERINO (1811-1865) et A. TAPARELLI (1793-1862). In Germania eminet in hac restauratione IOS. KLEUTGEN (1811-1883) per sua opera *Die Philosophie der Vorzeit* et *Die Theologie der Vorzeit* vere egregia, in quibus magno amore erga scholasticam, illud firmum fundamentum cogitandi, quod desiderabatur, apud antiquos invenit et solide exponit. Apud multos tamen remanet his primis temporibus restaurationis influxus Leibnizianus et Wolfianus, qui in aliquibus sententiis adhuc sentitur.

122. Plena restauratio obtinetur maxime sub influxu Litterarum encyclicarum LEONIS XIII *Aeterni Patris* anno 1879, quibus ad Philosophiam S. THOMAE, ut efficacissimum remedium contra errores modernos, restaurandam ac colendam doctores catholicos hortabatur. Universitas gregoriana centrum fit restaurationis thomisticae, ubi IOAN. J. URRABURU (1841-1904) auctor cursus philosophici eruditione scholastica illustris, et PP. DE MARIA, REMER, et ipse KLEUTGEN docent. In universitate item Lovaniensi iussu LEONIS XIII *cathedra St. Thomae* conditur, qua DESIDERIUS MERCIER (1851-1926) quaestiones antiquas et recentiores in suis relationibus cum scientiis, sub luce S. Thomae, methodo vere moderna proponit. Ipse eiusque collaboratores Institutum Superius Philosophiae anno 1894 condiderunt, quod usque ad nostra tempora bene de philosophia meritus est.

Hoc exemplo ductus in Gallia MAURITIUS D'HULST instituit Parisiis Institutum catholicum Parisiense a quo thomismus inter tot adiuncta adversa expositus est.

123. *Investigationes historicae,* maxime philosophiae mediaevalis, ad huiusmodi progressum et restaurationem scholasticae philosophiae multum contulerunt. Quae initium sumunt a labore scientifico CARD. FRANCISCI EHRLE (1845-1934), HENR. DENIFLE O. P. (1844-1905), et a CLEMENTE BAEUMKER (1853-1924) instauratore collectionis *Apportationes ad Historiam Philosophiae Mediaevi,* perficiuntur vero laboribus monographicis P. MANDONNET (n.1860), M. DE WULF (1867-1946), M. GRABMANN (1875-1949), ET. GILSON (n.1884). Sic obiectivus ac fundamentalis gressus in philosophia restauranda uberrime obti-

netur per notitiam perspicuam totius traditionis philosophicae, per editiones criticas magnorum operum, vivificationem scholarum optimarum, ac denique per constitutionem rationis ac methodi scholasticae cogitandi iuxta magnorum doctorum vestigia.

124. Cui praeterea *secundus gressus accedit, debellatio nempe philosophiae modernae* et profunda speculatio scholastica circa problemata philosophica et scientifica praesentis temporis. In quo munere excellunt AUG. GEMELLI O. F. M. (1878) conditor ac rector Universitatis Mediolanensis. Anno 1909 condidit coetum, qui *Rivista di Filosofia Neoscolastica* edit, ut primum positivismo, deinde etiam hegelianismo CROCE et GENTILE obsisteret. Inter hos eminet FRANC. OLGIATI (n.1885) in quaestione critica solvenda. Eodem modo multi in Gallia et in Belgio thomistae clari laborant indesinenter: REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE (n.1877) theoriam thomisticam contra modernismum initii saeculi adhibet, ut postea contra *Novam Theologiam* in Gallia praecipue valentem. JACQUES MARITAIN (n.1882) ex bergsonismo ad fidem catholicam conversus, rigidiorem thomismum amplexus est, ampliore modo praesertim quaestiones criticas tractat, quamvis in aliis maxime politicis de constitutione status aliqua non tam secura proponat. Alii denique Philosophiam christianam problematibus et solutionibus a philosophia moderna adumbratis ditare conantur, ut IOS. MARECHAL (1878-1944) et ERICH PRZYWARA (n.1889).

125. Exstiterunt praeterea initio saeculi XX *quidam catholicorum conatus, qui a via veritatis erraverunt,* dum nimiam vel erroneam relationem cum philosophia acatholica statuere conarentur. Primus fuit *Modernismus,* a PIO X damnatus, qui sub influxu idealismi ac positivismi vitalistici, ut fundamentum philosophiae absolutum agnosticismum circa Deum sustinebat, dum unicam religiosam cognitionem possibilem experientiam sentimentalem admitteret, dogmata vero non valorem absolutum, sed mere pragmaticum ac historicum haberent.

Alius huiusmodi conatus non adeo manifestus fuit MAURITII BLONDEL (1861-1950), GRATRY et OLLÈ LAPRUNE praecedentibus, qui utitur methodo *immanentiae* ut modernistae, et ad realitatem venire tentat non viis rationalibus, sed quadam via intuitionistica, sicut BERGSON, et *Philosophiam Actionis* proponit, iuxta quam veritas est "adaequatio tendentiarum nostrarum internarum ad vitam".

Tertius denique lapsus in "Nova Theologia" invenitur quae multa philosophica affirmat ex philosophiis modernis desumpta; nam innixa in relativismo historico, in sentimentalismo et exsistentialismo, de aptitudine mentis ad verum, de absoluta veritate ac de universalium conceptuum et principiorum metaphysicorum valore, ut alia magis theologica omittamus, dubium movere audet. Quae omnia in Encyclica *Humani Generis* PII XII (1950) damnata sunt.

126. Conclusio et recapitulatio. Re vera ratio humana suis viribus relicta per plures errores grassatur, sed etiam plures veritates, saltem partiales invenit; adiuta vero lumine supernaturali fidei plenam securitatem in suis systematibus adipiscitur, ita ut Philosophiam ad vitam plane inservientem

invenire possit. Quod a *Philosophia perenni* et aeterna penitus obtinetur, quae cum *Philosophia scholastica et christiana* in praecipuis quaestionibus convenit.

Philosophia scholastica, quae ab optimis auctoribus graecis quoad praecipua dependet, suum fastigium saeculo XIII attingit; postea vero propter tempora obscura et naturalem virium defatigationem saeculis XIV et XV deficit, et iterum sequentibus saeculis novam obtinet *renascentiam,* ut denique saeculis XVIII et XIX iterum misere deficeret. Proximis vero temporibus, sub fines saeculi XIX et praesenti saeculo, novum ac fulgens incrementum obtinuit atque de veritatis ac religionis adiumento ac investigatione bene merita est. Eius vero praecipuum onus veritatem integre et totaliter quaerere esse oportet; etiam si aliorum systematum modernorum veritatibus augenda sit, et oculos plane apertos progressibus scientiarum habere, et indigentias ac necessitates actuales populorum respicere ipsa debeat.

TRACTATUS II

Logica

Auctore

P. Leovigildo Salcedo, S. I.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

ALAMANNUS COSM.: *Logica* nova ed. (Paris 1885).
ARNAULD ET NICOLE: *L'art de penser ou Logique de Port-Royal.*
BACON, F.: *Novum organum scientiarum* (versio hispana).
BALDWIN, J.: *Genetic Logic* (versio hispana primae partis).
BASSI, A. C.: *Principios de metodología general, o nociones de lógica científica o pedagógica* (Buenos Aires 1946).
BOLZANO, B.: *Wissenschatslehre* nova ed. (Leipzig 1929-31).
BONNOT, L.: *Logique positive.* Essai d'une etude positive de la connaissance (Dijon 1930).
CLARKE, R.: *Logic* (Stonihurst Phil. Series, London 1927).
DÁVILA, J.: *Introductio ad Philosophiam et Logica* (Méjico 1945).
DE VRIES, J.: *Logica* (Friburgi 1950).
DONAT, I.: *Logica*[3] (Barcelona 1944).
ENRIQUES, F.: *Problemas de la lógica* (Buenos Aires 1947).
FRÖBES, J.: *Tractatus logicae formalis* (Roma 1940).
GARCÍA BACCA, I. D.: *Introducción a la lógica moderna* (Barcelona 1936).
GOBLOT, E.: *Traité de Logique*[5] (Paris 1929; vers. hispana[4] E. Ovejero, Madrid 1924).
GÓMEZ IZQUIERDO, A.: *Nuevas direcciones de la Lógica* (Madrid 1907).
— *Análisis del pensamiento lógico* 2 vol. (Granada 1928).
GRANELL, M.: *Lógica* (Madrid 1949).
GREDT, I.: *Elementa Philosophiae Aristotelico-Thomisticae*[5] (Freibourg 1929).
HAMILTON, W.: *Lectures on metaphysicis and logics* 4 vol. (1859-1860).
HAYWARD JOYCE, G.: *Principles of Logic* (London 1929).
HOENEN, P.: *Recherches de Logique formelle* (Roma 1947).
HONECKER, M.: *Logik*[2] (Bonn 1942).
JEVONS, W. S.: *Logica* (versio a A. J. DORTA, Madrid 1941).
— *Los principios de las ciencias. Lógica del método científico* (versio hisp. a C. E. PRELAT, Madrid-Buenos Aires 1946).
KÜLPE, O.: *Vorlesungen uber Logik* (Leipzig 1923).
LARROYO, F. y CEVALLOS, M. A.: *La lógica de la ciencia con una propedéutica general* [redacted] *la Filosofía*[3] (Méjico 1945).
LOSSADA, L.: *Institutiones Dialecticae vulgo "Summulae"* (Barcelona 1882).
MARITAIN, J.: *Eléments de la philosophie.* II: *L'ordre des concepts.* I: *Petite Logique*[14] (Paris 1946).
MAURUS SILVESTER: *Aristotelis opera omnia... illustrata* I nova ed. (Paris 1885).

MERCIER, D.: *Cours de Philosophie. Logique*[8] (Louvain 1933; vers. hisp., Madrid 1935).
PEINADO, J. F.: *Disputationes in universam Aristotelis Logicam* (Alcalá 1671).
PESCH, T.-FRICK, C.: *Institutiones logicae et ontologiae* I (Freibourg 1914).
PETRUS HISPANUS: *Summulae logicales*, ed. I. M. BOCHENSKI (Torino 1947).
PFANDER, A.: *Logik*[2] (Halle 1929; vers. hisp.[2], Buenos Aires 1940).
PRANTL, K.: *Geschichte der Logik in Abendlande* (vers. itala *Storia della logica in Occidente*, trad. dal ted. di L. LIMENTANI, Firenze 1937).
REY, A.: *Lógica*[4] (Madrid).
ROMERO, F. PUCCIARELLI, E.: *Lógica*[9] (Buenos Aires 1945).
SEPICH, J. R.: *Lógica formal* (Buenos Aires 1940).
STUART MILL, J.: *A system of Logic Rationative and Inductive*[9] (London 1875).
TOLEDO, F.: *Commentaria... in universam Aristotelis Logicam* (Venetiis 1614).
TONGIORGI, S.: *Institutiones Philosophicae*[8] vol. 1, Lógica (Bruxellis).
TRENDELENBOURG, A.: *Logische Untersuchungen*[3] 2 vol. (Leipzig 1870).
— *Elementa logicices aristotelcae*[8] (1878).
UEBERWERG, F.: *System der Logik und Geschichte der logischen Lehren.*
URRÁBURU, J. J.: *Institutiones philosophicae*, I, *Logica* (Vallisoleti 1890).
WUNDT, W.: *Logik*[3] vol. 3 (Stuttgart 1906).

PROOEMIUM

S. THOMAS, *In I Post. Anal.*, lect. 1 et 20; *In 4 Metaph.* lect. 4; IOANNES A STO. THOMA, *Ars logica*, pars 2.ª, q.1-2; J. DONAT, *Logica*[9] prooemium in Logicam, n.63ss.; A. GÓMEZ IZQUIERDO, *Nuevas directrices de la lógica* (Madrid (1907); A. PFAENDER, *Logica*[2] introd. (Buenos Aires, 1940); F. GONSETH, *Qu'est-ce que la Logique?* (Paris 1937); CH. HERTRICH, *Qu'est-ce que la Logique?* (Saint-Etienne 1945); P. HOENEN, *De logica nova et antiqua:* Greg 20 (1939) 273-280.

1. Origo logicae. Ex ipsa natura rationali hominis originem ducit logica; nam homo facultate naturali pollet ad veritatem suis actibus assequendam erroresque vitandos; unde etiam rectitudinem certis potest procurare regulis. Et haec dicitur *logica naturalis* seu *vulgaris.* Sed eadem natura humana, utpote essentialiter defectibilis, etiam origo est logicae *artificialis* seu *scientificae,* quae curat modum recte cogitandi et vitandi errores, qui saepissime per nostram ordinariam logicam difficillime vitarentur [1].

2. Definitio Logicae. A) *Nominalis.* Logica, si *etymologice* consideretur a voce graeca λόγος i.e. ratio, intellectio seu facultas cogitandi, est *rationalis seu rationis scientia sive ars* λογικὴ ἐπιστήμη καὶ τέχνη. "Quae autem non solum rationalis est ex hoc quod sit secundum rationem, quod omnibus artibus commune est; sed etiam ex hoc quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur ars artium, quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt" [2].

Solet etiam vocari *Dialectica* a verbo διαλέγεσθαι = *disserere,* sive secum sive cum aliis colloqui, quasi *ars certe disscrendi.* Nam licet ARISTOTELES [3] aliique veteres auctores teneant *Dialecticam* solum illam partem logicae, quae de syllogismo probabili disputat, tamen usus communis iam ab an-

[1] Cf. S. THOMAM, *In I Anal. Post.* lect. 1.
[2] S. TH., *ibid.*
[3] *Topic.* l.1, c.1 2 et saepius.

tiquis temporibus *Dialecticam* totam logicam significare nos docet [4].

3. B) *Realis.* S. THOMAS ita definit: *Ars directiva ipsius actus rationis ad verum assequendum, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedit* [5]. Brevissime autem sic: *Est scientia et ars de rectitudine cogitandi.*

Haec definitio S. THOMAE est definitio logicae quatenus *normativa* est. Per hanc autem definitionem fines logicae optime designantur: 1.° *finis proximus essentialis,* seu rectitudo processus cogitationis, 2.° *finis secundarius* i.e. facilitas in ipso processu, et 3.° *finis essentialis remotus,* veritas cogitationis servanda.

Explicemus singula. Dicitur *ars;* nam licet ars *stricto sensu* ad opera externa, maxime pulchra, conficienda respiciat, *lato* tamen *sensu* quemcumque legum complexum, quibus operationes ad certum finem diriguntur, respicit; ita S. THOMAS: "Nihil aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt" [6].

Ars vero potest esse *obiectiva* seu *docens,* quae est hic definita; et *subiectiva* seu *utens,* est habitus seu acquisita facultas dirigendi operationes iuxta normas praescriptas.

Unde logica, quia leges ad bene cogitandum ordinatas tradit, merito ars dicitur.

Est praeterea *scientia;* leges enim quas tradit demonstat [7] et in systema scientificum colligit. Et quidem *scientia practica,* quia in *practicas veritates* inquirit, quae nempe ad actiones regendas ordinantur. Sicut enim v.c. veritates ethicae ad vitam hominis dirigendam, ita logicae veritates ad mentem dirigendam in rectam cogitandi viam, ordinantur.

Aliqui disputant utrum logica sit solum *scientia speculativa* [8]. Nec dubitandum est etiam talem esse logicam, si scientia speculativa lato sensu accipiatur; sed primo et per se est scientia practica.

---

[4] Hoc nomen originem a stoicis ducere videtur; et licet hodiernus usus a tempore commentatorum retineatur, tamen ARISTOTELES et ipse PLATO pro nomine λογικόν et διαλεκτικόν intelligunt modum arguendi proprium oratorum, non scientificum, sed potius sophisticum.

[5] *Comm. in primum lib. Anal. Post.* lect. 1.

[6] *Ibid.*

[7] Cf. S. TH., *In IV Metaph.* lect.4.

[8] Vide apud J. DÁVILA, *Logica* n.136 nota.

Dicitur *directiva ipsius actus rationis,* quibus verbis indicatur obiectum proprium logicae tum materiale tum etiam formale.

Obiectum enim materiale logicae et quidem *primarium,* sunt actus rationis, nempe cognitio intellectiva humana, quae ad tres operationes reduci potest; apprehensionem, iudicium et ratiocinium. Reliqua vero, ut voces (vocabula) sunt *obiectum materiale secundarium,* quatenus sunt signa cogitationum. Sensationes vero et ipsae res solummodo indirecte et remote dici possunt obiectum logicae materiale, quatenus rebus cognitio conformari debet et per sensationem omnis cognitio humana incipit.

Directiva, seu normativa, indicat *obiectum formale* logicae; considerat enim cogitationes prout rectas, scilicet prout conformatas regulis suis propriis. Rectitudo igitur in operationibus rationis, quae rectum ordinem rectamque veritatis consecutionem respicit, tale est obiectum. Non igitur respicit *materiam cogitandi,* num aliqua propositio vera sit, sed solummodo *formam cogitandi,* ut legitima et recta sit.

Tali igitur obiecto formali *differt logica a reliquis scientiis* et a ceteris partibus philosophiae, maxime vero a psychologia et critica, cum quibus obiectum materiale commune habet. Psychologia enim naturam et proprietates cogitationis, critica vero veritatem seu conformitatem cum suo obiecto respicit.

Qui confundunt psychologiam cum logica *psychologistae* vocantur (Stuart Mill), qui affirmant actus mentis non esse nisi pura facta interna psychica, ideoque pure psychologica. Hi auctores obliviscuntur intentionalitatis talium actuum, ex qua aliae relationes exsurgunt tum inter ipsos actus, tum inter actus et res, quae ad Psychologiam minime per se pertinent.

Per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, faciliter et sine errore procedit. Sic explicatur qualis sit finis logicae, et qui eius praecipui fructus, nempe rationem expeditam et tutam in suis operationibus reddere, ut per illam securitatem facilius in veritatem venire possit [9].

4. Divisio logicae. *Prima divisio* in logicam *utentem* seu *subiectivam* et *docentem* seu *obiectivam,* et *altera divisio*

---

[9] Est quaestio ab aliquibus agitata, utrum obiectum formale logicae sint pura entia rationis; de hac quaestione fusius agit URRÁBURU, *Inst. Log.* n.348s.

in logicam *naturalem* et *artificialem* in superioribus (cf. n. 3) indicatae manent.

Alia divisio veterum dabatur secundum obiectum formale in Logicam Maiorem, seu Criticam, et Logicam Minorem seu Dialecticam; prima normas seu regulas necessarias ad veritatem, altera vero ad rectitudinem cognitionis respiciebat. Apud recentiores vero haec divisio non habetur, nomenque Logicae solummodo Dialecticae seu logicae formali tribuitur.

Nostra maxime interest considerare divisionem huius logicae obiectivae seu docentis.

Si attendimus ad *obiectum materiale ut fundamentum huius divisionis,* nempe ad operationes mentis quae in logica considerantur, in tres partes praecipuas dividitur logica obiectiva. Nam tres sunt actus praecipui fundamentales mentis: *Apprehensio, iudicium, ratiocinium.*

Ratiocinium igitur est praecipuus actus in toto nostro processu cogitandi; nam tum apprehensio, tum iudicium sunt quasi elementa et via ad ratiocinium. Unde haec omnia bene consideranda sunt. Sed quoniam tota logica est quaedam reflexio circa nostram cognitionem, et quidem scientifica; scientia autem exsurgit ex diversis ratiociniis recte inter se ordinatis; aliquid etiam de methodo saltem in genere dicendum est. Nam de diversis specifice methodis longius agere uniuscuiusque scientiae proprium est. Quibus positis, tres praecipuae partes et unum complementum in nostra logica distinguendae videntur:

Primus liber: de prima mentis operatione, i. e. de apprehensione, deque eius manifestatione, seu de termino.

Secundus liber: de altera mentis operatione, i. e. de iudicio, et de propositione.

Tertius liber: de tertia mentis operatione, i. e. de ratiocinio et de eius manifestatione externa, praesertim ratiocinio deductivo per syllogismum.

Complementum denique huius partis: de methodo in genere, et de theoria scientiae.

Haec divisio logicae est classica a tempore PETRI RAMI († 1572) recentioribus multis renitentibus, iuxta quos *finis* praecipuus logicae est iudicium; ideae enim sunt eius elementa, ratiocinia autem via ad iudicium mediatum habendum. Hoc verum est, si finem spectes; sed non ideo spernenda est

consideratio formalis et analytica, quae tres illas operationes ad invicem ordinatas considerat [10].

5. Momentum logicae. Cuilibet statim patet momentum logicae, consideranti illam esse *scientiam scientiarum,* seu ut dici solet a tempore Aristotelis "organon", i. e. instrumentum scientiarum et maxime philosophiae. Scientiae enim et praesertim philosophia cogitatione humana construenda est, quae suis regulis regi debet, maxime in processibus difficilioribus, ad quarum rectum usum non sufficit ipsa logica naturalis, qua in vita cotidiana contenti sumus; sed omnino *logica scientifica,* frequenti usu et arte humana perficienda, requiritur, ut ordo cogitationum reflexe consideretur, et ipsa actualis cogitatio secundum praecepta et regulas iam demonstratas excolatur. Quod maxime necessarium videtur nostro tempore, cum ars illa "propagandi" prout dicitur, apte hominum inclinationes passionesque foveat ad innumera immittenda sophismata etiam sapientibus qui quidem saepius ipsam logicam imprudenter flocci faciunt.

6. Relatio logicae ad ceteras scientias. 1. *Logica differt ab aliis scientiis.* Hoc ex hucusque dictis facile patet; maxime vero notandum quomodo *a critica et a psychologia differat ex diverso obiecto formali.* Unde patet quo iure reiciendus sit *Psychologismus* (v.n.3) quem Em. Husserl (1859-1938) maxime impugnavit. *Differt a grammatica,* quae formas externas locutionis considerat; hae vero non omnino coincidunt cum variatissimis formis cogitationis.

2. *Logica reliquas scientias antecedit usu et necessitate tractationis;* non autem excellentia et dignitate. Etenim dignitas ab obiecto utique dependet, quod maxime primum in metaphysica habetur. Attamen cum omnes scientiae immo et vulgares cogitationes a rectu usu regularum et methodorum scientificarum pendeant, patet aliqualem tractationem logicam ipsas praecedere oportere. Itaque merito ab ipsa incipiendum est. Ad rem optime Divus Thomas: "Oportet in addiscendo

[10] Vide divisionem, quam proponit F. Larroyo et M. Ceballos in suo opere *La Lógica de la ciencia* [6] (Méjico 1945): post brevem introductionem de essentia philosophiae ac logicae tres partes proponit: *Primera parte:* Problemática y fundamentación de la lógica de la ciencia. *Segunda parte:* La apofántica (ubi agit de conceptu, de iudicio=apophantica propria, de ratiocinio et de methodis philosophicis. *Tercera parte:* La teorética sintética; que se divide en general y especial, ubi de methodis uniuscuiusque scientiae agit.

a logica incipere, non quia ipsa sit facilior scientiis ceteris... sed quia aliae scientiae ab ipsa dependent"[11].

7. Logicae brevior expositio historica[12]. Diversas periodos considerare licet in historica evolutione logicae. 1) *Praearistotelica.* 2) *Aristotelica.* 3) *Postaristotelica.* 4) *Mediaevalis et scholastica.* 5) *Moderna reformatorum, et rationalistica.* 6) *Recentior cum logistica.*

1. *Praearistotelica.* Ante ARISTOTELEM solummodo quaedam indicia et quasi semina inveniuntur; apud sophistas quaedam regulae proponuntur, non ea intentione ut veritates acquiri, sed potius ut omnia aequo iure demonstrari possint. Sunt igitur tractatus de fallaciis ad falsos rethores; ut videre licet in libro Aristotelis *De fallaciis sophistarum,* unde vocabulum "sophisma".

Contra hos in contrarium agunt SOCRATES et PLATO, qui methodum ad conceptus et definitiones rectas inveniendas exponunt. *Methodus maieutica*[13] excolitur a SOCRATE, qui in doctrinam platonicam influit.

8. 2. ARISTOTELES iure meritoque "fundator logicae formalis dicitur"[14], et usque ad praesentem diem talis habetur. Optime et ex intentione tractat quaestionem de ratiocinio, et de syllogismo; de reliquis vero partibus, nempe de ideis, iudiciis et propositionibus in tantum agit in quantum ad suum propositum pertinet. Proprie autem non de inductione nec de methodo agit.

Libri Aristotelis ad logicam pertinentes hi quinque sunt: Κατηγορίαι (*categoriae*), de summis generibus agunt[15]. Περὶ ἑρμηνείας (*de interpretatione*), de propositione agit[16]. Ἀναλυτικά πρότερα (*analytica prima*), de syllogismo; Ἀναλυτικά ὕστερα

[11] *Opus. 63 in l. Boethii de Trinit.* q.6 a.1, secundo ad 3.

[12] Circa notitiam historicam logicae cf.: J. DONAT, *Log.* 77s.; J. BARTHELEMY SAINT-HILAIRE, *De la logique d'Aristote* (Paris 1838); K. PRANTL, *Geschichte der Logik in Abendlande* (1855), versio italica *Storia della logica in Occidente* da L. LIMENTARI (Firenze 1937); G. CALOGERO, *Elementi di storia della logica:* GCFI 15 (1934) 159-168; ID., *Storia ed eternitá della logica clasica:* GCFI 16 (1935) 1-9; J. M. LE BLOND, *Logique et mèthode chez Aristote* (Paris 1939); P. HOENEN, *De logica nova et antiqua:* Greg 20 (1939) 273-280.

[13] *Maieutica* procedit a verbo graeco μαιεύω partum fovere. SOCRATES enim oportunis interrogationibus curabat ut discipuli suas cognitiones internas ederent; inde haec methodus recte dicitur *maieutica.*

[14] A. TRENDELEMBOURG, *Elementa Logices aristoteleae*[8] (1878).

[15] Dubitant aliqui de genuinitate huius libri. Certo autem capita 10 et 11 de postpraedicamentis ab alio auctore postea adiecta sunt.

[16] Etiam de hoc libro putat E. ZELLER *Die Philosophie der Griechen* II,2 70 non ab ipso ARISTOTELE, sed ab aliquo eius discipulo secundum magistri explicationem conscriptum fuisse.

(*analytica posteriora*), de argumentatione tractat. Τοπικά (*topica*), tractat de methodo conficiendi argumenta probabilia, quam ARISTOTELES "dialecticam" apellat. Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων (*de sophisticis elenchis*), de fallaciis agit.

Hos omnes libros, in unum redactos, commentatores ὄργανον (*instrumentum*) appellarunt, eo quod sint ceterarum scientiarum instrumentum. Haec logica Aristotelis "iure meritoque postulare potest ut eminentissimis culturae humanae monumentis adnumeretur" [17].

9. 3. *Postaristotelica seu commentatorum.* Immediati ARISTOTELIS discipuli, THEOPHRASTUS († c. 285), EUDEMUS doctrinam magistri explicant et complent disputatione de propositione hypothetica et disiunctiva, ut videtur. Posteriores autem peripatetici ipsam doctrinam contra vanas stoicorum obiectiones defendunt, commentariisque complent: Ipsi enim "Commentatores" dicuntur. Praecipui sunt: ANDRONICUS RHODIUS (c. 70 a. Ch.) novam editionem operum ARISTOTELIS curavit; GALENUS (c. 129-199) novam figuram syllogismi invenit; ALEXANDER APHRODISIAS (c. a. 200 p. Ch.) commentatorum princeps; PORPHYRIUS (c. 233-300) scripsit celeberrimum opus Εἰσαγωγὴ εἰς τὰς Ἀριστοτέλους κατηγορίας ubi de categoriis et de quinque praedicabilibus agit. Denique BOETHIUS († 525) qui libros de categoriis, de interpretatione ARISTOTELIS et Isagogen porphyrianam latine interpretatus est, et magnam partem terminologiae philosophicae in scholasticam induxit. Hic aliqua de universalibus proprio marte tractavit, ansamque praebuit posterioribus scholasticorum disputationibus.

10. 4. *Mediaevalis et scholastica.* Saeculo XII logica aristotelea primo cognoscitur per commentatores arabes, AVICENNA (980-1037) et AVERROES (1126-1198) deinde vero directe in versionibus latinis. Exsurgit quaestio valde agitata de universalibus, cuius occasio aliqua verba PORPHYRII a BOETHIO in *Isagoge* commentata fuit [18]. S. ALBERTUS MAGNUS (1200-1280) et S. THOMAS (1215-1274) fere totam logicam ARISTOTELIS commentariis immo propriis operibus, illustrave-

[17] K. PRANTL, *Gesch d. Logik in Abendl.* I (1855) 87.

[18] Cf. *Comment. in Porphyr.* lib. 1 ad finem, PL LXIV, col. 86: "Mox de generibus et speciebus, illud quidem sive subsistant, sive in nudis intellectibus posita sint; sive subsistentia, corporalia sint, an incorporalia; et utrum separata a sensibilibus, an in sensibilibus posita, et circa haec consistentia, dicere recusabo".

runt. Celeberrimum in scholis fuit opus huius temporis a PETRO HISPANO, postea S. Pontifice IOANNE XXI (c. 1210-1277) conscriptum, cuius titulus "Summulae logicales"; in quo logica aristotelea in compendium redigitur, et regulae modo scholari propriis artificiis proponuntur, aliqua tamen immoderata terminorum cumulatione. Ab ipso primo agitur de suppositione, apellatione terminorum aliisque proprietatibus de quibus postea auctores semper tractare solent [19].

Scholastici posteriores hanc eamdem logicam commentariis, explicationibus, etc. exposuerunt, nimiis regulis et subtilitatibus saepe inutilibus adiectis [20].

11. 5. *Reformatorum et rationalistica.* Moderno tempore, multi auctores, maxime protestantes, scholasticam philosophiam et simul cum ipsa ARISTOTELIS logicam contemnere coeperunt. Sic v. c. PETRUS RAMUS (1515-1572) calvinianus verbis saltem eam acriter impugnat quamvis de facto in multis ipsam sequatur. Ipse est auctor divisionis logicae in tres partes, de notione, iudicio et ratiocinio, quae adhuc retinetur. F. BACO VERULAMIUS (1561-1626) novam logicam veteri oppositam inducere conatur; sic "novum organum", quasi aristotelico contrarium, suum opus appellat. Ipse enim negligit methodum deductivam, et inductionem maxime laudat ac proponit. "Logica enim, inquit, quae nunc habetur, inutilis est ad inventionem scientiarum" [21]. Laudandus est quatenus methodum inductionis (*tabulas*) *ordinate* proponit, quamvis non primus invenerit.

Rationalistae etiam logicam Aristotelis despiciunt. Sic eorum pater CARTESIUS (1596-1650) ipsam negligit. "Dialectica, iuxta ipsum, bonam mentem magis corrumpit quam auget" [22]. Cartesiani sunt MALEBRANCHE (1638-1715), A. GUE-

[19] Hoc opus secundum aliquos pendet ab opere graeco Σύνοψις εἰς τὴν Ἀριστοτέλους λογικὴν ἐπιστήμην auctoris ignoti. Sed I. M. BOCHENSKI existimat hoc verum non esse, sed omnino opus esse originale. Cf. PETRI HISPANI *Summulae logicales,* quas edidit I. M. Bochenski O. P. Taurini, 1947, in introductione; cf. etiam criticam editionem et investigationem a J. P .A. M. MULLALY, *The Summulae Logicales of Peter of Spain.* Publications in Medieval Studies, Indiana, 1945. Cf. maxime C. ABRANCHES, *P. Hispano e as "Summulae":* RevPortFil VIII (1952) 243-259.

[20] Quo pacto abundent opera commentaria in ARISTOTELIS *Logicam* patet v. c. in opere *Filosofía Española y portuguesa de 1500 a 1600;* repertorio de fuentes impresas (Ministerio de Educación Nacional, Dirección General de Propaganda, 1948); innumera opera huius generis ibi inveniuntur.

[21] *Novum. org.* 1.11. Immo ipse docet: "Logica quae in usu est ad errores stabiliendos et figendos valet, potius quam ad inquisitionem veritatis; ut magis damnosa sit quam utilis" (*ibid.* 1,15).

[22] *Princ. philo.*

LINCX (1624-1669), auctores logicae port-royalensis. CH. WOLF (1679-1754) ut discipulus LEIBNIZII logicam Aristotelis cum ideis sui magistri coniunxit, et ita systema logicum composuit claritate et ordine praestans; sed claritate nimis subiectiva et quasi a priori; ab ipso enim notiones ideae clarae cum tendentia rationalista-subiectivistica procedunt.

E. KANT (1724-1804) logicam mere formalisticam reddidit, quae solum agit de formis a priori mere subiectivis; HEGEL (1770-1831) vero logicam in metaphysicam mutavit.

12. 6. *Recentior.* Logicae quaestiones fere omnes maxime excoluntur, aliqui progressus fiunt, in quaestione v. c. de inductione eiusque methodo, et in methodologia propria uniuscuiusque scientiae; multum agitant moderni classificationes scientiarum, relationem mutuam dependentiae, etc. Inter hos eminet J. ST. MILL († 1873) qui ex alia parte methodum inductionis maxime coluit, ex alia vero praecipuus auctor Psychologismi habetur [23]. E contra Psychologismum impugnant W. HAMILTON († 1856) et E. HUSSERL († 1938). Nec desunt etiam nunc qui logicae Aristotelis adversentur [24]. Magni denique habetur hodie, nimis fortasse, *Logistica* seu *logica mathematica,* quae signis utitur symbolicis, fere ut mathesis, ad operationes logicas cum simplicitate et abstractione significandas, quam Logisticam colunt I. M. BOCHENSKI et B. RUTSELL, qui varia opera huius furfuris edidit [25].

[23] Vide eius opus "*A system of Logic rationative and inductive*" (1843).
[24] Ita saepius J.MARÍAS, *Introducción a la Filosofía* (Madrid 1947).
[25] Cf. P. HOENEN, *De logica nova et antiqua:* Greg XX (1939) 273-280.

LIBER I

De prima mentis operatione, de idea eiusque signo externo, vocabulo

CAPUT I

De ipsis ideis

ARTICULUS I

De cognitione in genere. De natura, obiecto, extensione et comprehensione ideae

s A. Gómez Izquierdo, *Análisis del pensamiento lógico* vol. 1: *El concepto y la palabra* (Granada 1928); T. Pesch-Frick, *Institutiones* 1. I. *Dialectica* c.1; M. Liberatore, *Della conoscenza intellettuale* II [2] (Roma 1874); E. Husserl, *Logische Untersuchungen* II 1, 61-212 (versio hispana: *Investigaciones lógicas*).

13. Antequam de relationibus diversarum operationum intellectus, quae cognitiones vocantur, dicamus, oportet et de ipsa cognitione aliqua praemittere, quae in Psychologia postea debent ulterius evolvi.

Quid cognitio. *Cognitio* in genere definiri potest: *Actus immanens, conscius et intentionalis, quo notitia alicuius rei, "obiecti", acquirimus per similitudinem seu repraesentationem obiecti.*

Haec breviter explicantur:

In primis est *aliquis actus,* seu actuatio, seu modificatio alicuius facultatis subiecti (utrum intellectio sit ipsa actio, an aliqua qualitas distincta ab actione et terminus actionis a psychologis disputatur); et quidem illa actio *est immanens,* quia in ipso subiecto, immo et in facultate a qua procedit, manet. Nam actus, quo intellectus Deum, v. c. cognoscit, non aliquid in ipso Deo ponit seu facit, sed solummodo in ipso solo intellectu, cui actus inhaeret.

Hunc actum esse conscium ipsa conscientia testatur; non enim procedit modo nobis ignoto, sicut v. c. divisio cuiusli-

bet cellulae, sed omnino ita ut ipse actus nobis det notitiam suimetipsius; notitiam quidem veram in conscientia concomitante, seu sine ulteriore reflexione. Simul vero notificat subiectum et obiectum.

14. Et hoc ultimum est omnino essentiale in cognitione, nempe quod sit *intentionalis,* seu det nobis notitiam obiecti per similitudinem seu imaginem ipsius obiecti. Quod quidem valde mysteriosum et mirum est; actus enim non exit a nobis, sed in nobis manet, notificat tamen nobis res exteriores; hoc vero fit quatenus obiectum ipsum aliquo modo a nobis tenetur per actum, non quidem physice, sed intentionaliter; quod solum significat obiectum cognitum esse in mente, quatenus actus est expressio viva obiecti, imitatio, repraesentatio, similitudo, imago.

Velut exemplum adhiberi solet imago visa in speculo, homo in tabula vel photographia repraesentatus. Per similitudinem homo est in tabula aliquo modo, ita etiam cognitum in cognoscente. "Omnis cognitio fit secundum similitudinem cogniti in cognoscente" [1]. Unde haec similitudo cognitionis "species expressa" dicitur.

Magnum tamen discrimen adest inter hanc imaginem et reliquas, quae ut exempla afferri solent. Reliquae enim cognosci prius debent, et ex illa cognitione ad cognitionem alius rei ducere; haec e contra est mera imago formalis, quae ducit in cognitionem alius rei non ex ipsa prius cognita. Inde iure dicitur "intentionalis", quia integra sua natura est in aliud tendere, aliud repraesentare, aliud coram mente sistere [2].

15. Ex hac descriptione patet indoles obiectiva cognitionis nostrae; non enim est idem in nostra experientia actus quo cognoscimus et obiectum quod cognoscitur; actus enim praesupponit semper suum obiectum, et ipsi conformari, nullo modo ipsum producere, ipsum ponere, facere, intendit.

Haec vero proprietas cognitionis non est aliquid mere existimatum, sed reale quid, prout in tota Critica contra errorem moderni idealismi iustificatur.

16. Quotuplex cognitio. In homine patet duplicem dari cognitionem, aliam sensitivam, aliam vero intellectualem.

---

[1] S. TH., 2 C. gent. c.77.

[2] Haec vox "intentionalis" magni apud plures modernos habetur. Ita post F. BRENTANO (1838-1917) eius discipulus E. HUSSERL in sensu tendentiae conceptus in obiectum saepius ipsa utitur.

Cognitio sensitiva est quaedam imperfectior cognitio communis homini et brutis, et est quaedam via ad cognitionem superiorem, iuxta illud Aristotelis: "Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu."

Proprietates vero cognitionis sensitivae hae sunt praecipuae:

a) Fit et recipitur in *corpore animato,* nempe in organis ab anima informatis, unde nec in solo corpore est nec in sola anima. Quare

b) Hae operationes sunt *omnino superiores omni operatione pure organica,* et *inferiores operatione intellectiva*: Sunt igitur superiores omni materia, sed materiales, non vero spirituales.

c) *In repraesentando obiecto ab eo omnino dependent,* quare ipsum repraesentant in singulari et materiali modo; unde oculus videt hunc colorem, non colorem in genere; et nullo modo Deum videre potest.

d) *Modus autem quo sensatio fit est valde complicatus,* si attendatur ad diversissimas reactiones physiologico-psychologicas, quae alibi fuse explicantur. Hoc vero essentiale est, ut detur obiectum, quod per influxum suum organa sensuum excitatione immutent, hae immutationes per nervos ad centrum cerebrale conducantur, et denique anima reagat per suam facultatem, cognoscendo obiectum. Obiectum sic perceptum suam impressionem vel aliquod vestigium sui in anima relinquit, ita ut possit per phantasiam vel memoriam denuo reproduci. Dantur igitur *sensus externi,* per quos primo res cognoscitur, et *sensus interni,* qui sensationem iam ab aliis sensibus habitam supponunt.

17. Intellectio. Praeter et supra cognitionem sensitivam, datur *cognitio intellectualis;* quae in primis est *spiritualis,* quia fit a facultate spirituali, quae solummodo extrinsece a materia dependet. Praeterea intellectio superat essentialiter sensationem obiecto, quia tum res materiales tum immateriales sive positive v. c. Deum, angelum, sive praecisive v. c. substantiam, et tum in singulari tum in universali v. c. corpus ut sic, ens ut sic, attingere valet.

Activitas huius facultatis multiplex est; nam vel apprehendit rem simpliciter prout relucet in sensatione cum sua individuatione, vel abstrahit ab individuatione et notis indivi-

luantibus et efformat conceptus specificos, et per ulteriorem ıbstractionem notarum, in quibus diversae species conveıiunt, ad magis genericos conceptus devenit; analysi subicit liversos conceptus complexos, ut notas simpliciores detegat, vel synthesi unit ad novas realitates quasi a priori inveniendas. Plures notas comparat, si vero earum identitatem vel liversitatem detegat, ipsas afirmatione componit vel negatioıe dividit: denique per longiorem processum comparativum luarum idearum cum alia tertia, earum inter se vel conveıientiam vel diversitatem invenit et affirmat. Hae omnes acivitates ad tres potissimum reducuntur, nempe ad apprehensionem, iudicium et ratiocinium, secundum quas fieri solet livisio in logica.

18. De natura ideae [3]. Idea definiri solet: "*Similitudo biecti expressa in mente percipienti, sine ulteriore affirmaione aut negatione*", quae omnia ex eius descriptione facile atent. Cum tamen dicimus in mente, intelligimus in intelectu; quare *idea* nullo modo confundenda est cum *phantasnate,* quod in facultate sensitiva manet; differentiae enim ssentiales sunt tum quoad earum essentiam, nam prima est piritualis, alterum vero materiale, tum quoad earum obiectum, hantasma enim solum res materiales et materiali modo, idea tiam res spirituales et in abstracto repraesentare valet.

Idea vocatur apprehensio [4], etiam conceptus, notio, species expressa, verbum mentis, terminus mentalis, intentio, quae mnia verba sunt metaphorica, et adhibentur propter quamlam similitudinem.

Dicitur *apprehensio,* quatenus per illam obiectum simpliiter apprehenditur, quasi manu capitur intentionaliter, nihil le eo affirmando aut negando.

Conceptus quia mens obiectum in se gignit et quasi conipit, et sic fecundatur. Saepius sumitur pro *idea universali.*

Notio quia obiectum notum facit.

Species expressa quia est similitudo expressa seu formais-actualis rei in mente percipientis.

Verbum mentis quatenus est manifestatio, quasi locutio in-

---

[3] *Idea,* iuxta aliquos (cf. J. DE VRIES, *Logica* n.156) est nomen, quod sensu epravato in logicam a tempore CARTESII et logicorum Port-Royal introductum uit; ipsum enim "ideam exemplarem" artificis designat. Quare melius voce *onceptus,* uteremur; sed quoniam iam a multis, ut non dicam omnibus, recenoribus hoc sensu usurpatur, non relinquendum videtur, dummodo bene intelgatur.

[4] Apprehensio vero sensu lato quamlibet cognitionem significat.

terna, qua mens sibi obiectum proponit. Item *verbum cordis*[5] dicitur.

Terminus mentalis quia in illum terminatur operatio mentis.

Intentio, quia per ipsam mens in obiectum tendit, se circa illud vertit. Dicitur *intentio prima* (*directa*) prout mens directe tendit in rem prout est in se *in ordine reali. Secunda vero* (*reflexa*) quatenus tendit ad obiectum aliquod, prout in mente exsistit, *in ordine logico;* secunda semper necessario supponit primam i. e., aliam priorem operationem.

19. Obiectum ideae. *Obiectum* est id quod menti obicitur, circa quod versatur facultas. Omnis facultas intentionalis necessario ad aliquod obiectum refertur tamquam ad suum terminum.

Obiectum potest esse materiale et formale:

a) *Materiale* est res ipsa prout in se exsistit cum omnibus suis notis. *Notae* sunt rei attributa, proprietates, etc. quibus cognoscibilis est, et se manifestare potest.

b) *Formale* est nota aut complexus notarum, quae hic et nunc repraesentantur.

20. Unde *comprehensio ideae;* est obiectum formale ipsius, seu omnes notae quae repraesentantur vel possunt repraesentari; *extensio* vero sunt omnia subiecta, quibus illa comprehensio convenire potest, et quae in illius ideae comprehensione repraesentari possunt saltem imperfecto modo.

Relatio inter comprehensionem et extensionem est inversa. Quo enim maior est alicuius ideae comprehensio eo minor est extensio, et e contra, quo minor comprehensio eo maior extensio, ut patet in idea entis, minimae comprehensionis et maximae extensionis.

Inde conceptus dicitur latius vel minus late patere, prout maiorem vel minorem habeat extensionem; similiter contrahi, si per novam notam additam extensio eius minuitur. Item vocabula possunt sumi in maiore vel minore extensione, et sic dicuntur sumi sensu lato vel sensu stricto.

21. *Diversi dantur actus apprehensivi,* quorum *praecipui* sunt:

[5] Cf. S. TH., 1 q.27 a.1.

1) *Attentio* est actus quo mens ad unam rem prae cete-is, quas simul percipit, se dirigit.

2) *Abstractio* est actus quo mens ex pluribus natura ua coniunctis vel identificatis unum sine alio repraesentat. Quoniam reliqua non negantur, sed mere non considerantur, bstractio est quidem cognitio imperfecta, minime autem fal-a, unde illud notum effatum: "Abstrahentium non est men-acium." Dicitur etiam praecisio, sed haec vox generatim estringitur ad casum in quo res quae praescinduntur sint rea-ter identificatae, veluti individuatio et natura. Ita fit *ana-ysis* conceptuum; *synthesis* e contra si plures conceptus ob-ectivi in unum componuntur non affirmatione, sed sola re-raesentatione, v. c. *mons aureus*.

3) *Reflexio* est actus quo mens in ipsum subiectum eius-ue actum se convertit. Duplex potest esse:

a) *psychologica,* si mens considerat proprium actum tam-uam affectionem et modificationem aliquam subiecti (*actum ubiective spectatum*);

b) *ontologica,* si mens considerat proprium actum tam-uam repraesentationem obiecti (*conceptum obiective specta-um*).

4) *Comparatio* est actus quo mens ad plures ideas vel es attentionem dirigens earum relationem inquirit. Eam sae-e sequitur visio diversarum relationum, quae *apprehensio omparationis* dici potest.

22. Conceptus (idea) subiectivus et obiectivus. Fre-uentissimus est usus inter modernos auctores horum termi-orum, qui saepius confusionem gignere possunt.

Nempe idea prout est affectio subiecti dicitur *conceptus ubiectivus,* melius vero diceretur conceptus subiective spec-atus; quatenus est repraesentatio, seu habet aliquod conten-um, dicitur *conceptus obiectivus;* melius diceretur conceptus biective spectatus.

ARTICULUS II

DE DIVISIONE IDEARUM

23. Considerata iam natura ideae, restat nunc ut aliquid de diversis ideis, seu divisione idearum dicamus, quo facilius proprietates et relationes logicae nobis innotescant. Secundum vero multiplex fundamentum divisionis, multiplex etiam datur divisio.

§ 1. **Ratione originis**

24. *Nulla idea est nobis innata,* sed omnes vel ope experientiae, vel ratiocinii aliaeve activitatis acquirimus; unde ratione originis idea potest esse:

Primitiva, quae ipsa experientia nempe influxu ipsius obiecti acquiritur. Dicitur *idea experimentalis et etiam intuitiva,* licet intuitio vox ambigua sit, cum etiam significet ideam propriam non analogam.

Primitiva idea potest esse *directa,* si obiectum externum; *reflexa,* si obiectum internum, facta interna ipsi subiecto repraesentat.

Facticia est idea, quam mens sibi efformat per suam circa ideas primitivas diversam activitatem. Duplex esse potest:

a) *arbitraria* si pro arbitrio nostro efformatur, quae fieri potest vel abstractione ab aliquibus notis, vel synthesi, qua plures ideae primitivae coniungantur, v. c. conceptus aetheris et plures alii conceptus scientiarum, vel negatione, ut idea tenebrarum, etc.;

b) *discursiva* (*deductiva*) est illa quae ope ratiocinii efformatur, v. c. idea primae causae, substantiae, Dei. Ut huiusmodi ideae recte procedant debemus attendere ad rectitudinem earum processus, sic v. c. in idea discursiva ad rectitudinem ratiocinii.

Idea............. (ratione originis)
- *primitiva* (intuitiva, experimentalis)
  - directa
  - reflexa
- *facticia*
  - arbitraria
  - discursiva

§ 2. **Ratione perfectionis repraesentationis obiecti**

25. Cognitio humana est essentialiter perfectibilis; ideo a cognitione imperfecta incipere solet, et per diversos gressus ad perfectiorem venire conatur. Sic distinguitur idea:

1. *Obscura* cuius comprehensio notarum non sufficit ad obiectum ab omni alio separandum, v. c. idea animalis respectu hominis.

2. *Clara,* cuius comprehensio notarum sufficit ad obiectum ab omni alio discernendum, v. c. idea animalis rationalis respectu hominis. Haec idea clara potest esse:

a) *distincta,* si talis est, quae non solum obiectum ab omni alio separet, sed etiam in ipso obiecto notas saltem duas discernat, quae ad ipsum obiectum perfecte exhibendum conferunt, v. c. idea viventis animalis rationalis, respectu hominis;

b) *confusa,* quae sufficit ad obiectum ab alio separandum, ipsa autem non plures notas offert, v. c. risibilis respectu hominis. Haec erit *indistincta* si unica nota gaudet, v. c. conceptus entis.


Distincta vero iterum esse potest:

a) *Incompleta* quae non omnes notas obiecti distinguit, et

b) *Completa* quae omnes notas obiecti distinguit.

In hac enim analysis conceptus usque ad simpliciores notas conficitur; in illa vero, antea sistit, v. c. idea completa hominis erit substantia corporea, vivens, sensitiva, rationalis.

Haec *idea completa* solet etiam *comprehensiva* vocari et sic definiri solet: Idea quae de obiecto repraesentat quidquid cognoscibile est, vel quidquid in eo et ex eo cognosci potest. Aliqui vero ita intelligunt ideam comprehensivam, ut per ipsam omnes possibiles relationes etiam pure arbitrarias cognoscere possimus, quod nimis exaggeratum videtur.



26. Secundum perfectionem repraesentationis ex origine notarum distinguitur idea:

Propria, si obiectum ex propriis quasi coloribus exhibet, ex ipso obiecto immediate desumptis, v. c. idea coloris viridis, saporis dulcis;

Analoga si obiectum repraesentat non propriis quasi coloribus, sed communibus, seu per notas quae desumuntur proprie ex aliis obiectis, quae propter similitudinem seu analogiam ad aliud obiectum repraesentandum aptae sunt, v. c. conceptus noster Dei.

§ 3. **Ratione obiecti**

27. 1. **Quoad comprehensionem.** Ratione obiecti comprehensi idea potest esse:

a) *Simplex,* quae nec pluribus notis constat, neque proinde in plures dividi potest, sic v. c. idea entis. Quae nullo modo est confundenda cum idea entis simplicis, v. c. Dei, in quo omnes perfectiones et attributa relucent.

b) *Composita,* quae pluribus notis constat, et ideo in plures dividi potest, v. c. homo, equus. Speciali modo composita est *idea collectiva,* quae praeter notas etiam individua, unum per accidens constituentia, includit, v. c. exercitus, natio.

c) *Concreta,* quae repraesentat subiectum aliquod cum sua forma seu perfectione, v. c. sapiens, cum qua aliquod subiectum habens sapientiam significamus. Haec dividi potest *in metaphysicam, physicam et logicam,* prout forma non distinguatur realiter a subiecto, v. c. homo, vel distinguatur realiter, v. c. cogitans, vel sit omnino extrinseca subiecto, v. c. amatus.

Idea concreta potest esse *substantialis et adiectiva,* prout distinctio inter subiectum et formam plus vel minus attendatur; quod momentum habet in Trinitate, ubi dici possunt tres divini (seu personae divinae) non autem tres dii.

d) *Abstracta,* quae repraesentat formam aliquam seu perfectionem veluti ab omni subiecto separatam, v. c. sapientia, humanitas. Quae eodem modo distingui potest in metaphysicam, physicam et logicam, v. c. humanitas, cogitare, amari.

e) *Positiva* est idea quae aliquam realitatem vel proprietatem realem repraesentat, v. c. homo, risibilis, etc.

f) *Negativa* est illa quae solummodo repraesentat negationem realitatis, v. c. non homo; dicimus *solummodo,* quia aliquando idea tantummodo apparenter est negativa propter nostrae loquelae imperfectionem, v. c. infinitus, immensus, quae omnia praedicata positivam Dei perfectionem significant.

28. 2. **Quoad extensionem,** ideae possunt esse singulares, particulares et universales.

Idea singularis est illa, quae determinatum individuum repraesentat, seu cuius omnes notae simul sumptae determinato individuo solummodo conveniunt, v. c. hic homo, Caesar, Matritum. Nos non cognoscimus ipsam essentiam intimam individuationis; inde per aliquas notas manifestantes, non constituentes, ipsa nobis individuatio nobis innotescit.

Tales vero notae versiculo noto indicantur.

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Ubi *figura* significat partium dispositionem, v. c. figura trianguli, figura exigua; *forma* vero aliquam figurae qualitatem, v. c. deformitas, pulchritudo, etc. Maioris vero momenti sunt *locus et tempus* pro nobis, nempe determinationes *hic et nunc.*

Idea particularis est idea universalis contracta ad aliquam partem determinatam suae extensionis, v. c. aliquis homo, aliquis sapiens.

29. *Idea universalis,* est illa quae repraesentat unum quid, quod inesse potest multis, et consequenter de illis praedicari univoce et divisim et secundum totam sui rationem. Sic definitur idea universalis stricta, nam idea v. c. entis est etiam universalis, sed lato sensu, quia analoga.

Quae definitio sic breviter explicatur: *Repraesentat unum quid,* nempe unam naturam, per aliquam comprehensionem notarum, excepta individuatione, v. c. homo vel animal rationale; *haec natura potest inesse in multis individuis,* quae eius inferiora seu subiecta dicuntur, *et de illis praedicari,* v. c. Petrus est homo, Paulus est homo, etc.; *univoce,* nempe secundum eumdam sensum; et *divisim,* ita ut multiplicentur et sint plura individua et plures naturae individuae: et *secundum totam sui rationem,* quia multiplicatur natura integra, nec ipsa in partes dividitur.

Ab hac idea universali bene distinguenda est *idea collectiva,* quae potest esse vel universalis, vel singularis, v. c. hic exercitus (*collectiva singularis*); omnis exercitus (*collectiva universalis*).

30. *Huius ideae universalis divisio et ulterior consideratio.* Idea universalis potest esse directa et reflexa, secundum modum vel operationem qua fiat. Universale enim qua tale in realitate non exsistit, sed solum per mentem fit.

Idea universalis directa est illa quam antea definivimus: nempe illa comprehensio notarum, seu natura, in qua non relucet individuatio, quae potest esse et praedicari de multis.

Idea universalis reflexa est eadem comprehensio seu natura, in qua relucet praecisio, seu quae potest et qua potest inesse et praedicari de multis. Dicitur *reflexa seu secunda intentio,* quia requirit primam, supra quam reflectitur seu cadit; quod directa idea non requirit.

Idea directa dicitur *praedicamentum seu categoria; reflexa* dicitur *praedicabile.*

ARTICULUS III

De praedicamentis et praedicabilibus

Aristoteles, *Categoriae; Anal. Post.* 1,22; *Topica* 1,4-5; S. Th., *In V Metaph.* lect.9; *Opusc. De natura generis; De ente et essentia;* Fr. Bretano, *Kategorienlehre* (Leipzig 1933); J. J. Toohey, *What are the Predicables:* The New Schol (1936) 255-265.

§ 1. **De praedicamentis**

31. *Praedicamentum* est vox latina a Boethio posita loco vocis graecae *categoriae,* ab Aristotele usurpatae. *Categoria* vero significat id quod praedicatur, et similiter praedicamentum, praedicatum reale. Omnia vero praedicata realia per analysim ulteriorem reducuntur ad praedicata generaliora, donec ad aliquod supremum genus vel praedicatum perveniatur. Illud ultimum praedicatum procul dubio est ens; sed quoniam conceptus entis est analogus non potest dici genus. Dantur proinde aliqua genera suprema? Quot vero sunt? Haec igitur proprie vocantur praedicamenta et categoriae.

Praedicamentum ergo cum Fonseca optime definiri pot-

est [6]: "*Generis alicuius supremi et eorum, quae sub ipso continentur, naturalis dispositio seu series.*"

Utilitas praedicamentorum magna est; nam sicut quaelibet scientia, v. c. botanica proponit genera, classes, familias, etc., plantarum, sub quibus postea quaelibet individualis planta statim ordinatur et secundum praecipua sua elementa cognoscitur; sic prima scientia suam statuit classificationem, iuxta quam omnia entia classificari possunt, ordinari et iuxta praedicata realia generaliora cognosci.

32. Categoriae (praedicamenta) Aristotelis. Quaestio de categoriis pertinet ad realem philosophiam, nempe ad Metaphysicam seu Ontologiam. Diversae factae sunt classificationes a diversis scholis philosophiae. Maximi vero momenti est illa quam ARISTOTELES in suo libro *Categoriae* proponit, quae a scholasticis generatim admittitur et explicatur.

Iuxta ergo ARISTOTELEM decem sunt categoriae, quae sunt: substantia (οὐσία), quantitas (ποσόν), qualitas (ποιόν), relatio (πρός τι), actio (ποιεῖν), passio (πάσχειν), ubi (ποῦ), quando (πότε), situs (κεῖσθαι), habitus (ἔχειν).

Quae a veteribus sequenti disticho comprehendebantur:

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos
(substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio)

Ruri cras stabo sed tunicatus ero
(ubi, quando, situs, habitus).

Talem enumerationem esse omnino perfectam non mordicus tenendum est. Ipse enim ARISTOTELES in aliis locis vel omittit situm et habitum [7], vel non nisi tria enumerat, videlicet: substantiam, passiones-proprietates, et relationes [8].

In hac classificatione ex una parte erigitur *substantia*, cui reliqui conceptus communi quadam ratione opponuntur, nempe *conceptus accidentis metaphysici et realis*. Huius autem notio non opponitur tamquam genus supremum substantiae, sed novem sunt genera quae opponuntur, quia notio accidentis, ut patet ex ontologia, est analoga.

De praedicamentorum autem saltem principaliorum notione, proprietatibus, divisionibus proprie in ontologia agitur; per accidens autem in aliis philosophiae partibus.

---

[6] *In Metaph. Arist.* 1.5 c.7 q.1 s.2.
[7] *Post. Anal.* 1,22.
[8] 14 *Metaph.* 2 (1089b23).

33. Divisio praedicamentorum ostenditur clare in praedicamento substantiae, quod optime subdividitur per diversa genera et species ita ut descendat ad inferiora per diversos gradus usque ad infimum, nempe ad individua. In reliquis praedicamentis similes subdivisiones fieri possunt, attamen solummodo in praedicamento substantiae maius habet momentum.

34. De postpraedicamentis [9]. Scholastici solent addere tractationem de *postpraedicamentis,* quae ita vocantur quia ARISTOTELES de his agit *post praedicamenta.* Haec vero sunt quaedam proprietates omnibus vel pluribus praedicamentis communes, vel modi qui consequuntur res praedicamentales invicem comparatas. Quinque ab ARISTOTELE recensentur: *Oppositio, Prioritas, et Posterioritas, Simultas, Motus et Habere.* De praecipuis postpraedicamentis suis locis agemus: *De oppositione,* agendo de conceptuum oppositione, de *prioritate et simultate* in ratiocinio; tamen de his haec habe: *Prioritas* quintuplex recensetur ab ARISTOTELE: Prima est *prioritas temporis,* secundum quam unum praecedit aliud duratione, ut pater creatus suum filium. Secunda est *prioritas secundum subsistendi consequentiam,* quae est inter ea, quorum unum infertur ex alio, sed non infert ipsum; quod enim infertur ex alio, et ad aliud praesupponitur, dicitur *prius ipso secundum essendi consequentiam:* Sic animal est prius homine; nam infertur ex homine, sed non infert hominem; valet etiam consequentia: est homo, ergo est animal. Sed non e contra: est animal, ergo est homo. Tertia *prioritas est ordinis;* quando unum praecedit aliud ordine, ut exordium alias partes orationis. Quarta est *prioritas dignitatis,* qua unum excellit prae alio; sic Rex praecedit principes. Quinta et praecipua est *prioritas naturae;* cum licet utrumque sit in eodem instanti reali, unum tamen dependet ab alio, ut a causa sui esse: Sic sol est prior sua luce, ignis suo calore et in genere omnis causa suo effectu.

Haec autem naturae prioritas duplex est: *prioritas in quo,* et prioritas *a quo.* Prioritas *in quo* est inter ea, quorum unum dat esse alteri, a quo non dependet in suo esse; sic sol dat esse luci, a qua non dependet; posset enim absolute exsistere sine luce. Prioritas *a quo* est inter ea, quae a se mutuo dependent in diverso genere causae; sic forma dependet a materia, et rursus materia a forma.

D. THOMAS meminit etiam prioritatis *generationis,* quae prioritati perfectionis opponit, et dicitur de his quae prius fiunt; ut puer viro prior est in ordine generationis.

Eodem modo *simultas* quintuplex assignari potest. Prima, *simultas temporis,* est inter ea quae simul in eodem instanti exsistunt, ut inter lucem et solem. Secunda est *simultas consequentiae,* quae est inter ea, quae se mutuo inferunt; ut inter risibile et rationale; valet enim: est risibile, ergo est rationale, et e contra; est rationale, ergo est risibile. Tertia est *simultas ordinis,* inter ea nempe, quae sunt eiusdem ordinis, ut inter species, quae sub eodem genere collocantur. Quarta est *dignitatis,* quae est inter pares secundum dignitatem.

[9] Cf. A. GOUDIN, *Philosophia Thomistica* t.1, Logica; logicae maioris 1 pars, disp.2 q.7. De genuinitate huius libri vide quae iam dicta sunt n.8 in nota.

Quinta est simultas *naturae,* inter ea, quae licet non sint sibi invicem causae, attamen se mutuo ponunt et destruunt. Sic relativa dicuntur esse simul naturae, nam posito uno, ponitur aliud; sublato uno, tollitur aliud, ut posito domino, necesse est ponere servum, et e contra.

§ 2. De quinque praedicabilibus

35. Praedicabile in genere. *Praedicabile* (κατηγόρημα)[10] est idem ac *universale reflexum,* in quo nempe aliqua comprehensio, quidditas consideratur secundum modum, quo de inferioribus praedicatur. Quoniam ille modus non est in realitate, supponit enim praecisionem, quae a solo intellectu fit, et alium praevium conceptum, ideo est conceptus conceptus seu reflexio circa conceptum. Qui praedicatur in recto de conceptibus abstractis, non vero de individuis, sic. v. c. dicimus: Homo est species quaedam animalium; non vero: Petrus est species quaedam animalium.

36. De quinque praedicabilibus. Quinque considerantur iam a PORPHYRIO praedicabilia; quae prout modi praedicationis varientur et ipsa variantur:

Species (εἶδος) est ratio (complexus notarum) quae (et quatenus) de pluribus praedicari potest tamquam *integra eorum essentia,* v. c.: homo; praedicatur de inferioribus in *quid completum,* seu ut tota et sola essentia, v. c. Cicero est homo. *Essentia* intelligitur, id quo res constituitur intrinsece id quod re vera est. Potest esse *essentia specifica,* quae pluribus individuis convenit (de qua hic agimus), et *essentia physica et individualis,* quae propria et exclusiva est individui.

Genus (γένος) est ratio quae (et quatenus) de pluribus praedicari potest tamquam *pars essentiae determinabilis* per aliam partem (differentiam); praedicatur proinde de inferioribus *in quid incompletum,* seu ut aliqua nota generalior, quae pluribus convenit speciebus, v. c.: Cicero est animal.

Differentia (διαφορά) est ratio quae (et quatenus) de pluribus praedicari potest tamquam *pars essentiae determinans aliam partem* (genus); praedicatur de inferioribus in *quale essentiale incompletum,* seu ut aliqua nota magis determinata, quae addita generi fit species; unde per ipsam

[10] Ita vocantur a PORPHYRIO in "Introductione" (ad categorias Aristotelis) ubi quinque ab ipso numerantur.

una species ab alia sub eodem genere posita discriminatur, v. c.: Cicero est rationalis.

Proprium (ἴδιον) est ratio quae (et quatenus) de pluribus praedicari potest, tamquam aliquid, quod, licet non essentiale, tamen cum essentia connectitur, ab eaque necessario dimanat, omnibusque individuis speciei convenit. Praedicatur in *quale necessarium non essentiale,* seu ut necessario consequens ex essentia, v. c.: Cicero est risus, loquelae capax.

Proprietas potest esse vel *specifica,* si ex specie promanat, v. c. homo est risibilis, vel *generica,* si ex genere, v. c. homo est mortalis. Saepissime quae vocantur in scientiis essentiae rerum solum proprietatibus constituuntur, intimae enim et propriae essentiae rerum saepius nos latent.


Accidens (συμβεβηκός) est ratio vel nota quae (et quatenus) de pluribus praedicari potest tamquam nota quae in re esse vel abesse potest, integra manente essentia; praedicatur proinde de inferioribus in *quale contingenter consequens naturam,* v. c.: Cicero est calceatus, sedens.

Probe distinguendum est *accidens logicum,* de quo hic, ab *accidente physico et metaphysico,* de quo in Ontologia. Accidens enim logicum opponitur essentiae, sive ipsum sit substantia sive non, v. c. calceamenta, sessio in Petro. Et contra physicum semper opponitur substantiae, unde est ens necessario alio enti inhaerens, v. c. color albus in Petro. Accidens logicum aliquando potest esse accidens physicum; non omne accidens physicum est accidens logicum ut patet in intellectu, qui cum sit accidens physicum animae tamen est eius proprium.

Metaphysicum vero et *physicum* separantur prout realiter vel non realiter a substantia distinguantur.

37. Numerus praedicabilium. Ex his facile patet dari *quinque praedicabilia* et solum quinque. Quidquid enim de multis rebus dicitur, vel necessario, vel non necessario de his dicitur; si non necessario, est *accidens;* si necessario, aut est aliquid quod ipsam essentiam constituit, aut non; si non constituit, sed ab essentia iam constituta promanare concipitur est *proprium;* si vero ipsam essentiam constituit, aut eam integram constituit, et est *species;* aut non integram, sed vel ut pars determinabilis, et est *genus,* vel ut pars determinans, et est *differentia.*

38. Ordinatio praedicabilium. Patet nos posse comparare diversa praedicabilia inter se, et videre alia in aliis contineri, unde diversae enascuntur inter illa relationes; sicut enim ex comparatione diversarum specierum enascitur idea generis proximi, ita ex comparatione generis cum genere idea superioris generis enascitur, donec ad genus altius et supremum perveniatur. Ita habemus ordinatum quoddam schema, in quo a genere quodam supremo per genera subordinata, usque ad species et individua pervenitur. Huiusmodi autem schematis exemplum classicum exhibetur in praedicamento substantiae, et quia a PORPHYRIO in sua Isagoge proponitur "arbor Porphyriana" dici solet. En illud:



Patet nos posse efformare similia schemata ordinata in aliis praedicamentis, v. c. in actione, quae potest esse materialis et immaterialis, et haec creativa vel eductiva et haec transiens vel immanens, et haec volitiva et intellectiva, etc.

39. Hinc facile patet:

1. *Extensionem et comprehensionem* alicuius conceptus universalis *ratione inversa* sese habere (v. n. 20).

2. Quid sit *genus proximum* alicuius speciei, quid genus subalternum, et quid supremum.

Genus proximum est illud quod sub se non continet aliud genus, sed solam speciem de qua quaeritur, v. c. animal respectu hominis. Dicitur etiam *genus infimum.*

Genus subalternum est illud quod tum supra, tum infra se aliud genus continet, v. c. vivens respectu hominis. Vocatur etiam *genus remotum.*

Genus supremum est illud supra quod nullum aliud genus invenitur, v. c. substantia, quae supra se non habet nisi transcendentalia, quae nempe non univoce, sed analogice de omnibus rebus praedicantur.

3. Quid denique sit differentia infima, specifica et generica.

Differentia infima (proprie dicta) est illa quae non continet sub se alias species; reliquae dici possunt subalternae.

Differentia specifica seu *ultima* est illa, quae cum genere proximo speciem constituit, v. c. rationale.

Differentia generica est illa quae cum superioribus generibus subalterna genera constituit.

Ex his facile intelligitur sensus aliquarum formularum:

Differunt toto genere, quae sub eodem genere proximo non continentur, sic differunt homo et arbor.

Differunt specie, quae sub eodem genere proximo sunt, non autem sub eadem specie, sic Caesar et equus.

Differunt denique solo numero individua eiusdem speciei, v. c. Petrus et Paulus.

40. Magnam adesse utilitatem in his schematibus et ordinationibus neminem latet; ita enim res, quae in mundo dantur, non acervus inordinatus nobis apparet, sed sicut libri in bene disposita bibliotheca, optime inter se aptantur secundum

diversas relationes, quae inter ipsas intercedunt, unde per ipsa schemata etiam ipsarum rerum proprietates clarius et quasi sponte nobis primo intuitu innotescunt.

ARTICULUS IV

DE CONSIDERATIONE IDEARUM SECUNDUM IPSARUM RELATIONEM INTER SE

ARISTOTELES, 5 *Metaph.* 9-10; 10,3-4 (1055b1); S. TH., *Opusculum 33 de quattuor oppositis;* T. PESCH-FRICK, *Institutiones* 1.ª pars. *Dialectica* n.100; E. MEYERSON, *La notion de l'identique:* Recherches Philosophiques (1933-4) 1-17; SUÁREZ, DM 45, s.1 n.2.

41. Ideae obiectivae inter se comparari possunt, et saepius oportet, ut relationes determinatae nobis innotescant, v. c. inter subiectum et praedicatum alicuius iudicii. Inter relationes autem, quae detegi possunt, duo genera praesertim maiorem habent utilitatem, qualis nempe sit distinctio et identitas idearum et qualis inter eas oppositio.

42. Distinctio et identitas. Duplex distinctio et identitas datur, rationis nempe et realis; *rationis* dicitur etiam *formalis seu intrinseca, realis* autem *obiectiva seu materialis.*

Intrinsece (ratione) *formaliter identicae* sunt ideae, quae eamdem habent comprehensionem, seu obiectum formale, v. c. homo et animal rationale. Termini omnino diversi sunt, conceptus autem iidem, alius distinctus, alius vero indistinctus.

Intrinsece diversae (ratione), distinctae sunt illae ideae, quae non eamdem habent comprehensionem, seu obiectum formale, v. c. Iudaeus et Apostolus.

Obiective identicae (realiter seu materialiter) sunt ideae, quae idem obiectum materiale habent, comprehensio autem notarum est diversa, v. c. haec nix, et hoc album; Petrus et princeps apostolorum.

Obiective diversae (realiter seu materialiter) sunt ideae, quae independenter a mentis consideratione diversas res repraesentant, v. c. arbor et bos.

Unde patet illa quae ratione identica sunt etiam realiter esse identica, animal rationale et homo re et ratione identica sunt; quae vero realiter diversa sunt etiam ratione distincta sunt, arbor et bos; sed non e contrario si sunt identica re, ergo et ratione.

43. Oppositio. Ideae diversae possunt esse *sociabiles* inter se, si vel de facto vel saltem de iure in aliqua re coniunctae esse possunt, v. c. ideae animalis et rationalis in homine coniunctae sunt.

Insociabiles vero, illae quae nec de facto nec de iure esse possunt unitae in ulla re, v. c. idea circuli et quadrati, corporis et spiritus. Huiusmodi vero ideae vocantur *oppositae.*

Iam vero sunt quaedam, quae nulla propria lege opponuntur; *late opposita* seu *disparata* dicuntur, v. c. stella opponitur eodem modo sellae et domui. Quae vero certa lege sibi opponuntur *proprie opposita* dicuntur, v. c. lux et tenebrae, pater et filius.

Iuxta ARISTOTELEM quattuor genera proprie oppositarum distingui possunt:

1. *Contradictoria oppositio* (ἀντίφασις) datur inter rem eiusque simplicem negationem, v. c. homo, non homo, pulchrum, non pulchrum. In hac oppositione non datur tertium, ut patet.

2. *Privativa oppositio* (στέρησις) datur inter rem seu perfectionem et eiusdem negationem in subiecto apto ad illam habendam, v. c. videns et caecus. Haec privativa oppositio admittit tertium extra genus vel ambitum communem utrique opposito, v. c. inter caecum et videntem est non videns; non vero intra ipsum ambitum, quare medium *proprie* non datur.

3. *Contraria oppositio* (ἐναντία) datur inter ea quae sub eodem genere (ambitu) posita maxime distant, v. c., albedo et nigredo, prodigalitas et avaritia; in his enim unum non est negatio alterius, sed aliquid positivum contrarium infert. Inter contraria potest dari tertium, et quidem in eodem genere, seu *medium strictum,* v. c. inter prodigalitatem et avaritiam moderata liberalitas; nisi specialis ratio obstet, v. c. par-impar, vir-femina.

4. *Relativa oppositio* datur inter ea, quae ordinem seu respectum ad invicem dicunt, v. c. dominus servus. Ita sese invicem exigunt ut unum sine alio nec esse, nec qua tale concipi possit.

Ex dictis apparet maximam oppositionem esse contradictoriam, quia nullum medium admittit, et praeterea, quia posito vel sublato uno extremo, necessario aliud extremum tollitur vel ponitur. Reliquae vero oppositiones vel medium habent, vel in eodem genere sive subiecto conveniunt sive ali-

qua ratione sese mutuo includunt. *Relativa* vero oppositio est unica, quae non supponit perfectionis negationem, ideoque de se non includit imperfectionem [11]. Itaque est unica quae inter Personas Sanctissimae Trinitatis dari potest, ut videre est in Theologia.

CAPUT II

De termino externo

ARTICULUS I

DE ORIGINE LOCUTIONIS ET DE SIGNI NOTIONE

ARISTOTELES, *Perihermeneias* c.1; S. THOMAS, *In Perih.* 1 lect.2; L. LOSSADA, *Instit. Dial.* d.1 c.1 et 2; Jo. a STO. THOMA, *Cursus phil. Logicae* 1.ª et 2.ª q.21; J. MARITAIN, *Signe et symbole: RevThom* (1938) 299-330; J. ZARAGÜETA, *El lenguaje y la Filosofía* (Madrid 1945).

44. Homo non pòtest suos conceptus aliis immediate manifestare; eget ergo signis et in primis loquela, seu vocabulis, seu terminis oralibus. *Logica linguae* considerat diversas relationes inter formas dicendi et mentis cogitationes. Nam licet intima sit inter ipsas unio, tamen non perfecte omnia quae sunt in cogitatione vocabulis exprimuntur, infinitaeque variationes cogitationum saepe in locutione praetermittuntur. Utile itaque erit aliquid de *his signis* hic addere; qualis sit eorum indoles, quae vis significandi, et forsitan etiam quae ambiguitas vocabulorum, ut eis recte et expedite uti possimus.

Locutio proprie dicta est praecipuum medium communicandi nostras cogitationes aliis hominibus; dantur praeterea alia media, quae etiam *locutio impropria* dicuntur, velut locutio gesticularis, scriptoria, etc., quae intime cum orali connectuntur [1].

45. De definitione signi. "Signum est illud per quod aliquis devenit in cognitionem alterius" [2], veluti sonus campanae, qui initium Missae significat. Unde haec sunt elementa quae ad signum requiruntur: *a*) aliquid quod significet,

[11] Cf. URRÁBURU, *Logica* n.40.

[1] Cf. circa haec J. DONAT, *Logica* n.125.
[2] S. TH., 3 q.60 a.4.

v. c. imago Caesaris; *b*) res significata, Caesar; *c*) nexus inter signum et rem significatam, unde vim suam significandi accipit; similitudo imaginis cum ipso Caesare; 4) subiectum cognoscens, cui res per signum innotescat. Quare signum unit quodammodo rem significatam cum cognoscente.

46. Divisio signi. 1. *Signum naturale* dicitur cum nexus inter rem quae est signum et rem significatam in ipsa natura datur; seu illud, quod aliquid ex sua natura semper et pro omnibus significat, v. c. fumus respectu ignis.

Signum arbitrarium (*conventionale*) e contra, non significat nisi ex libera voluntate Dei vel hominis, quamvis reapse aliqua adsit proportio, v. c. lilium respectu virginitatis, baptismus aquae respectu animae purificationis a peccato. Potest esse *speculativum et practicum,* prout solummodo rem significet vel etiam ipsam efficiat, ut in sacramentis Ecclesiae accidit.

2. *Signum manifestativum,* quod simpliciter rei exsistentiam manifestat, v. c. gemitus dolorem praesentem, nubes obscurae tempestatem futuram significant.

Signum suppositivum illud est quod praeter manifestationem rei, pro ipsa se re ponitur eiusque vices gerit. Ita sunt imagines sanctorum in religione catholica, imago crucis quam adoramus, claves pro civitate, vexillum pro Patria.

3. *Signum quod* est illud, quod prius cognitum ducit nos in cognitionem alterius rei. Sic sunt omnia signa, si unum excipias.

Signum quo est illud quod ducit in cognitionem alterius rei quin prius ipsum cognoscatur. Tale signum est unice *cognitio* tum sensitiva, tum intellectualis; in hoc enim signo antequam actum ipsum cognitionis inspiciamus ipsas res per ipsum iam cognoscimus. Aliqui auctores, ut LOSSADA et URRABURU [3], vocant signum quo *formale,* signum vero quod, *instrumentale*.

47. Itaque iam patet quale signum sit vocabulum seu terminus oralis.

Vocabulum est vox articulata ex hominum institutione ideam eiusque obiectum significans. Consequenter est signum conventionale et suppositivum rei. Explicemus singula breviter:

---

[3] URRÁBURU, *Instit. Phil. Logica* n.8 p.114.

Est vox, quae est sonus animalis ore prolatus. Potest esse *inarticulata,* ut sunt clamores, gemitus, etc,. et *articulata,* quae consonantibus et vocalibus apte coniunctis efficiunt syllabas; hae vero sive una sive plures vocabula efficiunt, quae ex hominum conventione ad determinatam rem significandam destinantur (*signum manifestativum*) et pro ipsis rebus ponuntur (*signum suppositivum*). Quare vocabula ad res prout a nobis concipiuntur, non ad ipsos conceptus subiectivos significandos primo adhibentur. Unde recte S. Thomas: "Voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus" [4].

Propositio seu oratio dividitur seu terminatur in vocabula, quare vocantur etiam *termini orales* a logicis.

ARTICULUS II

De divisione terminorum

ARISTOTELES, *Categoriae* c.1; S. TH., *In I Sent.* d.19 q.5 a.2 ad 1; *In lib. II Metaph.* lec. 3, par.9; CONIMBRICENSES, In Praedicament. Arist. cap. de Aeq. q.1; CAIETANUS, *De nominum analogia;* J. HELLÍN, *De la analogía del ser según Suárez:* Pens 2 (1946) 267-294.

Termini, prout signa idearum, intimam cum ipsis connexionem habent, easdemque divisiones admittunt; sed solummodo exponendae videntur, quae aliquo modo ipsorum propriae sunt. Itaque divisiones proponimus: 1) secundum significationem; 2) secundum comprehensionem; 3) secundum extensionem.

§ 1. **De divisione terminorum secundum significationem**

48. *Terminus categorematicus* est ille qui seorsim sumptus plenam significationem habet; dicitur *significans per se,* v. c. homo, niger, videre.

Syncategorematicus vero est ille qui solus per se non habet plenam significationem et completam, sed solummodo significationem alius termini modificat; dicitur *significans cum alio,* v. c. omnis, aliquis, cum, unde, etc.

49. Idem terminus diversam saepius obtinet significationem, unde termini dicuntur univoci, aequivoci et analogi.

[4] 1 q.13 a.1 in c.

Terminus univocus est ille, qui eamdem semper obtinet significationem, et inde eamdem comprehensionem eumdemque modum praedicandi de inferioribus servat, v. c. homo dictus de Petro et de Paulo.

Terminus aequivocus est ille qui diversam omnino significationem obtinet, unde vox est eadem, comprehensio vero notarum et modus praedicandi de inferioribus penitus diversus, v. c. vox "taurus", dicta de monte, de bruto animali, et de constellatione. Est terminus omnino *vagae significationis,* saepius casu, non ex intentione, formatus.

Terminus analogus est ille qui praedicatur de pluribus secundum significationem et sensum partim eumdem partim diversum (*intrinsece*), vel qui significat plures rationes inter se cohaerentes (*extrinsece*). Sic v. c. terminus entis est analogus primo modo, nempe analogia intrinseca, ut in ontologia de conceptu entis ostenditur; altero vero modo, extrinsece, v. c. risus dictus de prato et de homine, medicina de animali et de cibo. Haec analogia extrinseca terminorum in variatissimis fundatur relationibus similitudinis, causae et effectus, continentis et contenti, signi et significati, partis et totius, particularis et generalis [5], quae diverso modo in diversis linguis adhibentur, unde difficultas exoritur saepe novae linguae addiscendae. De his fusius in ontologia.

Analogi termini paulatim in *significationem aequivocam* venire possunt, ut de facto accidit, v. c. in voce *candidatus* significante primo "alba veste indutum", postea vero "postulatorem muneris".

Quomodo haec multiplex significatio vocabulorum orta sit ex diversissimis adiunctis explicari potest; paulatim enim omnia renovantur, ut in silvis accidit, ubi arbores, rami, folia crescunt totumque saltum mutant. Ad haec pulchre Horatius:

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos
Prima cadunt, ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque [6].

[5] De his fusius agit J. DONAT, *Logica* n.133-5.
[6] *Epist. ad Pisones* v.60-1.

§ 2. De divisione terminorum secundum comprehensionem ideae significatae

50. 1. **Terminus positivus et negativus.** *Positivus* rem aliquam designat, v. c. arbor, sella, risibilitas.

Negativus e contra non-rem, sed sive rei negationem, sive perfectionis privationem significat, v. c. non-homo, ignorantia. Tamen animadvertere oportet plures dari terminos apparenter negativos, sed qui revera positivum quid significant, v. c. infinitus, impar, etc.

Terminus negativus etiam dicitur *indefinitus,* habet enim significationem omnino indeterminatam, v. c. terminus non-homo potest significare quamlibet rem, quae homo non sit.

2. **Terminus absolutus et connotativus.** *Absolutus* significat rem per se stantem, vel ad modum per se stantis, v. c. homo, animalitas.

Connotativus significat aliquid ut adiacens alicui, v. c. sapiens, qui significat sapientiam non de se stantem sed adhaerentem alicui; si resolvatur in subiectum et formam quibus constat, subiectum ponitur in recto (casu nominativo), forma vero in obliquo (in alio casu), licet explicite indicet formam, implicite vero subiectum, v. c. sapiens, i. e. persona habens sapientiam. *Subiectum* est significatum materiale, *forma* vero formale.

Terminus concretus et abstractus. *Concretus* significat subiectum simul cum forma, v. c. sapiens, homo.

Abstractus significat solum formam sine subiecto, v. c. sapientia, humanitas.

Terminus simplex et complexus. *Simplex* est terminus, si unico vocabulo ideam aliquam sive simplicem sive compositam significat, v. c. ens, templum.

Complexus vero si pluribus vocabulis constat, unamque ideam significat, nempe rem aliquam cum suis attributis, v. c. homo mortalis, Deus sapientissimus. In hoc complexu vocabulum rem significans *terminus principalis,* vocabulum vero rei affectionem significans *terminus incidens* dicitur.

Incidens autem dicitur *explicativus,* si principali convenit secundum totam suam extensionem, v. c. homo mortalis; *restrictivus* e contra, v. c. homo sapiens.

§ 3. De divisione terminorum secundum extensionem ideae significatae

51. Terminus proprius et communis. *Proprius* significat tantum rem singularem, v. c. Socrates, Matritum.

Communis est ille qui de pluribus singillatim et secundum eamdem significationem dicitur, nempe conceptum universalem significat, v c. filius, homo, mensa. Singillatim dicitur, ut excludatur *terminus collectivus*, qui non dicitur de singulis individuis nisi simul sumptis; *secundum eamdem significationem* ut termini aequivoci et analogi excludantur.

Ex termino incidenti communis terminus fit vel singularis vel particularis vel universalis, v. c. hic homo, aliquis homo, omnis homo, vel collectivus, v. c. libri componentes bibliothecam.


ARTICULUS III

DE USU ET SUPPOSITIONE TERMINORUM

52. Termini praeter significationem consuetam, plures sensus et determinationes variatissimas habere possunt, quae saepissime occultiores ex contextu eruendae sunt. Haec maior determinatio significationis "*suppositio*" a logicis dicitur. Sunt enim vocabula signa non solum manifestativa rerum, sed etiam suppositiva.

Suppositio autem est determinata acceptio termini in aliqua propositione pro aliqua determinata significatione. Quoniam vero talis significatio a natura linguae et usu pendet, et non patet primo aspectu, oportet nunc etiam praecipua genera suppositionis exponere, ut rectus usus et intelligentia vocabulorum obtineatur.

Iuxta sequens schema divisio suppositionis proponitur [7].



[7] Cf. J. DE VRIES, *Logica* n.202.

53. Divisionis explicatio. *Suppositio materialis et formalis. Materialis* est usus termini pro se ipso, v. c. amor est terminus latinus et hispanus, arbor est vox duarum syllabarum. In his casibus vox non usurpatur pro aliquo suo significato, ideoque est *suppositio improprie dicta.*

Formalis est usus termini pro re significata, v. c. amor est affectio voluntatis, arbor est aliquod vivens vegetale. Estque *suppositio proprie dicta.*

Suppositio logica et realis. Logica est usus termini, pro conceptu, nempe pro statu, quem res accipit ex modo concipiendi, v. c. homo est species; virtus est accidens logicum, species est qualitas.

Realis est usus termini pro re ipsa, prout in realitate est independenter a modo quo concipiatur a mente, v. c. homo est animal rationale, virtus est qualitas animae.

Suppositio absoluta et relativa (*seu essentialis et personalis*). *Absoluta* (*essentialis*) est acceptio termini pro ipsa natura, seu pro comprehensione notarum, sine ullo respectu ad inferiora sub eius extensione contenta, v. c. homo est animal rationale.

Relativa (*personalis*) est usus termini, prout explicite ad inferiora sub eius extensione contenta refertur, v. c. homo (Adamus) nos perdidit. Quae potest diversis modis ad inferiora referri; unde

Suppositio collectiva et distributiva. Collectiva datur cum terminus ponitur non pro aliquo, sed pro individuis sub extensione contentis simul sumptis, v. c. omnes milites constituunt exercitum, omnia sacramenta sunt septem.

Hic usus termini communis pro suis individuis dicitur dari *descensu copulato.* Nempe terminus distribuitur per sua inferiora (quasi descendit ad inferiora) *modo copulato,* i. e. enumerando illa individua per particulam *et* copulata, quin oratio multiplicetur, v. c. baptismus et confirmatio et matrimonium, etc. sunt septem sacramenta.

Distributiva, cum terminus de omnibus inferioribus singillatim sumptis accipitur, v. c. omnia peccata (singula) sunt Dei offensiones. In qua terminus dicitur de inferioribus *descensu copulativo,* nempe per multiplicationem orationum iuxta numerum individuorum, earumque unionem per particulam *et,* v. c. Omnes homines sunt mortales, hoc pacto: Petrus est mortalis, Ioannes est mortalis, etc.

Suppositio communis, particularis, singularis.

Communis est usus termini pro omnibus sub eius extensione contentis, v. c. Christus pro peccatoribus (omnibus) mortuus est.

Particularis est usus termini pro parte extensionis, v. c. homines (aliqui) Filium Dei crucifixerunt.

Singularis est usus termini pro aliquo determinato individuo, v. c. homo (Adamus) nos perdidit, et homo (Christus) nos redemit. In sermone vulgari haec suppositio frequens est, cum ex adiunctis facile deduci possit de quo aliquis loquatur, veluti cum de matre, fratre quis loquitur, intelligitur de suis.

Suppositio disiunctiva et disiuncta. Disiunctiva (*determinata*) est usus termini communis pro aliqua parte determinata individuorum sub eius extensione, v. c. aliqui pueri collegii obtinuerunt praemium.

Disiuncta (*indeterminata*) est usus termini communis pro aliqua parte indeterminata individuorum sub illius extensione contentorum, v. c. aliqua navis est necessaria ad navigandum.

54. Nota. Praeterea loquuntur logici de aliquibus suppositionibus terminorum, quae horum usum frequenter mutant, sed facile consideranti patent. Et possunt esse modificationes terminorum, 1) prout coniunguntur cum verbo tempus significante, et tres considerantur: *Status, Ampliatio* et *Distractio;* vel 2) prout conveniunt suppositioni terminorum ex termino incidente addito, et tres numerantur; *Restrictio, Diminutio, Appellatio* [8].

CAPUT III

De definitione et divisione

ARISTOTELES, 5, *Metaph.* 25-26; 7,10-22; S. THOMAS, *In V Metaph.* lect.21; *In VII Methaph.* lect.9-12; A. GÓMEZ IZQUIERDO, *Análisis del pensamiento lógico* vol.1 *El concepto y la palabra. La definición y la división;* J. M. LE BLOND, S. I., *La définition chez Aristote:* Greg (1939) 351-80; R. GARRIGOU-LAGRANGE, *De investigatione definitionum secundum Aristotelem et S. Thomam:* Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae (1936) 193-201.

55. Nexus. Conceptus nostri seu ideae eo perfectiores sunt, quo clariores et distinctiores; ideo processus, quo claros et distinctos conceptus habemus, saepe longior est ac laboriosior, et non nisi per longum discursum rationis hi

[8] Vide harum significationes apud T. PESCH-FRICK, *Inst. Logica* n.129-132.

conceptus obtinentur. Hac de causa multi auctores agunt de divisione ac definitione in ultimis logicae tractatibus. Cum tales vero operationes, licet formam et fructum iudicii obtineant, sint simplices ideae, non iudicia, recte etiam in hoc loco proponuntur. *Definitione* enim cognoscimus res ita ut ab omni alia re *definiantur* seu separentur , nempe ipsa est *idea clara rei; divisione* autem videmus diversas notas quibus ipsa res constat, et *ideam distinctam* obtinemus. Maximi momenti est ipsarum naturam et leges declarare, et ita facilius obscuritates aequivocationesque vitare poterimus.

ARTICULUS I

DE DEFINITIONE

§ 1. **De notione et divisione definitionis**

56. *Definitionis notio. Definitio* (ὁρισμός) etymologice significat operationem, per quam certos limites alicui rei imponimus, ita ut ipsam ab omni alia re separemus. Quae significatio etiam cum de conceptibus agitur retineri potest. *Definitio* enim talis debet esse conceptus rei, ut per illum res ab omni alia re secernatur. Igitur

Definitio est, prout in mente concepta: *notio obiecti sufficiens;* prout vero verbis enuntiatur; *oratio notionem rei sufficienter breviterque explicans;* si vero completam notionem praebeat, definitio erit perfecta.

Dicitur *sufficiens,* quia talem notam vel notas debet prae se ferre, quae rem ab omni alia, cum qua confundi possit, separet. Non igitur necessarium est ut semper notas essentiales praebeat, sed vel aliquod proprium, vel aliquam descriptionem ipsius rei propriam.

Dicitur *breviter,* quia longiora verba potius obstant claritati in definitione quaerendae, ideoque verbosa rei declaratio, quae oratoribus et poetis licet, potius quam definitio, rei explanatio vel ornata expositio dicitur.

57. Divisio definitionis.

- Definitio.
  - Nominalis.....
    - communis
    - arbitraria
    - symbolica
  - Realis......
    - essentialis.....
      - physica
      - metaphysica
    - descriptiva..
      - ex propriis
      - diagnostica ex accidentibus logicis
      - causalis
      - genetica

Definitio nominalis est oratio quae vocabuli significationem breviter explicat; est autem *pure nominalis,* si explicat vocabulum vel aliquam eius acceptionem plene ignoratam, quod fit diversis modis: adhibita alia voce sive alius idiomatis, v. c. ἄνθρωπος est homo, sive ipsius idiomatis synonimo notiore, v. c. framea est quoddam telum, aut descriptione aliqua, aut denique explicatione etymologica vocabuli, v. c. rex a regendo.

Haec definitio saepe utilissima est ut introductoria ad aliam distinctiorem modo suavi proponendam. Verba enim saepius ex indole linguae aliquid proprium rei significatae ex se ostendunt.

Definitio nominalis potest esse communis et privata.

Communis declarat quid vocabulum ex communi hominum usu significet.

Privata seu arbitraria est illa qua declaratur, quo sensu aliquis vocem sumi et intelligi velit. Hac uti intra certos limites licet et aliquantulum prodest; saepius enim vocabula multiplici significatione determinanda sunt; raro vero nova vocabula vel novo omnino sensu ad res vel ideas novas exprimendas necessaria sunt. *Symbolica definitio* est illa, qua declaratur, quid aliquo symbolo significetur: v. c. in mathesi $p > q$ significat p esse maius quam q; in logistica p implicare q.

58. *Definitio realis* est oratio explicans rem per suas notas reales, quae ipsam ab omni alia re distinguunt. Haec, quae maioris momenti est, potest esse essentialis et descriptiva:

Essentialis explicat rem per notas, quae ipsius essentiam constituunt. Et quidem potest esse *physica,* si explicat rem per notas essentiales, quae realiter inter se distinguuntur, v. c. homo est ens compositum ex corpore organico et

anima rationali; vel *metaphysica,* si explicat rem per notas essentiales tantum ratione distinctas, v. c. ex genere proximo et ultima differentia: homo est animal rationale. Quae definitio perfectissima omnium est, eaque ab Aristotele proponitur [1].

Definitio descriptiva, rem explicat non per ipsam strictam essentiam, sed vel per proprietates (essentia lata), vel per accidentia, vel per causas vel alio simili modo. Potest esse:

Definitio propria, rem explicat per proprietates, quae ex essentia iam constituta emanare dicuntur, v. c. homo est loquelae capax, animal risibile. Haec definitio est frequentior in scientiis naturalibus, ubi essentia intima latet, innotescunt autem proprietates.

Definitio accidentalis rem explicat per complexum aliquem accidentium, quae, licet separatim pluribus convenire possint, simul sumpta non nisi rei definitae conveniunt. Sic individua definiuntur iuxta notas (accidentales) individuantes (cf. n.28). In ipsis scientiis naturalibus multae definitiones non sunt nisi descriptiones accidentales; ita plantae, animalia bruta, mineralia describuntur.

Definitio causalis rem explicat declarando eius causas externas, nempe efficientem, finalem, et exemplarem, v.c. homo est ens terrestre a Deo (causa efficiens) creatum, ad imaginem suam (exemplaris) ad Deum laudandum et beatitudinem acquirendam (finalis). Ex causa finali saepius optima definitio habetur; finis enim operis intrinsece cum eius essentia connectitur; immo pro instrumentis qua talibus eius finis est differentia specifica, v.c. horologium est instrumentum ad horas indicandas.

Definitio genetica rem explicat indicando modum et rationem qua ipsa gignitur; adhibetur maxime in geometria et in quibusdam scientiis naturalibus; v.c. circulus est figura plana orta ex motu lineae rectae convertentis circa suum extremum fixum; ita etiam v. c. fit definitio eclipsis lunaris. Differt a definitione causali, quia non tantum rei causam, sed etiam modum ortus eius indicat.

59. Diversam dari perfectionem in his definitionibus facile consideranti patet. Aliae enim sunt imperfectae, aliae vero perfectae. *Imperfectae* autem optime initio alicuius disputatio-

[1] Cf. apud J. DONAT diversa loca ubi haec definitio ab ARISTOTELE commendatur, *Logica* n.263.

nis adhibentur; omnis enim disputatio, ut bene notat Cicero [2], a definitione initium sumere debet, ideoque *initialis* dicitur. *Perfecta* vero, quae unica esse potest [3], est fructus totius inquisitionis, quando dari potest; sin aliter imperfectiore definitione contenti esse debemus. Et ita difficultas solvitur saepius agitata in quaestionibus et thesibus, cur incipiamus semper proponendo definitionem rei, quae postea demonstranda est; nam proponitur ut definitio vulgaris, quae postea perficienda, et philosophica seu perfecta, si fieri potest, reddenda est.

§ 2. **Definitionis leges**

60. 1. *Definitio sit clara, definito clarior.* Haec regula quae ex ipso fine et essentia definitionis immediate deducitur, est relativa, et homines, quibus proponitur, necessario respicit; omnis fere definitio philosophica homini rudi, non vero erudito, est obscura.

Propterea a) *Vitanda sunt vocabula obscura, vaga, metaphorica, constructiones obscurae,* ne ignotum per ignotum definiatur.

b) *Debet vitari circulus vitiosus,* ne idem per idem definiatur, quod accidit si terminus definiendus idem vel fere idem in definitione repetitur, v.c. si definitur *logica* ars quae docet leges *logicas,* vel si primum definitur per secundum, secundum vero per primum, v.c. si definias horam ut vigesimam et quartam diei partem, diem autem ut tempus constans viginti et quattuor horis. Indirecte circulus committitur, si res positiva per negationem definiatur.

2. *Definitio sit brevis,* claritas enim inter nimiam vocabulorum abundantiam, maxime si sint inutilia vel non necessaria et convenientia, paulatim disparet.

3. *Definitio sit reciproca,* nempe conveniat omni et soli definito, quare nec nimis ampla sit, ut si diceres hominem esse aliquod vivens sensitivum, nec nimis angusta, ut si definires hominem animal in Europa natum.

4. *Nec mere negativa sit,* tunc enim declaratur non quid res sit, sed quid res non sit, ideoque necessario definitio non

[2] "Omnis enim quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur" (*De officiis* l.1 c.2).
[3] Vide S. Thomam, 2 d.27 q.1 a.2 ad 9.

erit reciproca. Dicimus vero non mere negativa, quia aliquando sunt definitiones solummodo apparenter negativae, v.c. spiritus est ens non habens partes; non habere partes est quid positivum. Praeterea patet *negationes et privationes* cum nihilum sint, non nisi per nihilum i.e. per negationem definiri posse.

§ 3. **Definitionis usus et methodus**

61. Definitionis usus. 1. *Non omnia definienda sunt.* Quia multa per immediatam evidentiam adeo clara sunt, ut definitione potius obscurentur, ita v.c. visio coloris viridis, sapor saccari, etc.; omnia huiusmodi solummodo aliqua ostensione, synonimo, etc. declarari aliquando possunt. Praeterea si omnia definienda essent, vel daretur processus in infinitum, vel committeretur circulus vitiosus.

2. *Neque omnia definiri possunt definitione essentiali, praesertim metaphysica.* Tali enim definitioni obstat vel a) *ipsa rei simplicitas,* quae saepe partes non habet essentiales, v.c. conceptus transcendentales, ideae exsistentiae, possibilitatis, suprema genera, etc. cum non constent ex genere et differentia definitionem essentialem non habent; b) *ex parte imbecillitatis nostri intellectus* non possunt definiri essentiali definitione individua, neque multae species plantarum, brutorum etc. quorum essentiam ignoramus.

3. *Definitio perfecta saepe est fructus longioris inquisitionis,* et saepissime definitio absolute perfecta incommodior est quam minus perfecta; ita v.c. cum aliquis cum hominibus rudibus, pueris etc. loquitur, melius intelligitur, si loco metaphysicae definitionis utatur definitione descriptiva virtutis, vitii etc. Etiam initio inquisitionis uti oportet aliqua definitione initiali, quae sit usu vulgari intelligibilior.

62. Methodus definitionis. 1. *Ex diversitate obiectorum.*

a) *Vocabulum aequivocum* non debet definiri, nisi post distinctionem diversarum significationum eius.

b) *Substantia* per se definitur, *accidens* vero per respectum ad substantiam, cui inhaeret, v.c. motus localis est translatio corporis.

c) *Habitus et potentiae* ex actibus, *actus* ex obiecto suo formali, et *relatio* ex terminis suis correlatis definiuntur.

d) *Privationes negationesque* a perfectionibus oppositis positivis definiuntur.

63. 2. *Ex diversa via definitionis inveniendae.* 1. *Via analytica seu via ascensus.* Dicitur *analytica* quia analysi seu separatione differentiarum pervenit ad notam vel notas communes; *ascensus,* quia ut in arbore porphyriana apparet ab inferioribus ad superiora *ascendit.* Considerantur inferiora sive individua, sive species, sive genera in quibus id quod definiendum est inveniri confuso modo aestimatur; omittuntur analysi eae notae, quibus illa inferiora differunt inter se, donec ad aliquam notam vel complexum notarum deveniatur, qui definitione exprimitur; exemplum habes in vitae definitione facienda: colligantur entia quae vivere dicuntur: plantae, bruta, homines, angeli et Deus; ex his alia vivunt, quia nascuntur, crescunt et moriuntur; alia quia sentiunt, alia quia intelligunt; unde sentire, crescere, intelligere sunt diversae species vitae, ita ut alii vivant solum intelligendo, alii solum sentiendo, etc. Omittantur iterum analysi ulteriori differentiae, et nota communis his operationibus retineatur; quae nota erit: agere immanenter; haec est nota quam quaerimus et definitio vitae.

2. *Via synthetica seu descensus.* Dicitur *synthetica,* quia definitio invenitur per operationem additivam seu syntheticam, qua differentiae gradatim adduntur generibus. *Descensus* autem dicitur, quia ut v.c. in arbore porphyriana apparet ex supremis generibus *descendit* usque ad inferiora, speciem et individua. Sumitur aliquid communius re definienda, v.c. genus supremum, et hoc in suas partes inferiores dividitur per differentiam suam additam, donec tandem inveniatur talis notarum complexus, qui cum re definienda convertibilis sit. Sic classicum Ciceronis exemplum [4]: "... ut hoc, hereditas est pecunia. Commune adhuc; multa enim genera sunt pecuniae. Adde quod sequitur; quae morte alicuius ad quempiam pervenit. Nondum est definitio; multis enim modis sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Unum adde verbum: iure... Nondum est satis; adde: nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Confectum est". Hic notarum complexus cum hereditate reciprocatur.

Nota, *viam analyticam* esse *collectivam logice,* et *viam syntheticam* esse *divisam logice;* nempe totum logicum (extensio

---

[4] *Topica* 6.

ideae) in prima colligitur, in secunda vero dividitur, ita διαίρεσις = σύνθεσις; συναγογή = ἀνάλυσις. Nec mirum siquidem extensio et comprehensio ideae modo inverso sese habent.

ARTICULUS II

De divisione

64. Nexus. Ex hactenus dictis iam ostensum manet dupliciter aliquid posse mente dividi: aliquod *totum logicum* in sua inferiora, vel *aliquam comprehensionem* notarum in suas notas constitutivas; utraque divisio, maxime vero secunda, a logicis consideratur, quia ex ipsa etiam nostri conceptus perficiuntur, cum ipsorum quasi interioritas nobis pateat, et hoc modo distinctam cognitionem acquirere possimus.

§ 1. Notio divisionis

65. Divisio est distributio totius in suas partes, v. c. hominum in europaeos, americanos... Partes membra divisionis dicuntur. Iam vero haec notio divisionis potest intelligi improprie de voce, et proprie de re et de conceptu.

Divisio vocis, quae distinctio proprie dicitur, est distributio vocis multiplicis significationis in suas diversas significationes, v. c. finis est terminus operationis, vel id cuius gratia aliquid fit.

Divisio rei est illa quae reali operatione, vel etiam mente, nempe mera enumeratione partium, fieri potest. Ita solum sub regulas logicas cadit talis divisio.

Divisio conceptus, quae proprie sola logica est, ea est in qua totum aliquod logicum in suas partes distribuitur. Explicandus igitur est conceptus totius et partis.

Totum, prout hic sumitur, est omne id, quod cum sit unum in plura (partes) resolvi potest.

Totum potest esse: reale et logicum. *Totum reale* (*actuale*) est illud, quod cum sit unum in se realiter in plures partes reales dividi potest.

Totum logicum (*potentiale*) est illud, quod non est unum in se realiter, sed solummodo per modum unius a mente con-

cipitur; ita v.c. idea universalis est totum logicum respectu suorum inferiorum, quae, in potentia, sub ipsa continentur seu subiciuntur, et inde partes subiectivae dicuntur, ita v.c. homo continet sub se et Petrum et Ioannen et Paulum et omnia individua humana, de quibus illa idea praedicatur, cum ipsa subiecta eius sint, v. c. Petrus est homo, etc.

Iuxta partes in quas totum distribuitur exsurgit *divisio dichotomica, trichotomica, polytomica;* omnium perfectissima est *dichotomica,* quae differentiis contradictoriis fit, at saepius indeterminata manet quoad partem negativam, ideoque est bonum instrumentum ad polytomicam perficiendam.

Totum reale (*actuale*) est totum constans partibus realibus independenter a mentis consideratione. Dividitur in *totum physicum* et *totum metaphysicum,* prout sint partes physicae vel metaphysicae.

Partes physicae seu realiter distinctae, sunt illae, quarum ante mentis considerationem una non est alia, ideoque separari possunt, v.c. corpus et anima in homine.

Partes metaphysicae, seu ratione cum fundamento in re distinctae, sunt illae quae a parte rei seu in se sunt unum idemque, nec separari unquam in eodem subiecto possunt, ita tamen ut una pars perfecte cogitari possit, quin alia ullo modo repraesentetur, nempe praecisione perfecta; sic v.c. animal et rationale in homine sunt partes metaphysicae. Hinc facile intelligitur quid sit totum actuale physicum, quid autem metaphysicum.

Totum actuale physicum potest esse *naturale, artificiale, et morale,* prout partes ipsa natura uniantur, vel humana industria, vel aliquo fine obtinendo, ut multi homines in aliqua societate colligati. *Totum physicum naturale* potest iterum esse *essentiale et integrale,* prout partibus essentialibus vel integralibus constet.

Partes essentiales sunt illae, quae ita constituunt totum ut, una sublata, pereat totum intrinsece et formaliter, v.c. corpus et anima in homine. *Integrales seu quantitativae,* quae requiruntur ut totum sit integrum, ita tamen ut si una pereat, totum non pereat formaliter et intrinsece, sed ad summum consequenter, ut v.c. caput, cor et manus in homine.

Partes integrales possunt esse *homogeneae,* i.e. eiusdem naturae et denominationis ac totum, v.c. corpus anorganicum simplex divisum in aliquas partes velut aqua, et constituunt

totum homogeneum. Vel *heterogeneae* i.e. diversae naturae et denominationis ac totum et constituunt *totum heterogeneum*, v.c. cor, caput in homine.

66. Species divisionis. Divisio potest esse per se et per accidens.

Divisio per se est illa, cuius partes sunt proprie tales, quae per se totum constituunt, v.c. homo in animal rationale (*totum metaphysicum*), vel homo in corpus et animam (*totum reale physicum essentiale*) vel homo in ossa, caput (*totum reale physicum integrale*) vel substantia in genera et species (*totum logicum*).

Divisio per accidens est illa in qua partes proprie non numerantur, sed earum accidentia seu attributa, v. c. homo in partem communem pecudi et communem angelis (*totum reale metaphysicum*), vel homo in partem mortalem et immortalem (*totum reale physicum essentiale*) vel substantia in lucidas et obscuras (*divisio totius logici, subiecti, in accidentia*) vel passiones aliae sunt hominis aliae bruti (*totius logici, accidentis in subiecta*) vel amara alia sunt salubria, alia insalubria (*totius logici, accidentis in accidentia*).

§ 2. Fundamentum et regulae divisionis

67. Fundamentum divisionis seu ratio divisionis est nota vel respectus, secundum quem fit divisio. Ita v.c. libri in bibliotheca possunt dividi secundum magnitudinem, vel secundum materiam; homines secundum colores, aetatem, professiones.

Itaque tot diversae divisiones in aliquibus rebus fieri possunt quot qualitates communes in ipsis reperiantur, vel respectus diversi considerari possint. Sic v.c. libri dividi possunt secundum diversos respectus.

Si membra iterum dividuntur, *subdivisio* oritur; ex ordinata vero serie divisionum et subdivisionum *classificatio* oritur. Si vero classificatio aliqua completa totius alicuius momenti est, *systema* oritur, veluti in scientiis naturalibus habetur.

A fundamento sive essentiali sive accidentali pendet quod *divisio sit essentialis vel accidentalis;* ideoque perfectio divisionis ab ipso fundamento essentiali vel non essentiali pen-

det. Saepe vero finis divisionis considerandus est, et secundum illum accommodatum fundamentum eligendum est, quod eo perfectius erit, quo ad finem obtinendum magis conferat. Magna igitur differentia est in divisione plantarum ex fine scientifico ab homine sapiente et ex fine utilitatis ab hortulano facta.

68. Regulae divisionis. 1. *Divisio sit adaequata,* talis nempe quae omnia membra divisionis simul sumpta adaequent totum. Hinc male facta esset divisio v.c. viventium in homines et bruta.

2. *Nullum membrum divisionis excedat aut adaequet totum,* quod semper maius qualibet parte esse debet. Hinc male fit divisio animalium in sensitiva et rationalia.

3. *Nullum membrum divisionis aliud membrum includat;* ideoque divisio fiat per membra sibi opposita: hinc male fit divisio hominis in animam, corpus et pedes.

4. *Divisio sit ordinata,* constanter igitur servetur idem fundamentum in omnibus divisionis membris. Hinc male dividuntur bruta animalia in rapacia et terrestria. Et si divisionis membra subdividenda sunt, ita procedatur ut primum in membra proxima, postea vero in remota dividantur; nisi facile appareat aliquod membrum omissum fuisse ob schemats simplicitatem.

5. *Divisio ne nimis protrahatur;* longae enim et complicatae divisiones et subdivisiones plus quam claritati et distinctioni obscuritati favent. "Simile enim confuso est, quidquid ad pulverem sectum est" [5]. Subdivisiones facilius expositione scripta tolerantur, quam orali; dispositio enim loci, varietas typorum etc., iuvare possunt ad claritatem.

[5] SENECA, *Epist.* 89.

LIBER II

De altera mentis operatione

CAPUT I

De natura iudicii eiusque signi

ARTICULUS I

DE IUDICII NATURA

ARISTOTELES, *Perihermeneias* c.2-4; *De anima* 3,6; S. TH., *In I Perih.* lect.1-7; *De verit.* q.14 a.1; P. HOENEN, *La théorie du jugement d'après S. Thomas d'Aquin:* Anal. Greg. U. 39 (Romae 1946); G. VAN RIET, *La doctrine thomiste du jugement:* RevPhiLo 46 (1948) 97-108; G. RABEAU, *Le jugement d'existence* (Paris 1938); J. DE TONQUÉDEC, *La critique de la connaissance* (Paris 1929) p.180-218; M. D. ROLAND-GOSSELIN, *Essai d'une étude critique de la connaissance* (Paris 1932) p.41-81.

69. Nexus. Conceptus humani eorumque signa, de quibus hucusque egimus, ad perfectam operationem intellectus nostri, iudicium, eiusque signum, propositionem, ordinantur. Quare postquam de illis egimus, restat nunc ut de iudicii et propositionis natura, de divisionibus et relationibus ipsorum ex ordine agamus.

70. Notio iudicii. 1) *Nominalis*: iudicium procedit a verbo *iudicare,* nam sicut iudex sententiam suam dat in iudicio, ita et mens nostra sententiam suam dat (ἀπόφασις) cum iudicat. Quod experientia interna et reflexione statim nobis apparet, cum illam propriam exercemus activitatem; nam comparando duos conceptus aliquando nullam convenientiam inter ipsos videmus; saepe vero eorum identitatem vel diversitatem videmus, et tunc affirmamus vel negamus modo decretorio unum de alio, v.c. post comparationem hominis et mortalis et post visionem convenientiae eorum conceptuum, ponimus iudicium: homo est mortalis.

2) *Realis* vero definitio iudicii ita dari potest: *Actus men-*

tis, quo duas ideas obiectivas vel affirmando componimus, vel negando separamus; vel assensus mentis in cognitam identitatem vel diversitatem obiectivam duarum idearum.

Inde huiusmodi operatio, dicitur etiam: *compositio et divisio,* quia est actus, qui componit et dividit duos conceptus obiectivos, non per meram ipsorum iuxtapositionem vel separationem, sicut fit in synthesi vel analysi, sed per novum actum affirmationis et negationis; unde dicitur etiam *affirmatio et negatio,* quae patent. Denique *adhaesio* sive *assensus mentis,* quia cognitae veritati mens quasi adhaeret et intime unitur.

71. Genesis iudicii. Iudicium formaliter consistit in illa adhaesione seu assensu, quo affirmat identitatem vel diversitatem illorum conceptuum; distinguitur proinde iuxta communiorem sententiam a perspicientia seu cognitione identitatis. Ille tamen actus, cum non caeco modo a mente procedat, longiore processu ab ipsa praeparatur. Qui processus his gressibus constare videtur: 1) *Visione* confusa obiecti; 2) *Analysi* diversarum notarum in ipso obiecto clausarum; 3) *Comparatione* notae alicuius cum obiecto, vel aliquarum notarum inter se; 4) *Synthesi* seu visione identitatis aliquatenus evidenti notarum cum obiecto vel inter se, et 5) denique *assensu seu sententia,* qua tenetur, ratum habetur et confirmatur illa notarum convenientia vel inter se vel cum subiecto. Si quartus gressus datur cum plena evidentia assensus necessario sequitur, si datur autem cum evidentia aliquo modo obscurata difficultatibus, potest esse liber sub influxu voluntatis. A fortiori si non est evidentia, ut in opinione accidit.

Si vero id quod affirmatur coincidit cum re prout est in se iudicium est verum, secus falsum. Comparatio enim, qua identitas vel discrepantia apparet, fit inter conceptus obiectivos, menti nostrae sese manifestantes, ideoque in ipsa visione falsitas esse nequit, sed solummodo in extensione iudicii ultra id quod in ipsa apparet.

72. Obiectum iudicii. Unde patet *obiectum remotum seu materiale* iudicii esse duos conceptus obiectivos, seu notas, quae per subiectum et praedicatum repraesentantur, quarumque identitas affirmatur; non conceptus subiectivi, ut volunt idealistae omnis generis.

Obiectum proximum seu formale est ipsa identitas vel discrepantia inter ipsos obiectivos conceptus; et quidem per se identitas intrinseca, seu de facto, per accidens autem identitas

intrinseca, seu de iure, cum nempe iudicium definitioni aequivalet.

Consequenter bene intelligendum est id quod S. THOMAS docet [1] cum dicit apprehensioni, tamquam obiectum quidditatem rei, iudicio vero "esse" ipsius tribuendum. Quod non intelligi debet de exsistentia rei in oppositione ad essentiam; sed cum dicit "aliquid esse" intelligi debet "aliquid ita se habere" [2], seu "dispositio rei" [3], quae aequivalet iudicio categorico enuntianti alicui rei (subiecto) aliquam notam (praedicatum) convenire. Quae relatio non necessario est realis actualis, sed etiam essentiae mere possibilis, seu est habitudo essentiarum.

73. De aliis definitionibus iudicii.

ARISTOTELES: Σύνθεσίς τις νοημάτων ὥσπερ ἕν ὄντων [4]. Nempe "compositio intelligibilium conceptuum, tamquam unum exsistentium (ac si unum sint)". Quae unitas conceptuum intelligenda videtur de habitudine conceptuum obiectivorum ad invicem, non de mera unitate plurium conceptuum, quae etiam in conceptu complexo invenitur.

Hanc ARISTOTELIS definitionem essentialem esse clare apparet. Accidentalem vero ipse per proprietatem ita exprimit: ἐν οἷς τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές [5], nempe illa mentis operatio, in qua veritas et falsitas inveniri potest; quae unice operatio iudicii esse potest.

S. THOMAS: iudicium est *operatio intellectus, secundum quam componit et dividit affirmando et negando* [6].

Recentiores saepe, licet multum investigent in naturam tum psychologicam tum logicam iudicii, multaque utilia innuant, vitiosam tamen definitionem iudicii dant, quae suis placitis conformis sit. Multi enim, cum doctrinis idealisticis omnino imbuti sint, nihil aliud iudicium esse supponunt, quam unionem idearum mere subiectivarum, quae secundum quasdam regulas fieri debet. Iuxta KANT iudicium scientificum, quod unice ut tale admittit, subiective et inconscio modo procedit ab intellectu, qui phaenomena data per sensibilitatem sub formas aprioristicas, quas categorias vocat, unit et ponit.

Alii vero mera associatione duarum idearum iudicium con-

---

[1] *In I Sent.* d.19 q.5 a.1.
[2] 1 q.16 a.2.
[3] *In IX Metaph.* lect.11 n.1848.
[4] *De anima* 3,6 (430a27).
[5] *Ibid.*
[6] *De verit.* q.14 a.1.

sistere docent, ut TH. ZIEHEN[7]; quod quam falsum sit aperte apparet, ex eo quod saepissime duae ideae in mente nostra associantur, et videmus eas non inter se convenire, nec eas ut convenientes unire volumus.

Tendentia cartesiana, quam multi sequuntur, ut W. WUNDT, H. RICKERT, W. WINDELBAND, essentiam iudicii ponit in actu voluntatis, vel in aliquo sentimento vel affectione subiectiva caeca, ut D. HUME, W. HAMILTON, AL. BAIN. F. BRENTANO ponit in apprehensione rei ut exsistentis, in unius proinde ideae agnitione.

Alii, ut GEYSER, iudicium ponunt in conscientia veritatis, quae in referentia ideae unius ad aliam adest. Quod potius quam iudicium eius sequela esse apparet.

W. WUNDT paucique alii ita loqui videntur ut essentia iudicii sit resolutio seu analysis unius ideae, quae utpote complexa in plures notas resolvi potest. Hic vero est gressus necessarius, ut condicio in omni iudicio, non vero ipsum iudicium.

74. *Quoad structuram logicam iudicii* magna est apud recentiores disputatio, utrum in iudicio subiectum sumatur sub extensione praedicati, seu affirmetur tamquam subiectum aliquod ex his quae in praedicato continentur, an dicatur in subiecto inveniri comprehensionem praedicati, seu utrum subiectum habeat in se illas notas, quae a praedicato repraesentantur. Utrumque autem verum est, sed affirmandum credimus ex ipsa nostra interna experientia cum iudicamus imprimis nos praedicare comprehensionem de subiecto, secundario vero subiectum inveniri inter inferiora, quae praedicato subiciuntur.

ARTICULUS II

DE SIGNO IUDICII SEU DE PROPOSITIONE

ARISTOTELES, *Perihermeneias* c.5,10-12; c.12; S. TH., *In Perih.* 1 lect.8-10; 2 lect.8; *Opusc. De propositionibus modalibus* (quod critice edidit I. M. Bochenski O. P.); L. LOSSADA, *Inst. Dialec.* disp.7 c.1; I. M. BOCHENSCKI, *Notes historiques sur les propositions modales:* RevScPhTh 26 (1937) 673-92; R. FEYS, *Les logiques nouvelles des modalités:* RevNeoscolPh (1937) 517-553; (1938) 217-252.

75. Sicut terminus oralis est signum externum conceptus, ita *propositio* est signum externum iudicii, attamen

[7] *Leitfaden der physiol. Psychologie*[11] (1920) 410.

non quaelibet propositio, sed solum *enuntiativa,* quae est oratio perfecta; quae aliquid de aliquo affirmat aut negat.

Explico: *oratio* est generatim vocabulorum complexus ordinatus ad aliquid significandum, sive sit per modum affirmationis, sive non, ut notat ARISTOTELES [8]; et tunc habetur sive oratio imperfecta, quae aliquem sensum incompletum solum habet, v. c. vir honestus, videre domum, vel oratio perfecta, quae integrum sensum habet, v. c. ille vir est honestus.

Oratio perfecta multiplex datur, sive:

a) *Optativa,* desiderium significat, v. c. utinam sis felix.

b) *Imperativa,* mandatum significat, v. c. fac hoc; similis huic est deprecativa et exhortativa.

c) *Interrogativa* voluntatem audiendi veritatem significat, v. c. Domine, quid me vis facere?

d) *Admirativa* admirationem significat, v. c. quam pulchra es, Maria! Dantur praeterea modificationes et coniunctiones harum propositionum inter se.

Hae omnes orationes significant aliquam animi affectionem, non proprie iudicium, vel si etiam hoc significant, ut v. c. admirativa, per accidens significant.

Unica propositio, quae proprie et exclusive iudicium significat est *enuntiativa,* quae aliquid de aliquo affirmat aut negat.

76. Propositionis enuntiativae elementa. Tria sunt elementa quibus, sicut iudicium, propositio constat: nempe subiectum, praedicatum et copula.

Materia est subiectum, seu id de quo aliquid enuntiatur, et praedicatum, seu id, quod de aliquo enuntiatur.

Forma vero propositionis est copula seu verbum affirmans vel negans, et exprimitur verbo substantivo "esse", modo indicativo, temporis praesentis.

Explicemus singula: a) Verbum "esse" potest sumi participialiter et substantialiter. *Participialiter* sumptum idem significat ac exsistere, ut si dico: Deus est, idem est ac dicere: Deus exsistit. *Substantialiter* sumptum non significat nisi relationem seu habitudinem identitatis seu convenientiae, quam subiectum habet ad praedicatum, nempe meram affirmationem, licet fundetur in esse rei [9].

[8] *Periherm.* 1 lect.1.
[9] S. TH., *In I Sent.* d.19 q.5 a.1.

b) *Indicativus modus* requiritur, secus non esset oratio mere indicativa, sed vel optativa, vel imperativa, etc.

c) *Temporis praesentis,* quia hoc unice copulam constituit; tempus transactum vel futurum aliquam relationem temporis, i. e. aliquam prioritatem significat, quae non ad copulam sed ad praedicatum pertinet. Itaque in propositionibus in quibus per verbum exprimitur illa temporis relatio, ut propositio ad veram structuram logicam reducatur, relatio temporis ab ipsa copula seiungenda est. Ita v. c. propositio sequens: homines iusti erunt felices, sic erit resolvenda: homines iusti sunt felices futuri.

77. Haec tria elementa in omni perfecta propositione insunt *saltem implicite.* Potest dari oratio perfecta unica voce contenta, v. c. dormio, vel duabus vocibus, v. c. Petrus currit. Hae enim propositiones ita immutari possunt, ut expresso modo tria elementa pateant, v. c. ego sum dormiens, Petrus est currens. Immo in propositionibus, quae impersonales dicuntur, haec omnia uno vel alio modo bene explicari possunt, v. c. pluit: aqua e caelo cadit in terram, vel pluvia est hic et nunc. Quod quidem de ipsa copula affirmandum est; nam vel est implicita in aliquo signo, ut in parvulorum locutione saepe accidit, vel in aliquo verbo, passionem, activitatem, etc., exprimente; si enim nullo modo adesset copula, neque propositio ulla haberetur.

CAPUT II

De divisione iudicii et propositionis enuntiativae

78. Nexus. Plurimae sunt divisiones quae tum circa iudicia tum circa propositiones proponi possunt. Multae autem earum partitionum ratione fundamenti, quo fiunt, potius ad criticam quam ad logicam pertinent, ideoque ibi fusius de his agendum erit; hic sufficiat eas indicare.

Si *fundamentum divisionis est veritas,* iudicium, et ideo propositio eius signum, potest esse *verum* et *falsum.*

Si *fundamentum est certitudo,* iudicium et eodem modo propositio, potest esse *certum, incertum* seu *probabile.*

Si *fundamentum est fons et motivum affirmandi,* iudi-

cium, et propositio, potest esse *mediatum et immediatum*; *syntheticum*[1] seu *a posteriori*, et *analyticum seu a priori* (ad experientiam), nempe ex analysi conceptuum. Si *fundamentum est nexus obiectivus* inter subiectum et praedicatum, iudicium, et propositio, potest esse *necessarium* vel *contingens*.

Sub respectu vero logico propositiones et iudicia, dividuntur solummodo ex fundamento elementorum, et ex diverso modo unionis et compositionis eorum in propositionibus.

Elementa vero sunt subiectum, praedicatum et copula, in quibus, iuxta ARISTOTELEM, possumus considerare vel quantitatem, vel qualitatem, vel modalitatem unionis. Quibus divisionibus adiungi possunt aliae non ab Aristotele, sed ab eius discipulis propositae in categoricas et hypotheticas, in simplices et compositas. Aliquae vero a scholasticis circa materiam additae sunt.

§ 1. Ratione materiae.

79. 1. **Ratione materiae circa quam,** seu ratione habitudinis praedicati ad subiectum, dividuntur propositiones in: a) *necessarias,* seu *in materia necessaria,* cum praedicatum necessario modo cum subiecto connectitur, v. c. homo est mortalis; b) *impossibiles* seu *in materia impossibili,* si praedicatum repugnat subiecto, v. c. circulus est quadratus; c) *possibiles* (*contingentes*) seu *in materia possibili* (*contingenti*), si praedicatum actu non convenit, sed potest convenire subiecto, vel ita convenit ut possit non convenire, v. c. homo est sapiens.

Regulae circa veritatem harum propositionum. Propositiones affirmativae in materia necessaria sunt verae, negativae sunt falsae; e contra propositiones affirmativae in materia impossibili sunt falsae, negativae sunt verae.

Propositiones affirmativae in materia contingenti universales plerumque sunt falsae, particulares autem verae.

2. **Ratione materiae ex qua** seu ex terminis propositionis, dividuntur propositiones in: a) *propositiones de tertio adiacente,* si constant subiecto, verbo et praedicato, v. c.

[1] Logici plures moderni diversa genera huiusmodi iudiciorum syntheticorum distinguere solent, nempe: *iudicia declarationis,* v. c. haec avis est gallina: *proprietatis,* v. c. caelum est nubilum; *exsistentiae,* v. c. Deus exsistit. Cf. J. DÁVILA, *Logica* n.211.

Deus est iustus; b) *propositiones de secundo adiacente*, si constant subiecto et verbo, et in hoc implicite copula et praedicatum continetur, v. c. ego ambulo; c) *propositiones de primo adiacente* [2], si tantum verbo explicite constant, v. c. scribo, legis. Tertia persona in latina lingua semper explicite ponitur, v. c. ille dormit.

Ratione materiae	*circa quam* (nexus)	necessaria
		possibilis
		impossibilis
	ex qua (elementa)	de primo adiacente
		de secundo adiacente
		de tertio adiacente

§ 2. De divisione propositionis ratione formae, seu qualitatis.

80. *Forma* in propositione est copula, quae potest esse affirmativa et negativa; quae affirmatio et negatio vocatur a logicis *qualitas essentialis*. Qualitas *accidentalis* dicitur a logicis veritas seu falsitas propositionis, quae proprie non ad logicam, sed ad criticam pertinet.

Hinc propositiones dividuntur in affirmativas et negativas.

Propositio affirmativa est illa, cuius copula verbo *est* sive explicito sive implicito continetur.

Propositio negativa est illa cuius copula constat ex complexu *non est*. Particula *non* debet afficere copulam, secus propositio est affirmativa, v. c. Deus est non mortalis. In propositionibus compositis attendendum est ad copulam principalis. Haec vero propositio negativa admittenda videtur ut aliquod signum distinctum alicuius iudicii omnino peculiaris contra aliquos logicos modernos, v. c. W. Wundt [3], B. Erdmann, qui dicunt non esse nisi unicam formam affirmativam; ita ut negativa non sit nisi mera reiectio formae positivae, quae ad formam positivam reduci possit. Hoc falsum videtur tum si ipsa exempla horum auctorum considerentur [4], tum

---

[2] Propositiones de *primo adiacente, ut animadvertit* URRÁBURU, *Logica* n.107 in nota, etsi non inveniantur apud veteres auctores, tamen a recentioribus explicari solent.

[3] *Logik* 1^{3} 163,201.

[4] Vide aliqua apud C. FRICK, *Logica* n.75.

vel maxime, si ad nostram experientiam attendamus, in qua evidentissime affirmare identitatem duarum idearum omnino diversum ac earum diversitatem enuntiare apparet.

81. *Regulae tenendae circa praedicatum in his propositionibus.* Duplici modo subiecti habitudo ad praedicatum in his propositionibus considerari potest: vel secundum extensionem, nempe prout subiectum est unum ex contentis sub praedicato, vel secundum comprehensionem, qui est communior; nempe praedicatum est una ex notis in subiecto contentis. Unde haec animadvertere oportet:

1) *Quoad extensionem*: in *propositione affirmativa* praedicatum *per se est terminus particularis,* v. c. homo est animal, nempe est aliquod animal. Nam in hac propositione solummodo indicatur subiectum (homo) esse unum, non omnia, quae sub praedicato (animal) continentur. Dicitur *per se,* quia per accidens seu ratione materiae in definitionibus essentialibus vel ex propriis et in singularibus, subiectum et praedicatum eadem extensione sumuntur, v. c. homo est animal rationale, nempe, homo est omne animal rationale.

In negativa e contra praedicatum est *terminus universalis,* v. c. homo non est angelus, nempe nullus angelus, seu subiectum removetur a praedicato secundum totam suam extensionem.

2) *Quoad comprehensionem*: *in affirmativa,* praedicatum tribuitur subiecto secundum omnes suas notas. Inde propositio non est vera, si aliqua nota praedicati non convenit subiecto. *In negativa* autem non omnes notae praedicati denegantur subiecto distributive, sed certe collective sumptae, v. c. homo non est planta; ubi non negatur hominem esse substantiam, viventem, etc., sed solummodo negatur hominem carere sensatione et intellectione. Propositio negativa minus affirmat quam affirmativa, et particularis minus quam universalis, ideoque *peior pars* a logicis dicuntur.

§ 3. De divisione propositionis ratione quantitatis.

82. *Quantitas propositionis* a quantitate subiecti pendet; et quoniam subiectum potest esse universale, particulare et singulare, ideo tres divisiones propositionum dantur secundum quantitatem; aliquando non determinatur quantitas et dicitur indefinita.

Propositio universalis est illa, quae habet subiectum universale suppositione distributiva (cf. n. 52), v. c. omnis homo est mortalis.

Propositio particularis est illa cuius subiectum est particulare, v. c. aliqui homines sunt americani.

Propositio singularis est illa cuius subiectum est singulare, vel habet suppositionem formalem logicam, vel collectivam (cf. n. 52), v. c. Petrus fuit Romanus Pontifex; hic exercitus constat pluribus militibus, etc.

Propositio est indefinita si subiectum est terminus universalis nullo pacto secundum extensionem suam determinatus, v. c. homo est animal, homo mortuus est. Ex contextu potest determinari generatim, quam habeant suppositionem termini, et consequenter quam extensionem propositiones.

§ 4. De divisione propositionis ratione unitatis.

83. *Ratione unitatis* propositiones possunt esse simplices et compositae.

Propositio simplex est unius praedicati de uno subiecto mera affirmatio vel negatio. Apparenter forsitan sint plures copulae non principales constituentes unum, v. c. subiectum.

Propositio composita est illa quae constat pluribus propositionibus, in quas resolvi potest. Et esse potest vel quia plura subiecta aut plura praedicata, aut plura subiecta et praedicata habet (*composita ratione materiae*), vel quia copulam habet modificatam (*composita ratione formae*).

Quae hucusque consideravimus valent tum de simplici tum de composita propositione. In posterum agemus solummodo de composita.

84. De propositionibus categoricis compositis ratione materiae. *Propositio dicitur categorica,* si praedicatum subiecto absolute tribuit vel negat; reliquae hypotheticae dicuntur. Potest esse *aperte composita* vel *occulte composita* prout declaratione egeat vel non egeat.

a) **Aperte compositae categoricae sunt:** *Copulativa,* quae plura subiecta vel praedicata connectit particulis *et, nec,* similibus; v.c. Petrus et Paulus fuerunt apostoli; nec divitiae, nec honores arcent mortem animique dolorem. In tot simplices resolvi potest per descensum copulatum (v. n.53) quot sunt subiecta eiusdem praedicati

vel praedicata eiusdem subiecti vel subiectorum, v.c. Petrus fuit apostolus, et Paulus fuit apostolus.

Ad veritatem eiusdem requiritur, ut singulae propositiones simplices verae sint; si aliqua vero est falsa, cum distinctione conceditur vera, falsa autem negatur.

Adversativa quae plura sive subiecta sive praedicata particulis adversativis *sed, tamen* etc. connectit, v.c. vos mundi estis, sed non omnes.

Ad veritatem requiritur ut omnes simplices verae sint; *ad rectitudinem* seu rationabilem constructionem, ut aliqua oppositio saltem lata inter partes detur.

Relativa est illa quae partes connectit cum particulis relativis *talis-qualis, tantum-quantum, ibi-ubi* etc.; v.c. qualis vita, finis ita, vel talis mors. In tres simplices propositiones resolvi potest: 1.ª, vita habet aliquam proprietatem; 2.ª, mors etiam habet aliquam proprietatem; 3.ª, utraque proprietas est eadem. Ad ipsam reduci potest *propositio descriptiva* cum particulis *ita-ut,* v.c. tabula ita pulchra, ut nullam aliam inveneris.

Ad veritatem huius propositionis requiritur veritas statutae relationis, unde falsa v.c.: tantum vales, quantum habes.

Causalis, quae duas propositiones connectit particulis causalibus *quia, nam,* etc. Tria in ipsa affirmantur, utriusque propositionis veritas et unam esse rationem alterius. Ad hanc etiam reducitur propositio *consecutiva stricta,* v.c. ita bibit, ut inebriatus sit.

Ad huius veritatem requiritur ut illa tria vera sint.

85. b) **De propositionibus occulte compositis.** *Propositiones occulte compositae* sunt illae, quae egent aliqua expositione, ut eius compositio, primo aspectu latens, manifesta fiat. Propositiones in quas ipsae resolvuntur vocantur *exponentes.* Et sunt:

Exclusiva, est illa cuius subiectum vel praedicatum, vel utrumque afficitur particula exclusiva *solum, tantum,* etc.; v. c. solus Deus est aeternus; sacramenta sunt tantum septem. Prima dicitur *exclusi subiecti,* secunda *exclusi praedicati.*

Expositio huius propositionis affirmativae fit per copulativam, quae constat duplici propositione, affirmativa prima, altera negativa, v. c. Deus est aeternus, et cetera omnia non sunt aeterna.

Ad veritatem propositionis exclusivae requiritur veritas omnium exponentium.

Negatio in ipsa tripliciter adesse potest: vel afficiendo ipsam particulam exclusivam, vel copulam, vel utramque, prout in sequentibus exemplis apparet: Non solus Petrus est doctus, nempe: et Petrus est doctus et alii praeter Petrum sunt

docti. Non solum Petrus non est doctus, nempe: Petrus non est doctus, sed etiam alii sunt indocti. Solus Deus non est limitatus, nempe: Deus non est limitatus, alia entia sunt limitata.

Ad eius veritatem unumquodque membrum considerandum est.

Exceptiva est illa, quae separat aliquam partem subiecti vel praedicati ab assertione generali per particulam *praeter* aliasque similes, v. c. omnia praeter Deum sunt finita. Huic etiam similis est *propositio inceptiva et desitiva,* v. c. Christus tali die coepit praedicare; tali vero mortuus est. Quae omnes facile ad exclusivam reducuntur.

Comparativa est illa quae non modo asserit vel negat praedicatum de subiecto, sed praeterea unum convenire magis vel minus vel aeque alio, v. c. homo est excellentior brutis animalibus. Tres propositiones implicitas continet: 1.ª, homo est excellens; 2.ª, brutum animal est excellens; 3.ª, sed homo superat bruta animalia. Male facta esset, si praedicatum non conveniret utrique subiecto, v. c. homo callidior est cunctis plantis. Falsa si gradus qui asseritur non idem in realitate est.

Reduplicativa est illa, quae indicat respectum, sub quo praedicatum convenit subiecto per particulas *ut, prout, in quantum,* v. c. Christus, utpote Deus, infinitus est. In duas resolvi potest propositiones: Christus est Deus; et sub hoc respectu est infinitus.

§ 5. De propositionibus categoricis compositis ratione formae.

86. *Propositio modalis* est illa quae declarat modum, quo praedicatum subiecto convenit; ut vere modalis sit, modus ipsam copulam afficere debet. Differt vero a propositione simplici non ratione materiae, sed ipsa forma; simplex enim solummodo enuntiat praedicatum convenire subiecto, et absoluta dicitur. Saltem propositiones modales necessaria, contingens, impossibilis *proprie compositae* sunt ex duabus enuntiationibus; possibilis vero non est nisi simplex complexa, quia in duas completas propositiones diversas dissolvi non potest.

Quattuor modi afficientes copulam distinguuntur: neces-

sarius, contingens, possibilis, impossibilis. Si qui alii inveniuntur ad hos reduci possunt.

Necessarius modus indicat praedicatum convenire subiecto ita ut non possit non convenire, v. c. homo necessario est risibilis. *Necessitas* vero alia intelligitur *absoluta,* quae sub nullo respectu, alia *relativa,* quae sub aliquo respectu, deficere potest.

Impossibilis modus indicat praedicatum non posse umquam convenire subiecto, v. c. impossibile est Deum esse iniustum. Datur etiam *impossibilitas absoluta et impossibilitas relativa.*

Possibilis modus indicat praedicatum posse convenire subiecto, v. c. Petrum esse doctum est possibile.

Contingens modus indicat praedicatum ita subiecto convenire ut possit non convenire, v. c. hominem exsistere est contingens.

Propositiones modales duplici modo exprimi possunt: 1.º Modus exprimitur *adverbio,* quod ipsam copulam afficit, v. c. Deus necessario est iustus. 2.º Modus est *nomen* quod ut praedicatum de tota absoluta propositione dicitur, v. c. Deum esse iustum est necessarium. In hac altera formula clare apparet modalium compositio, nempe et oratio quam modus afficit et dicitur *dictum,* et ipse modus.

87. Propositio modalis potest esse: 1) *Affirmativa et negativa* prout modus de dicto affirmetur vel negetur.

2) *Vera vel falsa* prout dicto conveniat ille modus vel non conveniat.

3) De se omnes sunt *particulares;* attamen quoad tempus propositiones de necessario et impossibili habentur ut universales, semper enim valent; de possibili autem et contingenti ut particulares habentur, nam ex se non semper exigunt rem ita esse.

§ 6. De propositionibus hypotheticis.

88. *Propositio hypothetica* est illa, quae de nullo subiecto aliquid absolute asserit, sed relationem dependentiae inter duas propositiones indicat. Quattuor distinguuntur genera: condicionalis, disiunctiva, sive propria sive impropria, coniunctiva.

Condicionalis propositio illa est, quae ex duabus propositionibus quibus constat, unam ab alia dependentem facit, ope particulae *si,* v. c. si recte agis, praemium accipies.

Condicio sensu logico est propositio, qua posita et alia ponatur necesse est.

Prior pars propositionis condicionalis particula *si* affecta, *condicio vel antecedens,* altera vero pars, quae ex priori sequitur *condicionatum seu consequens* dicitur, quae sunt materia condicionalis; *forma* autem est *nexus.*

Ubi igitur non datur haec forma seu nexus nec vera condicionalis adest, etiam si externa retineatur structura, v. c. si Papa dormit, turca saltat.

Affirmativa vel negativa qualitas condicionalis ab affirmatione vel negatione nexus inter partes pendet, non ab uniuscuiusque partis qualitate. Eodem modo *qualitas accidentalis* (veritas vel falsitas) condicionalis a veritate nexus solum pendet.

Negativa vero fit praeponendo particulam *non, etsi,* etc., ipsi condicioni, v. c. "non si miserum fortuna Simonem finxit, vanum... finget". A recentioribus disputatur utrum haec negativa vera condicionalis sit, cum praecise nexus negetur [5].

Dependentia vero seu *nexus* inter condicionem et condicionatum potest esse logica et realis. *Logica* si condicio revera dat rationem, qua cognoscatur condicionatum; realis si condicio dat rationem cur condicionatum de facto sit. Quae notio maxime in doctrina de condicionate futuris prae oculis habenda est, v. c. si Petrus talibus adiunctis ponatur, peccabit. (Non enim necessario peccabit, sed solum de facto, quod Deus cognoscit.)

89. Modi propositionis condicionalis quattuor numerantur: 1. *Modus ponendo ponens.* Condicio et condicionatum sunt propositiones affirmativae, v. c. si est lux, vides.

2. *Modus ponendo tollens.* Condicio est affirmativa, condicionatum negativum, v. c. si es caecus non vides.

3. *Modus tollendo ponens.* Condicio est negativa, condicionatum affirmativum, v. c. si non est lux adsunt tenebrae.

4. *Modus tollendo tollens.* Ambae sunt negativae, v. c. nisi convertatur non salvabitur.

Omnes hi modi sunt affirmativi.

---

[5] Vide J. FROBES, *Logica formalis* p.144.

90. *Propositio proprie disiunctiva* est illa, quae plures terminos aut propositiones connectit particulis *vel, aut,* et in ipsa partes ita sibi opponuntur, ut si una vera sit, altera vel aliae necessario falsae sint, v. c. Petrus aut movetur aut quiescit.

Ad veritatem huius propositionis requiritur, *a*) ut *disiunctio sit adaequata,* nempe omnia membra possibilia disiunctionis enumerentur. Unde non recta est haec propositio: aut sedes, aut ambulas; datur enim tertium et quartum, etc.; *b*) ut *membra perfecte sint opposita,* unde nec simul vera, nec simul falsa esse possint; unde falsa est propositio: aut Petrus aut Ioannes fuit apostolus. Ambo enim simul fuerunt apostoli.

91. *Propositio improprie disiunctiva est illa,* quae unit duas partes ope particulae *vel,* ita ut subintelligi possit particula *saltem,* et significare intendit unam saltem esse veram, licet ambae partes verae esse possint; v. c. aut Petrus aut Paulus Romae mortui sunt; significat: saltem Petrus Romae mortuus est, licet etiam Paulus. Non habent propriam oppositionem.

92. *Propositio coniunctiva* est illa quae negat duas enuntiationes simul esse veras, non autem excludit utramque falsam esse simul posse, v. c. homo non simul legit et dormit. Differt proinde a disiunctivis, quia hae nec simul verae nec simul falsae esse possunt.

Has propositiones *disiunctivas et coniunctivas* patet facile ad *condicionales* reduci posse, v. c. exempla anteriora sic: si homo legit, non dormit; si Petrus movetur, non quiescit. Quo pacto haec reductio fieri debeat ac possit attente consideranti facile patet.

CAPUT III

De relationibus logicis inter duas vel plures propositiones

ARISTOTELES, *Perihermeneias* c.6,7,12-14; S. TH., *In Perih.* 1 lec.9-13; 2 lect.2-4; L. LOSSADA, *Dialec.* disp.7 c.2; TONGIORGI, *Instit. Logicae* l.2 c.3; URRÁBURU, *Inst. Phil. Logica* n.127s.

93. Nexus. Hucusque vidimus propositiones enuntiativas in se seu absolute consideratas; restat nunc ut eas consideremus inter se comparatas. Unde quattuor praecipuae proprietates relativae exsurgunt, rectum propositionum usum respicientes; *oppositio, aequipollentia, conversio;* ex quibus enascuntur diversi modi unam propositionem ex alia inferendi, et *illatio immediata* dicitur. De his nunc agemus ex ordine.

Scimus iam propositiones dividi ratione quantitatis in universales et particulares, et ratione qualitatis essentialis in affirmativas et negativas. Unde quattuor possunt inter ipsas dari coniunctiones: affirmativa universalis; negativa universalis; affirmativa particularis; negativa particularis. Quae a veteribus logicis litteris *a, i, e, o* (*a*ff*i*rmo et n*e*g*o*) repraesentantur, ita ut *a* significet affirmativam universalem, *i* affirmativam particularem, *e* negativam universalem, *o* negativam particularem; quae omnia noto versiculo exprimuntur:

Asserit A, negat E, verum generaliter ambo;
Asserit I, negat O, verum particulariter ambo.

ARTICULUS I

DE OPPOSITIONE PROPOSITIONUM


94. *Duae propositiones multipliciter opponi possunt. Primo* cum de re omnino diversa agunt, ideoque non certa lege nec proprie oppositae, sed potius *disparatae* dicuntur. *Secundo,* cum diversis vocibus res oppositas re vera dicunt, et oppositae ratione materiae dicuntur. *Tertio* denique, cum iisdem vocibus non eadem constructio sive forma adest; et haec propria oppositio de qua agemus, et quam ita LOSSADA[1] definit:

[1] *Dialec.* disp.7. c.2.

Duarum propositionum affirmantis et negantis idem de eodem repugnantia logica formalis.

Dicitur *repugnantia logica,* non realis, quia ex veritate et falsitate earum procedit; *formalis,* quia ex sola forma procedit in quacumque materia; *duarum propositionum affirmantis et negantis idem de eodem,* quia termini debent esse iidem, licet varietur quantitas.

Oppositio propositionum simplicium. In sequenti schemate apparent omnes oppositiones possibiles.



Unde vera adest oppositio inter propositiones contradictorias (maxima) et contrarias, apparenter inter subcontrarias, nulla vero inter subalternas.

95. *Contradictoria oppositio* datur inter propositiones, quae quantitate et qualitate differunt, quarum alia tantum negat, quantum requiritur et sufficit ad veritatem alius destruendam. Igitur inter A et O, E et I.

Lex earum est: contradictoriae nec simul verae nec simul falsae esse possunt; unde ex veritate unius sequitur falsitas alterius, et e contra ex falsitate unius veritas alterius. Inter ipsas non datur tertium (quod est principium exclusi tertii).

Contraria oppositio viget inter eas propositiones universales, quae qualitate differunt. Una proinde alteram negat, sed plus negat quam requiritur ad veritatem alius destruendam. Datur inter A et E.

Lex ipsarum est: Non possunt simul verae esse, sed possunt simul esse falsae. Unde ex veritate unius sequitur falsitas alterius, sed ex falsitate unius nihil sequitur.

Cum his cohaerent subcontrarietas et subalternatio, quae proprie non dicunt oppositionem.

Subalternae differunt sola quantitate, A I et E O, et possunt simul esse verae, vel simul falsae, sed non necessario. Unde *a*) ex veritate universalis, infertur veritas particularis, sed non e contrario; *b*) ex falsitate particularis infertur falsitas universalis, sed non e contrario.

Subcontrariae sunt particulares quae qualitate differunt, I et O. Et non possunt simul esse falsae, sed possunt simul esse verae in materia contingenti (non essentiali). Unde ex falsitate unius sequitur veritas alterius, sed ex veritate unius nihil sequitur in materia contingenti.

Quoad propositionem singularem notandum est ipsam proprie aequipollere propositioni universali relate ad has omnes oppositiones.

96. Oppositio propositionum compositarum. Propria oppositio solummodo adest in contradictoriis et contrariis, ut visum est. In simplicibus clare apparet quae sit contraria, quae contradictoria, non ita in complexis et compositis propter ipsarum difficiliorem structuram. Cum vero oporteat saepius scire quae sit contradictoria, ut v. c. in Theologia, in qua ex ea quae damnata est ut haeretica eius contradictoria apparet ut de fide, et simili modo in scientiis, aliquid de his dicere oportunum erit.

Regula vero generalis ut inveniatur propositio contradictoria alicui propositioni compositae haec est: tantum et non plus negari aut affirmari debet quantum requiritur et sufficit ad eius veritatem aut falsitatem destruendam. Si vero quid amplius negetur vel affirmetur, propositio opposita quae exsurget erit contraria. Haec vero omnia attenta consideratione et exercitio melius quam multis regulis applicationem obtinere oportet.

97. *Ad modum vero exempli* haec prae oculis habe:


a) *In singulari propositione,* vel *ei aequipollenti,* contradictoria efficitur simpliciter addendo particulam "non", v. c. Socrates est bonus philosophus, *contradictoria*: Socrates non est bonus philosophus. *Contraria* vero esset universalis mutata qualitate: Nullus homo est bonus philosophus.

b) *In propositione composita vel complexa* propositio contradictoria potest fieri praeponendo toti propositioni par-


iculam *non,* sic autem propositio exponibilis oritur. Distinctius vero fit resolvendo contradictoriam in simplices, quibus constat, quaeque negantur et coniunguntur particula *vel vel,* v. c. Petrus et Paulus mortui sunt, ita: vel Petrus non est mortuus, vel Paulus non est mortuus. Aliquando mutanda est quantitas propositionis incidentis, aliquando non, prout ex ipso sensu apparebit.

c) *In propositione condicionali* fit mutatio in suam contradictoriam negando nexum inter condicionem et condicionatum, proinde non per condicionalem, v. c. si mundus est creatus, non est aeternus, contradictoria: Non si mundus est creatus, non est aeternus = Etsi mundus est creatus, est aeternus. *Contraria* vero: Si mundus est creatus est aeternus

Propositio modalis fit contradictoria si modus negetur. Oppositiones in sequenti schemate indicantur.



Pari modo in *propositionibus complexis,* quae adverbia spatii et temporis continent:



ARTICULUS II

De aequipollentia propositionum

98. *Aequipollentia* in genere est eadem vis significandi ex aequivalentia signorum procedens, v. c. puer est innocens, aequipollet: puer non habet peccata.

Aequipollentia logica, de qua unice hic agimus, est aequivalentia significationis duarum propositionum, quae cum eodem praedicato et subiecto constent, una aut altera negatione differunt, v. c. non omnis homo doctus est, et aliquis homo non est doctus.

Regulae aequipollentiae logicae propositionum simplicium sequenti versiculo continentur:

Prae contradic.; post contrar.; prae postque subalter.

Explicemus singula: *Prae contradic.* significat negationem praeponi debere subiecto propositionis ut fiat aequipollens suae contradictoriae, v. c.

Omnis homo est doctus (A). Non omnis homo est doctus, seu: Aliquis homo non est doctus (O).

Aliquis homo est doctus (I). Non aliquis homo est doctus, seu: Nullus homo est doctus (E). Et ita porro.

Post contrar., significat negationem postponi debere subiecto propositionis universalis ut aequipollens fiat suae contrariae, v. c.

Omne corpus est grave (A). Omne corpus non est grave, seu: Nullum corpus est grave (E).

Unde ad faciendas aequipollentes duas contrarias postponenda est particula *non* subiecto unius propositionis.

Prae postque subalter, significat negationem praeponi et postponi debere subiecto propositionis ut fiat aequipollens suae subalternae, v. c.

Omnis homo est doctus (A). Non omnis homo non est doctus, seu: Aliquis homo est doctus (I).

In propositionibus compositis sive modalibus sive complexis particulis universalitatis loci, temporis, etc., simili fere modo procedere oportet. Negatio enim debet praeponi, vel

postponi, vel praeponi et postponi modo vel adverbio, ut vel contradictoriae, vel contrariae, vel subcontrariae aequipollentes fiant.

ARTICULUS III

DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM

99. *Conversio propositionis* [2] idem sonat ac mutatio propositionis, et fit per mutationem loci inter subiectum et praedicatum, ita ut quod in prima erat subiectum, in altera sit praedicatum et viceversa, manente tamen veritate. Propositio quae convertitur, *convertenda*, alia vero *conversa* dicitur.

Talem conversionem esse possibilem ex natura ipsius iudicii et propositionis immediate apparet; cum enim detur identitas inter subiectum et praedicatum, idem est dicere A est B, ac B est A. Attamen cum non sit identitas mathematica, sed de se materialis, ita ut relatio subiecti ad praedicatum non absolute eadem sit ac relatio praedicati ad subiectum, absolute non omnes propositiones converti possunt, sed aliquibus regulis servatis, ut et veritas servetur; ad quod requiritur ut propositio conversa ne plus dicat, quam convertenda.

Genera conversionis. Triplex igitur conversio considerari potest: duae propriae, nempe conversio simplex et per accidens, et alia impropria, nempe conversio per contrapositionem.

100. *Conversio simplex,* seu *in terminis,* est illa qua subiectum et praedicatum simpliciter transmutantur, manente eadem quantitate propositionis, v. c. Nullus homo est lapis (E); ita: Nullus lapis est homo (E).

Haec conversio solummodo est possibilis per se in propositione *universali negativa,* et *particulari affirmativa,* E I; v. c. Aliqui homines sunt docti: Aliqui docti sunt homines.

Tamen *ratione materiae* simpliciter convertibilis est propositio *universalis affirmativa, quae definitionem rei continet* (ex regulis bonae definitionis n. 60).

Conversio per accidens seu *in parte* illa est in qua quan-

---

[2] De hac conversionis theoria aliqui moderni, ut W. HAMILTON, agere solent sub nomine *quantificationis praedicati.* Cf. circa talem quaestionem J. GRANELL, *Logica* apéndice 2; J. JEVONS, *Lógica* (trad. del inglés por A. J. DORTA, Madrid 1941) lec.22.

titas propositionis mutatur, v. c. Omnes homines sunt mortales, ita: Aliqui mortales sunt homines. (A I).

Ita converti potest propositio universalis affirmativa (A) et universalis negativa (E), v. c.

Nullus homo est lapis (E), ita: Aliquis lapis non est homo (O). Et ratio est quia praedicatum in propositione affirmativa est particulare, in negativa universale (v. n. 81); curandum igitur est ne maiorem extensionem obtineat in conversa propositione, quam in convertenda, secus de aliquibus praedicaremus aliquid contra veritatem.

Conversio per contrapositionem seu *impropria.*

Propositio O negativa particularis nullius conversionis propriae capax est, quin extensio praedicati mutetur et contra veritatem sit. Aliquem modum improprium conversionis logici invenerunt, qui tali propositioni conveniret, et *per contrapositionem* vocaverunt. Quod fit praeponendo praedicato particulam "non "et mutando qualitatem propositionis, unde *propositio indefinita* resultat, v. c. aliquis homo non est doctus, ita: aliquis non doctus est homo (O).

Sic etiam A, propositio universalis affirmativa, converti potest *per accidens,* v. c. omnis homo est vivens, ita: omne non vivens non est homo.

Quae omnes regulae bonae conversionis sequenti versiculo a logicis breviter exprimuntur:

Simpliciter feci convertitur; eva per accid.
Asto per contrap.; sic fit conversio tota.

ARTICULUS IV

DE IMMEDIATA ILLATIONE

101. *Illatio immediata* est actus, quo mens ex una propositione aliam immediate consequentem affirmat vi nexus inter ipsas intercedentis.

Hic vero nexus vocatur *consequentia,* quae in eo est ut una propositio aliam quodammodo contineat; et potest esse *immediata,* si non eget tertio termino, sed ex sola propositionum consideratione conspiciatur; secus erit *mediata.*

102. *Immediatae illationes* omnes ad tres classes reduci possunt:

1. **Illatio ex aequipollentia.** In hac illatione propositiones idem significant, sed diversis aliquo modo vocabulis.

Regula: Propositiones aequipollentes sunt simul verae et simul falsae. Unde ex veritate vel falsitate unius infertur veritas vel falsitas alterius, v. c. non omnes homines sunt sapientes; ergo aliqui homines non sunt sapientes.

2. **Illatio ex conversione.** In hac, utraque propositio diversa significat, sed iisdem vocibus.

Regulae: *a*) Propositiones simpliciter conversae (legitime) sunt simul verae et simul falsae. Unde ex veritate aut falsitate unius infertur veritas vel falsitas alius, v. c. nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo; *b*) in conversione per accidens ex universali ad particularem valet illatio ex veritate universalis ad veritatem particularis, et ex falsitate particularis ad falsitatem universalis, sed non viceversa (v.n.95 ubi de subalternis), v.c. omnis homo est animal; ergo aliquod animal (non autem omne animal) est homo.

103. 3. **De illatione ex aliis capitibus.** In illationibus huius classis propositiones diversa significant et diversis vocabulis. Ad hanc classem pertinent illationes ex oppositione; a praedicato ad praedicatum; a subiecto ad subiectum; ex modalitate.

1. **Illatio ex oppositione** (v.n.94-5). Ex oppositione datur illatio, v.c. ex veritate propositionis ad falsitatem contrariae vel contradictoriae; a falsitate propositionis ad veritatem contradictoriae.

2. **A praedicato ad praedicatum,** iuxta relationem extensionis et comprehensionis hae regulae dantur:

a) Valet illatio affirmativa a termino inferiore ad superiorem, non autem negativa, v. c. valet: Petrus est homo, ergo est animal; sed non valet: Petrus non est lapis, ergo non est substantia.

b) Valet illatio negativa a termino superiore ad inferiorem, non autem affirmativa, v.c. valet: lapis non est vivens, ergo non est animal; sed non valet: lapis est substantia, ergo est homo.

c) Valet illatio a praedicato privativo ad negativum, v.c. caecus est, ergo non videt; sed non e contra, v.c. lapis non videt, ergo caecus est.

3. **Illatio a subiecto ad subiectum,** seu ab una suppositione subiecti ad aliam.

a) Valet illatio tum affirmativa tum negativa a suppositione distributiva ad particularem, v.c. omnis homo est substantia, ergo aliquis homo est substantia.

Non valet, ut patet, a particulari ad communem.

b) Non valet illatio *ratione formae* solum a suppositione distributiva ad collectivam et viceversa, sed aliquando valet *ratione materiae.* Quod a natura praedicati respectu collectionis pendet, v.c. valet: omnis exercitus iter fecit per horam, ergo unusquisque miles idem fecit. Non valet: centum anni sunt saeculum, ergo unusquisque annus est saeculum.

104. 4. **Illationes ex modalitate,** seu propter nexum inter haec tria: actum, potentiam, necessitatem. Actus enim supponit potentiam tantum, necessitas potentiam et actum, sola potentia nihil supponit.

Valet illatio: ab esse ad posse (ab actu ad potentiam); a posse ad esse non valet.

A non posse (non potentia) ad non esse (non actum) valet illatio; a non esse ad non posse non valet.

A potentia expedita ad agendum valet illatio in causis necessariis, non autem in liberis.

A potentia simultaneitatis ad simultaneitatem potentiae; sed non a simultanea possibilitate ad possibilitatem simultaneitatis, v.c. Petrus nunc potest esse vivus et mortuus, ergo est vivus et mortuus nunc?

LIBER III

De tertia mentis operatione seu de ratiocinio

CAPUT I

De natura ratiocinii

ARISTÓTELES, *Anal. priora; Anal. post.* 1,1; S. TH., *De verit.* q.15 a.1; 1 q.14 a.7; q.58 a.3; q.79 a.8; *Opus. De demonstratione, Opus.*43. *De natura syllogismorum;* A. GÓMEZ IZQUIERDO, *Análisis del pensamiento lógico* vol.2 *El raciocinio y la explicación* (obra póstuma, Granada 1942); P. HOENEN, *Recherches de Logique formelle* (Roma 1947); IDEM, *La structure du système des syllogismes classiques:* Greg (1947) 7-54; I. M. BOCHENSKI, *On the [illegible] syllogisme:* Dominican Studies 57 (1948) 62-8; T. PESCH-FRICK, *Institutiones Logicae* n.217-255.

105. Nexus. Tertia mentis humanae operatio est *ratiocinium,* quae quidem ea est operatio ad quam reliquae omnes ordinantur et consequenter perfectissima omnium est, et simul magnae imperfectionis humanae mentis indicium. Talis enim eius natura est, ut neque ex mera contemplatione rerum, nec ex comparatione duorum conceptuum obiectivorum identitas vel diversitas ipsorum eidem menti appareat, atque novo aliquo processu indigeat, nova nempe comparatione illorum conceptuum cum alio tertio, ex qua tandem identitatem vel diversitatem illorum videre possit. In perfectiori intellectu sive divino, sive angelico talis processus non datur [1] formaliter, sed simplici rerum contemplatione totum quod nos longo processu obtinemus, statim ipsi assequuntur. Hic vero huma[illegible]nus processus in veritate obtinenda vocatur *ratiocinium.* P[illegible]stat igitur ut nunc, simili methodo ac de superioribus egimus, et de ipso agamus.

[1] Cf. S. TH., *De verit.* q.15 a.1.

ARTICULUS I

De notione ratiocinii

106. Notio ratiocinii. Est autem ratiocinium *ea mentis operatio, per quam instituta duarum idearum comparatione cum tertia, illarum inter se identitatem vel diversitatem cognoscit.* Brevius autem: *operatio mentis, qua ex duobus iudiciis tertium infertur* [2].

Per huiusmodi operationem intellectum novas notitias, quibus antea carebat, cognoscere, et quidem vi nexus inter duo iudicia priora, in critica latius ostenditur.

107. *Materia ratiocinii* sunt, *remota,* tres ideae, quibus constat; illa idea cum qua duae comparantur, *media* dicitur, quae vero comparantur cum media *extremae; materia* autem seu elementa *proxima* ratiocinii sunt tria iudicia; quorum duo prima relationem inter ideas extremas et mediam affirmant, et simul sumpta *antecedens* vocantur; tertium vero iudicium affirmat relationem duarum extremarum idearum inter se et dicitur *consequens.*

Forma ratiocinii est ipsa connexio inter iudicium consequens et duo prima iudicia, seu antecedens. Ex qua connexione, viso antecedente, necessario sequitur et visio consequentis, tamquam alicuius fluentis; haec vero connexio *consequentia* dicitur.

108. Ratiocinii rectitudo et veritas. Probe distinguendum est inter ratiocinii *rectitudinem et veritatem. Rectitudo* enim adest, si legitima sit consequentia, i.e. si talis sit connexio iudiciorum, ut prioribus iudiciis admissis, admittendum sit et iudicium consequens. *Veritas* autem adest, si unumquodque iudicium dicat id quod re vera est a parte rei.

Quare veritas et rectitudo possunt separatim dari; potest nempe adesse veritas, quin rectitudo adsit, et e contra. Quod, sequentibus exemplis, ostendi potest: 1) *Omne vitium est vitandum; omnis patientia est vitium; ergo omnis patientia est vitanda.* Adest hic rectitudo (modus primae figurae in Barbara perfectissimus), et tamen non adest veritas, quia secun-

[2] S. Augustinus ita definit: "a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio (*De immortalitate animae* c.1 n.1). Cicero vero: "ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit" (*Academic.* 1.2 c.8).

dum iudicium falsum omnino est. 2) *Omnis substantia est bona; arbor non est substantia; ergo non est bona.* In hoc ratiocinio deest tum rectitudo tum veritas. 3) *Omnis homo est animal; omnis homo est mortalis; ergo omne animal est mortale.* In hoc ratiocinio adest veritas, per accidens, nam de facto omnes propositiones verae sunt; tamen deest rectitudo, terminus animal in conclusione maiorem habet extensionem quam in praemissis.

ARTICULUS II

DE SIGNO RATIOCINII SEU DE ARGUMENTATIONE

109. *Argumentatio* est signum externum ratiocinii; saepius sensu lato pro toto processu demonstrationis sumitur[3]. Hic intelligitur: *oratio qua propositio aliqua ex aliis infertur.*

Propositio quae infertur ante argumentationem factam dicitur *quaestio;* in argumentatione vero *consequens sive conclusio* appellatur. Propositiones ex quibus conclusio deducitur simul sumptae *antecedens,* separatim *praemissae* dicuntur. *Consequentia* nexus est inter conclusionem et praemissas.

110. *Syllogismus* est species argumentationis, quae argumentationem simplicem et completam, scilicet unum ratiocinium integrum exprimit. Et definitur ab Aristotele: Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι[4].

"*Syllogismus est oratio, in qua, positis quibusdam, aliud quid diversum ab his, quae posita sunt, necessario accidit eo, quod haec sunt.*" Seu oratio quae tribus constat propositionibus ita inter se connexis, ut positis duabus, tertiam ponere necesse sit. Reliquae argumentationes ad syllogismum reduci possunt. Antecedens, consequens, praemissae et consequentia sunt sicut in argumentatione.

Termini in syllogismo tres tantum adsunt: duo illi qui in conclusione coniunguntur vel separantur, dicuntur extrema iudicii (τὰ ἄκρα); subiectum quidem conclusionis extremum minus (ὅρος ἔσχατος, τὸ ἔλαττον, sc. ἄκρον), praedicatum autem *extremum maius* (ὅρος πρῶτος, τὸ μεῖζον, *sc.* ἄκρον). Tertius termi-

---

[3] Cf. BONAVENTURAM, *In 3* d.23 a.1, q.5 n.2; S. TH., *In 3* d.23 q.2 a.1 vol.1 ad 4; *De verit.* q.14 a.2 ad 9.
[4] *Anal. priora* 1,1 (24b18).

nus, cum quo duo illi termini maior et minor comparan
terminus medius (ὅρος μέσος, τὸ μέσον) dicitur.

Maior (λῆμμα) est praemissa illa, in qua terminus med
cum extremo maiori comparatur.

Minor (πρόσληψις) vero illa, in qua cum extremo mir
comparatur [5].

In praxi autem disputationis dicitur maior, quae pri
loco, minor quae secundo loco ponitur.

Syllogismus in quo forma servatur *formatus* dicitur;
formis sive extra formam ille, qui, retenta argumentorum
non curat de dispositione terminorum et propositionum.
syllogismi in rationali vita communi frequentiores sunt.

ARTICULUS III

DE REGULIS GENERALIBUS RATIOCINII ET PARTICULARIBU SYLLOGISMORUM

111. *Regulae quoad veritatem* in ratiocinio recto statut

1. Ex vero antecedente non potest falsum sequi cor
quens. Hinc

2. Si consequens falsum sit, alterutra saltem praemi
falsa esse debet.

3. Ex falso antecedente, tum verum (per se), tum fals
(per accidens) consequens erui potest. Hinc

4. Ex veritate consequentis non necessario infertur
ritas antecedentis.

5. Quidquid stat cum antecedente, stat etiam cum cor
quente, non autem vice versa.

6. Quidquid pugnat cum consequente, pugnat etiam c
antecedente, non vice versa. Hinc

7. Ex contradictorio consequentis infertur contradic
rium antecedentis, si bona est consequentia, non vice versa.

112. Octo syllogismi regulae. Multi [6] sunt qui
unicam regulam omnes reducere volunt, quae ita enunt
potest: Generatim in syllogismo habetur consequentia si

[5] Indicari solet cum particula *atqui;* particula vero *ergo* conclusionem p
cedere solet.
[6] Ita cartesiani, LEIBNIZ, *Nouv. Ess.* 1.4 c.7; GRATRY, *Logique* 1,294.

praemissa conclusionem continet (virtualiter), altera vero id declaret. Haec vero norma, quae ex ipsa natura syllogismi patet, regula generalis omnis syllogismi dici potest, et explicite declaratur in sequentibus notis regulis:

1. *Tum re tum sensu triplex modo terminus esto.*
2. *Aeque ac praemissae extendat conclusio voces.*
3. *Numquam contineat medium conclusio oportet.*
4. *Aut semel aut iterum medius generaliter esto.*
5. *Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.*
6. *Utraque si praemissa neget, nil inde sequetur.*
7. *Peiorem semper sequitur conclusio partem.*
8. *Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.*

Quattuor priores regulae terminos syllogismi respiciunt, ita ut prima tres terminos, secunda duos terminos extremos, tertia et quarta unum terminum medium respiciant. *Aliae quattuor regulae* ad propositiones diriguntur, ita ut quinta qualitatem affirmativam, sexta negativam, septima quantitatem et qualitatem, octava denique quantitatem respiciant.

113. Regulae declarantur. *Prima regula* prohibet quominus plures quam tres terminos syllogismus habeat. Peccatur contra ipsam per *quaternionem terminorum* et tunc vulgariter dicitur "syllogismus habere quattuor pedes". Vitium inesse potest tum re, seu aperte per quattuor terminos realiter distinctos, tum sensu occulte, sic:

1. Cum *terminus aequivocus* secundum significationes diversas usurpatur, v.c. taurus currit in cursibus taurinis; sed taurus est mons; ergo mons currit in cursibus taurinis.

2. Cum *termini suppositio* mutatur, v.c. Petrus est homo (s. realis); sed homo est idea universalis (s. logica); ergo Petrus est idea universalis.

3. Cum *terminus medius bis usurpatur* particulariter ex regula quarta et octava.

Secunda regula prohibet quominus terminus in conclusione maiorem extensionem habeat quam in praemissis. Solum enim secundum illam partem, seu respectum, sub quo comparatus est in praemissis licet illum in conclusione adhibere; de aliis enim respectibus nihil scimus vi comparationis. Ideo falsus est et vitiosus: Omnis circulus est rotundus; sed omnis circulus est figura (aliqua); ergo omnis figura est rotunda.

Tertia regula ex notione syllogismi immediate patet. Falso

inde concluderetur: Paulus est philosophus; Paulus est magnus; ergo Paulus est magnus philosophus.

Quarta regula postulat ut terminus medius saltem in una praemissa sensu universali vel aequivalenti, sicut in singularibus accidit, accipiatur; quia sinaliter terminus medius bis particularis aequivalet vel aequivalere potest duobus terminis. Sic falso concluditur: Aliquod animal est bipes; leo est animal (aliquod); ergo leo est bipes.

Quinta et sexta regula ex ipsa natura ratiocinii facile patent.

Septima regula praecipit ut conclusio debiliorem partem sequatur semper; *peior* vero *pars* intelligitur negativa prae affirmativa particularis prae universali. Unde

1. *Si aliqua praemissa sit negativa, conclusio debet esse negativa;* quod ex natura ipsius processus rationis patet.

2. *Si alia praemissa sit universalis, alia vero particularis conclusio est particularis.* Quod sic probatur:

a) *Sint ambae praemissae affirmativae;* tunc tres termini in praemissis sunt particulares, nempe duo praedicata affirmativarum et unum subiectum particularis; alius terminus universalis debet esse terminus medius (reg.4) qui non potest ingredi in conclusionem (reg.3); ideoque conclusio debet esse particularis (reg.2).

b) *Sit alia affirmativa, alia negativa;* tunc duo termini in praemissis sunt universales, nempe subiectum universalis et praedicatum negativae, alii duo particulares (subiectum particularis, et praedicatum affirmativae); ex his terminis universalibus alius debet esse terminus medius (reg.4), alius subiectum maioris, quia est praedicatum conclusionis, et universalis siquidem conclusio est negativa; ergo alius terminus minor nempe subiectum conclusionis debet esse particularis in praemissis et in conclusione. Ita peccat syllogismus: Omne corpus est extensum; aliqua substantia est corpus; ergo omnis substantia est extensa.

Octava regula prohibet quominus utraque praemissa sit particularis vel particulari aequivaleat. Quod etiam simili modo probatur.

a) *Si ambae praemissae sint affirmativae,* tunc omnes termini sunt particulares contra quartam regulam, quae iubet ut terminus medius saltem semel universalis sit.

b) *Si una est negativa alia affirmativa,* tunc adest unicus terminus universalis in praemissis, qui debet esse terminus medius (reg.4), sed praeterea deberet esse terminus maior etiam universalis, quia in conclusione ut praedicatum propositionis negativae, est universalis (reg.2). Sic peccat contra hanc regulam: Aliquis homo est doctus; aliquis homo est dives; ergo aliquis doctus est dives.

Termini vero singulares aequivalent universalibus.

Exempla quae ab auctoribus aliquando proponuntur tamquam syllogismi, qui contra has regulas peccant, ita ut tamen probent, bene consideranda sunt; nam vel concludunt per accidens ratione materiae, vel solum apparenter adest duplex negatio, vel aliqua similis explicatio dari oportet [7].

CAPUT II

De figuris generalibus syllogismi et de ipsarum modis et regulis

ARTICULUS I

DE NOTIONE FIGURAE ET MODI

114. *Figura syllogismi* (σχῆμα) definitur termini medii cum extremis apta ad concludendum dispositio vel collocatio. Figura proprie invenitur in mathematicis, transumptive autem in syllogismo, et hoc ad similitudinem figurae triangularis [1].

Explicatur notio: ex natura syllogismi de se non determinatur locus quem debet occupare terminus medius in alterutra praemissa; licet enim illum in quolibet ponere loco, dummodo non peccetur contra aliquam regulam syllogismi. Et haec dispositio diversa dicitur *figura.*

115. Quot figurae. Tres figuras proponit ARISTOTELES in Analyticis prioribus; prout terminus medius: 1) sit in maiore subiectum, in minore vero praedicatum, 2) sit in maio-

[7] Vide aliqua huiusmodi exempla apud T. PESCH-FRICK *Instit. Log.* n.230; C. FRICK, *Log.* n.114-115.

[1] Vide S. TH., *Opusc. 43, De natura syllogismi.*

re et minore praedicatum, vel, 3) sit in utraque subiectum. Hae figurae designantur noto versiculo:

Sub prae prima; sed altera bis prae; tertia bis sub.

Explicatio: In prima figura terminus medius est subiectum et praedicatum; in altera bis praedicatum; in tertia bis subiectum.

His figuris GALLENUS (c.a.131 p.Ch.) dicitur addidisse quartam figuram, duplici modo propositam: 1.°, ita ut terminus medius sit praedicatum in maiore, et subiectum in minore, nempe *prae sub quarta;* 2.°, vel ita ut terminus medius locum servet sicut in prima figura, sed maior ponatur secundo loco, minor primo.

Hoc esset schema figurarum:

I	II	III	IV		
M est P S est M	P est M S est M	M est P M est S	M est S P est M	vel	P est M M est S
S est P	S est P	S est P	S est P		S est P

116. *Modus syllogismi* definitur: *apta ad conclusionem colligendam dispositio praemissarum secundum qualitatem et quantitatem.*

Etenim ut rectitudo syllogismi obtineatur non solum respicere debemus collocationem termini medii, sed praeterea quantitatis et qualitatis ratio est habenda.

117. Numerus modorum. Iam antea ostensum est (v.n.93) propositiones secundum quantitatem et qualitatem repraesentari litteris AEIO. Si vero ad *qualitatem* solummodo attendamus, quattuor dispositiones dari possunt in unaquaque figura: ambae affirmativae, ambae negativae, maior affirmativa minor negativa, maior negativa minor affirmativa; pari modo in his quattuor dispositionibus, si attendamus ad *quantitatem,* quattuor possibiles dantur distributiones, unde (4 × 4) decem et sex in unaquaque figura, sed quoniam figurae sunt quattuor, modi possibiles sunt (16 × 4) sexaginta et quattuor [2].

Horum vero modorum *maior pars impossibilis est;* nam

[2] Aliqui considerant non solum praemissas, sed etiam conclusionem inter propositiones quae mutari possunt secundum quantitatem et qualitatem, itaque iuxta quattuor figuras dicunt obsolute possibilés esse ducentos quinquaginta et sex modos.

contra aliquam regulam peccant, sic v.c. omnes modi qui ambas praemissas negativas habent (reg.6), vel particulares (reg. 8). Itaque non nisi undeviginti possibiles remanent modi.

118. Modi absolute possibiles ratione qualitatis et quantitatis in unaquaque figura sunt:

AAA	AEE	AII	AOO
(EEE)	EAE	EIO	(EOO)
(III)	IAI	IEO	(IOO)
(OOO)	OAO	(OEO)	(OIO)

In parenthesi ponuntur modi illegitimi.

Ratione vero conclusionis rectae

Praemissae	Conclusio illegitima	Remanent modi
A-A	E et o(r. 5)	AAA et AAi
A-i	A (r. 7) E et o(r. 5)	Aii
A-E	a i (r. 7)	AEE et AEo
A-o	A i E (r. 7)	Aoo
i-A	A (r. 7) E o (r. 5)	iAi
i-E	A E i (r. 7)	iEo
E-A	A i (r. 7)	EAE EAo
E-i	A E i (r. 7)	Eio
o-A	A E i (r. 7)	oAo

Unde, exclusis illegitimis, modi possibiles sunt solummodo undevigenti: In prima figura (*sub-prae*) quattuor; in altera (*bis prae*) quattuor; in tertia (*bis sub*) sex, et denique in quarta (*gallenica*) quinque. Qui omnes modi iam a Petro Hispano his versiculis designantur:

Barbara, Celarent, Darii, Ferioque, prioris;
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, secundae;
Tertia Darapti, Disamis, Datisi, Felapton,
Bocardo, Ferison habet; quarta insuper addit
Bamalip, Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresison.

Quarta vero figura diverso modo proponitur. Sic v.c. T. PESCH [8] addit aliam quintam; pro quarta hanc adhibet formam:

P - M
M - S
―――――
S - P

[8] *Inst. Logicae* n.240.

Pro quinta vero:

M - S
P - M
―――
S - P

Modi mutantur consequenter hoc pacto:
Pro quarta: Bamalipton, Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresisonorum.
Pro quinta: Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.

Iuxta Pesch quarta figura omitti potuit ab Aristotele, quia nullum novum modum addit; quinta vero postea proposita ad omnem modum possibilem considerandum [4].

ARTICULUS II

De regulis et demonstratione trium priorum figurarum

119. Figura prima (*sub-prae*). Terminus medius est subiectum in maiore et praedicatum in minore.

Schema:

M est P
S est M
―――
S est P

Regula: Sit minor affirmans, maior vero generalis. Quae sic probatur: 1. *Minor debet esse affirmativa,* secus conclusio esset negativa, et consequenter eius praedicatum (P) universale, quare maior etiam negativa esset; unde ambae praemissae essent negativae (contra reg.6).

2. Quoniam terminus medius in minore ex dictis, utpote praedicatum affirmativae, est particularis, in maiore, ut subiectum, debet *esse universalis,* ne bis particulariter sumatur (reg.4).

Unde quattuor sunt modi possibiles in hac figura, duo affirmantes, duo vero negantes:

AAA (AAi), EAE (EAo), Aii, Aio: *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.*

Exempla:

Omne corpus est grave
A. homo est corpus — Barbara
E. homo est gravis.

[4] Novam et ingeniosam iustificationem quartae figurae proponit P. Hoenen in *Recherches de Logique formelle* (Roma 1947) p.33-4.

Nullum corpus est spiritus
A. omnis stella est corpus — Celarent
E. nulla stella est spiritus.

Omnis substantia spiritualis est immortalis
A. aliqua anima est substantia spiritualis — Darii
E. aliqua anima est immortalis.

Nullum corpus est aeternum
Sed aliquod vivens est corpus — Ferio
E. aliquod vivens non est aeternum.

120. Figura secunda (*bis prae*). Terminus medius est in utraque praemissa praedicatum.

Schema:

P est M
S est M

S est P

Regula: Una negans esto; maior vero generalis. Quae sic ostenditur: 1. *Una negans esto,* quia sinaliter terminus medius bis particulariter esset, utpote duarum affirmativarum praedicatum (contra reg.4).

2. *Maior generalis,* quia cum eius subiectum in conclusione, utpote praedicatum negativae, sit universale, etiam in praemissis debet esse universale (reg.2).

Pariter in hac altera figura modi possibiles sunt quattuor, sed omnes negativi: EAE (EAo), AEE (AEo), Eio, Aoo: *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.*

Exempla:

Nullum animal est lapis
Omne marmor est lapis — Cesare
E. nullum marmor est animal.

Omne marmor est lapis
Nullum animal est lapis — Camestres
E. nullum animal est marmor.

Nullum animal est lapis
Aliqua substantia est lapis — Festino
E. aliqua substantia non est animal.

Omne marmor est lapis
Aliqua substantia non est lapis — Baroco
E. aliqua substantia non est marmor.

121. Tertia figura (*bis sub*). Terminus medius est in utraque praemissa subiectum.

Schema:

M est P
M est S
―――――
S est P

Regula: *Sit minor affirmans* (una ex praemissis generalis) *conclusio particularis.*

Quae sic ostenditur: 1. *Sit minor affirmans,* eadem ratione ac in prima figura; etenim si negans esset, etiam conclusio negans, proinde P universale, quare etiam maior, ut P sit universale, deberet esse negativa (contra reg.6).

2. *Conclusio particularis.* Cum enim S in minore sit praedicatum affirmativae et consequenter particulare, non potest maiorem extensionem in conclusione obtinere (reg.2).

Unde modi possibiles in hac tertia figura sunt sex: AAi, EAo, iAi, Aii, oAo, Eio: *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Exempla:

Omne animal est substantia
Omne animal est vivens — Darapti
E. aliquod vivens est substantia.

Nullum animal est spiritus
Omne animal est substantia — Felapton
E. aliqua substantia non est spiritus.

Aliquod animal es quadrupedum
Omne animal est substantia — Disamis
E. aliqua substantia est aliquod quadrupedum.

Omne animal est substantia
Aliquod animal est hinniens — Datisi
E. aliquod hinniens est substantia.

Aliquod animal non est hinniens
Omne animal est substantia — Bocardo
E. aliqua substantia non est hinniens.

Nullum animal est spirituale
Aliquod animal est substantia — Ferison
E. aliqua substantia non est spiritualis.

122. Quarta figura. Duplici modo haec figura ab auctoribus solet proponi; unde diversi aliquantulum modi et diversae regulae.

a) *Primo modo* (ab aliquibus dicitur quarta figura), hoc schemate proponitur:

P est M
M est S
———
S est P

Regulae huius figurae:

1. Si maior affirmans, minor sit universalis.
2. Si minor affirmans, conclusio particularis.
3. Si una negans, maior sit universalis.

Quae sic breviter ostenduntur:

1. Si maior affirmans, terminus medius ut praedicatum affirmativae est particularis, proinde in minore ut subiectum debet esse universalis (reg.3).

2. Si minor affirmans S ut praedicatum affirmativae est particulare, quare etiam in conclusione particulare sit oportet (reg.2).

3. Si una negans, P in conclusione, utpote negativae, erit universale, quare etiam in praemissis ut subiectum maioris erit etiam universale.

Hinc modi possibiles in hac quarta figura sunt quinque.
AAi, AEE, iAi, EAo, Eio:

Bamalipton; Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresisonorum.

b) *Secundo modo* (ab aliquibus quinta dicitur figura), hoc schemate proponitur

M est S
P est M
———
S est P

Regulae huius figurae:

1. Si minor affirmans, maior sit universalis.
2. Si maior affirmans, conclusio particularis.
3. Si una negans, minor sit universalis.

Regulae patent:

1. Secus terminus medius bis esset particularis.
2. Quia S in minori est particulare.
3. Quia in conclusione negativa, P est universale.

In hac modi legitimi sunt: AAi, EAE, Aii, AEo, iEo; *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.*

123. Principia vero uniuscuiusque figurae, quae ex natura iudicii et propositionis antea explicata facile patent, haec a T. Pesch [5] pro prima figura proponuntur:

Pro modis affirmativis
(P) quod continet includens (M) continet etiam (S) inclusum in eo.

Pro modis negativis
(P) quod excludit continens (M) excludit etiam (S) contentum in eo.

Quae principia modo etiam passivo enuntiari possunt.

ARTICULUS III

De reductione syllogismorum imperfectorum ad primam figuram et de demonstratione eorum indirecta

124. Reductio ad primam figuram. Inter omnes figuras prima est nobilior, a) *universalitate,* quia ipsa est unica, quae conclusionem affirmativam universalem A obtinere valet; altera enim solum negativam, tertia vero solum particularem obtinent; b) *claritate,* etenim termini in ipsa suum locum naturalem obtinent, quatenus quod in maiore de omni M affirmatur vel negatur, hoc in conclusione de aliquo M, sc. de omni vel de aliquo S, prout in minore omne vel aliquod S dicitur esse aliquod M, affirmatur vel negatur, secundum principia: *Dictum de omni...* vel *dictum de nullo...*

Reliquae figurae, licet sufficienter ac non tam clare rem demonstrent, imperfectos (ἀτελεῖς) gignunt syllogismos. Inde ARISTOTELES [6] eos ad primam figuram reducere conatur; iam vero quaedam servanda sunt ut talis reductio legitime fiat, quae in ipsis vocabulis modorum artificiose indicantur.

1) Nam litterae consonantes initiales B C F D indicant modum primae figurae, ad quem syllogismus reduci debet, nempe ad illum modum, qui eadem incipiat consonante, v.c. Felapton ad Ferio, Cesare ad Celarent.

2) Consonantes litterae S et P significant propositionem significatam vocali praecedenti esse convertendam S simplici-

[5] Cf. *Inst. Log.* n.245.
[6] *Anal. priora* 1.

ter, P per accidens, v.c. Datisi ad Darii, ubi minor simpliciter convertenda est, Darapti ad Darii, ubi minor per accidens est convertenda.

3) Littera M significat maiorem cum minore esse mutandam, v.c. Camestres, qui ad Cesare reducitur.

4) Littera C denique v.c. in Baroco, Bocardo ostendit eiusmodi syllogismos non posse reduci ad Barbara, sed solummodo per deductionem ad impossibile. Quae omnia sequenti indicantur versiculo:

S vult simpliciter verti, P vero per accid(*ens*);
M vult transponi, C per impossibile duci.

125. Reductio indirecta per deductionem ad impossibile.

Fit in syllogismis *Baroco et Bocardo,* in quibus una ex praemissis retinenda est, et propositio contradictoria conclusionis adhibetur tamquam praemissa altera. Indicatur vero littera o quae sit praemissa omittenda, nempe in Baroco minor in Bocardo maior. Sit exemplum:

Omnis virtus est bona
A. aliqua ira non est bona
E. aliqua ira non est virtus.

Adversarius concedit maiorem et minorem, negat vero consequens et consequentiam. Tunc contradictorium consequentis erit verum, nempe: omnis ira est virtus; unde resultat hic syllogismus:

Omnis virtus est bona
A. omnis ira est virtus
E. omnis ira est bona.

Haec vero conclusio est contradictoria minoris antea concessae. Hinc patet primum syllogismum cuius consequentia reiciebatur, ut legitimum esse admittendum.

De figuris geometricis syllogismorum [7].

126. Usus figurarum geometricarum circulorum ad ostendendam syllogismorum consequentiam frequens est apud auctores ex tempore CARTESII. CHRIST. WEISE (1708) primus laudatur inter eos, qui tali methodo usi sunt. Ab ipso vero Aristotele innuitur aliquibus locis [8].

[7] Cf. T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.246; J. DE VRIES, *Logica* n.260.
[8] Cf. *Anal. prior.* 1,8 (25b32): τὸν ἔσχατον ἐν ˜λῳ εἶναι τῷ μέσῳ κα τὸν μέσον ἐν ὅλῳ τῷ πρώτῳ.

Propositiones ita repraesentari possunt:


A (S) P vel (S P) = S est P.

E (S) (P) = S non est P.

I (S)(P) = Aliquod S est P.

O (S)(P) = Aliquod S non est P.

Exempla: Modus primae figurae (*Barbara*) quadrupliciter repraesentari potest



Omne vivens est substantia
Omnis homo est vivens
E. omnis homo est substantia. Ad 1.

Omnis homo est animal rationale
Omne risibile est homo
E. omne risibile est animal rationale. Ad 4.

In reliquis modis et figuris pari modo procedi potest; sed eius momentum non est magnum, ut amplius immorari debeamus.

127. Exercitia. Oportet nunc quam plurima exercitia facere circa modum, figuram et conversionem ad primam figuram plurium syllogismorum, iuxta regulas propositas; sic etenim omnia exercentur, quae hucusque visa sunt. In huiusmodi vero exercitio ita procedendum videtur:

1. Proponatur aliquis syllogismus.
2. A discipulo integre et fideliter repetatur.
3. Examinetur ab ipso dispositio termini medii et dicatur ad quam figuram pertineat.
4. Examinentur quantitas et qualitas uniuscuiusque propositionis et dicatur ad quem modum syllogismus pertineat.
5. Denique examini subiciatur utrum syllogismus adimpleat regulas: a) *particulares* illius figurae ad quam pertineat; b) *generales* syllogismi; et consequenter utrum adsit consequentia.
6. Syllogismi 2.ae et 3.ae figurae ad primam figuram reducantur.

Plura huiusmodi exempla habes apud A. Goudin in opere *Phil. Thomist.* t.1 Logica, 3.a pars a.3. En vero aliqua:

Omne animal est sensibile
Omnis homo est animal
Ergo omnis homo est sensibilis.

Post eius repetitionem, declaratur terminus medius *animal,* quod est subiectum in maiore et praedicatum in minore; pertinet proinde ad primam figuram, quia *sub, prae prima;* prima propositio est A, secunda A, et tertia iterum A, nempe omnes universales affirmativae, quare modus erit Barbara; tandem syllogismus concludit, seu habet consequentiam, quia omnes regulas servat.

Similiter procedatur in sequentibus exemplis.

Omne animal est substantia;
Nullus lapis est animal;
Ergo nullus lapis est substantia.

Omne animal est sensibile;
Aliquis homo est animal;
Ergo aliquis homo est sensibilis.

Omne animal est substantia;
Aliquis lapis non est animal;
Ergo aliquis lapis non est substantia.

Nullum animal est lapis;
Omnis homo est animal;
Ergo nullus homo est lapis.

Nullus homo est lapis;
Nullum marmor est homo;
Ergo nullum marmor est lapis.

Nullum animal est lapis;
Aliquis homo est animal;
Ergo aliquis homo non est lapis.

Nullum animal est lapis;
Aliquod marmor non est animal;
Ergo aliquod marmor non est lapis.

Aliquod animal non est rationale;
Omnis homo est animal;
Ergo aliquis homo non est rationalis.

Aliquod animal non est rationale;
Aliquis homo est animal;
Ergo aliquis homo non est rationalis.

Omnis homo est animal;
Omne sensibile est animal;
Ergo omne sensibile est homo.

Omnis homo est rationalis;
Nullus equus est rationalis;
Ergo nullus equus est homo.

Omne animal est substantia;
Aliquis lapis est substantia;
Ergo aliquis lapis est substantia.

Omnis homo est animal;
Aliquis lapis non est animal;
Ergo aliquis lapis non est homo.

Nullus equus est rationalis;
Omnis homo est rationalis;
Ergo nullus homo est equus.

Nullum animal est lapis;
Nullus homo est lapis;
Ergo nullus homo est animal.

Nullus lapis est animal;
Aliquis homo est animal;
Ergo aliquis homo non est lapis.

Aliquis equus est animal;
Omnis homo est animal;
Ergo aliquis homo est equus.

Aliqua substantia non est rationalis;
Aliquis homo est rationalis;
Ergo aliquis homo non est substantia.

Omne animal est sensibile;
Omne animal est substantia;
Ergo aliqua substantia est sensibilis.

Omne animal est substantia;
Nullum animal est lapis;
Ergo nullus lapis est substantia.

Omnis planta est vivens;
Aliqua planta est fructifera;
Ergo aliquod fructiferum est vivens.

Omnis planta est vivens;
Aliqua planta non est animal;
Ergo aliquod animal non est vivens.

Nullum animal est lapis;
Omne animal est substantia;
Ergo aliqua substantia non est lapis.

Nullus lapis est animal;
Nullus lapis est rationalis;
Ergo nullum rationale est animal.

Nullus lapis est rationalis;
Aliquis lapis est substantia;
Ergo aliqua substantia non est rationalis.

Nullus lapis est animal;
Aliquis lapis non est homo;
Ergo aliquis homo non est animal.

Aliquod animal est rationale;
Omne animal est substantia;
Ergo aliqua substantia est rationalis.

Aliquod animal est rationale;
Aliquod animal est brutum;
Ergo aliquod brutum est rationale.

Aliquod animal non est lapis;
Omne animal est substantia;
Ergo aliqua substantia non est lapis,

Aliquod animal non est lapis;
Nullum animal est marmor;
Ergo aliquod marmor non est lapis.

CAPUT III

De divisionibus syllogismi seu argumentationis

ARTICULUS I

DE SYLLOGISMIS COMPLEXIS

J. PICARD, *Syllogisme catégorique et syllogisme hypothétique:* RevMeMor (1936) 231-67, 405-29; S. TH., *Opusc. De natura syllogismi; Summa tot. Logicae Arist.* tr.8 c.13s; S. BÖETHIUS, *Lib. de syllogismo hypoth.;* T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.255s.

128. Haec quae hucusque diximus, ad syllogismum perfecte simplicem pertinent. Variae vero formae occurrere possunt syllogismorum complexorum, vel quia terminum complexum (v.n.50), vel quia propositiones categoricas compositas continent.

In huiusmodi syllogismis complexis non novae regulae proponendae sunt, sed bene considerandi sunt termini, et maxime quis sit terminus medius; vel, si fieri possit, reducendi sunt, quando consequentia non tam clare appareat, ad formam syllogismi categorici.

Exemplum: Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum; A. thesaurus tuus est in caelo; E. cor tuum est in caelo.

Terminus medius est locus thesauri tui, cum quo efformari licet syllogismus simplex categoricus, in quo facilius apparent regulae adimpletae.

A est prius quam B; B est prius quam C; e. A est prius quam C. Quod ita resolvi potest: Omne prius quam B est prius quam C; a. A est prius quam B, ergo est prius quam C.

Christus est Deus; sed Maria est mater Christi; ergo Maria est mater Dei. Hic terminus obliquus in rectum ita resolvi potest: Mater Christi est Mater Dei; sed Maria est mater Christi; e. Maria est mater Dei.

129. Syllogismus modalis specialem meretur considerationem, in quo alterutra vel utraque praemissa modalis est. Nam tota eius difficultas in eruenda conclusione consistit. Nam si utraque praemissa sit de *Necesse,* recte eruitur conclusio de *Necesse,* sed non est eadem ratio de ceteris. Facile vero cognoscitur esse legitimum vel vitiosum, si ad formam reducitur, in qua *dictum* ut subiectum, *modus* ut praedicatum proponitur; vel attenta consideratione materiae et propositionum etiam si alias regulas non attendas [1].

Exemplum:

Necesse est omnem hominem esse substantiam,
A. necesse est omnem hominem esse animal rationale;
E. necesse est omne animal rationale esse substantiam.

Rectus et probat quia in Barbara.

Syllogismus hypotheticus est ille qui aliqua propositione hypothetica gaudet. Praecipuae eius formae sunt condicionalis, coniunctivus et disiunctivus.

130. *Syllogismus condicionalis* est ille qui ex maiore condicionali categoricam eruit conclusionem (primum genus) v.c.: si sol lucet, non sunt tenebrae; A. sol lucet; ergo...; vel ex utraque condicionali condicionalem conclusionem eruit, v.c.: Si homo est honestus, felix erit. Sed si felix erit Deum videbit; E. si homo est honestus Deum videbit (secundum genus).

Duplex est primi generis figura. 1. *Affirmativa,* in qua ex veritate condicionalis absolute asserta ad veritatem condicionatae concludit, ita v. c.: primum antea exemplum allatum.

2. *Negativa,* quae a negata absolute veritate condicionati in minore ad falsitatem condicionis concludit, v.c.: si Ecclesia errat, non esset Deus providens; sed est Deus providens; ergo Ecclesia non errat.

Prima figura fundatur in noto illo effato: *Condicionatum, purificata condicione, transit in absolutum. Secunda* vero in

[1] Cf. S. Th., *Opusc. De natura syllg'smi:* S. Izquierdo, *Pharus scientiarum* disp.20 q.7; T. Pesch-Frick, *Inst. Log.* n.268-72.

ipsa natura condicionum. Praeter has figuras nullae aliae dantur; quare non licet v. c. a falsitate condicionis ad falsitatem condicionati, nec a veritate condicionati ad veritatem condicionis concludere, nisi quando condicio sit unica, seu *condicio sine qua non.*

Quattuor vero modi dari possunt in unaquaque figura (v.n.89 de propositionibus condicionalibus).

Secundum genus condicionalis, quando omnes nempe propositiones condicionales sunt, nihil novi addit. Eius vero probatio illo nititur principio: *Condicio condicionis est condicio condicionati.*

Fallaciae vero in his argumentationibus facilius dari possunt; quare omni diligentia et attentione vitandae sunt.

131. *Syllogismus disiunctivus* est ille qui in maiore propriam continet disiunctionem (n.90), et ex negatione vel affirmatione unius membri in minore aliud infert in conclusione, v.c.: Paulus aut quiescit aut movetur; a. quiescit; ergo non movetur. Aliquando ponuntur syllogismi disiunctivi non stricte tales.

Duplex est eius figura: 1. Ex assertione unius membri in minore, exclusionem alius in conclusione infert, v.c. exemplum nuper allatum.

2. Ex negatione unius membri in minore infert positionem alius in conclusione, v.c.: Aut Christus fallitur aut infidelis errat; sed Christus non fallitur; ergo infidelis errat.

In utraque autem figura *tres dantur modi*: 1) Utraque propositio affirmans; 2) Utraque negans; 3) Una negans alia vero affirmans.

Attende vero quo pacto faciliter risibiles fallaciae in huiusmodi argumentatione dentur, v.c.: Aut dormis aut non dormis; atqui dormis; ergo non dormis.

Si vero disiunctio sit circa tria vel plura membra, aliae figurae considerandae veniunt, quae quattuor sunt et consideranti facile patent [2].

Ad legitimitatem huius syllogismi omnino requiritur ut disiunctio sit completa, unde non sint possibilia alia membra, et oppositio inter membra sit stricta, unde non possint simul esse vera. Igitur illegitima esset haec conclusio: Panem manducare vel est bonum vel malum moraliter; atqui non est bonum; er-

[2] Vide apud URRÁBURU, *Inst. Log.* n.164.

go est malum. Datur enim aliud membrum, nempe quod indifferens sit.

132. *Syllogismus coniunctivus* est ille qui in maiore propositionem copulativam negantem habet; si enim affirmativam haberet inutilis esset.

Unica tantum figura gaudet, in qua ex assertione unius membri, exclusio alius concluditur, v.c.: Nemo potest Deo et divitiis servire; sed Petrus servit Deo; ergo non servit divitiis.

Triplicem quasi modum haec figura admittit: *a)* si utrumque membrum affirmat, *b*) si utrumque negat, *c*) si aliud affirmat aliud vero negat.

Coniunctivus et disiunctivus syllogismus facile ad condicionalem reduci possunt, et omnes condicionales ad categoricos, licet non egeant tali reductione ut sufficienter et cum claritate probent; v.c. hic condicionalis: Si mundus deceptor est, fidem non meretur; sed mundus deceptor est; ergo fidem non meretur, sic *ex materia* facile ad categoricum reducitur: Omnis deceptor fidem non meretur; atqui mundus est deceptor; ergo fidem non meretur. *Ex forma* vero est quaedam regula, quae omnibus syllogismis aptari potest [3].

ARTICULUS II

DE ARGUMENTATIONE A SYLLOGISMIS DIVERSA PROPTER FORMAM

ARISTOTELES, *Anal. priora* 1 c.23 et 25; P. HOENEN, *Recherches de Logique formelle* (Roma 1947) p.53s.

133. 1. **Enthymema** (ἐνθύμημα) est syllogismus decurtatus [4], in quo alia praemissa tacetur, quia facile subintelligitur, v.c. Deus est misericors; ergo parcet peccatoribus. Unde sic BOETHIUS: *oratio in qua non omnibus antea propositionibus constitutis, infertur festinata conclusio* [5].

Unica praemissa in enthymemate solet dici *antecedens*. Quae vero sit praemissa omissa, maior an minor, facile apparet, si P aut S conclusionis in antecedente omissum est. In exemplo allato omissa est maior: *Omnis misericors parcet peccatoribus*.

[3] Vide URRÁBURU, *l. c.* n.168.
[4] Alias vero diversas habet significationes, quas videre licet apud URRÁBURU, *o. c.* n.174.
[5] BOETHIUS, *De different. topicis* 1.2 c.1.

In enthymemate multipliciter falsitas latere solet, ut exempla quotidiana ostendunt, v.c.: *hoc placet; ergo est faciendum.*

Epicherema (ἐπιχείρημα = aggressio) est syllogismus, in quo alicui vel utrique praemissae sua ratio apponitur [6]; v.c. *Omne ens spirituale nequit perire, cum nullum corruptionis principium habeat; atqui anima humana est spiritualis, cum operationes spirituales habeat, quales sunt volitio et intellectus; ergo.*

Epicherema est frequens apud oratores, apud philosophos vero non tam frequens sit oportet.

134. Polysyllogismus est catena syllogismorum, in qua conclusio unius syllogismi assumitur tamquam praemissa alius, v.c.: *Quod simplex est non habet partes; atqui anima humana simplex est; ergo non habet partes; atqui quod non habet partes est incorruptibile; ergo anima humana est incorruptibilis.* In *Polysyllogismo* cum forma syllogistica sit expressa non aliis indiget explicationibus; facile enim regulae communes applicari possunt.

Sorites (σωρείτης = gradatio sive acervalis [7]) est argumentatio variis constans propositionibus ita gradatim connexis, ut praedicatum praecedentis fiat subiectum consequentis, et in conclusione subiectum primae coniungatur cum praedicato ultimae propositionis, v.c.:

Deus est ens a se,
ens a se est ens necessarium,
ens necessarium est ens infinitum,
ens infinitum est unicum,
Ergo Deus est ens unicum.

Sorites resolvi potest in tot syllogismos, quot sunt praemissae, una dempta, etenim non nisi abbreviata plurium syllogismorum est complexio.

Prae oculis tamen habe, secundam propositionem soritis esse maiorem, primam minorem primi syllogismi ultimam esse conclusionem ultimi syllogismi, reliquas vero esse maiores syllogismorum reliquorum, qui confici possunt.

Regulae. 1. *Nulla praemissa sit negativa, praeter ultimam et consequenter conclusionem.* Nam si prima est nega-

---

[6] ARISTOTELES *Top.* 8,11; (162a15) in alio sensu intelligit *epicherema, ut syllogismum* nempe *dialecticum; alii* autem ut *syllogismum rhetoricum.*
[7] Cf. CIC., *Acad. prior.* 2,16.

tiva, quoniam est minor primi syllogismi, haberetur minor negativa primae figurae contra ipsius regulas. Et si alia, praeter ultimam, esset negativa, conclusio etiam esset negativa, quae conclusio, utpote minor sequentis syllogismi peccaret contra eandem regulam.

2. *Nulla praemissa sit particularis, excepta prima et consequenter conclusione.* Quia quum illae omnes sint maiores alius syllogismi primae figurae, peccarent, si particulares essent, contra primae figurae regulam: *sit maior generalis.*

135. Dilemma (δίς = bis, λαμβάνω = capio, quia utrimque capitur adversarius) *syllogismus cornutus* [8], est argumentatio, in qua ex duobus membris disiunctive propositis utrumque assumitur ad concludendum contra adversarium, quatenus aut aliquid absurdi sequi, aut aliquid veri deduci ipsi ostenditur. Sic notum argumentum Tertulliani contra Traiani decretum:

> Vel nocentes sunt christiani vel innocentes.
> Si nocentes, cur inquiri prohibes?
> Sin innocentes, cur delatis poenam irrogas? [9].

Si vero disiunctiva propositio tribus constat membris, *Trilemma,* si quattuor *Quadrilemma* dicitur. Non confundendum est cum syllogismo disiunctivo, quia in hoc alterum membrum eligitur, alterum reicitur in minore categorica; in dilemmate autem utrumque assumitur ad concludendum contra adversarios in minore condicionali.

Regulae dilemmatis: 1. *Distinctio maioris sit completa,* neque detur proinde medium per quod adversarius ictum effugere possit.

2. *Illatio ex utroque membro sit legitima,* ne adversarius evadat illationem negando.

3. *Dilemma ne sit reciprocum,* ut retorqueri ab adversario possit. Sic, male persuaderes ne officium subeat aliquis hoc pacto: "vel male vel bene ministrabis. Si male, displicebis Deo, si bene hominibus". Sic enim potest retorqueri: "Vel male vel bene officium administrabo; si bene Deo, si male hominibus placebo."

---

[8] Ita S. Hyeronimus in *Epist. ad Oceanum;* cf. etiam Cic., *Tuscul.* 1.5 c.15.

[9] Adde etiam pulchrum S. Augustini *exemplum* (*De civ. Dei* 1.22 c.5): "Fides catholica aut propagata est miraculis, aut sine miraculis. Si primum, ergo vera est, utpote miraculis confirmata. Si alterum, hoc maximum miraculum est, quod sine miraculis propagata sit".

Hoc argumentationis genus est potius offensivum contra adversarium et ad syllogismum revocari faciliter potest.

CAPUT IV

De divisionibus argumentationum secundum materiam

136. Nexus et ratio huius tractationis. Hucusque egimus de argumentationum ratione secundum formam. Restat ut de ipsis agamus, si materiam, quae relationem aliquam cum forma habet, inspiciamus. Sic enim argumentatio potest esse: *demonstrativa, probabilis* (dialectica et topica) *et sophistica,* prout sit certa, mere probabilis, falsa.

ARTICULUS I

DE DEMONSTRATIONE

§ 1. **De notione et divisione demonstrationis.**

ARISTOTELES, *Anal. post.* 1,2; 5 *Metaph.* 11; S. TH., *In V Metaph.* lec.13; *In I anal. post.* lec.4; SYLV. MAURUS, *Quaestiones philos.* 1.1 q.68. *De inductione;* ARISTOTELES, *Topic.* c.10; *Anal. priora* 2,23; BACO DE VERULAMO; *Novum organum;* J. ST. MILL, *A System of Logic. rationative and inductive;* A. LALANDE, *Las teorías de la inducción y de la experimentación* (trad. por J. FERRATER MORA, Buenos Aires 1945).

137. Notio. *Demonstratio* (ἀπόδειξις) est argumentatio, qua ex praemissis certis et evidentibus certa deducitur conclusio.

Praemissae debent esse certae; sunt enim causae conclusionis, ideoque ea priores saltem logice, et tandem evidentes sive immediate sive mediate, sc. per alias immediate evidentes demonstratae.

138. Principia demonstrationis. Sunt illae veritates ex quibus vis demonstrationis fluit; ipsa vero demonstranda non sunt. Possunt esse:

a) *Materialia,* seu principia *directa,* quae sunt ipsae praemissae, ex quibus ut ex fonte ipsa cognitio consequentis fluit, et sunt duo, 1) *praemissa maior,* nempe illa veritas universa-

lis et necessaria, quae virtualiter conclusionem continet, et 2) *praemissa minor,* quae ex eius connexione cum maiore declarat conclusionem ibi contineri.

b) *Formalia seu indirecta principia* sunt ipsa fundamenta omnis demonstrationis, nempe prima principia non-contradictionis, rationis sufficientis, eorumque immediatae applicationes, quales sunt omnes syllogismorum regulae (de multiplici principiorum divisione alibi).

139. Divisio demonstrationis. Multiplex demonstrationis divisio sequenti schemate ostenditur:

- Demonstratio
  - secundum quantitatem
    - *universalis,* si omnes propositiones sunt universales.
    - *particularis* e contra.
  - secundum qualitatem
    - *ostensiva apodictica,* ex praemissis affirmativis.
    - *privativa,* ex una affirmativa et alia negativa.
  - secundum modum conclusionis eruendae
    - *directa*
      - a priori.
      - a posteriori.
    - *indirecta* seu ab absurdo.
  - secundum praemissarum et conclusionis quantitatem
    - *deductiva.*
    - *inductiva.*

De praecipuis divisionibus nunc agemus.

§ 2. De demonstratione directa (a priori, a posteriori).

140. *Demonstratio directa* (*apodictica*) ostendit praedicatum convenire subiecto per notas vel proprietates, quae in ipso certo insunt, v. c. ens omniperfectum est immensum; atqui Deus est omniperfectus; ergo Deus est immensus.

Demonstratio directa potest esse a *priori et a posteriori.* Ad hoc vero intelligendum, bene quid *prius,* quid *posterius* sit cognoscere oportet.

- *Prius (posterius)*
  - in ordine rerum ontologico
    - *realiter*
      - tempore
      - natura
    - *ratione* cum f. in re
  - in ordine cognitionis logico

(Cf. n. 34 de postpraedicamentis).

Omnis demonstratio procedit a *priori logico,* quia praemissae sunt fontes unde conclusio emanat. Ex hoc proinde capite nulla datur divisio.

Divisio enim demonstrationis *a priori et a posteriori* respicit *prioritatem ontologicam naturae et rationis,* non vero temporis.

Demonstratio est a priori si concluditur ex causa (necessaria) ad causatum, vel ex ratione ad rationatum, unde veritas ontologica conclusionis pendet a veritate ontologica praemissarum, v. c. si ab essentia quasi metaphysica Dei ad eius attributa concluditur.

Demonstratio est a posteriori, si ab effectibus ad causam, a rationato ad rationem concluditur, unde veritas ontologica praemissarum pendet a veritate ontologica conclusionis; v.c. si ex effectibus mundanis ad Dei exsistentiam concluditur. In philosophia utraque demonstratio est necessaria, licet demonstratio a priori magis sit metaphysica.

141. *Demonstratio propter quid et quia* convenit demonstrationi a priori et a posteriori.

Demonstratio propter quid (διότι) est illa quae non solum demonstrat praedicatum convenire subiecto, sed etiam rationem ontologicam dat cur conveniat; ideo ab ARISTOTELE [1] dicitur *perfecta.*

Demonstratio quia (ὅτι), est illa quae solum declarat rem ita sese habere, ideoque imperfectior est; talis est semper demonstratio a posteriori, a priori generatim est propter quid.

Demonstratio regressiva seu circularis exsurgit ex coniunctione demonstrationis a priori et a posteriori; et est *argumentatio duplex iisdem constans terminis, quorum posterior id quod in priore conclusum est adhibet ad concludendum in quod prioris erat principium, ita tamen, ut termini in utraque paulo aliter intelligantur* [2], sic. v.c. postquam ex ordine (vulgari) mundi demonstratur Deum ordinatorem exsistere sapientissimum, ex ipsa Dei exsistentis sapientia multa de mundi ordine (scientifico) concludi possunt. Et ita patet non dari circulum vitiosum, qui certe daretur, si termini eodem omnino sensu sumerentur.

[1] Cf. ARISTOTELEM, *Anal. post.* 1,9 (76a16); etiam S. TH., *In lib. 1 Anal. post.* lect.18.
[2] T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.289.

§ 3. **De demonstratione indirecta.**

142. *Demonstratio indirecta elenctica* seu *refutatio* (ἔλεγχος) est illa, qua ex contradictoria propositionis demonstrandae, propositionem aperte absurdam deducimus. Ita contra negantes Dei aeternitatem indirecte argumentaretur: *Si Deus non est aeternus, aliquando incepit; ergo ab aliqua causa productus est; ergo fuit causa non prima; ergo Deus causa prima, non est causa prima, si Deus non est aeternus.*

Vocatur etiam *argumentum ab absurdo*, seu *ex hypothesi alicuius absurdi.* Numquam autem licet ponere *hypothesim absurdam,* nempe aliquam praemissam contradictoriam, ex qua conclusio hauriretur; quia ex absurdo sequitur quodlibet; sed licet ponere *hypothesim absurdi,* ut fit in demonstratione indirecta.

143. Aliae argumentationes indirectae. a) *Argumentum negativum* adest cum negamus ullam rationem adesse pro sententia adversarii, quin nullam etiam pro nostra adhibeamus. Sic, v. c. cum dicimus: "Quod gratis affirmatur, gratis negatur." Adversario autem onus imponitur aliquam pro sua sententia rationem adducendi. Hoc de se est argumentum mere probabile, nisi simul demonstretur rationes adesse debere.

b) *Argumentatio ex datis sive ad hominem* est illa, in qua pro confirmanda nostra sententia, affirmationi adversarii innitimur, licet ipsa in se falsa sit; de se igitur mere probabilis est. Si vero ex concessis veris sit argumentatio, poterit esse etiam certa.

c) *Retorsio argumenti* fit, cum adversarius cogitur, ut ipse suum argumentum solvat, quatenus ex ipsis principiis ab ipso concessis vel aliquid verum, quod falsum, vel falsum quod verum dixerit, deducitur; sic si sceptico obieceris: *Si corpora non sunt, cur tauros fugis?*

d) *Inversio argumenti* est argumentatio in qua *medio* vel argumento adversarii utimur ad nostram sententiam probandam. Sic oratio mulieris cananeae: "... Etiam Domine, nam et catelli edunt de mensa dominorum suorum"[3].

e) *Instantia* (ἔντασις) ea est argumentatio, quae vim alicuius propositionis universalis negat, eo quod vel unam exceptionem ostendit.

---

[3] 15 *Metaph.* 27.

f) Fere eiusdem generis sunt *argumentationes per distractionem, ad ignorantiam, ad verecundiam, ad invidiam,* quatenus loco strictae rationis, vel ad ignorantiam, vel ad irrationabilem contra auctoritatem oppositionem, vel ad aliquid simile provocant. Ut patet, haec omnia argumenta sunt potius negativa, neque ex se certitudinem praebent.

§ 4. **De demonstratione deductiva et inductiva.**

144. *Demonstratio deductiva* est illa, quae per se ex praemissa universaliori ad consequens minus universale procedit. Potest esse ad aeque universale quando praemissae sunt simpliciter convertibiles, v.c.: *omne ens est bonum; atqui omne bonum est verum; ergo omne ens est verum.*

Haec demonstratio deductiva potest esse a priori vel a posteriori.

Principia vero deductionis ea sunt quae post ARISTOTELEM ab auctoribus pro syllogismo afferri solent.

145. *Inductio* multipliciter accipi potest. Sensu latiori potest esse: a) *socratica,* quae ad definitiones vel universales ideas efformandas hominum sententias aptis inquirit interrogationibus; b) *topica,* rethorum propria, qui in rebus dubiis assertionem audientis capiunt, ut et aliam rem similiter dubiam probent); c) *stricta* vero est "progressio a singularibus ad universale"[4] seu

Argumentatio qua id quod pluribus inferioribus (vel omnibus) alicuius universalis convenire videmus, etiam huic universali convenire concludimus. Hoc argumentum semper est a posteriori.

Inductio potest esse completa vel incompleta.

a) *Completa* est illa qua de subiecto universali inferimus quod de omnibus eius inferioribus per experientiam cognoscimus. Haec inductio est potius *totalisatio experientiarum,* ad ipsas pedagogice proponendas, quam demonstratio proprie dicta.

b) *Incompleta,* quae proprie inductio est, est illa, qua de subiecto universali inferimus id quod de multis eius inferioribus, non de omnibus, experientia cognovimus. Haec vero

[4] ARIST., *Top.* 1,12 (105a13) et alibi.

erit *sufficiens* vel *perfecta* si ad certitudinem gignendam sit apta; secus erit *insufficiens seu imperfecta*.

Clare apparet primo aspectu differentiam inter talem inductionem et syllogismum categoricum, in quo videmus regulam eius praecipuam esse ne conclusio excedat praemissas in extensione. Quo vero pacto hoc in inductione fieri possit, et de principiis eius fundamentalibus, in Critica sermo longior erit.

ARTICULUS II

De argumentatione probabili

Aristoteles, *Topica;* M. Dorelle, *Le raisonnement par analogie* (Paris 1949); S. Tongiorgi, *Inst. Logicae* n.324.413s.

146. *Argumentatio probabilis* (συλλογισμὸς διαλεκτικός) est ea quae non gignit certitudinem, sed tantum opinionem, seu assensum non firmum, quia desunt rationes, quae contradictorium omnino excludant. Quod dupliciter accidit: *ratione materiae,* si alterutra praemissa non est certa, vel *ratione formae,* si consequentia, i.e. nexus inter praemissas et consequens non est necessarius. Agemus de argumentatione probabili ratione formae, quae ad analogiam et hypothesim reduci potest.

Argumentatio analogiae ea est, qua ex cognitis ad non cognita propter similitudinem concludendo pervenimus; dicitur etiam *a proportionalitate,* qua ab una proportione comperta nobis nota aliam non compertam inferimus.

Eius principia sunt: Inter similia, quod in uno valet etiam in ceteris valet; similia similes effectus, fines, immo et leges habent. E contra dissimilia et contraria; sic v.c. concludimus in brutis dari sensitivam cognitionem, quia similes effectus, similia organa, etc. habent ac homines.

Argumentatio analogiae solummodo per se probabilitatem gignit, etenim eius fundamentum similitudo est, cum qua simul dissimilitudines miscentur, proinde non plene constat talem proprietatem deductam praecise provenire a notis utrique communibus. Hoc tamen argumentum certum evadere potest, si probatur illam proprietatem necessario a nota communi provenire, et dicitur *argumentum a pari;* immo *a fortiori,* si in secundo analogo illa nota melius datur; vel etiam *a contrario,* si certo non adest.

147. *Ad analogiam referri possunt*: *Argumentatio per similitudinem*, quae fit cum effectus, causas vel proprietates unius analogi colligimus ex his quae in alio sunt, veluti cum quis ex qualitatibus, quae ad recte gubernandam navim in navarcho requiruntur, ad qualitates in rege requisitas arguit.

Argumentatio per exemplum, quae fit, si ab una re gesta concludimus ad aliam ob similem rationem, sic v.c. S. Augustinus: "Potuerunt isti et istae, ergo et tu." Si vero factum non sit reale *parabola* dicitur.

Hypothesis seu suppositio [5] est propositio nondum ut vera demonstrata, quae tamen ut vera assumitur, quia facta quaedam bene explicat. Huiusmodi argumentationis exempla abundant in scientiis naturalibus et historicis, v.c. suppositio aetheris, subtilissimi corporis, ad phaenomena lucis explicanda.

Hypothesis per se solummodo probabilitatem gignit. Ad huiusmodi enim syllogismum reduci potest: Si exsisteret haec causa, talia facta nobis exhiberentur; sed talia facta nobis exhibentur: Ergo?

Ex legibus syllogismi non possumus concludere; ergo exsistit talis causa, sed ad summum: potest exsistere.

Per accidens potest hypothesis certitudinem nobis praebere, cum, diversis possibilibus hypothesibus examinatis, solummodo una apta ostenditur ad omnia facta explicanda. Tum syllogismi maior esset: "Solum si haec causa adest, facta haec exhiberentur." In quo casu hypothesis desinit esse talis, et transit in thesim.

Divisio hypothesis. Triplex hypothesis datur: a) *physyca* explicat facta naturae, b) *moralis* explicat facta, quae a libertate pendent, c) *logica, hermeneutica* explicat auctorum sententias.

Leges hypothesis.

1. *Sit possibilis*, saltem si sit explicativa, nempe non contradicat legibus tum metaphysicis, tum physicis naturae notis.
2. *Nulli facto*, quod per experientiam nobis constet certo, *repugnet*.
3. *Omnia facta quae explicanda sunt, commode explicet.*
4. *Sit simplex* secundum notum proverbium: Simplicitas est sigillum veritatis.

---

[5] Cf. S. TONGIORGI, *Inst. Dialect.* n.327.

ARTICULUS III

DE ARGUMENTATIONE SOPHISTICA

ARIST., *De sophist. elenchis; Anal. priora* 2,16; S. TH., *Opusc. de fallaciis;* TOLET., *Introd. in Dialect.* 1.5 c.11s.

148. Nexus. Quoniam "ad logici considerationem spectat, ut... et falsam ratiocinationem vitando errorum falsitatem evitet" [6], nobis nunc aliquid de huiusmodi falsitatibus dicendum venit.

Sophisma dicitur argumentatio falsa, non quaelibet v.c. ob falsitatem praemissarum, sed illa solum, quae ex quodam defectu logico paululum latenti sub specie veri ad falsum ducit.

Dicitur etiam *paralogismus* (falsus syllogismus ratione formae). Tamen haec in usu vulgari adest differentia, quod *sophisma* sit argumentatio non recta decipiendi intentione prolata, dum *paralogismus* bona procedit intentione.

Divisio sophismatum. Iuxta ARISTOTELEM sophismata dividuntur *in voce* seu *secundum dictionem* (παρὰ τὴν λέξιν) et *in re seu extra dictionem* (ἔξω τῆς λέξεως): tredecim numerat ipse ARISTOTELES, sex in voce, septem in re. Alii alia minoris momenti adducunt.

149. *Sophismata dictionis* seu *in voce* sunt ea, in quibus propter vocis unitatem, et in re dari unitatem concluditur. Praecipua sunt:

Aequivocatio (ὁμωνυμία) est unius nominis diversa significatio, et fallacia datur in eius usu, diverso sensu, v.c.: Taurus mugit; sed mons est taurus; ergo mons mugit. Solvitur distinguendo sensus; veros concedendos, falsos vero negando.

Amphibologiae fallacia "est deceptio proveniens ex eo, quod una oratio penitus eadem plura significat" [7]. Exemplum valde notum est oraculum Pyrrho datum: *Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.*

Fallacia sensus compositi et divisi (σύνθεσις et διαίρεσις) in eo est, quod aliquid quod simul cum alio verum est (*in sensu composito*) ut verum habeatur sine alio (*in sensu diviso*) et e contra, v.c.: impossibile est sedentem ambulare (*in sensu composito*); atqui Petrus sedet; ergo impossibile est Petrum am-

[6] S. TH., *Opusc. de fallaciis* initio.
[7] Vide S. TH., *o. c.* c.5.

bulare (*in sensu diviso*); vel duo et tres sunt paria et imparia (*in sensu diviso*); atqui duo et tres sunt quinque; ergo quinque sunt paria et imparia (*in sensu composito*).

Accentus fallacia (προσωδία) ex eo provenit "quod aliqua dictio diversimode pronuntiata, diversa significat" [8], v.c. qui leporem quaerit, deambulat ruri; sed tu leporem domi quaeris sedens; ergo tu ruri deambulas, domi sedens.

Figurae dictionis (σχῆμα τῆς λέξεως) fallacia "est deceptio proveniens ex eo quod aliqua dictio similis alteri videtur habere eumdem modum significandi, cum tamen non habeat" [9], v.c.: Orator est terminus secundae declinationis; sed Cicero fuit orator; ergo fuit terminus secundae declinationis.

150. *Fallaciae* (praecipuae) *extra dictionem seu in re;* sunt illae in quibus ea quae dantur in re sub uno respectu sub alio vel secundum omnem respectum dari intenditur.

Fallacia accidentis (παρὰ τὸ συμβεβηκός) committitur, si id quod per accidens, secundum aliquem respectum de aliquo dicitur, simpliciter vel secundum alium respectum tribuitur, v.c.: scientiae naturales fidei opponuntur (*per accidens*); ergo reiciendae sunt (*per se*).

Frequentiores sunt huiusmodi fallaciae in vita ordinaria immo et in pseudoscientia, v. c. in historia, cum quis ex eo quod aliquis sacerdos, dominus, operarius male procedit, de omnibus sacerdotibus, etc., male procedere certo affirmat.

Celebres etiam sunt *fallaciae in antiquitate nomine* "ψευδόμενος et 'Ηλέκτρα notae:

1. *Mendax fateri potest se esse mendacem; atqui si hoc fatetur verum dicit; qui vero verum dicit non est mendax; ergo mendax non est mendax.*

2. *Num Electra novit redeuntem Orestem? —Non. — Ergo non novit fratrem.*

Ignorantia elenchi (ἡ τοῦ ἐλέγχου ἄγνοια); cum elenchus redarguitionem significet, ignorare elenchum est ignorare modum redarguendi, qui adversario recte opponi debet; et ex eo provenit, quod non bene considerantur ea quae ad propositionem vel ad statum quaestionis pertinent. Ut si quis v.c. vult probare libertatem indifferentiae hominis ex eo quod sit a vinculis solutus; in refutatione vero si tribuitur adversario sen-

[8] S. TH., *o. c.* c.7.
[9] S. TH., *ibid.* c.8.

tentia, quam ipse non tenet, et postea contra ipsam pugnatur, v.c. protestantes contra cultum (iuxta ipsos idololatricum) catholicum Smae. Virginis Mariae. Ita enim fit *transitus in aliud genus* (μετάβασις εἰς ἄλλο γένος). Cum hoc cohaeret *argumentatio qua nimis probatur, iuxta illud,* "Quod nimis probat, nihil probat", i.e. argumentatio, ex qua aliquid falsi deducitur, neque id quod intendebat legitime probat.

151. *Petitio principii* (τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν). *Principium* significat *propositum intentum.* Petit igitur aliquis principium, cum sibi petit concedi principale propositum, quod est probandum; quae fallacia est *deceptio proveniens ex eo, quod idem assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo*[10]. Dicitur *sub alio vocabulo,* quia si esset sub eodem non fallacia, sed ineptia esset; v.c. quando definitum ponitur ad definitionis definitionem, vel cum unum correlativum ponitur ad probationem alterius, v.c., si ad probandum *Socratem esse Platonis patrem,* assumas *Platonem esse filium Socratis.*

Huc quoque *circulus vitiosus* spectat, qui committitur si aliquid probatur per aliud, quod vicissim per primum probetur. Ita v.c. CARTESIUS cum Dei exsistentiam ex idea clara probat, et ideas claras esse veraces ex Dei exsistentia.

FALLACIA CONSEQUENTIS (παρὰ τὸ ἑπόμενον) consistit in illegitima conclusione condicionalis syllogismi, v. c.: si Petrus legit, non dormit; atqui non dormit; ergo legit.

Fallacia non causae ut causae vel *post hoc ergo propter hoc* (τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι) consistit in eo quod quis alicuius effectus causam ponit, quae vera eius causa non est, vel cum falsitas alicuius conclusionis tribuitur alicui propositioni verae, v. c.: *Si nullum tempus esset, nox non esset; si nox non esset, dies esset; si dies esset, aliquod tempus esset: Ergo si nullum tempus esset, aliquod tempus esset*[11].

Fallacia multiplicis interrogationis per modum unius (τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν) consistit in eo quod plures interrogationes, quibus plures essent reddendae responsiones, per modum unius proponuntur, v. c.: *virtus vitiumque suntne bona vel mala?* —Incautus enim simpliciter negans vel affirmans statim erroris arguitur.

Fallacia fictae universalitatis seu *syllogismus pseudographus,* ocurrere potest in inductivo argumento, cum quis ex

[10] S. TH., *ibid.* c.13.
[11] Cf. FONSECA, *Inst. Dialect.* l.8 c.15.

aliquibus enumeratis ad omnes transfert quod in illis invenit, v.c.: *sunt homines turpes qui apparent pii; ergo pietas hypocrisis est.*

Aliae fallaciae contra adversarios v.c. politicos inveniuntur in ephemeridibus frequenter hodie, v.c.: subdola nomina, opinio publica, callidae artes in obtegenda veritate, in mentibus distrahendis, etc. [12].

CAPUT V

De methodo

S. TH., *In lib.II Metaph.* lect.1; T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.328; J. M. LE BLOND S. I., *Logique et méthode chez Aristote* (París 1939), 2.e partie. La méthode dans les traités des sciencies; S. W. JERONS, *Los principios de las ciencias. Lógica del método científico.* Trad. por C. E. PRELAT (Madrid-Buenos Aires 1946); E. DURKHEIM, GIARD. etc. *De la méthode dans les sciences* (Paris 1911).

152. De methodi notione. *Methodus* (μέθ-οδος) in genere est via et ordo in actionibus servandis ut ipsae finem suum obtineant. In omnibus igitur humanis operationibus, in actibus, in institutione physica vel etiam spirituali methodus est adhibenda, sed vel maxime in operationibus intellectus, quae ideo *methodus logica* dicitur.

Methodus logica est modus procedendi in aliqua serie operationum cognitionis, ut ipsis bene inter sese coniunctis veritas recte obtineatur. Necessitas methodi in omni cognitione, sed vel maxime in longa serie cognitionum inter sese coniunctarum, et a fortiori in integra aliqua scientia, nos non latet, si obscuritates, aequivocationes, falsitates, aliaque eiusmodi vitare volumus.

153. Ratio et divisio tractationis. Triplici articulo quaestionem absolvemus. Multi vero ambitum et materiam huius tractatus alio modo concipiunt, ut de definitione, divisione, argumentatione hic tractent; tamen nobis melius videtur de his alibi agere, sicut et fecimus, quum hae operationes potius materia et apta media sint methodo quam ipsa methodus. Neque oportet hic tradere specialem methodologiam scientificam, quae proprie nova scientia est, et ante diversas scientias potius proponenda videtur.

[12] Cf. J. DONAT, *Logica* n.237-8; etiam T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.324; et A. LEPIDI, *Elementa Phil. christ.* 1,329.

Quare non restat nisi ut has quaestiones agitemus: 1) de invenienda doctrina et exponenda, seu *de methodo heuristica;* 2) De ipsis doctrinis in corpus scientificum ordinandis seu *de scientia;* 3) De methodo, qua ipsae doctrinae defendendae sunt, seu *de disputationis methodo*. Quae omnia logico ac rationali modo in omni nostra investigatione scientifica procedunt.

ARTICULUS I

DE METHODO INVENTIONIS ET DOCTRINAE

§ 1. **De regulis generalibus** [1].

154. *Methodus heuristica* ad veritatem inveniandam ac fundandam in primis ordinatur. Auctores tres regulas praecipuas ad eiusmodi methodum exponunt, quae ad doctrinam exponendam etiam prae oculis habendae sunt:

1. *Processus debet fieri a notis ad ignota,* nempe ab his quae actu cognoscuntur, ad ea quae nondum cognoscuntur, vel a notioribus ad ea quae minus sunt nota.

2. *Processus fiat gradatim* [2] non per saltus, ita ut et singulae conclusiones ex proximis et immediatis principiis eliciantur, et debita connexio inter progressiones servetur, quin intermedii gressus omittantur.

3. *Totus denique progressus claritate, brevitate ac soliditate excellat.* Quod ut obtineatur haec prae oculis habenda sunt:

a) *Status quaestionis clare ac determinate proponatur.*

b) Quare *termini bene definiantur* ut omnis ambiguitas dispareat.

c) *Subiectum,* de quo quaestio est, *clare dividatur* in suas partes, quae forte adsint, ut per partes res agitari possit.

d) *Veritates quae supponantur bene determinentur,* probabilia a certis distinguantur, et nihil sine debita probatione admittatur.

c) *Denique* iuvat quaestionis *brevem historiam diversas-*

[1] Cf. circa has regulas SANSEVERINO, *Log.* IV, 155 s.
[2] S. THOMAS, 1 q.108, a.7 ad 2.

que sententias proponere, quin argumenta vel difficultates adversariorum omittantur, sed debita claritate et vi proponantur [3].

§ 2. De methodo analytica et synthetica.

155. *Methodus* varia esse potest:

a) *Ratione materiae generalis* et *particularis;* quae vel in tota serie vel solum in aliqua quaestione servanda est.

b) *Ratione finis: inventionis* sive investigationis, *declarationis* sive probationis, et *defensionis.*

c) *Ratione instrumenti: experimentalis* seu observationis, et *rationalis.*

d) *Ratione modi* methodus est vel *analytica* vel *synthetica.*

"Est duplex via procedendi ad cognitionem veritatis. Una quidem per modum resolutionis, secundum quam procedimus a compositis ad simplicia et a toto ad partem...; alia est via compositionis, per quam procedimus a simplicibus ad composita, qua perficitur cognitio veritatis, cum pervenitur ad totum" [4].

156. De ratione et discrimine methodi analyticae et syntheticae.

Methodo analytica quaeritur terminus medius procedendo a subiecto, ita ut fiat resolutio a composito ad partes, vel a principiato ad principium. Vocatur etiam *methodus collectiva* (*logice*) et *via ascensus.*

Explicatur processus analyticus, seu ontologice divisivus (*logice collectivus*).

Subiectum est res de qua quaeritur utrum ei praedicatum conveniat, quod ut in toto ontologico in eo inveniri debet. Continuata proinde analysi seu partium divisione, proprietatum nempe realium, proceditur donec aliqua nota inveniatur, quae cum praedicato aut convenire aut repugnare videatur. Haec vero nota terminus medius ad probationem erit.

157. *Methodo vero synthetica* quaeritur terminus medius procedendo a praedicato quaestionis; fitque a partibus

[3] Cf. T. Pesch-Frick, *Inst. Log.* 329-30.
[4] S. Thomas, In lib.2 met., lect.1.

ad compositum vel a principio ad principiatum. Vocatur etiam *methodus divisiva* (*logice*) *seu via descensus.*

Explicatur processus syntheticus, ontologice collectivus, logice divisivus.

Praedicatum ontologice est pars aliqua totius ontologici, logice vero est totum logicum, quod sub sua extensione continet (vel excludit) subiectum. Per additionem igitur differentiarum pervenitur ad praedicatum completum, quod cum subiecto identicum clare apparet. In hac methodo difficilius saepe proceditur, quare regulae in inveniendo termino medio attentius considerandae sunt [5].

158. Usus utriusque methodi. 1. *In invenienda doctrina,* nempe cum investigare intendimus qualis sit natura, proprietas alicuius rei, an subiecto conveniat praedicatum, natura duce, utimur *methodo analytica,* quae ad eiusmodi finem aptior ac securior est.

Ab ideis autem universalibus ad particularia, vel a causa ad effectus si quis descendere intendat methodo synthetica, casu vel numquam forte inveniet utrum aliquod praedicatum subiecto conveniat. Quare methodus analytica merito *methodus* dicitur *inventionis.*

2. *In doctrina proponenda,* nempe postquam aliquod praedicatum alicui subiecto convenire demonstratum est, sed veritas sine novo alio argumento ostendenda est aliisque hominibus persuadenda, utraque methodo, sed potius et clarius synthetica, utimur. Quare *methodus synthetica, methodus doctrinae* a multis dicitur.

Exemplum utriusque methodi ipsa sit Dialectica. "Primi qui logicam invenere, prius consideraverunt, nos aliquando bene, aliquando male ratiocinari. Inde ad investigandam naturam syllogismi moti sunt; quam, ut cognoscerent, resolverunt syllogismos in propositiones; rursus illas in terminos, ex quibus constant. At qui nunc logicam docent, vice versa, primo agunt de terminis; deinde propositionem ex illis compositam explicant; postremo syllogismum" [6].

Plura alia exempla in diversis scientiis videre licet apud diversos auctores [7].

---

[5] Vide huiuscemodi regulas in A. GOUDIN, *Philosophia Thomistica,* 1 pars Logica, pars tertia, a.5; cf. etiam T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.358-375.

[6] A. GOUDIN, *Phil. Thom, Logica minor,* Apendix de methodo.

[7] Cf. J. DONAT, *Logica* n.342; C. FRICH, *Logica,* n.147; T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.331-2.

Brevem vero utriusque methodi expositionem historicam vide apud laudatos auctores.

159. Methodus experimentalis et rationalis. Multa, ut non dicam omnia, homini per experientiam sensibilem innotescunt, quare apta *methodus experimentalis* ipsi omnino necessaria esse videtur. Quia vero mens analysim et inductionem in factis sensibilibus cognitis adhibet, haec methodus etiam saepe "inductionis" et "analytica" dicitur. Quae utique completur methodo rationali, quam ipsi scientifici frequenter in suis exponendis doctrinis adhibent.

Duplici instrumento utitur methodus experimentalis ad suas veritates educendas, nempe *observatione et experimento;* de cuius regulis aliquid cum de inductionis natura in critica agitur, trademus.

Methodus rationalis utitur deductione, ut de rebus per inductionem et analysim cognitis in genere, ea quae eis conveniant ulterius concludat. Quare cum experientia coniungi debet ut demonstratio proprie scientifica detur.

Haec vero methodus, cum in ea usus demonstrationis et synthesis praecipuus et frequens sit, *methodus demonstrationis* et *a priori* vel etiam *synthetica* dicitur.

Utraque methodus est necessaria, etiamsi pro natura uniuscuiusque scientiae alia prae alia praevaleat. Quare nec cum empiristis sola experientia sensuum, nec cum idealistis aut rationalistis sola idea solave ratione, nulla experientiae ratione habita, contenti esse possumus.

ARTICULUS II

Appendix de Logistica

§ 1. **Introductio.**

160. Logistica, vel **Logica symbolica,** vel **Logica mathematica,** vel aliter, nam diversis nominibus una eademque res significatur, est novum quoddam genus Logices; *vera Logica,* i. e., non alia scientia, quia idem obiectum materiale et formale cum Logica traditionali habet, scilicet, rectum usum mentis in novas veritates inveniendas; sed iure dicitur nova quia nova methodo evolvitur, unde et propria problemata habet et proprias solutiones.

Haec nova methodus in eo maxime consistit quod, dum Logica traditionalis regulas recte cogitandi per ipsarum intuitionem et evidentiam invenit et iustificat; *hodierna Logica* quam *per pauca et simplicissima principia, quasi postulata,* seligit et statuit; deinde *paucas itidem et simplices leges* decernit ad illa principia inter se commiscenda et coniungenda; tandem *per mechanicam harum regularum applicationem* multas atque implicatissimas formas invenit, quae ideo iustificantur et habere veritatem dicuntur, quia caece iuxta praedictas regulas deductae sunt.

161. Talem methodum, quam *axiomaticam* vocant, EUCLIDES primus in Geometria adhibuit, et deinde a saeculo XVIII omnes mathematici coluerunt nostroque tempore ad omnes deductiones scientificas, quoad id fieri potest, ipsa applicatur; quare mirandum quidem non est si Logicae etiam aptetur, ut ita *nova Logica,* logice constructa, novis valoribus decoretur [1]. Quae agendi ratio, praeter remotiores praedecessores, inter quos etiam R. LULLIUS et G. LEIBNIZ (1646-1716) adscribi solent, initium sumpsit a W. HAMILTON (1788-1856), qui propositionem mathematice concipiebat. Quem secuti sunt F. BRENTANO (1838-1917) qui principem locum in Logica tribuit iudicio, G. BOOLE (1815-1868), A. MORGAN (1806-1868), J. PEANO (1858-1932) et G. FREGE (1848-1925) [2]. Sed tunc attigisse maturitatem *Logistica* dicenda est, cum annis 1910-1913 B. RUSSELL et A. N. WHITEHEAD ingens opus, cui titulus *Principia Mathematica* [3], ediderunt. Ceterum E. HUSSERL (1859-1938), qua est conceptione Logices purissima, haud leve impulsum novis tendentiis addidit.

Nostris temporibus nondum licet loqui de *una Logistica,* cum nondum sit una ratio loquendi unumque systema omnibus qui hanc rem tractandam aggressi sunt, sed singuli proprias directiones excolant. Ideo, ut ratio nostra procedendi

[1] LEWIS C. I., *La Logique et la méthode matematique:* RevMetMor 29 (1922) 455-474.

[2] BOCHENSKI I. M., *Notiones historiae logicae formalis:* Ang 13 (1936) 109-123; BETH E. W., *Hundred Years of Symbolic Logic:* Dialec 1,4 (1947) 331-345.

[3] Praeter hunc librum, qui est velut organon novae logicae, maxime commendandus est BOCHENSKI I. M., *Precis de Logique mathematique:* Bussum (Pays Bas) 1948 ut tractatio completa totius rei, scholasticae menti accommodata. Hispane autem exstant GARCÍA BACA D., *Introducción a la lógica moderna* (Barcelona, Labor, 1936); GRANELL M., *Lógica:* Rev. de Occidente (Madrid 1949); DÍEZ BLANCO A., *Nuevas Lógicas:* RevFil 10 (1951) 43-82, qui affert copiosam bibliographiam distributam per capita; TARSKI A., *Introducción a la lógica y a la metodología de las ciencias deductivas* (Buenos Aires, Espasa Calpe, 1951).

in comperto sit, quod communius est tangemus, non autem quo novum integrum systema construamus.

Tribus capitibus Logica conficitur: calculus propositionum, functionum et classium, et relationum, quibus pauca erunt addenda de logicis polyvalentibus et probabilisticis.

§ 2. **Calculus propositionum.**

162. Logistica initium sumit a iudicio et quidem in eius expressione, i.e., in propositione, quae, ut in Logica traditionali, et sensum completum habet et veritate aut falsitate pollet. V. g.: *heri pluebat, Petrus est homo;* non autem: *cum Ioannes venisset...* Has propositiones inter se coniungit per *nexus logicos* ad efformandos *complexus* propositionum diversos, de quibus investigat an *vi formae* veritatem necessario contineant. *Symbola* propositionum sunt litterae, a, b, c,., p, q, r... Sic pro *homo est animal* licet ponere *p*. Vocantur *variabiles* eodem sensu ac mathesis utitur tali vocabulo.

163. Nexus logici, qui afficiunt propositiones (quos *operatores* vel *constantes Logices* vocant alii) sunt sequentes:

Negatio, cuius symbolum est $\backsim$, propositioni antepositum: $\backsim$ *p,* legitur *non p.* Si *p* esset *homo est animal, non p* esset *homo non est animal.* Si *p* est verum (V), $\backsim$ *p* necessario est falsum (F). Etiam potest negatio complexibus anteponi, eosque reddit e veris falsos, e falsis autem veros.

Alternatio, cuius symbolum est $\cup$, interpositum propositionibus ab eo affectis; *p* $\cup$ *q,* legitur *p vel q,* et significat assertionem *p* vel *q vel utriusque,* ut si quis dicat: *dives honestus accepit hereditatem, vel divitias obtinuit propter laborem proprium;* quod est verum si sit vera alterutra vel utraque propositio.

Coniunctio, cuius symbolum est $\cap$, positum inter propositiones quas connectit; *p* $\cap$ *q,* lege: *p et q,* et significat assertionem utriusque, ut si quis dicat: *homo, intellectu cognoscit et voluntate appetit;* qui complexus est verus si utraque sit vera; falsus autem alterutra deficiente.

Implicatio, cuius symbolum est $\supset$, inter propositionem implicantem et implicatam positum; *p* $\supset$ *q,* lege: *p implicat q,* vel *p ergo q,* vel, *si p tunc q,* ut si quis dicat: *validiores sumus, ergo devincemus hostes;* qui complexus erit verus ex-

stante implicatione, si utraque sit vera, si utraque sit falsa, si sit vera implicata cum falsa implicante; falsus autem est complexus si ex vera implicante habeatur implicata falsa.

Aequivalentia, cuius symbolum est $\equiv$ interpositum duabus propositionibus aequivalentibus; $p \equiv q$, lege: *p est q,* vel *p aequivalet q;* ut si quis diceret: *timere ne non accidat est velle ut accidat,* qui complexus erit verus si utraque sit vera aut falsa, erit falsus si alterutra tantum sit alterutrius valoris.

Disiunctio (additur a quibusdam), cuius symbolum est, positum inter propositiones disiunctas; $p|q$, lege: *p aut q,* ut si dicatur: *senex philosophiam colit aut misere vivit*; qui complexus erit falsus si utraque sit vera; erit verus si una saltem sit falsa. Unde apparet *disiunctio* non esse novus nexus logicus, sed tantum inversio *coniunctionis.*

164. Cum in aliquo complexu plures nexus plures propositiones afficiant, ut quam quis afficiat mediate vel immediate clare legenti ostendatur, adhibentur unci ut in mathematicis expressionibus; vel puncta, quae plura erunt iuxta principaliorem nexum [4]. V. g.:

$$[(a \supset b) \cap (b \supset c)] \supset (a \supset c) \quad \text{vel} \quad a \supset b \,.\, \cap \,.\, b \supset c : \supset : a \supset c$$

Iam valores veritatis vel falsitatis horum complexuum primitivorum possunt reduci ad synopsim, ita ut in duabus primis columnis ponantur valores omnes propositionum p et q secundum omnes combinationes quae inter se variari possunt; in sequentibus autem valores qui ex illis, pro singulis complexibus sequuntur.

p	q	$p \cup q$	$p \cap q$	$p \mid q$	$p \supset q$	$p \equiv q$
V	V	V	V	F	V	V
V	F	V	F	V	F	F
F	V	V	F	V	V	F
F	F	F	F	V	V	V

[4] Est et alia methodus symbolorum, quae uncis vel punctis non eget et pro signis litteris utitur , quare notabile successum habuit. Sic $\backsim$ = N, $\cup$ = A, $\supset$ = C, | = D, $\cap$ = K, $\equiv$ = E; ordo autem hic est: incipitur a symbolo principaliore quod sequitur eius argumentum semper a principialoribus incipiendo; ita 2+2=4 scriberetur =+22 4 , sic etiam $[(a \supset b) \cap (b \supset c)] \supset (a \supset c)$, scriberetur CKCabCbcCac. Hic modus debetur LUKASIEWICZ. BOCHENSKI, *o. c.* p.19.

165. Si autem considerantur omnes combinationes possibiles valorum V et F in complexibus primitivis, quattuor apparebunt superesse cum earum inversis, scilicet, VVFV, FFVV, FVFV, VVVV; ex eis, postrema est absurda, ceterae autem sunt nexus qui saltem per suos valores veritatis vel falsitatis definiri possunt; a quibus nunc praescindimus.

Nunc autem *ipsi nexus vel operatores* ita inter se connectuntur, ut ab invicem sese possint definire, et sic ab uno vel duobus omnes originem ducere.

$p \cap q$ idem est ac $\backsim . \backsim p \cup \backsim q$
$p \supset q$ » » $\backsim p \cup q$
$p \equiv q$ » » $p \supset q . \cap . q \supset p$
$p \mid q$ » » $\backsim p \cup \backsim q$

166. Ex eis autem conceptibus *plura principia prima* et *leges logicae et complexus* immediate evidentes aperte deducuntur, quorum hic praecipuos tantum proponemus:

Pertinent ad identitatem:

(1) $p \supset p$
(2) $p \equiv p$
(3) $p \cup \backsim p$
(4) $\backsim . p \cap \backsim p$
(5) $p \equiv \backsim . \backsim p$
(6) $p \supset \backsim p . \supset \backsim p$
(7) $p \cup p . \supset p$
(8) $p \cap p . \supset p$

Pertinent ad alteritatem:

(9) $p \supset . p \cup q$
(10) $p \cap q . \supset p$
(11) $p \supset q : \supset : p \cup r . \supset . q \cup r$
(12) $p \supset q : \supset : p \cap r . \supset . q \cap r$
(13) $\backsim : p . \supset . q \supset p$

Pertinent ad associationem:

(14) $p \cup q . \cup . r : \equiv : p . \cup . q \cup r : \equiv : p \cup q \cup r$
(15) $p \cap q . \cap . r : \equiv : p . \cap . q \cap r : \equiv : p \cap q \cap r$

Pertinent ad permutationem:

(16) $p \cup q . \supset . q \cup p$
(17) $p \cap q . \supset . q \cap p$
(18) $p \equiv q . \supset . q \equiv p$
(19) $p \supset q . \supset . \backsim q \supset \backsim p$

Pertinent ad transitum:

(20) $p \supset q \,.\, \cap \,.\, q \supset r : \supset : p \supset r$
(21) $p \supset q : \supset : r \supset p \,.\, \supset \,.\, r \supset q$
(22) $p \supset q : \supset : q \supset r \,.\, \supset \,.\, p \supset r$
(23) $p \equiv q \,.\, \cap \,.\, q \equiv r : \supset : p \equiv r$

167. *Haec principia et similia veritatem continent vi formae.* Sed tum haec, tum alia implicatiora veritatem habere dicentur, si instituta analysi valoris ad modum synopseos supra indicatae, semper veritatem ostentent. Sit exemplum:

$$p \supset q \,.\, \supset \,.\, \sim q \supset \sim p$$

Valores propositionum		Valores partiales				Valores totales
p	q	$p \supset q$	$\sim p$	$\sim q$	$\sim q \supset \sim p$	$p \supset q \,.\, \supset . \sim q \supset \sim p$
V	V	V	F	F	V	V
V	F	F	F	V	F	V
F	V	V	V	F	V	V
F	F	V	V	V	V	V

Eodem modo absurda innotescere possunt. Sic $p \cap \quad p$, quod est contra principium contradictionis, ostenditur absurdum:

p	$\sim p$	$p \cap \sim p$
V	F	F
F	V	F

168. Sed est et *alia methodus* ad valores veritatis cognoscendos, quae vocatur *demonstrationis*. Duplici nititur regula: propositiones, in aliquo complexu vero, mutari possunt pro alia propositione vel complexu—iure enim vocantur *variabiles*—immutata veritate; vocatur *lex substitutionis*. Altera est *lex assimilationis*, scilicet, complexus habens formam alicuius definitionis potest mutari pro definito, immutata veritate. Sit exemplum demonstratio legis syllogismi:

$$p \supset q : \supset : r \cup p \,.\, \supset \,.\, r \cup q \qquad \text{(a)}$$

quod est evidens cum sit principium additionis sub numero 11 positum, in quo substituitur ∽ r pro r, hoc modo:

$$p \supset q : \supset : \sim r \cup p . \supset . \sim r \cup q \qquad (b)$$

sed cum in definitione $p \supset q \equiv \sim p \cup q$ secundum membrum assimilatur duplici parti huius secundi membri (b), unde potest mutari pro primo membro definitionis, sic:

$$p \supset q : \supset : r \supset p . \supset . r \supset q$$

Quae est lex syllogismi, et ideo dicitur demonstrata quia ex vero principio per applicationem regularum deducta est.

§ 3. **Calculus functionum et classium** [5].

169. Ingrediamur nunc ipsam propositionem, in qua cuidam subiecto tribuitur certum praedicatum, v. g. *Petrus est homo.* Sed, integra veritate propositionis, possibile erit loco *Petri* ponere nomen *Ioannis, Antonii,* etc., id est, omnes homines possibiles. Collectio individuorum quae possent poni pro subiecto vocatur *classis vel dominium functionis;* propositio autem in qua subiectum est variabile modo praedicto vocatur *functio propositionalis,* quia est veluti schema propositionis, v. g., *X dormit, X est homo,* etc. Exprimitur hoc symbolo: f (x), ubi X repraesentat classem, f autem praedicatum. Φ. χ. ψ. solent indicare praedicata; x, y, z, classes; a, b, c, individua cuiusvis classis.

Ex dictis patet *functiones,* suapte natura, ut *propositiones* tractari posse; sunt enim verae propositiones in potentia vel abstracto quodam modo; sed proprium est functionum quod enascitur ex earum dominio plus minusve amplo. Ad id determinandum haec symbola adhibentur, quae *praedicati quantificatores* dicuntur:

(x) f(x) scilicet omnes x implent f(x)
(Ex) f(x) scilicet aliqui x implent f(x)
(ι x) (f(x) scilicet unum x implet f(x)

Unde patet:

$\sim (x)f(x) \supset (\sim x)f(x)$
$(Ex)f(x) \supset (\iota\, x)f(x)$ et alia huiusmodi.

[5] Methodus quae recte vocaretur reductionis explicatur a TORANZOS F. *Introducción a la epistemología y fundamentación de la matemática* (Buenos Aires, Espasa Calpe, 1949) p.35. Circa operationes logicas vide ENRIQUES F. *Problemas de la lógica* (Buenos Aires, Espasa Calpe, 1947) p.184.

170. Potest autem considerari *dominium functionis,* praecise a propositione, et relate tantum ad dominium aliarum functionum, quod vocatur *calculus classium* [6]. Symbola in eo generatim adhibita sunt: (x)f(x), lege: classis *x implet functionem f(x); a* ϵ f(x), lege: *a est individuum classis implentis f(x); a*ϵA, lege: *individuum a pertinet ad classem A;* nam *classes* maiusculis litteris significantur: A, B, C, D... *Constantes sive nexus logici* sunt iam cogniti. Sic:

∽ A : classis individuorum qui non pertinent ad A.
A ∪ B : classis eorum qui pertinent ad A vel B.
A ∩ B : classis eorum qui pertinent ad A et B.
A ⊂ B : classis A integra pertinet ad classem B.
A ≡ B : classis A pertinet ad B et B ad A.
Λ : classis nullum continens individuum seu vacua.
V : classis omnia continens individua seu totalis.

Positis his definitionibus, iam licet, similiter ac in prioribus calculis, principia prima statuere, ex quibus alii complexus deducantur.

§ 4. **Calculus relationum.**

171. Dantur etiam *functiones propositionales* duobus variantibus praeditae, quod significatur hoc symbolo: f(x,y) vel etiam xRy, quod legitur: *relationem quae viget inter x et y.* Puta quod si in propositione *Petrus amat Antonium,* pro subiecto et termino variabiles ponantur, *x amat y.*

Classis *x* et classis *y* habent talem relationem inter se, ut singulis individuis classis *x* respondeat in dicta propositione unum, plura vel omnia individua classis *y,* et viceversa.

Hae relationes, ut propositiones et functiones, affici possunt nexibus logicis: negatione, alternatione, coniunctione, implicatione, aequivalentia, disiunctione; sed in componendis complexibus et in primis principiis stabiliendis, certae proprietates relationum attendendae sunt, praeter quam quod etiam hic valent quantificationes variabilium.

172. *Relationes symmetricae* dicuntur, huius formae xRy, cum classis x et y possunt mutare locum, integra veritate relationis; vocantur autem *assymmetricae* si contra ac-

[6] Abranches C., *Logistica das clases:* RevPortFil 4 (1948) 120-130.

cidit; quod exprimitur his signis $xRy \supset yRx$; nam intra symbola additur punctum ut intelligatur agi de calculo relationum. Exemplum relationis symmetricae est similitudo.

Relationes transitivae vocantur cum adimplent hanc legem: $xRy \cap yRz \supset xRz$, cuius exempla sunt maioritas et minoritas.

Relationes univocae sunt illae, in quibus singulis individuis singula individua respondent; quodsi praeterea sint *symmetricae* vocantur *biunivocae.*

Relatio dicitur reflexiva si non repugnat haec expressio: xRx, ut est relatio identitatis, sed talis relatio necessario est rationis ratiocinantis, quia relatio ex se exigit alteritatem sive oppositionem terminorum.

Relatio dicitur connexa si singulis individuis respondet integra classis.

§ 5. **Systema logicum.**

173. Summatim dictum est quomodo procedatur in constituendis systematibus logicis, tum propositionum, tum functionum et classium, tum relationum, ex quo factus est gressus ad *leges et proprietates* quibus talia systemata reguntur, quam *meta-logicam* appellant.

Sic ex una parte orta est *semiotica* seu *scientia symbolorum* quae necessario in logica adhibenda sunt, prout dicunt relationem ad res quarum sunt signa, vel ad mentem cuius sunt effectus et instrumentum, vel ad utrumque. Ex altera parte, systemata iis symbolis constructa ita debent intra se esse connexa ut positis praemissis, omnia per leges deriventur ut nullam involvant contradictionem, et nullam antinomiam vel paradoxam, quae non possit solvi intra systema, contineant.

Atque, ut in geometria euclidea perventum est per negationem aliquorum principiorum ad instaurationem aliarum scientiarum ut sunt illae non-euclidianae, simili modo ex omissione aliquorum principiorum logicorum, aliae logicae oriri possunt.

Huiusmodi systemata logica certe quidem, si arbitrarie omnino inveniantur, nullum valorem habent in rebus exsistentibus, suntque *meri ludi,* ut *tessellarum* (*ajedrez*) et multa alia, quae necessariis legibus certe reguntur, verum quia ad

nullas veritates obiectivas detegendas, ducunt, extra logicam iudicari debent.

174. *Principium* ab his logicis generatim omissum est *exclusi tertii* (p ∪ ∽ p) et sicut logica traditionalis semper duplicem valorem propositionum agnoscit: scilicet, veritatis (V) et falsitatis (F), ita logicae modernae triplicem vel multiplicem valorem considerant, quare *logicae polyvalentes* nuncupatae sunt.

Quae logicae, si non ut obiectivos sed ut psychologicos hos valores excolunt, ut exprimentes status conscientiae respectu veritatis, quibus aliquid a parte rei respondet, etsi diverso modo, certe ut validae haberi debent, modo haec restrictio ob oculos habeatur. Puta si in aliqua investigatione atomica, quantitas aliqua minutissima reputetur nihil, quod iure fit, si mensurari nequeat; sed ex alia parte simul in eadem argumentatione reputetur aliquid; coniunctio harum propositionum irritum apparet reddere principium contradictionis, non certe in se, sed ex parte nostrae imperfectissimae cognitionis; quod tamen potest inservire ad penitius investigandam, nostroque modo cognoscendam atomum, ut validum habendum est, dum modo in contradictionem formalem non ducat, sed semper ob oculos habeatur hypothesis illa initialis de eo quod ita vel alio modo dicatur "tantum in ordine huius inferentiae".

Quid simile accidit *in probabilitate* [7], quae proprie est status subiectivus, formido errandi haud magna, obiective autem proiecta, si rebus tribuatur, novum parit valorem inter verum et falsum, qua via alia logica integra constitui potest, calculo probabilitatum vicina. Hoc autem sensu videntur interpretandae plures locutiones HEISEMBERG [8] et SCHRÖEDINGER de activitate electronum deque eorum qualitatum indeterminatione.

§ 6. **Conclusio.**

175. *Merita autem*, quae *Logistica* ostentare potest, haec fere esse videntur [9]: Primo quidem *usus symbolorum;* nam etsi logica traditionalis aliqua symbola adhibuit, quantum ad

[7] REICHENBACH H., *Les fondements du calcul des probabilités:* Annales de l'Institut Henri Poincaré (1937) 7,5.
[8] FEBRIER P., *Les relations d'incertitude de Heisenberg et la logique* (Paris 1936).
[9] DE VRIES J., *Logistiche Zeichensprache und Philosophie:* Schol 16 (1941) 369-379.

ordinariam evolutionem logices requirebatur, *Logistica*, cum operationem intellectus totaliter symbolicam proponat atque evolvat, eius studium reddit et longe facilius et praesertim in implicatissimas combinationes unice possibile. Adde quod propter efficacitatem technicismorum, res considerat cum maiore praecisione ab elementis affectivis quibus verba omnia abundant.

Deinde magni habendum est quod *logica constructio ipsius logices*, ipsam reddit magis scientifice, organice et *pulchre ordinatam*, quamquam hoc potius ad formam proponendi quam ad ipsam essentiam vel methodum pertinet.

Tandem, quod adamussim per demonstrationes procedat e rebus indefinibilibus et regulis evidentibus, ad implicatiora et deducta, caeco quodam et mechanico modo, novasque formas rectae veritatis invenerit, in pretium habendum est; dum rationi evidenter cognoscenti et iudicanti primas semper in logica concedatur necesse est ad inveniendas et iustificandas normas recte cogitandi, eis maxime studere debemus quae utiles sunt ad scientias colendas, ne acumen mentis frustra exerceatur.

Postremo hoc habet Logistica, quod, cum mathematice procedat, methodum magis technicam et, quod maximum est, ad gustum hodiernum hominum propugnat accommodatam, sed fortasse minus humanam.

ARTICULUS III

DE SCIENTIA SEU DE METHODO SYSTEMATIS SCIENTIFICI CONSTRUENDI

URRÁBURU, *Inst. Phil.*, I, *Logica maior*, disp.4, de scientia, p.879s; W. SZILAZI, *¿Qué es la ciencia?*, trad. de W. ROCES y E. IMAZ (Méjico 1949); A. REYMOND, *Le problème de la classification des sciences.* Esquisse historico-critique: Scientia 63 (1938) 181-190; A. DÍEZ BLANCO, *Nuevas consideraciones sobre la clasificación de las ciencias:* RevFil 8 (1949) 67-82; AMERIO FRANCO, *Epistemologia* (Morcelliana-Brescia 1948) est tractatus scientiae sub respectu historico.

176. Post multas quaestiones propositas, solutas ac sufficienter demonstratas non ideo scientia et scientificum systema iamiam habetur; sed requiritur praeterea, ut secundum rectum aliquem ordinem inter se omnes illae veritates coniungantur. Inde scientia et systema exsurgit, ad quod construendum ea omnia quae de methodo diximus et quae de speciali

methodo in unaquaque scientia dicenda sunt, maxime conferunt.

Restat nunc ut de ipsa scientia, eius divisione, ac generali methodo aliqua dicamus.

§ 1. **De notione scientiae.**

177. *Scientia* est vox latina quae duplici sensu accipi potest: 1) *subiective,* quo actus sciendi significatur, et definitur: "cognitio certa rei necessariae per causas"; 2) *obiective,* quo res cognita significatur, et definitur: "ordinatus complexus ex suis rationibus cognitionum certarum ad unum quoddam obiectum pertinentium".

Dicitur etiam *systema,* quod vi vocis quamlibet rem ex partibus compositam significat; cum vero de scientia agitur, indicat aptam partium in toto ordinationem, et rectam omnium, vel saltem unius, scientiarum constitutionem.

178. Explicatur definitio scientiae sensu obiectivo. Dicitur *complexus,* quia supponit diversas proponi demonstrationes et discursus circa aliquod obiectum; una enim vel paucae propositiones scientiam non constituunt;

cognitionum certarum, scientia enim constat non opinionibus, nec dubiis sententiis, nec a fortiori erroribus, sed veritatibus certis saltem quoad maiorem partem; etiamsi hypothesis, opiniones et huiusmodi nunc generatim ad scientiam perfecte constitutam pertineant;

ex suis rationibus, nam illae propositiones debent demonstrari per suas rationes et causas, saltem logicas, cum non semper per causas reales explicari possint vel debeant. Inde ARISTOTELES: "... scire putamus unamquamque rem..., cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, nec posse eam aliter se habere" [1]. Et STUS. THOMAS: "Scientia est rei cognitio per propriam causam" [2];

ad unumquodque obiectum pertinentium, non enim quaevis congeries propositionum circa plura obiecta tractantia scientia dicitur.

Obiectum autem intelligitur non materiale, *sed formale,* ex quo diversae scientiae specificantur, v. c.: homo potest sub

[1] *Anal. post.* 1,2 (71b9).
[2] 1 *C. Gent.* c.94.

diverso aspectu esse obiectum psychologiae, anthropologiae, biologiae, etc.; et ideo huiusmodi scientiae inter sese diversificantur ratione diversi obiecti formalis, licet idem obiectum materiale habeant;

complexus ordinatus seu systematicus, nam etiamsi omnes cognitiones ad unum obiectum spectent, sed non inter se ordine dependentiae, deductionis, universalitatis cohaerent, non scientia sed indigesta haberetur congeries. Ab indole autem uniuscuiusque scientiae et a fine scientifico obtinendo pendet ordo in expositione sequendus.

Ad hanc vero systematis structuram hae tres regulae commendantur:

1. Omnia instrumenta cognoscendi recte sunt adhibenda, prout natura materiae, de qua agitur, postulat.

2. Adhibenda est analysis et synthesis et in primis analysis.

3. Partes omnes suo quoque loco constituantur [3].

§ 2. De divisione scientiae.

179. Nexus. Quaestio haec de scientiarum divisione maxime animos modernorum exagitat. Antiquitus enim cum omnes cognitiones humanae, fabulis sublatis, non nimis extenderentur, facile omnes scientiae unicam scientiam naturalem, philosophiam nempe constituebant; neque proinde quaestio ulla circa ipsius divisionem agitabatur.

Nunc vero, copia cognitionum humanarum in infinitum aucta, omnino necessaria fuit divisio multiplex inter diversas scientias; immo in ipsis scientiis ulterius partes novas et distinctas proponere necessarium est.

Haec continuata divisio multiplex problema gignit. Si enim moderata divisio ad claritatem et distinctionem vere confert, immoderata maximam secum fert confusionem. Inde omnes moderni auctores bonam et aptam divisionem scientiae quaerunt, quamdamque classificationem generalem et quasi *super-systema,* quod omnes cognitiones humanas unitate aliqua organica ordinare possit.

180. Fundamentum divisionis. Omnis bona divisio pendet a fundamento sub quo ipsa fiat; quod debet esse constans et accommodatum fini a dividente intento.

[3] Cf. T. PESCH-FRICK, *Inst. Log.* n.382.

Scientiae vero divisionis fundamentum eius obiectum est; scientiae enim *ab obiectis specificantur,* ut ait S. Thomas: "Diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit" [4]. Sic v. c. omnes morbi obiectum medicinae constituunt.

Porro hoc obiectum intelligitur *non materiale, sed formale* nempe res sub illo respectu sumpta, sub quo haec scientia illud considerat. Possunt enim plures scientiae circa idem obiectum materiale versari, sicut medicina, anatomia, physiologia corpus humanum considerant; sed semper diversum obiectum formale habent, sic medicina morbos corporis, anatomia structuram, physiologia functiones considerat.


181. Divisio. *Tot igitur scientiae distinctae* sunt considerandae, *quot diversa obiecta formalia dentur.* Quae cum innumera considerari possint, aliquo modo his rationibus minuenda sunt:

1. Consideranda solum est *diversitas essentialis* obiecti formalis, non vero mere accidentalis.

2. Hinc prae oculis habendae sunt *considerationes generaliores,* secundum quas scientiae dividi possunt, et sub quibus multae aliae divisiones specificae postea ulterius considerari poterunt. Ita de facto accidit in physica antiqua, quae nunc plures divisiones in dies obtinet.

182. Variae divisiones ab auctoribus propositae. Iuvat nunc *diversas divisiones scientiae,* ab aliquibus auctoribus secundum varia fundamenta excogitatas, proponere.

Divisio a C. FRICK proposita [5].



---

[4] 1 q.1 a.1 ad 2.
[5] Cf. *Logicam* n.152.

Divisio J. DONAT [6].

Scientia
- *supernaturalis:* Theologia
- *naturalis* (profana)
  - philosophia
  - *particularis*
    - *naturalis*
      - chemia
      - astronomia, etc.
    - *mathematica*
    - *spirituales* vel scientiae spiritus, culturales, historia, sociologia, psychologia empirica, philologia, etc.

Ampla omnino et completa divisio proponitur a J. HELLÍN *in Theologia naturali* [7] *quae ab ipso clare ostenditur.*

Scientia habet obiectum aliqualiter abstractum a materia
- a materia singulari, non vero a sensibili: Physica.
  - ut investiget descriptionem factorum et leges: Scientia positiva.
    - Scientiae positivae.
      - in corpore non vivente: Scientiae physicochimicae.
      - in corpore vivente,
        - generatim, Biologia.
        - in plantis, Phytologia.
        - in animalibus, Zoologia.
        - in homine,
          - ut aliquod totum, Anthropologia.
          - circa actus ut subiectos legibus: Psychologia Experimentalis.
          - ut dirigibiles ad docendum: Paedagogia.
          - ut dirigibiles ad administrandum, Oeconomia.
          - ut dirigibiles ad gubernandum, Politica.
          - ut dirigibiles ad relationes mutuas, Sociologia.
          - ut dirigibiles ad aliquid faciendum, Artes pulchrae, officia.
  - ut investiget essentiam intimam corporum: Philosophia Naturalis.
    - Philos. Natural.
      - in corpore generatim, Cosmologia.
      - in corpore vivente, Psychologia.
        - in vivente irrationali Psychologia inferior.
        - in vivente rationali ut aliquod totum, Anthropologia philosophica.
          - circa eius actus ut aptos ad verum, Critica.
          - ut dirigibiles ad verum, Logica et Criteriologia.
          - ut dirigibiles ad finem totius vitae humanae, Ethica.
- a materia singulari et sensibili, non vero intelligibili non ut investiget intimam essentiam eius per causas, sed solum ut investiget relationes aequalitatis et inaequalitatis: Mathesis.
  - Mathesis
    - in quantitate continua, Geometria.
    - in quantitate discreta, Arithmetica.
- ab omni materia, ut investiget essentiam per causas absolute ultimas, et tractat de ente immateriali secundum esse, Metaphysica.
  - Metaphysica
    - de ente praecisive immateriali, Ontologia
    - de ente positive immateriali,
      - increato, Theodicea.
      - creato, Pneumatologia.

N. B. **Circa historiam divisionis scientiarum** cf.:

DONAT, *Introd.* n.370; ROMERO, *P. Logica* (Buenos Aires) n.91 apéndice A, B; WUNDT, *Introd. a la Fil.* t.1 p.35-79.

[6] *Logica* n.367.
[7] *Theologia naturalis* n.12.

§ 3. Scientiarum subordinatio et unicitas.

183. Scientiae possunt esse inter sese diversimode dependentes, quae dependentia *subordinatio* sive *subalternatio* dici solet. Multiplex vero datur inter scientias subordinatio:

1. *Ratione dignitatis et excellentiae* datur, cum scientiae nobilius habentes obiectum subordinant sub se reliquas scientias, sic. v. c. theologia scientias profanas, philosophia scientias particulares.

2. *Ratione finis* datur cum obiectum unius scientiae ordinatur tamquam medium ad obiectum alius, ut accidit in logica respectu ceterarum scientiarum, quarum *organum seu instrumentum* dicitur.

3. *Ratione principiorum et directionis datur*, cum principia quibus aliqua scientia dirigitur sunt conclusiones demonstratae in alia, sic omnes scientiae subordinantur metaphysicae; vel si aliqua debet respicere alius propositiones tamquam normam saltem negativam, sicut scientiae profanae theologiae directioni subsunt.

4. *Ratione obiecti seu logicae subordinationis* datur, cum obiectum materiale unius sub alius obiecto materiali cadit; sic omnes scientiae naturales metaphysicae subsunt.

Quae omnia si simul dentur in aliqua scientia respectu alius, *subalternatio eius erit perfecta.*

184. Inde etiam solvitur quaestio de *unicitate scientiae, utrum nempe omnes scientiae ad unam scientiam sensu proprio revocari possint.*

Nam sensu lato patet omnes posse sub diverso respectu tum logicae, tum morali, tum metaphysicae subordinari. Sed si de sensu stricto agatur, negandum videtur; nam licet omnes scientiae idem habeant obiectum primum formale, scilicet principium non contradictionis, at non idem principium materiale, ut patet; nec aliunde est aliqua scientia, quae omnia materialia principia possideat, quod omnino ad perfectam subalternationem requiritur [8].

---

[8] Cf. T. Pesch-Frick., *o. c.* n.22.25.

ARTICULUS IV

DE METHODO DISPUTATIONIS

185. Restat nunc de *methodo disputationis* agere; qua methodo quaestio aliqua ita proponitur, ut a difficultatibus defendatur. Nam

Disputatio in genere illa est argumentatio, quae saltem inter duos habetur, ut aliquid clarius ostendatur.

Quadruplex disputatio distingui potest secundum diversum finem:

apodictica seu *probans*, ad doctrinam aliquam probandam;
elenctica seu *confutans*, ad errores refutandos;
apologetica seu *defendens*, ad veritatem defendendam;
sophistica seu *deceptiva*.

Concertatio vero scientifica exsurgit ex disputatione duorum ex una parte elenctica, ex alia vero apologetica, quae proprissime disputationis nomine gaudet. Huius vero disputationis *magnus fructus* duplex invenitur: *materialis*, quatenus ipsa doctrina eiusque argumenta et obiectiones clarius considerantur; *formalis*, quatenus ipsae facultates intellectivae, ingenii acumen, critica ac opinionum delectus exercentur ac coluntur; quare optimum est exercitium. Ita antiquitus inter ipsos magistros ad quaestiones enucleandas adhibebatur, v. c. in quaestionibus de auxiliis; nunc vero ut exercitium scholare praescribitur in Const. Apost. *Deus scientiarum Dominus*, art. 30, § 2. Sed ab inordinata cupiditate disputandi, necnon a falsis disputandi modis cavendum est [1].

186. *Ex modo autem ac processu disputandi* iterum distinguitur:

a) *Concertatio communis*, quae in disserendo liberum ac vulgarem sequitur modum, quo homines in commercio ordinario uti solent.

b) *Scientifica* quae regulas determinatas sequitur, et potest esse: 1) *Socratica seu mayeutica*, quae nempe aptis interrogationibus, artificio quodam coniunctis, adversarium eo adducit, ut cogatur affirmare veritatem propositionis, quae defenditur; 2) *Syllogistica seu scholastica*, quae est illa con-

[1] Cf. TONGIORGI, *Inst. Phil.* n.350.

certatio inter duos statuta, quorum unus thesim defendit, alius vero impugnat forma stricte syllogistica, nempe enthymematis ac syllogismis, licet non excludantur praeviae interrogationes, explicationes, quae ad formam instaurandam saepe necessariae sint.

Ut haec forma convenienter a discipulis acquiratur, diligenter ipsi iam ab initio exercendi sunt, quia saepe, quae primis curriculis non didicerunt numquam in posterum bene discent. Breviter igitur haec methodus proponenda est; in qua tres praecipuae partes distingui possunt.

187. I. **Disputationis exordium** continet enuntiationem et expositionem theseos et primam obicientis propositionem.

1) *Enuntiatio et expositio theseos.* Defendens stans ita enuntiat thesim: "Thesis defendenda haec est: Veritas...", deinde sedens thesim exponit methodo consueta quoad notiones, statum quaestionis, sententias et probationes; in qua expositione claritati et brevitati maxime consulendum est pro utilitate auditorum. In ordinariis tamen disputationibus longior, in solemnioribus, brevior, si praemittitur, desideratur expositio. Finita vero expositione additur: "Atque ita videtur thesis probata."

2) *Obicientis prima propositio.* Tunc surgunt ambo et arguens proponit enthymema, in quo indicat quo pacto thesim aggrediatur. Quod dupliciter obtinere potest: vel 1) *affirmando contradictorium* vel *contrarium theseos,* vel *alicuius saltem partis,* si plures sint, v. c.: "Adversus thesim (in solemnioribus disputationibus: sub numero 4 vel 5, etc., positam) vel adversum primam vel secundam partem theseos, in qua tenes: Bruta intellectu carent, ita arguo: Nulla bruta carent intellectu, vel aliqua bruta non carent intellectu; ergo falsa est thesis (quoad primam, secundam, etc., partem)"; 2) vel *affirmando* thesim *nullo argumento,* vel saltem *tali argumento non probari, ita*: "Contra thesim... ita arguo: primum argumentum nihil probare, vel secundum falso niti supposito (vel quid simile) ergo..."

3) *Defendens* totum argumentum fidelissime repetit, quin vocem mutet, et antecedens iterum repetitum simpliciter negat. Et hoc pacto similiter procedendum est quoad omnes obiectiones arguentis. Sic v. c.: "Adversus thesim (vel aliud aequivalens) in qua teneo, bruta carent intellectu, ita

arguis: aliqua bruta non carent intellectu; ergo falsa est thesis (vel aliud aequivalens: pars, argumentum)".—*Aliqua bruta non carent intellectu. Nego antecedens.*—Tunc sedent ambo et incipit prima concertatio.

188. II. **Prima concertatio,** quae primam obiectionem eiusdemque responsionem complectitur. *In primis arguens resumit*: "Probo antecedens, et tum primum syllogismum (vel dilemma, vel enthymema) profert; epicherema autem, polysyllogismus, sorites et eiusmodi argumentationes vitandae et in plures simplices syllogismos resolvendae sunt, ut brevitati et claritati consulatur, et defendens facilius argumenta repetere possit: *Defendens* debet attente audire probationem, et fideliter integram ad verbum repetere. Repetit iterum, postea unamquamque propositionem separatim, et secundum sequentes modos iudicat:

1. *Transeat totum (argumentum),* quae responsio tunc maxime est danda, cum obiectio extra quaestionem procedit, ne inutiliter circa rem non pertinentem disputetur.

2. *Concedo maiorem et minorem, sed nego consequentiam et consequens,* quod significat argumentationem non esse rectam, consequenter nihil probare.

3. *Transeat maior vel minor* nempe de ea non iudico, vel quia forte esset distinguenda, vel quia ad rem non proprie pertineat, ideoque omittitur ne disputatio in aliud declinet, v. c.: Mundus est ab aeterno exsistens; A. quod ab aeterno exsistit est increatum; E. mundus est increatus.—*Respondeo*: Trans. maior, et nego minorem.

4. *Nego suppositum maioris vel minoris,* si nempe maior vel minor aliquam falsam sententiam supponit, v. c. aliquis impugnans divinam omnipotentiam sic argueret: Si Deus esset omnipotens, circulum quadratum effecisset; atqui circulum quadratum Deus numquam fecit; ergo Deus non est omnipotens. *Resp.*: *nego duplex suppositum*: primum, circulum quadratum esse possibilem; secundum, Deum teneri ad omnia facienda, quae potest.

5. *Nego maiorem, minorem vel antecedens,* quando aliqua praemissa falsa sit. Quum vero aliquid negatur non ulterius progrediendum est, sed arguentis est negata probare.

6. *Concedo maiorem, minorem vel antecedens* quando praemissa sit vera.

7. *Distinguo maiorem vel minorem vel antecedens,* si aliqua praemissa duplici sensu, uno vero alio falso intelligi potest, a qua ambiguitate veritas vel falsitas conclusionis pendet.

Multiplex vero potest esse distinctio; nam ambiguitas ex aliquo termino provenit, qui in duabus propositionibus invenitur, nempe vel ex termino medio, qui est in maiore et in minore, aut ex termino maiore qui est in maiore et in conclusione, aut ex termino minore, qui est in minore et in conclusione.

Si ambiguus est *terminus medius,* distinguenda est maior, *contradistinguenda* est minor, et sub datis distinctionibus *neganda est consequentia et consequens. Contradistinguitur* vero minor, quia ille respectus termini medii, qui in maiore cum extremo convenire conceditur, cum alio extremo in minore convenire negatur, et vice versa.

Si vero ambiguus est *terminus extremus sive maior sive minor,* praemissa ubi inveniatur ipse distinguenda est, alia vero concedenda vel transmittenda, et *consequens pariter distinguendum est. Pariter* autem *distinguitur* consequens, quia secundum illum respectum secundum quem extremum in praemissis cum termino medio convenire conceditur aut negatur, secundum eumdem convenire cum alio extremo in conclusione legitima concedendum est aut negandum.

Nota vero, aliquando prima distinctione non tolli ambiguitatem, quare subdistinguere oportet, et immo iterum subdistinguere, donec claritas fiat. Membrum vero subdistinguendum ponitur secundo loco, nec dari oportet subdistinctionem utriusque membri.

189. Quae omnia in schematibus et exemplis sequentibus facile patent:

Terminus medius est ambiguus: M est M′ et M″.

Omne M est P	*Dist. mai.*: Omne M′ est P: concedo maiorem Omne M″ est P: nego maiorem.
A. omne S est M	*Contrad. min.*: Omne S est M′: nego minorem. Omne S est M″: concedo min.
E. omne S est P	Et sub datis distinctionibus, *nego consequens et consequentiam.*

Exemplum: Quod est in mente non est extra mentem; Atqui obiectum cognitum est in mente; Ergo obiectum cognitum non est extra in mentem.

Respondeo: Quod est in mente non est extra mentem, *distinguo maiorem*: quod est in mente realiter non est extra mentem realiter, *concedo maiorem;* quod est in mente tantum intentionaliter non est extra mentem, *nego mai.*

Atqui obiectum cognitum est in mente, *contradistinguo minorem*: intentionaliter, *concedo;* realiter, *nego.*

Ergo obiectum cognitum non est extra mentem, et sub datis distinctionibus, *nego consequens et consequentiam.*

Si extremum maius est ambiguum: P est P′ et P″.

Omne M est P	Resp.:	Dist. mai.: Omne M est P′, conc. mai.
Omne S est M		Omne M est P″, n. mai.
		Concedo minorem.
Omne S est P		Pariter distinguo cosequens:
		S est P′, concedo.
		S est P″, nego.

Exemplum: Qui nihil facit, non peccat; Sed piger nihil facit; Ergo piger non peccat.

Respondeo: Repetito similiter ac antea argumento, sic:

Distinguo maiorem: Qui nihil facit nihil peccat positive, *concedo maiorem;* nihil peccat negative, *nego maiorem.*

Concedo minorem.

Pariter distinguo consequens: Piger non peccat positive, *concedo consequens;* non peccat negative, *nego consequens.*

Nota. *Distinctio* fiat per membra inter sese opposita, non mere disparata, non sit tautologica, innecessaria, neque nimis multiplicata quoad subdistinctiones.

Si vero distinctio non primo aspectu pateat, vel ab arguente declaratio petatur, brevissime declaretur.

Epicheremati respondetur considerando propositionem eiusque rationem, v.c.: anima humana est spiritualis, quia sentit; atqui si est spiritualis est immortalis; ergo. *Respondeo*: *concedo maiorem,* et ad rationem additam *concedo,* sed *nego consequentiam.*

190. Distinctio syllogismi condicionalis, disiunctivi, ac dilemmatis. *In syllogismo condicionali* distinctio potest afficere vel condicionem, vel condicionatum. Si primum minor affirmans contradistinguenda est; negans exigit pariter distingui consequens. Si secundum, contra, minor negans contradistinguitur; affirmans vero infert pariter distingui consequens.

In syllogismo disiunctivo haec prae oculis sunt habenda: 1) *distinctio incompleta* neganda est, et datur tertium saltem si ab arguente petatur; 2) *Distinctio per membra contradictoria* est concedenda, licet aliqua sit ambiguitas in aliquo membro, quae ambiguitas in responsione ad minorem manifestari potest; 3) Indicata distinctione, discutienda erit pars prima minoris et postea secunda.

In dilemmate haec sunt tenenda: 1. Si distinctio non est completa etiam maior neganda est.

2. Generatim vero concedenda est, quia saepius disiunctio inter contradictorie opposita fit.

3. Ad bene dandam responsionem, in maiore dicitur: *Concedo disiunctionem et eligo primum* (*secundum*) *membrum*, in minore vero respondetur iuxta membrum electum, alio relicto.

Exemplum: Principium non-contradictionis aut demonstratur aut non demonstratur. Si demonstratur committitur petitio principii; si non demonstratur non est certum. Ergo principium contradictionis non est certum.

Respondeo: *Concedo disiunctionem* (vel maiorem disiunctivam) et eligo secundum membrum. *Ad minorem:* si non demonstratur non est certum, *nego minorem*, etenim immediate evidentia non egent demonstratione.

191. III. **Concertationis continuatio.** Post primam defendentis responsionem, arguentis est suam argumentationem instaurare. Quod diverso modo iuxta diversitatem responsionis fieri potest. Nempe:

1. *Negata probare.* Propositio negata probanda est hac formula: *Probo maiorem, vel minorem, vel probo antecedens.* Si vero negata sit consequentia, generatim indirecte ita respondetur: *Ostende vitium.* Directe vero, ostendendo modum et figuram syllogismi in eoque regulas adimpleri.

De syllogismo hypothetico et disiunctivo diligentius probatio praevideatur, sed generatim talis probatio vitanda est, quia argumentationem difficiliorem et obscuriorem reddit.

2. *Post distinctionem respondetur minore subsumpta.* Dicitur vero *minor*, quia maiorem condicionalem supponit; *subsumpta*, quia responsioni defendentis subsumitur: *Si P′ est P″ manet difficultas; atqui P′ est P″; ergo manet difficultas.*

Tripliciter vero subsumendo argumentum instauratur: a) *Negando ipsam distinctionem;* b) *probando consequi etiam*

consequens ex parte concessa a defendente; c) *partem distinctionis negatam novo argumento probando,* quod saepius fit.

Res ex schemate melius patet.

Omne M est P	Dist. mai.:	Omne M′ est P, conc. mai.
		Omne M″ est P, neg. mai.
Omne S est M	Contd. min.:	Omne S est M′, neg. min.
		Omne S est M″, conc. min.
Omne S est P		

Ita potest subsumi:

1. Atqui omne M″ est M′, ergo nulla distinctio (nulla solutio).
2. Atqui omne S est M′; ergo stat difficultas.
3. Atqui omne M″ est P; ergo stat difficultas.

Quae vero sit via sequenda, ex materia colligitur, illa nempe quae, ut apparenter vera, facilius probari possit.

Defendens repetita integra minore subsumpta, semper respondet: *Nego minorem subsumptam;* arguens vero argumentationem prosequitur et addit: *Probo minorem subsumptam.* In qua probatione consequens debet esse eadem minor subsumpta, sin aliter alia diversa obiectio, non instantia argumenti daretur. Saepius autem datur *subsumptio late dicta,* quatenus arguens praesentem aliquam obiectionem negligens, ad aliquam priorem redit hac fere formula: "Atqui tamen..." Quoties vero subsumptio ultra non detur, melius erit ad aliud transire hac formula: "*Transeo ad aliam obiectionem, qua thesim tuam ut falsam petam*", vel similibus.

Exemplum. Si distinguitur: obiectum cognitum est in mente realiter, *nego,* intentionaliter, *concedo;* ita arguens subsumere potest:

1. Atqui quod est in mente intentionaliter est etiam realiter; *ergo nulla distinctio* (vel in genere: ergo stat difficultas),
2. Atqui quod in mente est intentionaliter non extra mentem realiter, *ergo stat difficultas.*
3. Atqui obiectum est realiter in mente, *ergo stat difficultas.*

Haec postrema subsumptio solet esse frequentior. Defendens eam repetit integram et addit: *nego minorem subsumptam.—Arguens* autem: *Probo minorem subsumptam:* Quod est immanens in mente est realiter; *atqui* obiectum est immanens; *ergo* obiectum est in mente realiter.

Et ita porro [2].

[2] Exemplum facile huius concertationis habes in tractatu III Critica, th.16 ad obiectiones.

192. Monita quaedam pro concatenatione et constructione syllogismorum.

DE VRIES, *Logica* n.305-6; DONAT, *Logica* n.384.

A diligenti praeparatione *circuli* seu ordinariae disputationis, nam extraordinariae seu *menstruae* illa praeparatio generatim datur, fructus scholaris omnino pendet. Discipuli igitur omnes, ne tempus misere terant, quaestiones praeparare debent.

Defendens quam diligentissime attendat ad ipsam partem positivam, maxime ad sensum thesis, statum quaestionis, argumenta bene intelligenda; deinde obiectiones, quae passim occurrant, ipsi sibi proponat et secundum datam doctrinam solvat, ne primis difficultatibus perturbetur.

Arguens vero omni cura ac diligentia suam argumentationem praeparare debet, cum ab ipsa maximus fructus concertationis pendeat, et difficilius sit apte arguere quam ipsam thesim tueri. Quare ipse accurate thesim consideret ac penetret, simul videat loca unde difficultates oriantur, argumenta nempe, statum quaestionis, etc.; neque tamen credat se inauditas obiectiones invenire posse ac debere; difficultates enim vere solidae iam a veteribus auctoribus agitantur. Responsiones defendentis praevidere curet, ut iuxta illas subsumptiones aptas proponat. Nam in eo est tota elegantia ac utilitas concertationis, ut difficultates non inanibus sed novis ac solidis syllogismis urgeantur.

Iam vero *arguens* postquam omnes difficultates breviter extra formam collegit, bene ordinare debet; cui ordenationi sequentes regulae a De Vries[3] propositae conferent:

1. Si habentur rationes, quae videntur probare assertum thesi magis oppositum, et aliae eidem minus oppositae, aptius priori loco ponuntur ratione magis oppositae; his enim reiectis adhuc verae esse possunt rationes minus stricte thesi oppositae; v. c. aptius primo ponitur assertum "Nullum S est P" quam "Aliquod S non est P"; priore enim asserto refutato alterum nondum refutatum est, non vero vice versa.

2. Cohaeret altera regula: Incipiendum est potius a rationibus crassioribus quam subtilioribus, facilioribus quam difficilioribus. Ita et auditores facilius sequentur quam si ab initio subtilitatibus perfunduntur, quas illi tantum capiunt, qui

[3] *Logica* n.306.

varias ad rem disputandam pertinentes rationes iam usque ad ultima consectaria perpenderunt. Tamen etiam in initio disputationis non afferendi sunt syllogismi inanes, qui nullam continent seriam difficultatem; cuius inanitatis per se signum est, cum in tribus vel quattuor syllogismis immediate sibi succedentibus maior simpliciter concedenda, minor neganda est. Neque timendum est, ne materia disputationis ante tempus deficiat, si statim ab initio principalis difficultas introducatur; experientia potius ostendit ex eo, quod huic timori ceditur, tempus disputationis praefixum effluere, antequam ad serias difficultates perventum fuerit.

3. Attendendum est ad connexiones reales difficultatum. Quaerendum est: Quomodo defendens probabiliter respondebit, quomodo hoc responsum aggredi potero? Interdum iuvat plures responsiones possibiles praevidere et modum considerare, quo iis suppositis difficultas urgeri possit.

193. *De disputationis vero scholasticae utilitate,* bene disserit Tongiorgi[4]: "Crede mihi: multi, qui et voce et scripto et editis voluminibus putant se aliquam opinionem defendisse aut aliquem adversarium confutasse, si adduci possent, ut quaecumque disputarunt, ad syllogisticam formam exigerent, statim animadverterent, se forte eloquenter declamasse, erudite scripsisse, eleganter descripsisse, at simul scopo aberrasse, nihil demonstrasse, nihil refutasse; immo forte nec quid demonstrandum aut refutandum sibi esset, clare percepisse. Crede iterum mihi: si haec disceptandi ratio in rebus praesertim subtilioribus et implexis aut in iis, quae humanarum cupiditatum igniculos excitant, universim adhiberetur, multae quaestiones, quae hinc inde agitantur, non agitarentur; multae nullo negotio solverentur; multae, quae solutae putantur, insolutae atque adeo insolubiles agnoscerentur; multi errores statim ac orti sunt extabuissent; praefidentia, clamores, irae concertantium vix locum haberent".

Quibus illustris scriptoris verbis tota logica commendatur, nosque ipsi finem felicem imponimus.

---

[4] *Inst. Phil.* 1 n.350.

TRACTATUS III

Critica

AUCTORE
P. LEOVIGILDO SALCEDO, S. I.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Tractatus generales ad mentem et methodum scholasticam

BAZZANO, O. G.: *Critica cognitionis* (Buenos Aires 1943).
BOYER, C.: *Cursus philosophicus* t. 1 (Paris 1935).
COFFEY, W.: *Epistemology or Theory of Knowledge* (London 1917).
DÁVILA, J.: *Critica*[2] (México 1947).
DONAT, J.: *Critica*[6] (Oeniponte 1928).
FRICK, C.: *Logica*[7] (Friburgi Br. 1931).
GENY, P.: *Critica*[3] (Roma 1932).
GONZÁLEZ, Z.: *Philosophia elementaria* (Madrid 1873).
GREDT, J.: *Elementa philosophiae aristotelico-thomisticae*[7] (Friburgi Br. 1937).
JEANNIÈRE, R.: *Criteriologia vel critica cognitionis certae* (Paris 1912).
MAQUART, F. X.: *Elementa philosophiae* (Paris 1937-8).
MORANDINI, F.: *Logica Maior* (Roma 1946).
NABER, A.: *Theoria cognitionis critica* (Roma, ad usum priv. audit. 1932).
PALMIERI, D.: *Institutiones philosophicae* vol. 1 (Roma 1874).
PESCH, T.-FRICK, C.: *Institutiones Logicae et ontologiae*[2] (Friburgi Br. 1914).
SANSEVERINO, G.: *Elementa philosophiae christianae* (Neapoli 1864-5).
TONGIORGI, S.: *Institutiones philosophicae,* I *Logica*[8] (Bruxellis 1875).
URRÁBURU, J. J.: *Institutiones philosophicae* I *Logica* (Vallisoleti 1890).
VEUTHEY, L.: *Critica*[3] (Roma 1941).
VRIES DE J.: *Critica* (Friburgi Br. 1937).

Tractatus generales et particulares liberiori methodo propositi

BALMES, J.: *Filosofía fundamental* (ed. crit. Barcelona 1925; ed. BAC (Madrid 1948).
— *El criterio* (ed. ib.).
BRUNNER, A.: *Erkenntnistheorie* (Köln 1948).
— *La connaissance humaine* (Paris 1943).
CONINCK DE A.: *L'unité de la connaissance humaine et le fondement de sa valeur* (Louvain 1944).
DESCOQS, P.: *Institutiones Metaphysicae generalis* (Parisiis 1925).
GEYSER, J.: *Erkenntnistheorie* (Münster 1922).

GILSON, E.: *Realisme thomiste et critique de la connaissance* (Paris 1939).
— *Le realisme methodique* (Paris 1936). *El realismo metódico* (versio hispana et prol. a L. E. PALACIOS, Madrid 1950).
GUZZO, A.: *La Filosofia e la esperienza* (Roma 1942).
HESSEN, J.: *Teoría del conocimiento*[3] (Madrid 1936).
HONIGSWALD, R.: *Grundfragen der Erkenntnistheorie* (Tubingen 1931).
HUSSERL, E.: *Logische Untersuchungen* (1900) (versio hispana, *Investigaciones lógicas*).
— *Formale und transcendentale Logik* (1929).
JOLIVET, R.: *Le thomisme et la critique de la connaissance* (Paris 1933).
KLEUTGEN, J.: *Die Philosophie der Vorzeit*[2] 1 (Münster 1878) (versio gallica a C. SIERP, Paris 1868).
LIBERATORE, M.: *Della cognoscenza intellettuale*[3] (Neapoli 1879).
MARÉCHAL, J.: *Le point de départ de la métaphysique* (Louvain 1926).
MASNOVO, A.: *Problemi di metafisica e di criteriologia* (Milano 1930).
MARITAIN, J.: *Distinguer pour unir ou les degrés du savoir* (Paris 1932) (versio hispana, Buenos Aires).
MERCIER, D.: *Critériologie générale*[8] (Louvain 1923).
MESSER, A.: *Einführung in die Erkenntnistheorie* (Leipzig).
— *El realismo crítico* (trad. del alemán por F. VELA, Madrid 1927).
NINK, C.: *Grundlegund des Erkenntnistheorie* (Frankfurt am Main 1930).
NOEL, L.: *Notes d'epistémologie thomiste* (Louvain 1925).
— *Le realisme immediate* (Louvain 1938).
PICARD, G.: *Le problème critique fondamental:* Archives de Philosophie, vol. 1, 13 (Paris 1923, 1937).
RIET VAN G.: *L'epistemologie thomiste* (Louvain 1946).
ROLAND GOSSELIN, M.: *Essai d'une étude critique de la connaissance* (Paris 1932).
ROUSSELOT, P.: *L'intellectualisme de Saint Thomas*[2] (Paris 1924).
STEENBERGHEN VAN F.: *Epistemologie*[2] (Louvain 1947).
SPIR, A.: *Esquisses de philosophie critique* (Int. par L. BRUNSSCHVICQ, Paris 1930).
STUART MILL, J.: *System of Logic rationative and inductive* (1843).
TONQUEDEC DE J.: *La critique de la connaissance* (Paris 1929).
VRIES DE J.: *Denken und Sein* (Freibourgi Br. 1937; trad. por A. MENCHACA, *Pensar y Ser,* Madrid 1945).
WALKER, L.: *Theories of Knowledge*[2] (London 1924).
WENTSCHER, M.: *Teoría del conocimiento* (col. Labor, n.121, Madrid 1927).
TOCCAFONDI, E. T.: *La Ricerca critica della Realtá* (Roma 1941).
ZAMBONI, G.: *La gnoseologia di S. Tommaso d'Aquino* (Verona 1934).
— *Metafisica e gnoseologia* (Verona 1935).

INTRODUCTIO

1. J. de Vries, *Critica* n.3-9; P. Geny, *Critica* n.1-13; J. Dávila, *Critica* n.26; A. Naber, *Critica* n.8; Balmes, *Filosofía fundamental* t.1 c.1.2; Maritain. *Les degrés du savoir* p.139s; D. Mercier, *Criteriologie, Introduction*; J. de Tonquedec, *La critique de la connaissance;* F. Steenberghen, *Epistemologie* c.1; J. Bacelar e Oliveira, *Introdução ao conceito de critica:* RevPorFil 8 (1952) 349-378.

Fere usque ad nostra tempora disciplina, quam hodie *Criticam, Noeticam, Epistemologiam aut Criteriologiam* apellamus, *Logicae* submittebatur; dicebatur enim *Logica Maior* sive *materialis,* ut a *Logica Minori* sive *formali* distingueretur. Postea vero, cum saeculo XIX, problema illud quod criticum apellant, non modo philosophorum mentes agitaret, verum etiam omnium scientiarum fundamenta destruere minaretur; novam et independentem disciplinam, quae scientifice et accurate valorem et ambitum nostrae cognitionis demonstraret, constituere necessarium visum est.

Haec vero novitas disciplinae, simul ac alia generaliora motiva enixe exigunt ut, antequam huius scientiae quaestiones praecipuas evolvamus, eidem claram et brevem introductionem praemittamus. In qua per diversas paragraphos haec explicanda videntur: 1) Origo et natura huius scientiae; 2) Definitio et divisio; 3) Methodus in ea sectanda; 4) Momentum tum ad philosophiam tum ad vitam; 5) Difficultas specialis huius tractatus; 6) Evolutio historica.

§ 1. **Origo et natura Criticae**

2. Duo hic intendimus explicare: Primum, causas tum psychologicas, tum historicas, quae problema criticum, quod est huius scientiae medulla, edere potuerunt; secundum, notas specificas, quae illud problema constituunt.

Causae problematis. Iam ab antiquitate plures auctores exstiterunt qui, errorum numerum mirati, valorem cognitionis nostrae nullum esse aut mutilum affirmarunt. Praeter-

missis *Indis*, iuxta quos mundus universus somnium est reputandus, plerique *sophistae* saeculo V ante Christum in purum scepticismum prolapsi sunt. Sic ad nostra usque tempora infinitus est numerus eorum, qui simili modo procedunt. Cuius erroris ratio non difficiliter explicatur.

Intellectus natura sua ad verum tendit, sed saepissime in errorem delapsus, hanc arduam quaestionem ipse sibi proponit: Estne possibile invenire medium ad verum a falso discernendum?

Homines praeterea, qui sponte suis cognitionibus realitatem veluti in speculo respondere existimarunt, ulteriori reflexione multas ideas a parte rei non ita dari clare cognoscunt, v. c. ideas universales — homo, animal, lex — de quibus saepius agimus, sed a mentis activitate pendere. Unde quaestio alia exsurgit, quae superiorem etiam confirmat: Quae est relatio inter rem eiusque ideam? Estne intellectus activus an etiam passivus? Quid a realitate accipit, et quid ipse in realitate *ponit?*

Denique multi, tum aetatis nostrae tum etiam antiquitatis, etsi realitatem a parte rei admittunt, et ideas obiectivas ab illis quae tantum ratione exsistunt clare distinguunt, ulteriorem tamen quaestionem proponunt: Cum omnis veritas a subiecto cognoscente et determinetur et mensuretur, estne veritas aliquid absolutum? An pro alia constitutione intellectus, aut pro aliis circumstantiis, v.c. temporis, culturae, immo locorum et regionum, aliae essent veritates?

3. Hae causae, quas, eo quod omni aetati sint communes et ex intima natura hominum proveniant, *psychologicas* appellabimus, saeculis XVI et XVII cum *circumstantiis historicis* illius temporis coniunctae sunt. Tota paene antiquorum scientia, novarum inventionum causa, in crisim et, ob plures errores, in despectum vocata est. Itaque Physicae aristotelicae, Astronomiae, aut potius Astrologiae, Chemiae, quam Alchimiam dicebant, ceterarum scientiarum fundamenta falsa existimabantur. Inde exsurgit novorum fundamentorum inquisitio, quibus nova cognitio hominis et rerum naturae inniteretur. Magnum praeterea influxum status religiosus et politicus exercuit; multi enim ex protestantibus atque ex aliis haereticorum sectis veritates Ecclesiae catholicae, immo fundamenta omnium veritatum, inordinato examini submittebant. Qua de causa magna exstitit confusio et animorum intranquillitas. Tunc vero homines, quibus haec omnia maximae curae erant, inter quos

eminet CARTESIUS, tot novitatibus temporum coacti ad problema, quod hodie criticum dicitur, pervenerunt, et quasi centrum suarum speculationum philosophicarum statuerunt.

4. Notae specificae. Illud problema primum a CARTESIO, postea vero a KANTIO, ut duces tantum adnumeremus, agitatum, unum tantum intendebat: funditus videlicet inquirere nostrae cognitionis valorem ad veritatem acquirendam. Post vero ingens opus a KANTIO structum (*Kritik der reinen Vernunft,* 1781) ad has duas notas illud reduci potest: Estne aliquid exsistens a me distinctum? Possum illud cognoscere? Ex diversis ac inordinatis responsionibus ad has quaestiones datis omnes nostrae aetatis errores originem ducunt. Recte igitur dicere solent auctores totam modernam philosophiam ad problema criticum fere reduci posse.

§ 2. Definitio et divisio Criticae

5. Ad illud problema scientifice solvendum Critica est instituta, quae sic definiri potest: *Inquisitio scientifica in valorem et ambitum verae et certae cognitionis.* Quam definitionem breviter explicemus:

Dicitur 1) *inquisitio philosophica;* est enim vera pars philosophiae [1], quatenus scientifice investigat per ultimas causas et rationes valorem et ambitum cognitionis humanae.

2) *Cognitionis;* quo vocabulo *obiectum materiale* [2] Criticae declaratur, quod est ipsa cognitio hominis, maxime intellectivus actus, quo homo rerum notitiam acquirit. Inter hos actus distinguuntur ideae, iudicia et ratiocinia, de quibus omnibus et imprimis de iudicio hic agendum est.

3) *Verae et certae;* his vocibus *obiectum formale* Criticae declaratur. Sub multiplici enim respectu cognitio humana considerari potest: vel secundum eius essentiam et proprietates entitativas, vel secundum relationes, quas inter se servare debet, vel secundum relationes, quas cum rebus debet habere ut vera sit. Primus respectus constituit obiectum formale Psychologiae; secundus Dialecticae, tertius denique Criticae.

Quare Critica considerat actus nostros intellectuales, qua-

[1] Disputatur ab auctoribus utrum Critica sit pars Metaphysicae; sententia vero communior est affirmativa. Cf. A. GONZÁLEZ ALVAREZ, *Introducción a la Metafísica* (Mendoza 1951) p.184s.
[2] Cf. tr. I de Introductione n. 7.

tenus relationes dicunt ad obiecta, nempe quatenus ita sunt imagines intentionales obiecti, ut inter ea aliqua adaequatio detur, et ita veritas logica enascatur. Quae adaequatio si claris nitatur motivis et menti manifestetur, ut firmum postulet assensum, certitudo dabitur, quae in Critica suum etiam obtinet locum. Agit igitur Critica *de veritate et certitudine cognitionis.*

6. Divisio. Tres partes fundamentales a nobis considerandae veniunt, quas ordinare ita oportet:

1. De exsistentia cognitionis verae et certae.
2. De intimiore natura veritatis ac certitudinis.
3. De fontibus veritatis et certitudinis.

§ 3. De methodo in hac quaestione sequenda

7. Uniuscuiusque scientiae fuit semper propriam methodum comparare. Quam vero in hac sequi oportet? En quaestio magni momenti in toto hoc problemate. Nos ut clarius res pateat, duo consideramus separatim proponenda: Primum, fundamentum, a quo sit incipiendum; secundum, gressus ulteriores, quibus denique ad solutionem pervenire oporteat.

8. Fundamentum seu de initio inquisitionis. Alii sunt qui dicant incipiendum esse a prima cognitione, quam in puerili aetate, ante quam educatio familiaris, scholaris disciplina, medium ambiens et cetera nos deformarent, intellectus habuerit; affirmant enim simul cum educatione defformationem nostrae cognitionis nos pati. Attamen huiusmodi fundamentum minime admittendum videtur; impossibile enim non modo primam cognitionem examinare, sed ne historice quidem eam in memoriam revocare, esse videtur.

Alii vero incipere volunt ab aliqua cognitione actuali examinanda, v.c. a prima cognitione, quam ut puram habemus dum transimus ex inconscientia ad conscientiam in transitu ex somno ad vigiliam. Sed huiusmodi cognitio inutilis apparet cum minime pura dici possit.

Unum igitur restat fundamentum et apta initialis via, nempe: testimonio nostrae conscientiae innixi, nulla a priori supposita veritate, recta analysi et reflexione actualem nostram cognitionem et examinare et stabilire, et ex statuta recta et vera cognitione *de facto, ad posse* seu ad potentiam et facultatem cognitionis verae certaeque assurgere.

9. Ulteriores gressus. Aliqui illegitime methodo mere psychologica ulterius procedere volunt in nostrae cognitionis valorem investigandum. Intendunt itaque inquisitionem de origine et quasi mechanismo cognitionis statuere, ut ex ipsa appareat quid cognitio humana praestare possit. Quae methodus in primis petitionem principii facile continet, cum valorem inductionis supponat, et praeterea periculum subit confundendi leges mere psychologicas et processum naturalem cognitionis cum legibus logicis et evidentia veritatis, unde exsurgit error *Psychologismi* et tandem subiectivismi et relativismi.

E contra alii methodo mere logica, ut psychologismum effugiant, uti conantur; itaque, relicta consideratione realitatis psychologicae eiusque naturalis evolutionis, unice obiecta cognitionis considerant, prout in ipsis cognitionibus consciis sese nobis offerunt, eorumque inter sese relationes. Quae methodus hoc periculum prae se fert, ut non considerata speciali natura ab omnibus sponte admissa cognitionis, quae conformari debet cum aliqua externa realitate praeexsistente, in "idealismum criteriologicum" veniat; iuxta quem obiectum nostrae cognitionis, non realitas externa et independens, sed ipsae repraesentationes cognitionum nostrarum sit. Hi omnes errores enascuntur, quia non clare obiectum formale Criticae determinatur. Critica enim, prout antea indicatum manet, cum Psychologia et Logica unum obiectum materiale habet; sed diversum omnino obiectum formale. Unde procedendum est quasi a posteriori in analysi cognitionis verae, maxime iudicii, in facto esse; et quidem cognitionis immediatae, non enim sufficit ut ipsa mera expressio actus prout in ipso elucet consideretur, sed inquirendum est utrum et quomodo enuntiabile referatur ad obiectum. Iam vero hoc tum obtinetur cum ipsum obiectum sese offert in immediatione cognitionis, apparet seu φαίνεται quare recte sensu aliquo vero haec methodus diceretur *phaenomenologia.* Per relationes vero huius realitatis immediatae diversas ad reliquum ambitum realitatis progredi licet, et ita universam nostram cognitionem humanam stabilire.

§ 4. **Momentum huius scientiae**

10. Post tam diuturnum laborem forte ille, qui sano sensu frueretur, sic nobis obiceret: Sed haec tam laboriosa inquisitio de intellectu de eiusque possibilitate quid ad nos? Nonne

sana ratio vulgaris et sensus communis, qui dicitur, sufficienter tali quaestioni satisfit? Ad quem sic breviter respondemus.

In primis maximam partem philosophiae, quam hodie modernam appellant, in hac quaestione sistere; nam cum KANTIUS hanc praecipuam et vix unicam quaestionem agitaret atque recentiores paene omnes ab ipso pendeant, eiusque erroribus implicati sint ad pessimas conclusiones devenerunt. Ille ergo qui modernam philosophiam, immo et vitam hodiernam cognoscere velit necessario hoc problema in primis considerare debet.

Deinde, his erroribus propagatis, non modo philosophiae, sed scientiae, artis, culturae, immo et quotidianae vitae regiones ista quaestio directe vel indirecte plane invasit [3]. Illi vero quibus in primis suam propriam mentem bene conformare, ceterorumque hominum mentes regere officium datur, ut ipso bene fungantur, hanc quaestionem penitus cognoscere debent.

Denique cum intellectus instrumentum sit ad omnes cognitiones tum scientificas tum vulgares, immo et religiosas, cognoscendas, non parvi erit momenti valorem illius perspicue examinare contra omnes modernorum tendentias arationalisticas, voluntaristicas, quae latius patent.

§ 5. **Tractatus difficultas**

11. Non neganda est *magna difficultas*, qua haec tota scientia laborat. Etenim talis est natura nostri intellectus, ut faciliter ad res externas investigandas tendat, difficiliter ad se et ad suas operationes vertatur. Contra quam innatam inclinationem intellectus ita debet agere, ut etiam ex factis concretis, in quibus primam veritatem deprehendit, assurgat ad abstracta, quibus prima principia statuuntur. Hic vero transitus valde mysteriosus ipsum intellectum quodammodo latet, non certe quoad eius exsistentiam et factum, sed quoad eius structuram et naturam intimam. Accedit praeterea tendentia rationalistica mentis nostrae, quae vult omnia per demonstrationem et ulteriorem rationem videre. Hic vero debemus sistere in ultimis factis et fundamentis, quae sese nobis immediate evidentia offerunt; nec ulterius demonstranda sunt. Ex una enim parte petitio principii committeretur, si possibilitatem

[3] Cf. BALMES, *Filosofía fundamental* l.1 n.2.

nostrae mentis stricte demonstrare vellemus, et ex alia quaedam quasi intranquillitas manet, quasi non satis stabilita illa esset post nostram investigationem. Ordo denique tractationis non parum rem obscurat; Critica enim tamquam fundamentum omnis cognitionis naturalis, omnis philosophiae, et omnis scientiae initio agitari oportet; mentes vero tironum minus aptae ad tantas solvendas difficultates totque reflexiones et accuratas difficilesque analyses instituendas initio inveniuntur. Quare sollertia magistri requiritur, simul cum discipulorum diligentia necnon ac patientia, ut haec omnia bene devincantur. Sed minime desperandum est, cum hae omnes difficultates per totam tractationem sint evolvendae et paulatim considerandae, ita ut earum solutiones saepius repetantur ac sub diversis respectibus proponantur [4].

§ 6. Brevis conspectus historicus Criticae

12. De utilitate huiusmodi conspectus historici. Maxima utique utilitas in tali conspectu esse potest, quippe qui eius consideratione tempus fructuosius pendemus; nam et difficultates, in quas alii offenderunt, facilius vitare poterimus, et novae solutiones novique aspectus circa problema de veritate nobis offerentur, dummodo expositio mere historica, non critica, proponatur. En praecipua eius lineamenta [5].

13. Prima periodus. AB ORTU PHILOSOPHIAE USQUE AD ARISTOTELEM.

Primi philosophi, vel potius cosmologi, quibus nomen "physiologi" erat (naturalistae), nihil de cognitione critica agitantes non nisi obiectum externum (φύσιν) respiciebant, eorumque, ut patet, sententia plurimis naturae antinomiis erat permixta.

Sed iam antiquitus hunc dogmatismum nonnulli philosophi graeci considerantes, desiderio veritatis impulsi, novas opiniones excogitarunt, quibus opinionibus, saepissime erroribus infestis, quaestio critica de veritate cognoscenda, licet modo imperfecto, magis in dies sub luce posita est. Huius primi temporis gressus praecipuos ostendamus:

[4] Prudentiae et experientiae tractatum exponentis relinquitur ordo in explicatione sequendus. Forsitan enim facilius a secundo libro incipiatur, ita ut supposita exsistentia veritatis ac certitudinis, de eius essentia ac proprietatibus prius agatur; quod pro tironibus suavius est.

[5] Uberiorem expositionem vide apud F. VAN STEENBERGHEN, *Epistemologie* p.50-70.

a) *Primus gressus:* adversum dogmatismum ingenuum duae exsurgunt impugnatorum partes: HERACLITUS (c.465), omnia ad "motum et multiplicitatem" reducit. PARMENIDES (n. c.540) et ZENON (n. c.500), iuxta quos non datur nisi "unitas" (ens=unum).

b) *Secundus gressus:* adversum dogmatismum eiusque impugnatores non multo post, cum tot contradictoria systemata, praesertim ad antinomiam explicandam "de uno et multiplici", inter sese pugnarent, alia tendentia exorta est, sophistarum nempe, qui nimirum ex empirismo HERACLITI in universalem scepticismum devenerunt (πάντων χρημάτων μέτρον ἔστιν ἄνθρωπος).

c) *Tertius gressus: adversus haec systemata insurgunt* SOCRATES (399) et maxime PLATO (347) et ARISTOTELES (322). PLATO certe plenum profitetur *intellectualismum,* sed *ita radicalem,* ut *idealismi veteris* conditor sit; clare statuit intellectum a sensibus diversum, sed quaestionem de "uno et multiplici" iuxtapositione duplicis mundi, scilicet Parmenidis κόσμος νοετικός et Heracliti κόσμος αἰσθητικός solvere intendit.

14. ARISTOTELES ad aequilibrium inter *empirismum* et *idealismum* pervenit, et merito primus veram theoriam cognitionis bona quidem fortuna statuit (eminet praesertim περὶ ψυχῆς, ὄργανον, φιλοσοφία πρώτη = metaphysica). *Realismum rationalem* profitetur, in quo omnes anteriores bonae tendentiae ad unum reducuntur, et experientia suum locum bene obtinet. Refutat scepticismum et idealismum. *Abstractionem ut nexum* inter concretum et ideale, *moderatum realismum, doctrinam de analogia* ad cognitionem suprasensibilis, et *doctrinam "organi"* ad ratiocinium optime exponit. Quae omnia in universum Scholastica et secuta est et perpolivit.

15. Periodus secunda. AB OBITU ARISTOTELIS USQUE AD SANCTUM THOMAM.

Mortuo ARISTOTELE, eius doctrina interpretationem materialisticam frequenter nacta est. Itaque vera philosophia fere evanescit, cum non nisi quaestiones minoris momenti agitentur; iterum antinomiae antiquitatis exsurgunt (materialismus-spiritualismus, empirismus-idealismus, scepticismus-dogmatismus); quae tamen difficultates florenti de novo realismo intellectualistico operam dant.

Inter huius periodi philosophos recordari opus est *tendentiae materialistae* plurimorum Aristotelis discipulorum, *materialismi* epicureorum et stoicorum, et praesertim *scepticismi renati* (s.3 a. C. PYRRHO) qui usque ad novam Academiam protrahitur, inter cuius asseclas S. AUGUSTINUS (430) ante conversionem est numeratus.

Reactio contraria, ab stoicorum intellectualismo incepta, cum neoplatonismo perficitur: PHILO (50), PLOTINUS (269), PORPHYRIUS (c.300), SANCTUS AUGUSTINUS et PSEUDO-DIONYSIUS.

Neoplatonismi tendentiae praecipuae sunt: regressus ad idealismum platonicum, sensibilis externi contemptus, amor erga specula-

tionem mysticam. Quae omnia consideranda et cum modernis tendentiis idealisticis conferenda sunt.

16. Occasione XV centenarii mortis S. AUGUSTINI eius sententiae praecipuae accuratius consideratae sunt: *Scepticismi refutatio* ("si enim fallor, ergo sum") ubi praecursor Cartesii apparet ("cogito, ergo sum"); eius acuta *analysis conscientiae,* et acer sensus in humana imbecillitate iudicanda, eius *critica de ideis ac de iudiciis* (doctrina de divinis ideis et de illuminatione). Augustinismus cognitionis est quidem aut *radicalis intellectualismus,* aut *idealismus;* etsi enim coniungat sensibilem experientiam et intellectum, huic maximam independentiam relate ad sensibilia tribuere enixe conatur.

17. NEOPLATONISMUM item aetate media excoluerunt iudaei, arabes et christiani: J. SCOTUS ERIGENA (c.877), S. ANSELMUS (1109), Schola chartrensis, augustiniana. et omnes realismi exaggerati sectatores circa genera et species. Theoriae augustinianae saeculi XIII sensum valde criticum ostendunt.

Realismus aristotelicus simul cum his tendentiis renascitur et evolvitur, cum ARISTOTELIS influxus paulatim in philosophiam ope arabum eorumque "traductorum" latinorum graddiatur. In memoriam revocemus in primis "commentatores". Item realismus in Oriente Theologiam STI. IOANNIS DAMASCENI (749) moderatur, in Occidentem vero BOETHII (525) operibus penetrat. Apud iudaeos eminet cum MAIMONIDE (1204), et apud arabes cum AVERROE (1198). Apud latinos vero excellit cum PETRO ABAELARDO (1142); cum S. ALBERTO M. (1280), SIGERIO A BRAVANTE (1248), et praecipue cum ST. THOMA (1274) ad culmen pervenit.

18. REALISMUS THOMISTA non est nisi realismi ARISTOTELIS perfectio. Theoria quidem cognitionis fere completa in operibus Doctoris Communis dispersa manet, et lenta consideratione ac lectione operum eius invenimus non ingenuas ac dogmaticas quaestiones, sed omnino criticas.

S. THOMAS quidem nullam systematicam expositionem suae theoriae nobis tradidit, quare ex diversis locis necessario est in unum redigenda; cumque praeterea constet in eius expositione magis elucere problemata *ontologica* quam *epistemologica,* et interdum S. Doctorem ordinem realem a conceptuali non clarius distinguere, inde difficultates non paucae interpretanti obveniunt.

Nonnulli recentiores existimarunt problema criticum in medio aevo nullo modo a philosophis agitari, saltem usque ad OCKAM (m. c. 1350); quae opinio reicienda videtur. Numquid

enim mirum hoc non esset, praesertim cum ageretur de auctoribus imbutis ARISTOTELIS et S. AUGUSTINI doctrinis cum his quaestionibus criticis tam intime, ut supra vidimus, connexis? Immo vero contraria sententia critice confirmatur; itaque v. c. apud S. Thomam necessaria elementa ad epistemologiam conficiendam nobis offeruntur: apud ipsum enim *logica* est doctrina philosophica princeps, utpote scientiarum scientia [6], quae praeter logicam formalem amplectitur quoque theoriam praesertim de *universalibus,* aliasque complementarias quaestiones, v. c. diversa elementa *analysis psychologiae* (apprehensio, perceptio... iudicium, reflexio, etc.), *dubium universale,* theoriam de *veritate,* criticam de *primis principiis.*

19. Realismi critici S. THOMAE haec sunt elementa praecipua: Est *realismus* et quidem *immediatus.* Conscientia enim non est in se clausa, sed aperta est mundo quem immediate percipit. Sensus in perceptione et intellectus in primorum principiorum affirmatione sunt omnino infallibiles. Est etiam *realismus criticus,* quia cum omnis cognitio immanens sit, realitas est veluti transformata ab intellectu, nec arbitraria, sed legibus sui generis moderata, quibus tandem ad constitutionem ordinis logici alius plane generis ac ordinis realis, ipse intellectus devenit.

20. Periodus tertia. A DIVI THOMAE OBITU USQUE AD TEMPORA RECENTIORA.

Post obitum S. THOMAE brevis sed praeclara periodus philosophiae exstat, in qua maxime notandae sunt controversiae inter sectatores S. AUGUSTINI et ARISTOTELIS, quorum directiones partim coniunctae, partim separatae apparent.

Nominalismus autem iterum novam declinationem novumque periculum in *realismum intellectualem* infert. Quomodo ille obscure surgat et occulte crescat, melius explicari videtur ob infirmum rerum statum tum socialem tum politicum, quam ob novas tendentias philosophicas; tempora enim agitata systemati negativo potius quam positivo favent. Inter causas huius declinationis scholasticae notari possunt: nimius Dialecticae cultus, garrulis et inefficacibus formulis favens, et ruina progressiva antiquae physicae, quae cum philosophia aristotelica intime connexa videbatur.

21. Iam ipso saeculo XII in disputationibus de universalibus transitus ad nominalismum apparet, qui tamen moderato realismo PETRI ABAELARDI dat locum. *Verus* igitur *nominalismus* s. XIV cum

[6] Cf. *Super Boethium de Trinitate* q.6 a.1 ad 3 et *In II Metaph.* lect.5 (ed. Cathala) n.335.

OCKAM surgit, qui philosophus *Venerabilis inceptor* scholasticae methodi, *via moderna* dictae, auctor habetur.

Haec vero doctrina exsurgit tamquam naturalis consequentia empirismi a magistris Universitatis Oxford professi, cuius primum principium est: *nulla cognitio extra experientiam valet, conceptus tantum symbola seu signa sunt;* quod principium anti-intellectualisticum in perniciosum *agnosticismum* tandem ducit.

Sublato itaque aequilibrio inter cognitionem et realitatem, illae veteres antinomiae iterum enascuntur in *via moderna,* donec propter huius doctrinae perniciosos effectus de novo illud instauratur.

HUIUS MEDIAEVI HAE SUNT TENDENTIAE EMINENTIORES: *Agnosticismus* OCKAM, *phaenomenalismus* NICOLAI D'AUTRECOURT (c.1340), *fideismus* NICOLAI DE CUSA (1461). Praeterea scientifici progressus huius aetatis diffidentiam erga puram metaphysicam fovent.

22. Saeculo XVI eaedem tendentiae occurrunt: *cultus scientiarum,* COPERNICUS (1543), J. KEPLER (1630), GALILEUS (1642), *scepticismus,* MONTAIGNE (1592), CHARRON (1603), SÁNCHEZ (1632), *empirismus,* BACO DE VERULAMO (1626), qui demum in moderna aetate multa systemata gignit: *nominalismus materialisticus* HOBBES (1679), LOCKE (1704) influit in *idealismum empiristicum* BERKELEY (1753); *phaenomenalismus* HUME (1776) creat scepticas ideas anglicae philosophiae saeculi decimi octavi, ex quibus proveniunt in Galliam *sensualismus* a CONDILLAC (1715-1780) propugnatus et impudens encyclopedistarum *materialismus. Empirismus* pervadit integrum saeculum XIX, unde maxima systematum varietas (*positivismus, scientismus, materialismus, pragmatismus*). Quibus omnibus hoc est commune: *amor rei concretae, diffidentia erga abstractas constructiones.*

PLATONISMUS interea allicere intelligentias minime desinit, sed quamquam aetate media multos asseclas invenit, numquam plenum agitat triumphum.

23. CARTESIUS primus adversus empirismum pro intellectus iuribus acriter pugnat, sensu tamen idealista-rationalistico. Ipse enim aut ignorat aut confundit scholasticam veram cum falsa sui temporis. Ab omni relatione cum mundo externo ope sensuum vult praescindere, et inde *principium immanentiae* statuit. *Methodum geometricam,* philosophiae applicare intendit, et *rationalismum dogmaticum* introducit, qui certe usque ad tempora KANTII eminet. In eius critica cognitionis hae theses peculiares notantur: negatio experientiae circa mundum externum, et idearum innatarum nova in lucem eductio, quae quidem non conceptus abstracti, sed essentiarum intuitivae sunt cognitiones. Ipse praeterea clare primus *problema criticum* suscitat, ita ut centrum sit totius suae philosophiae; at solutionem eidem fere idealisticam proponit.

24. N. MALEBRANCHE (1715) cartesianus in alium firmiorem platonismum pervenit, nempe in *ontologismum,* quocum theoria augustiniana de illuminatione divina affinitatem habere apparet.

B. SPINOZA (1677) *rationalismum metaphysicum* profitetur, qui tamen dogmaticus omni demonstratione caret. G. W. LEIBNIZ (1716) est *idealista*, eiusque theoria cognitionis est theoria angelica per species infusas.

Denique C. WOLF (1754), experientiae oblitus, sum systema, i.e. metaphysicam possibilium, principiis cartesianis construit.

25. E. KANT (1804) magno labore et constantia philosophiae incumbit, tali vero obscuritate, ut interpretationes valde diversae eius systematis abundent. Hoc vero maxime habet prae oculis; excitare e *somno dogmatico* intellectum, nimis sua potentia fretum, et criticam valoris ipsius potentiae instituere, qua determinet condiciones possibilitatis et ambitus metaphysicae cognitionis.

Kantismus primo aspectu *idealismum et empirismum* coniungere in unum videtur, sed re vera ducit in idealismum cartesiano profundiorem; hic enim KANTII *idealismus criticus* re vera est *subiectivismus,* qui antecedit et parat *idealismum transcendentalem* discipulorum et asseclarum eius.

Sub influxu HUMII, KANT ignorat valorem informativum datorum experientiae, aliunde vero intellectui vim abstrahendi denegat et solummodo admittit *intellectum informatorem-creatorem obiecti.* Centrum itaque cognitionis penitus mutat hac *revolutione copernicana,* cuius sunt hae consequentiae; ruina metaphysicae et agnosticismi triumphus.

26. KANTISMUS, quippe qui rerum diversarum acervus, cito dissolvitur, et eius agnosticismi et phaenomenalismi reliquiis recentiores positivistarum tendentiae edificantur: ex critica rationis practicae *voluntarismus et pragmatismus* originem ducunt; denique eius idealismus idealismum transcendentalem efformat. Et hoc pacto usque ad ultimas consequentias, maxime usque ad *pantheismum emanatisticum* pervenitur.

PER INTEGRUM SAECULUM XIX tendentiae idealistae ex CARTESIO provenientes perdurant, permixtae vero cum aliis tendentiis metaphysicis sub influxu hegeliano. Fructus praeterea *agnosticismi kantiani* in hoc saeculo sunt frequentissimae tendentiae in *voluntarismum cognitionis,* de cuius influxu hodierni *modernistae, intuitionistae* (BERGSON) et etiam *exsistentialistae* satis nobis innuunt.

27. Inter tot aberrationes *realismus intellectualisticus* ARISTOTELIS et S. THOMAE per vices progreditur. Liceat nobis in memoriam revocare primos S. THOMAE discipulos, nondum plene cognitos: GODOFREDUM DE FONTIBUS (c. 1306), PE-

TRUM D'AUVERGNE (m. c. 1305), GIL DE ROMA (1306), etc., et eos qui maximum influxum exercent, nempe saeculis XV et XVI CAPREOLUM (1444), CAIETANUM (1534), IOANNEM A STO. THOMA (1644), SUÁREZ (1617). *Doctor eximius* eminet in suo labore, quo scholasticam perpolivit et a tendentiis idealisticis platonicis liberavit, et ita systema plene cohaerens in novam philosophiam christianam induxit.

28. Postea vero ille sanus realismus intellectualisticus scholis theologicis amandatus deficit obscuratus, usque ad saeculum XIX, in quo Encyclica LEONIS XIII *Aeterni Patris* denuo valenter exsurgit.

His vero ultimis septuaginta annis enixe laboratur, ut scholastica habeat integrum et scientificum tractatum *realismi critici,* de cuius evolutione ac diversis theoriis optime scripsit auctor lovaniensis G. Van Riet in suo libro de epistemologia thomista [7].

29. Tandem aliquando ut consequentia huius historicae expositionis obiter apparet obscuritas ac difficultas quaestionis, unde diversae tendentiae ac tentamina solutionum exsurgunt. Duo tamen sunt aspectus qui in his solutionibus semper aliquo modo apparent: *Pars obiectiva et subiectiva* cognitionis, *actio et passio* subiecti in cognoscendo, *experientia et aprioritas. Empirismus* innititur potius in obiecti activitate, non vult partes suas dare intellectui; e contra *idealismus et rationalismus* omnia e fundo activitatis intellectivae eruere volunt; *realismus* denique utramque tendentiam unire et amice consociare intendit.

[7] Cf. G. VAN RIET, *L'epistemologie thomiste* (Louvain 1946).

LIBER I

De exsistentia veritatis et certitudinis

30. Divisio et ordo quaestionis. In hoc primo libro, in quo de exsistentia veritatis et certitudinis agimus, quattuor capita distinguere possumus: *in primo* agemus de quaestione aliqua propaedeutica, nempe de possibilitate, utilitate et necessitate huius quaestionis, i. e. solutionis problematis critici; et de methodis, quibus talis solutio vel nullo modo inveniri potest, vel saltem non tam aptae ad solutionem inveniendam nobis apparent; *in secundo* unicam viam, quae nobis apta apparet, tentantes, conabimur quam clarissimam solutionem invenire; *in tertio* reiciemus ea omnia systemata circa exsistentiam veritatis ac certitudinis, quae consequenter nullo modo admitti possunt; *in quarto* denique proponemus quasi recapitulationem circa unicum et universale criterium veritatis et certitudinis.

CAPUT I

De notione, possibilitate, utilitate, necessitate inquisitionis criticae, et de eius diversis methodis ac solutionibus tentatis

31. Nexus. In hoc primo capite intendimus ea impedimenta, quae ad bonam solutionem problematis critici nobis occurrunt, e medio tollere, dum eius utilitatem et necessitatem examinamus.

Multipliciter enim aliquis contra solutionem problematis critici occurrere potest: vel negando eius possibilitatem, quia in se ipsa repugnet, vel eius utilitatem, quia supervacanea sit, vel eius securitatem quia periculosa; vel quia, etiamsi in se contradictionem non contineat, tamen impossibilis appareat

eo, quod non detur methodus apta ad illam inveniendam; vel talis methodus adhibeatur, quae solutionem stricte philosophicam impediat [1]. Quare de his ex ordine in diversis articulis agendum erit.

ARTICULUS I

De notione, possibilitate, utilitate et necessitate inquisitionis criticae, seu problematis critici

Thesis 1. Sincerum examen criticum ad omnes veritates etiam maxime fundamentales extendi debet.

J. de Vries, *Critica* n.3 9.10; A. Naber, *Critica* n.93s; J. Dávila, *Critica* n 36s; G Picard, *Le problème critique fondamental:* ArchPhil vol 1 cah.2 c.1.2 et 4 a.1; vol.13 p.7s; Mercier, *Critériologie générale* ch. prel.; Roland-Gosselin, *Essai d'une etude critique de la connaissence* (Paris 1923) introd. p. 10s; F. Van Steenberghen, *Epistemologie*[2] c.1 2; S. Cultrera, *La exigencia crítica y el realismo inmediato a la luz del tomismo:* RevFil 6 (1947) 223-260; C. París, *Sobre el planteamiento del problema epistemológico:* RevFil 8 (1949) 639-53.

32. Notiones. Examen criticum est investigatio problematis critici.

Problema autem criticum hunc habet sensum: utrum certitudines naturales, quas sponte et naturaliter habemus ob evidentiam, habeant tale fundamentum, quod nos reflexe et distincte cognoscere possimus. Seu aliis verbis utrum certitudines naturales converti possint in philosophicas et reflexas [2]. Ab aliis dicitur:

Critica inquisitio, nempe illa methodica investigatio in fundamenta, quibus certitudo naturalis nititur, ut eius valor scientifice pateat. Vulgo vero proponitur per interrogationem "utrum mens nostra sit apta ad veritatem assequendam" [3].

33. Certitudo naturalis est assensus firmus mentis, qui habetur ob evidentiam, non examinato cum distinctione valore motivorum cur assensus sit verus, licet examinentur cum distinctione motiva cur res sit talis, vel a fortiori si ta-

---

[1] Cf. Dávila, *Critica* n.11.

[2] Circa notionem *certitudinis scientificae et philosophicae* eiusque momentum cf. A. de la Bare S. I., *Certitudes scientifiques et certitudes philosophiques*[7] (Paris).

[3] Diversis formulis et diverso sensu et valore solet proponi haec quaestio critica etiam apud scholasticos auctores, ut videre licet in *Acta primi Congressus thom. internationalis* (Romae, apud sedem *Academiae S. Thomae*, 1925). Has diversas tendentias breviter propositas videre licet apud J. M. Alejandro, *La escolástica y el problema del conocimiento:* Pens 1 (1945) 147-173. Cf. etiam C. París, *Sobre el planteamiento del problema epistemológico:* RevFil 8 (1949) 639-53.

lia argumenta cum distinctione non examinentur. Est igitur certitudo naturalis ea quam vulgus habet de multis rebus religiosis, moralibus, politicis et etiam metaphysicis; immo est etiam naturalis certitudo quam habet philosophus vel quilibet scientificus, qui bonis argumentis probavit suas theses, sed nondum investigavit utrum mens, dum talia argumenta protulit, revera attigerit veritatem, an solum habuerit necessitates subiectivas ita ordinandi sua ratiocinia et assensus.

CERTITUDO PHILOSOPHICA est assensus firmus mentis praestitus post examinata motiva, non solum cur res ita sit, sed etiam cur assensus meus positus ob talia motiva et in talibus circumstantiis, v. c. cum evidentia sit necessario verus. Haec certitudo philosophica vocatur etiam *certitudo reflexa*, quia versatur directe circa actum proprium psychologicum, sc. circa assensum firmum circa aliquam rem, investigando utrum actus ille sit verus seu conformis cum re.

34. SINCERUM: Examen debet fieri cum sinceritate, seu cum voluntate inveniendae solutionis, non antea praesupposita eius solutione aut fundamento aliquo, ex quo solutio detur; nempe volendo primitus invenire viam ad solutionem veram.

Tamen haec *sinceritas* non postulat ut simus parati ad reiciendas certitudines naturales, si forte viam scientificam ad solvendum problema non inveniamus; esset enim nimia sinceritas et imprudens. Si enim illam viam non inveniremus, dicendum esset hoc problema non esse capax solutionis scientificae et philosophicae, quia ipsum philosophandi initium sit, et consequenter solummodo via vulgari et directa solvendum esse.

VERITATES MAXIME FUNDAMENTALES sunt veritates tum ordinis metaphysici, ut prima principia, tum ordinis politici, tum etiam ordinis religiosi ac moralis.

35. ORIGO QUAESTIONIS CRITICAE (cf. n.2). Tres causae praecipuae indicantur cur haec quaestio agitetur. *Factum erroris* ac *multiplicis dissensionis* circa veritates praecipue metaphysicas; *influxus*, qui ex parte potentiae cognoscitivae datur in rem cognoscendam; et *variabilitas* ipsius potentiae in diversis subiectis cognoscentibus et in adiunctis etiam diversis. Si quis vero cedens his difficultatibus, serio dubitat, vel quadam intranquillitate motus suas cognitiones examini subicere vult, ortus quaestionis criticae in sua mente dabitur.

36. Status quaestionis. Ex notionibus positis patet quid in thesi quaeratur: utrum nempe haec investigatio critica nostrae cognitionis admittenda sit, ita ut nullum periculum creet imo et valde utilis ac necessaria aliquo modo sit, et quidem etiam circa veritates primas omnino fundamentales.

37. Sententiae. *Prima* tenetur a *dogmatistis exaggeratis,* de quibus postea nominatim agendum erit. Praecipui sunt:

a) *Intellectualistae,* qui problema criticum, seu hanc quaestionem "utrum certitudines nostrae naturales sint verae et obiectivae", non esse admittendum dicunt ob duas rationes: quia sit periculosum, siquidem proponere problema est dubitare de omnibus, etiam de aptitudine mentis ad verum, et consequenter per nullum ratiocinium talis dubitatio superari potest; vel quia sit impossibile; in ipsa enim propositione eius affirmantur plures veritates, ergo in ipsa propositione datur solutio eius, ideoque non admissum est problema, sed solum affirmata est eius solutio.

b) *Irrationalistae seu voluntaristae,* iuxta quos, aliquas persuasiones fundamentales, quamquam non sunt evidentes, tamen ab initio per actum quemdam fiduciae admittere debemus, quia hoc postulat exigentia vitae humanae.

Secunda sententia, quae est nostra et certa videtur, tenet aliqualem necessitatem huiusmodi problematis et utilitatem, ita ut sine periculo proponi possit.

38. Probatur thesis. Problema criticum in tota sua universalitate in se non repugnat, est utile et necessarium, et aliunde nullum periculum creat; *ergo* admittendum est.

Antecedens probatur per partes:

A. *Hoc problema non repugnat logice,* quia in ipso cum petitione principii non supponitur quod probandum est, nec datur processus in infinitum, nec inciditur in idealismum.

1) *Non supponitur quod probandum est;* nam etiam si aptitudo mentis ad verum supponatur ontologice, at non supponitur logice, ut in tota solutione apparebit; quare hac certitudine naturali non utimur ut praemissa ad ipsam iustificandam.

2) *Non datur processus in infinitum,* quia non procedimus per strictam demonstrationem ex praemissis iterum demonstrandis, sed per ostensionem immediatam.

3) *Nec inciditur in idealismum,* quia non incipitur a cognitione tamquam elemento constructivo realitatis, quod esset praeiudicium, sed tamquam ab aliquo realiter exsistente et notificante seipsum et realitatem.

B. *Est utile ad fines speculativos*: 1) Dignum est scitu illud problema, quod agitat maximam dignitatem dignissimae creaturae corporeae; *atqui* tale est problema criticum, quod tractat de aptitudine mentis humanae ad verum, in qua homo similis est Deo; *ergo* dignissimum est scitu, et proinde utile ad fines speculativos. 2) Utilissimum est scire bene sensum primorum principiorum, et habere accuratam notitiam actuum quibus homo ad persuasionem eorum venit; *atqui* huiusmodi notitia obtinetur in investigatione huius problematis; *ergo* investigatio huius problematis est valde utilis ad hos fines speculativos.

C. *Est necessarium ad fines apologeticos.* Hoc problema, 1.º, in philosophia moderna extra scholam de facto saepe proponitur, et a multis pessime solvitur ob argumenta apparentia; 2.º, unde multi etiam orthodoxi incipiunt tentari intranquillitate, quia audierunt problema et eius difficultates, nec claritatem sufficientem circa illud habent, nec solutionem ad eius difficultates; et 3.º, nosmetipsi non habemus claritatem circa eius sensum et solutionem; *atqui* in talibus adiunctis necessarium est admittere problema ob fines apologeticos. Et *haec minor probatur:* secus non poterimus nostras obscuritates illuminare, adversariis respondere, vacillantes confirmare.

D. *Et aliunde nullum periculum creat.* Periculum esset si dubitaremus de omnibus dubio reali aut ficticio, cum tale problema admitteremus; sed non dubitamus realiter neque ficticie de omnibus, sed mere praescindimus a certitudinibus naturalibus, eo fine ut perveniamus ad solutionem problematis, non praesupposita antea eius solutione, neque fundamento aliquo unde solutio pendeat [4].

---

[4] Nostra thesis confirmatur verbis notissimis ARISTOTELIS, 3 *Metaph.* c.1 et S. THOMAE in explanatione huius loci *In III Metaph.* lect.1; circa haec loca cf. TONQUÉDEC, *La critique de la connaissance* c.12. Circa verba S. THOMAE: *Ista scientia* (Metaphysica) *sicut habet universalem considerationem de veritate, ita etiam ad eam pertinet universalis dubitatio de veritate; et ideo non particulariter, sed simul universalem dubitationem prosequitur* (*In III Metaph.* lect.1) diversae interpraetationes dantur. Optime NABER in sua *Critica,* p.103 innuit: "1) certe omnis "irrationalismus noeticus" initialis est ei alienissimus; intellectus etiam primas logice veritates proprie ut evidentes habet. 2) Nec tamen contentus est mere factum talis evidentiae rationalis, vel factum indubitabilitatis efferre, a. v. eis non mere "naturalem" certitudinem vindicat, sed etiam

39. Obiectiones. 1. Problema sibi proponere est proponere sibi rem de qua dubitemus; *ergo* cum admittis problema admittis dubium.

Dist. antec.: si agatur de problemate dubitativo, *conc.*; si de problemate mere inquisitivo, *nego.* Sensus ergo problematis critici non est, ut velimus de omnibus dubitare, quasi ignoraremus solutionem; sed est velle efficaciter investigare viam scientificam ad solutionem, non praesupposita eius solutione aut fundamento solutionis, et non afferendo tamquam praemissas illas certitudines, quas naturaliter habemus.

2. *Instabis 1.°*: Problema non adest, si datur solutio in ipsa propositione problematis; *atqui* in ipsa propositione problematis iam datur solutio; *ergo* revera problema non adest.

Nego minorem. Nam etiamsi in ipsa propositione problematis affirmentur certo tres veritates primitivae, haec certitudo est mere naturalis seu spontanea, non autem reflexa, per earum iustificationem; fortasse enim aliquis dicet, nos quidem certe affirmare haec omnia, sed ex necessitate subiectiva, non autem ex eo quod veritas ipsa me cogat.

3. *Instabis 2.°*: Sed si retines certitudines naturales, aut retines caece, aut cum fundamento; si caece, irrationabiliter retines; si cum fundamento, iam habes solutionem problematis critici antequam illud tibi explicite proponas; *ergo* inutiliter tibi proponis.

Conc. mai., et eligo secundum, sed cum distinctione: retineo eas cum fundamento implicite et confuse cognito, *conc.*; explicite et cum distinctione examinato, *nego.* Et *pariter dist. cons.*; inutiliter mihi propono problema, si iam solvi explicite et distincte, *conc.*; si sine distinctione, implicite et confuse, *nego.* Qui habet iudicium certum, cognoscit implicite se cognoscere motiva, et suum assensum esse conformem cum re, et hoc ob evidentiam; sed non explicite inquisivit cur evidentia sit signum veritatis, nec cum distinctione haec omnia scit sibi et aliis explicare.

40. 4. Philosophus qui quaerit solutionem problematis est homo excultus, multis praeiudiciis imbutus; *atqui* impossibile est ab his praeiudiciis in aliquo problemate solvendo sese liberare, ut ex experientia constat; *ergo* impossibile est homini exculto hoc problema sine praeiudiciis solvere.

Dist. min.: Impossibile est illa iudicia ex influxu educationis orta tollere, seu habita non habere in ordine ontologico-psychologico, *conc.*; logice abstrahere, *subd.*; ubi agatur de veritatibus fundamentalibus examinandis, *nego;* ubi agatur de persuasionibus derivatis, *iterum subdist.*: hoc saepe valde difficile est, *conc.*; est physice impossibile, *nego.*

5. Praeiudicium liberalismi et individualismi est reicere omne praesuppositum in scientia, seu "scientia sine praesupposito"; *atqui* hoc in thesi defenditur; *ergo.*

Dist. mai.: est praeiudicium liberalismi et individualismi scientia

---

insistit in ostendenda intima natura et causa ultima ontologica simul et logica huius necessariae veritat.s; a.v. vult et ipse certitudinem reflexam, scientificam eorum (cf. textum classicum *De verit.* q.1 a.9...). 3) Via autem qua ad talem pervenitur, fere ubique indicatur quaedam reflexio atque analysis eorum, quae implicite in omni actu cognoscitivo connotantur."

sine praesupposito logico et psychologico, *conc.*; solum sine praesupposito logico, *nego. Contrad. min.*: In thesi defendo scientiam sine influxu psychologico religionis, educationis, etc., *nego;* sine supposito logico, *subdist.*: scientiam particularem, *nego;* philosophicam, *conc.*

Nos enim cum ad thesim accedimus imbuti sumus plurimis ideis, tendentiis etc.; immo propter tales ideas, systemata historica, proponimus ipsam quaestionem; sed haec omnia non debent dari ut ratio logica, quae nos a solutione aliunde quaerenda liberet.

41. 6. Aptitudo mentis ad verum semper supponenda est logice; *ergo* problema criticum saltem ad hanc primam veritatem admitti nequit.

Probo antec.: Si aptitudinem mentis cognitam non suppono, ita procedo ac si eam nescirem; *atqui* si cum tali ignorantia procedo, numquam scire possum utrum veritatem assecutus sim; *ergo* consequenter deberem etiam post inquisitionem adhuc abstrahere a veritate explicite cognita, nisi ipsam logice praesupponam.

Dist. min.: Numquam scire possum a priori utrum veritatem assecutus sim, *conc.*; nec a posteriori possum cognoscere factum verae cognitionis, *nego*.

Ut in thesibus sequentibus videndum est, aptitudo mentis ad verum apparet ex facto, quod aliquas veritates cognoscimus, non e contrario factum veritatis particularis ex aptitudine mentis praecognita.

ARTICULUS II

DE DIVERSIS STATIBUS MENTIS ANTE SOLUTIONEM PROBLEMATIS CRITICI

Thesis 2. Status praevius mentis ad solutionem problematis critici non potest esse exigentia rationalismi universalis; nec dubitatio universalis, sive realis sive ficticia: nec dubitatio methodica Cartesii; sed sola praecisio ab omni certitudine naturali.

FRICK, *Logica* n.268; MERCIER, *Critériologie gen.* p.61.83; C. GONZÁLEZ, *Historia de la Filosofía*[2] t.3 p.215; DE VRIES, *Critica* n.10s; DÁVILA, *Critica* n.16s; M. FLORÍ, *Sobre la duda real negativa como actitud inicial ante el problema crítico*: Pens (1945) 343-348; G. FRAYLE, *¿Certeza? ¿Duda? ¿Ignorancia? Actitud inicial ante el problema crítico*: CT 67 (1942) 30-67.

42. Nexus. Ut possibile sit examen problematis critici, aliqua specialis positio mentis, ante quam ipsum aggrediamur, necessaria est. Reicimus in primis in hac thesi illas positiones seu status mentis, quae tale problema solvere nequeunt, quia per illas id quod examinandum est destruitur; et denique unica bona positio defenditur.

43. Notiones. RATIONALISMUS potest esse theologicus vel philosophicus.

Rationalismus theologicus est systema eorum, qui dicunt non esse admittendam revelationem neque mysteria, sed solum ea quae per rationem naturalem intelligi ac probari possint. De hoc rationalismo non agimus.

Rationalismus philosophicus est systema eorum qui docent omnia debere explicari per deductionem ex aliis veritatibus praeviis, et nihil esse admittendum sine demonstratione.

44. DUBIUM VEL DUBITATIO sic describitur a S. Thoma: "Sic igitur, intellectus noster respectu partium contradictionis se habet diversimode. Quandoque enim non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus de quibus rationem non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum quae movent ad utramque partem; et ista est dubitantis dispositio qui fluctuat inter duas partes contradictionis" [1]. Unde

DUBITATIO est suspensio mentis inter utramque partem contradictionis. Si vero dubium est de fidelitate personae vel facultatis semper secum fert aliquam diffidentiam erga illam.

DUBITATIONIS DIVISIO. Potest esse:

1. UNIVERSALIS ET PARTICULARIS. *Universalis* si se extendit ad omnes omnino veritates. *Particularis,* si se extendit solummodo ad aliquas veritates, conservatis aliis, quarum iuvamine possit acquirere certitudinem de reliquis.

2. REALIS ET FICTICIA. *Realis* est vera suspensio iudicii, et subdividitur in a) *positivam,* si adsunt motiva apparenter aequalia pro utraque parte, et b) *negativam* si nullae rationes adsunt, quae mentem determinent ad alterutram partem; qui status mentis proximus est *ignorantiae.*

Ficticia seu methodica et hypothetica non est vera suspensio iudicii, sed est fictio suspensionis iudicii, eo fine ut quaeramus probationem alicuius conclusionis, non praesupposita eius veritate aut probatione ulla anteriori. *Methodica* communiter erit *ficta,* sed poterit esse etiam *realis,* et pariter *universalis et particularis;* sed animadvertendum est omnem dubitationem circa ipsam mentis aptitudinem de se universalem esse.

---

[1] *De verit.* q.14 a.1 in c.

3. Sceptica erit dubitatio, quae statuatur tamquam status definitivus in ordine ad veritatem.

45. 4. Dubitatio methodica cartesiana (a Cartesio dicitur hyperbolica) continet haec puncta:

1) Proponit sibi clare problema criticum, utrum scilicet dentur cognitiones conformes rebus, et quae illae sint, cum intentione non sceptica inveniendi firmam veritatem [2].

2) Status praevius mentis debet esse *dubitatio seria* de omnibus quae possim in dubium vocare, licet sint maxime evidentia et necessaria [3]; consequenter dubitat de omnibus quae apprehendimus per sensus externos, de valore conceptuum, de valore principiorum primorum, et de ipsis propositionibus mathematicis evidentissimis, ut v. c. duo et duo sunt quattuor. *Proprietates huius dubitationis* sunt: *a*) quod sit *universalissima,* nam licet servet extra dubium veritates religiosas, morales et politicas, tamen saepe ita loquitur, ut intra dubium cadant hae veritates; *b*) quod sit *ob rationes quae revera faciant dubitare* licet ipse saepe dicat suam dubitationem esse hypotheticam et ficticiam, et revera habeat intentionem non scepticam sed dogmaticam. Nempe debemus dubitare, quia saepe decepti sumus a nostra facultate, ideoque iam nullam fidem meretur; quia non possumus distinguere inter statum vigiliae et somnii, et patet in somnis nos falli; quia fortasse exsistat aliquis genius malignus, qui faciat me semper errare; *c*) quod sit *dubitatio realis,* saltem prout eam aliqui interpretantur [4].

3) Tamen in hoc conatu dubitandi de omnibus unum est de quo non potest dubitare, quod est *exsistentia proprii ego,* quia etiam si fallor, ergo exsisto: "Cogito, ergo sum" [5]. Et ratio cur non possim dubitare de propria exsistentia est summa claritas ideae, qua ipse sibi apparet.

4) Hinc deducitur criterium veritatis esse *ideam claram et distinctam*: itaque quoties habeam ideam claram et distinctam alicuius rei, signum est illam rem exsistere et esse distinctam ab omni alia re. Sic v. c. *cogitans* apparet in idea

---

[2] Cf. *Discours de la Méthode* 3me partie, ed. Adam et Tannery, VI p.28-9.
[3] *Première Méditation* 9 p.13.
[4] Cf. Card. Mercier, *Critériologie* n.34. De charactere dubitationis cartesinae diversae sunt sententiae: cf. J. M. Alejandro, *La escolástica y el problema del conocimiento:* Pens 1 (1945) 147-73; Bonnet, *Critica* p.24; Lumbreras, *Estudios filosóficos* n.3; E. Pita, *Descartes, padre de la filosofía moderna:* Est (septiembre 1941).
[5] *Discours de la Méthode,* 4me partie; cf. J. de Finance, *Cogito cartesien et réflexion thomiste* (Paris 1946): ArchPhil 16 cah.2.

clarissima ut *aliquid non habens extensionem* et proinde ut distinctum ab omni corpore; ergo cogitans est realiter distinctum ab omni corpore, ideoque simplex et spirituale.

5) Sed tamen hoc criterium non valet ad ostendendam exsistentiam alicuius realitatis externae, quia fortasse aliquis genius malignus delectetur dum facit ut ego clarissime capiam ea quae falsa sunt. Ideo probanda est prius exsistentia Dei summe veracis et infundentis nobis ideas claras, unde concludi possit ideas claras esse semper veras.

6) Probat vero nunc *exsistentiam Dei veracis* et infundentis ideas claras ex idea clarissima, qua videt nostram ideam de infinito non posse procedere nisi ab ente infinito; unde exsistit ens infinitum, ideoque auctor omnium et summe verax et infundens ideas claras; ergo hae ideae clarae sunt verae. Hinc deducitur ideas claras esse criterium veritatis non solum pro propria exsistentia, sed etiam pro omni genere veritatum.

7) Consequenter ille qui Dei exsistentiam non admittit non potest habere certitudinem de ulla re, etiam de rebus mathematicis simplicissimis.

46. Praecisio ab omni certitudine naturali non est dubitatio realis aut methodica, qua vere suspendatur iudicium, quia desint vel fingantur deesse motiva pro alterutra parte, sed est *merum propositum non adducendi tamquam probationem conclusionis, a cuius certitudine praescinditur, certitudines quas aliunde iam habemus de eadem conclusione*. Sic v. c., cognosco certitudine naturali intellectum meum esse aptum ad veritatem obtinendam; dum vero intendo examen criticum instituere nec nego illam aptitudinem, nec in dubium revoco, sed simpliciter non adhibeo ut praemissam demonstrationis in illo examine. Unde praecisio ab omni certitudine duo importat: a) *Retentionem veritatum*, quae certitudine naturali gaudent. b) *Non usum ipsarum* ut praemissae ad ostendendam suam legitimitatem [6].

[6] Sic multi, ut Dávila, *Critica* n.16. Tamen aliqui talem praecisionem non bene intelligunt, cum illam cum dubitatione vera confundant; ita, ut videtur, M. Florí, *Sobre la duda real negativa como actitud inicial ante el problema crítico:* Pens 1 (1945) 343-348. Communiter tamen auctores solent eam admittere, v. c. D. Martins, *Descartes ou Balmes. A volta del problema critico fundamental:* RevPortFil 1 (1945) 251-294; I. Quiles *En torno al problema crítico:* EstBA 66 (1941) 309-401; E. Pita, J. Cifuentes, *El punto de partida de la Filosofía* (Buenos Aires 1941). Vide etiam diversas positiones ac sententias in *Acta primi Congressus thom. Internationalis* (1925).

47. Status quaestionis. Quaeritur proinde in thesi qui sit status praevius mentis aptus initio inquisitionis criticae ad bonam solutionem problematis critici inveniendam.

48. Sententiae. *Prima* est pro *exigentia rationalismi universalis,* pro qua citantur CARTESIUS, LEIBNIZ, WOLF. Sed licet hi auctores magnam inclinationem habeant ad exigentiam rationalismi exaggerandam, tamen non profitentur rationalismum universalem, quia aliqua principia admittunt sine demonstratione.

Secunda est pro *dubitatione universali. Sceptici methodici* docent dubium in examine critico fovendum esse, ut qui accedit ad eiusmodi examen de omnibus veritatibus etiam fundamentalibus, ut de aptitudine mentis, realiter etsi methodice dubitet, vel dubitare conetur. Unde dubium in hac sententia non ut status definitivus mentis, sed tantum ut methodicum adiutorium ad certitudinem scientificam obtinendam proponitur. Ita *Cartesius,* ut ex expositione eius doctrinae patet; pariter eam sententiam certo defendunt G. HERMES (1775-1831)[7] et plures criticistae ex schola kantiana.

G. PICARD dicit dubitationem universalem realem esse illicitam moraliter, sed addit non esse illogicam, quia ex ea potest quis se liberare per intuitionem concretam suam[8].

JEANNIÈRE docuit fovendam esse dubitationem universalem, seriam omnino et sinceram, sed negativam; quamvis ipse explicet ita ut coincidat cum praecisione veritatis naturalis, tamen si verba sumantur ut sonant, non videmus quomodo haec dubitatio non sit realis etiam de rebus fidei, et consequenter illicita moraliter[9].

Tertia est *dogmatismi exaggerati;* docent non esse admittendam dubitationem universalem realem, neque ficticiam aut methodicam, immo neque simplicem abstractionem a certitudine naturali, sed incipiendum esse ab affirmatione praecritica trium veritatum primitivarum. Inter ipsos dogmaticos exaggeratos duplex tendentia ab aliquibus notatur[10], cum

[7] Ipse G. HERMES defendit fovendam esse dubitationem universalem positivam realem in *Praef. ad Introd. Phil.* Damnatus vero est a GREGORIO XVI. Cf. D 1618.1619.

[8] Cf. ArchPhil 1 (1923).

[9] *Criteriologia* p.103.

[10] Cf. DÁVILA. *Critica* n.17. Ita loquuntur multi neocriticistae, v. c. E. GOBLOT in suo *Traité de Logique* (Paris 1918) p.328, qui sic concludit, postquam dixit omnem scientiam pendere a principiis indemonstrabilibus: "*Les indemostrables ne sont pas de vérités. Ce sont des hypothèses que nous n'avons pas des raisons de tenir pour vraies, mais que nous avons des motifs de prendre*

agitur de modo explicandi cur eiusmodi veritates ab intellectu admittantur: a) *Dogmatistae voluntaristici* tenent affirmationem praecriticam talium veritatum niti *in actu audaci voluntatis,* quae libere intellectui fiduciam tribuit de legitimitate ipsarum, cum nullo pacto ipsae a ratione humana iustificari possint. Sic multi neocriticistae, v. c. E. GOBLOT, F. SAWICKI, J. HESSEN, etc., qui affirmant primum fundamentum cognitionis esse irrationale; b) *Dogmatistae intellectualistici* defendunt affirmationem praecriticam niti in ipsa evidentia, qua huiusmodi veritates primitivae gaudent, *quae quidem evidentia nec iustificari potest nec debet.* Ita C. FRICK et plures scholastici moderni.

Quarta et nostra est *dogmatismi critici,* qui meram praecisionem tuetur; ita PICARD, DE VRIES, NABER, DÁVILA et hodie plerique. Quam saltem ut probabiliorem tuemur.

49. Probatur thesis. I P. STATUS PRAEVIUS MENTIS NON POTEST ESSE EXIGENTIA RATIONALISMI UNIVERSALIS.

1. Qui nihil admittit quin demonstretur, omnes praemissas debet demonstrare; *atqui* sic datur processus in infinitum, et consequenter nihil demonstrare potest (contra intentum); *ergo* qui nihil admittit quin demonstretur, nihil demonstrare potest.

Maior patet et *minor probatur*: omnis enim demonstratio praemissam supponit, quae admitti nequit sine demonstratione per alias praemissas, et hae per alias praemissas et sic in infinitum.

2. Qui nihil admittit quin demonstretur, et hoc prius demonstrare debet, nempe "per demonstrationem aliquid certo demonstrari posse"; *atqui* hoc non potest demonstrare nisi per demonstrationem; *ergo* numquam potest aliquid habere demonstratum.

Ad maiorem: unde prima principia et regulae et methodi, quae in omni demonstratione supponuntur, non possunt nec debent demonstrari, sed neque egent stricta demonstratione.

---

pour règles. Ils ne sont pas logiquement nécessaires, mais ils nous sont nécessaires... La science, dans sa totalité et, avec elle, la connaissance en général, est une vaste hypothése, un parti pris, un risque hardiment couru, une audace inconsidérée à l'origine, mais amplement justifiée après coup par le succès et les légitimes espérances qu'il fait concevoir". Simile quid aliqui catholici tenent ut F. SAWICKI in *Philosophisches Jahrbuch* (1925,1926,1928), *Das Irrationale in den Grundlagen der Erkenntnis,* et in opere *Die Gottesbeweisse* (Paderborn 1926); J. HESSEN in suo opere *Das Kausalprinzip* (Ausburg 1928). Iuxta hos primum principium cognitionis est irrationale.

50. *Confirmatur* vero haec pars ex verbis ARISTOTELIS[11]: Ὅλως ἁπάντων ἀδύνατον ἀπόδειξιν εἶναι· εἰς ἄπειρον γὰρ ἂν βαδίζοι, ὥστε μηδ' οὕτως εἶναι ἀπόδειξιν. "Etenim omnino impossibile est, omnium esse demonstrationem: in infinitum namque progrederetur." Item ex verbis S. THOMAE: "Certitudo scientiae tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudines sciuntur, quando resolvuntur in principia." Unde principia sunt veritates immediate evidentes. "Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse sit ea per se vera esse, sed etiam necesse sit videri, quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum"[12].

51. II P. NEC DUBITATIO REALIS UNIVERSALIS. Dubitatio realis universalis est: *a*) in se impossibilis; *b*) reddit insolubilem inquisitionem criticam; *ergo* non est admittenda.

Probatur antec. quoad a): 1.º, experientia enim constat hanc dubitationem esse impossibilem, et 2.º, ratione, talis enim positio in tantum esset possibilis, in quantum aliquas veritates affirmaret, nempe exsistentiam propriam, principium contradictionis, etc.

Quoad b): qui enim de omnibus dubitat, nequit, dum logice procedat, se ab hoc dubio liberare; *atqui* hoc esset scepticum; *ergo* qui de omnibus dubitat, utpote scepticus, reddit insolubilem inquisitionem criticam.

Maior ultima: nam qui de omnibus dubitat realiter, dubitat etiam de aptitudine mentis ad verum et de omnibus actibus quibus posset solutio inveniri; *ergo* per nullum actum poterit se a dubio liberare.

Dices: Liberabit se a dubio per intuitionem concretam realitatis, sicut Picard.

Nego assertum. Quia ille dubitat etiam de exsistentia intuitionis et de aptitudine illius ut capiat rem in se. Et praeterea, quia quidquid affirmatur de abstracto et universali logice debet affirmari de concreto et particulari; proinde qui ita liberaretur a dubio illogice procederet, nam ponit aliquod praeiudicium universale, quod postea reicere debet, quia in aliquo casu concreto non valet. Oportet igitur illud praeiudicium non ponere.

52. III P. NEC DUBITATIO FICTICIA. Nam qui dubitat ficticie et hypothetice de omnibus, ab hoc dubio non poterit se

[11] *Metaph.* 1 4 (1006a8).
[12] *De verit.* q.11 a.1 ad 13; *In lib. post. Analyt.* lect.19 initio.

logice liberare; *atqui* hoc est scepticum; *ergo* scepticum est de omnibus methodice dubitare.

Maior ut in anteriore parte; nam ille dubitabit etiam de aptitudine mentis ad verum et de valore cuiuslibet actus mentis; *ergo* per nullum actum poterit se liberare logice a dubio.

Dices: Ille non dubitat realiter; *ergo* scepticus non erit.

Concedo antec., et nego consequens; quia licet realiter non dubitet, tamen logice debet servare consequentiam, quae fluit ex hypothesi dubii universalis. Iam vero consequentia quae fluit logice ex illa suppositione, est quod dubitat de aptitudine mentis ad verum et de valore cuiuslibet actus eius; *ergo* logice debet manere in scepticismo seu dubio.

53. IV P. NEC DUBITATIO METHODICA CARTESIANA. 1. Quia *dubitatio methodica* prout a Cartesio proponitur est *universalis et realis.* Nam argumenta, quae affert ad dubitandum, probant dubitationem debere esse realem et universalem, v. c.: nos saepe decepti sumus, ergo numquam possumus fidere rationi; non possumus discernere inter statum vigiliae et somnii, et quoniam in somniis saepe fallimur, nescimus discernere quando fallamur et quando non fallamur; et fortasse sit aliquis genius malignus, qui delectetur nos decipiendo; *atqui* dubitatio realis universalis est moraliter illicita et logice sceptica; *ergo* haec eadem incommoda habet dubitatio methodica Cartesii.

2. *Cartesius est illogicus* in asserenda propria exsistentia, postquam dubitavit de omnibus, etiam evidentissimis; nam si genius malignus potuit nos fallere in rebus evidentissimis, v. c. in asserendo duo et duo esse quattuor, eodem modo me fallere potuit in asserendo proprio ego, eo modo quo ego illud repraesento, nam fortasse a parte rei sit modo incogitabili, et ut me decipiat facit ut concipiam modo cogitabili, secundum indolem meam.

3. *Committit aperte circulum vitiosum.* Nam probat Dei exsistentiam et veracitatem per ideam claram circa principia causalitatis et non contradictionis, continentiae effectus in causa; et valorem ideae clarae probat per exsistentiam et veracitatem Dei.

4. *Est idealista, licet invitus.* Nam iuxta eum, per ideas claras et distinctas non percipimus nisi nostras ideas claras obiective spectatas, i. e. obiecta intramentalia; *atqui* ex obiectis intramentalibus non potest transire ad obiecta extra-

mentalia; *ergo* omnis cognitio nostra erit de obiectis intramentalibus, quod est idealismus.

Maior: quia dicit nos debere arguere ab idea clara et distincta ad realitatem rei clarae et distinctae ab omni alia re; *ergo* id quod cognoscit per ideam claram non est res extramentalis, sed obiectum intramentale, secus non indigeret transire ad illud..

Minor: non potest transire per intuitionem; nam conceptus nostri non repraesentant nisi obiecta intramentalia, ex dictis. Nec per ratiocinium; ratiocinium enim non dat res extramentales, nisi in praemissis asseratur res extramentalis; *atqui* in praemissis non asseritur res extramentalis, quia conceptus qui sunt in praemissis sunt de rebus intramentalibus; *ergo* ratiocinium non dat res extramentales.

54. Corollarium 1. Ergo quaestio quae dicitur "de ponte" inter ordinem obiectivum et subiectivum est inutilis et idealista. *Inutilis,* quia nos immediate attingimus realitatem in intuitione concreta, ut patet, et in conceptibus abstractis, quia hi repraesentant eandem realitatem foris stantem, sed praecisive a notis individuantibus et inadaequate. *Idealista,* quia ut visum est ducit in idealismum. Non igitur datur aliquid intermedium cognitum inter subiectum et realitatem; datur tamen medium non cognitum prius, quod est ipse conceptus formalis seu subiectivus.

55. Corollarium 2. Hinc patet quomodo Cartesius sit pater et origo fere omnium errorum modernorum:

1. Est origo *idealismi* ut visum est.

2. Est origo *materialismi;* quia ille per ideas claras conclusit: "Belluae non habent animam a corpore distinctam, quia essent spirituales et rationales, ideoque nec sentiunt nec vivunt, sed datur purus mechanismus." Recentiores vero dicunt: "Belluae non habent animam distinctam a corpore ex doctrina cartesiana; atqui evidentissimum est eas sentire et recordari; ergo signum est in materia adesse vires nobilissimas quae sufficiunt ad sentiendum; unde etiam erunt ad cogitandum et intelligendum, quia iterum iuxta Cartesium sentire et cogitare idem est."

3. Est origo *sensualismi;* nam iuxta eum sentire et cogitare idem est; ergo non est necessarium praeter sensum intellectum ponere.

4. Est origo *pantheismi;* nam substantiam definit: "Ens quod non indiget alio ad exsistendum." Ex hac autem definitione ita argumentatus est SPINOZA: "Atqui evidentissimum est dari substantias in mundo; ergo illae non indigent alio ad exsistendum, ideoque sunt a se et Deus."

5. Est origo *spiritualismi exaggerati* (Malebranche, Leibniz, etc.), iuxta quem anima non potest dare corpori vim sentiendi, nec corpus potest concurrere ad sentiendum; nam iuxta Cartesium anima est adeo spiritualis, ut omnes eius actiones cognoscitivae intelligantur sine ulla participatione corporis, etiam ipsum sentire; et corpus est adeo extensio, ut non possit concipi in eo alia actio, ideoque neque concursus cum anima ad sentiendum. Consequenter licet sint valde unita corpus et anima, tamen haec unitas est mere extrinseca sicut motoris et mobilis.

56. V P. SED SOLA PRAECISIO AB OMNI CERTITUDINE NATURALI. Hic status est adoptandus ante examen criticum si reliqui status non sunt legitimi, et si hic nullum periculum creat, sed est utilis ad finem intentum; *atqui* ita est; *ergo* hic status admittendus est ante examen criticum.

Maior patet et *minor probatur:* alii status non sunt legitimi. Nam alii status sunt aut certitudo praevia de aptitudine mentis ad verum, aut dubitatio universalis sive realis sive ficticia, aut dubitatio methodica cartesiana; qui non sunt legitimi, ut ostensum manet.

Praecisio nullum periculum creat, 1) contra fidem, quia revera non adest ulla dubitatio, nec 2) pro scepticismo, quia non dubitat de aptitudine mentis ad verum, nec de obiectivitate ullius actus mentis, et consequenter si in investigatione reperit aliquem actum, qui de facto attingat veritatem, non habebit ullum impedimentum ad illam accipiendam. *Et est utilis ad finem;* nam cum hac praecisione dabitur solutio vere scientifica, quae in eo consistit, quod quaestio non praesupponatur soluta in alterutram partem ante examen, sed ut per ipsum examen primitus inveniatur solutio.

57. Obiectiones[13]. 1. Proprium est philosophi nullam admittere propositionem, quin in eius volorem antea inquisierit; *atqui* talis inquisitio importat necessariam absentiam assensus circa talem propositionem; *ergo* proprium est philosophi suspendere assensum ante omnem propositionem dubitando realiter et universaliter.

[13] Vide aliquas obiectiones in thesi praecedenti solutas. Cf. praeterea J. DE VRIES, *Critica* n.15.16; A. NABER, *Critica* p.104.

Conc. mai., et dist. min.: inquisitio illa importat absentiam assensus in eo ordine certidudinis, in quo inquisitio instituitur, i.e. in ordine certitudinis reflexae, *conc.*; etiam in ordine certitudinis naturalis, *nego vel subd.*: in aliquibus quaestionibus non omnino evidentibus, *conc.*; in omnibus, *nego*.

2. *Instabis: Atqui* in omni ordine inquisitio importat absentiam assensus. Et *prob.*: Non quaeritur quod iam in aliquo ordine habetur; *ergo* si iam in aliquo ordine haberetur certitudo de valore motivorum non ulterius quaereretur.

Dist. antec.: Non quaeritur quod habetur, ut qualicumque modo habeatur, *conc.*; ut melius et plenius habeatur, *nego*.

58. 3. Repugnat mentem humanam habere simul certitudinem et dubium vel quasi dubium circa idem omnino enuntiabile; *atqui* dum quaerimus de valore alicuius enuntiabilis circa ipsum iam habemus dubium vel quasi dubium; *ergo* non possumus habere certitudinem.

Dist. maiorem: non possum habere dubium vel quasi dubium in eodem ordine certitudinis v.c. naturalis, *conc.*; in diverso ordine, *nego*.

4. Qui praescindit nihil supponit; *atqui* qui nihil supponit, nihil etiam umquam inferre potest; *ergo* qui praescindit nihil inferre potest, nec proinde pervenire umquam ad certitudinem scientificam.

Conc. mai. et ad minorem *nego suppositum,* nempe nihil certo haberi posse nisi demonstretur; multa enim immediate innotescunt et inde ostenduntur, ut postea melius patebit in tota solutione nostra.

59. 5. Saltem aptitudo ad verum praesupponenda est. Quia causa ab effectu simpliciter praesupponitur (quia prior est ipso); *atqui* aptitudo mentis est causa omnis veritatis; *ergo* praesupponenda est ante omnem veritatem.

Dist. mai.: causa praesupponitur ab effectu, quia prior est ipso in ordine ontologico, *conc.*; etiam in ordine logico, scilicet debet prius cognosci causa, quam effectus, *nego. Contradist. min.* Patet enim prius exsistere facultatem veri attingendi quam ipsum verum attingere, sed inde non sequitur, me debere prius cognoscere in abstracto hanc facultatem ut possim aliquid ut verum attingere; contrario enim modo saltem in primis cognitionibus accidit.

6. Inquisitio illa est simpliciter impossibilis. Nam hanc inquisitionem facere supponit abstractionem a veritate legitimanda; *atqui* impossibile est physice ab omni veritate abstrahere; *ergo* inquisitio illa est impossibilis.

Dist. mai.: supponit abstractionem a veritate, nempe non usus huius veritatis ut praemissae in ordine logico, *conc.*; supponit abstractionem a veritate, ut percepta non percipiatur, vel non necessario assentiamur ei, quando plena evidentia naturali proponitur, *nego*.

60. 7. Certitudo reflexa nullas alias rationes afferre potest ac naturalis; *atqui* haec dicitur insufficiens; *ergo* et illa.

Dist. mai.: certitudo reflexa nullas alias rationes et nullo alio modo diverso afferre potest, *nego;* easdem affert, sed diverso modo, *conc. Contradist. min.*: dicitur insufficiens propter rationes quas affert, *nego;* propter modum quo eas affert, *conc.*

8. Illud dubium initiale seu methodicum potest esse reale et universale sine ullo periculo, dummodo sit negativum; *ergo* initium inquisitionis potest esse dubium.

Dist. antec.: Potest esse dubium negativum, quod non includat realem retractationem assensus circa naturalem evidentiam et sufficientiam eius, *conc.* (sed tunc mere *abusive* diceretur *dubium reale*); quod includat realem retractationem assensus, quae iudicio positivo de insufficientia evidentiae naturalis aequivaleat, *nego.* Nam hoc praeter quam quod impossibile physice sit, inutilem reddit omnem posteriorem investigationem in primas evidentes veritates. In modo tamen loquendi, ut optime notat Naber[14], datur diversitas magna etiam inter scholasticos, quae obscuritati vel aequivocationibus favet, etiamsi recta intentione procedant, ut apparet in sententia et modo loquendi Jeannière.

ARTICULUS III

DE DIVERSIS METHODIS SEU VIIS AD SOLUTIONEM PROBLEMATIS CRITICI

§ 1. **De methodis solutionis per evidentiam naturalem seu per veterem dogmatismum.**

Thesis 3. Problema criticum non sufficienter solvitur per theoriam trium veritatum primitivarum: aut realismi methodici, aut evidentiae abstractae.

Ad theoriam trium veritatum primitivarum: C. FRICK, *Logica* n.273; MERCIER, *Criteriol.* p.100-106.424-440; BALMES, *Filosofía fundamental* l.1; G. PICARD: ArchPhil 1.107-111; G. VAN RIET, *L'epistemologie thomiste* s.1.

Ad theoriam realismi methodici: E. GILSON in 1) *Philosophia perennis* t.2 p.742s; 2) *Revue de Philosophie* t.35 (1935) p.97s; 3) *Le realisme methodique* (Paris 1936); 4) *El realismo metódico, versio hispana et commentarium a* L. E. PALACIOS (Madrid 1950); 5) *Realisme Thomiste et critique de la connaissance* (Paris 1939); PICARD: ArchPhil 13 p.7-9; L. NOEL: RevNeoscolPh (1935,1937,1940); G. VAN RIET, *L'epistemologie thomiste* c.5 p.495s; DÁVILA, *Critica* n.32.

Ad theoriam evidentiae abstractae: GARRIGOU-LAGRANGE, *Le realisme thomiste et le mystère de la connaissance:* RevdePhil (1931); ID., *Dieu, son existence et sa Nature* (Paris 1915); ID. *Le realisme du principe de finalité* (Paris 1932); MARITAIN, *Les degrés du savoir* c.3 p.146-7; VAN RIET, *o. c.* p.338s.349s.; PICARD: ArchPhil 1,123; 13,14-24.

61. Nexus. In hac et aliis sequentibus thesibus proponitur systematice evolutio doctrinae scholasticorum circa quaestionem criticam, qui iam ab anno 1850 usque ad nostra tempora diversas vias ad quaestionem solvendam tentant. Nobis autem non omnia, sed solum praecipua tentamina, consideranda veniunt; et quidem systematice, ut expositio clarior appareat, et ut aliquam viam, quae verisimilior nobis videatur,

[14] *Theoria cognitionis critica* p.106.

sequamur ac defendamus; de ceteris vero quid admittendum, quid vero reiciendum, indicabimus.

62. Notiones. THEORIA TRIUM VERITATUM PRIMITIVARUM continet has propositiones:

1. *Problema criticum admitti non potest;* quia illud admittere est dubitare de omnibus et qui dubitat de omnibus non potest se a dubio liberare; et praeterea in ipsa propositione problematis affirmantur tres veritates, nempe, primum factum, exsistentia propria, primum principium, non contradictionis, et prima condicio, aptitudo mentis ad verum; unde non datur problema, sed potius solutio problematis.

63. 2. *Hae veritates sunt primitivae et fundamentales.* Nam veritas primitiva et fundamentalis est ea quae in omni iudicio certe affirmatur, non fundatur in ulla alia veritate priori, et in ipsa omnis alia certitudo fundatur; *atqui* tales sunt tres illae veritates; *ergo* tres illae veritates sunt primitivae et fundamentales.

Maior patet ex notione conventionali veritatis primitivae et fundamentalis.

Minor autem *probatur per partes:*

a) In omni iudicio affirmantur, qui enim iudicat certo vel dubie, dicit implicite, non esse idem affirmationem certam et negationem, quod est affirmare principium non contradictionis; et se videre vel non videre motiva sui iudicii, quod est affirmare suam exsistentiam; et se discernere optime inter affirmationem et negationem, quod est affirmare aptitudinem mentis ad verum.

b) Non fundantur in ulla veritate priori; secus darentur aliquae veritates priores in quibus hae veritates non affirmarentur, quod est impossibile, ex parte modo demonstrata. Haec pars solet etiam ita efferri: Hae tres veritates non possunt nec egent demonstrari; quia in quacumque praemissa iam affirmantur certo; ergo antequam veniamus ad conclusionem, nempe ante demonstrationem, iam affirmantur. Nec indigent demonstrari; quia per demonstrationem quaerimus evidentiam habere; sed hae veritates sunt per se evidentissimae; ergo non indigent demonstratione.

c) Omnis certitudo fundatur in his tribus veritatibus. Nam debent cognosci ante omnem certitudinem philosophicam, et si non cognoscuntur impossibilis est omnis certitudo. Si

enim ruit principium non contradictionis, non habetur certitudo de veritatibus idealibus, v.c. totum est maius sua parte. Et si non cognoscitur propria exsistentia, non habetur ulla certitudo, quia haec includit cognitionem, actum proprium esse conformem cum obiecto. Et si non praecognoscitur veracitas mentis, nescimus utrum cognitio sit conformis cum rebus.

64. 3. *Per has tres veritates statuitur bene realismus,* seu obiectivitas nostrae cognitionis et certitudinis. Nam per principium non contradictionis statuitur obiectivitas veritatum idealium, v.c. totum est maius sua parte; per propriam exsistentiam statuitur obiectivitas veritatum subiectivarum, v.c. ego doleo, cogito; per veracitatem mentis statuitur valor obiectivus idearum; nam inde constabit ideis meis correspondere valorem obiectivum [1].

65. REALISMUS METHODICUS, quae theoria maxime a E. GILSON defenditur, has partes continet:

1. *Problema criticum non est admittendum,* quia in primis illud admittere est dubitare de omnibus, et qui dubitat de omnibus nequit se a dubio liberare; et praeterea, quia illud admittere est incipere ab ideis, et qui incipit idealista debet etiam manere idealista.

---

[1] Vide quo pacto procedat S. TONGIORGI, *Institutiones Philosophicae* vol.1 p.2.ª c.3 n.425-6: Philosophi munus est 1.º ut inquirat quaenam sint primitivae ac fundamentales veritates quibus certitudo omnis ac scientia innititur; 2.º ut ostendat eas a philosopho admitti sine demonstratione non modo posse sed plane debere. !!!

Propositio: Cum multa sint, quae demonstrari nec possunt nec debent, primitivae tamen veritates, quas ante omnem philosophicam inquisitionem fundamenti loco supponere necesse est, sunt tantummodo hae tres:

1.º Factum primum, quod est exsistentia propria.

2.º Principium primum, quod est contradictionis principium: idem non potest simul esse et non esse.

3.º Condicio prima, nempe rationis aptitudo ad veritatem assequendam.

Sane, et aequum est, et necessarium, ut ante philosophiam philosophi exsistentia, ante demonstrationes demostrationum omnium principium, et ante scientiam scientiae possibilitas in tuto sit posita.

Praeterea cum duplex sit cognitionum nostrarum ordo, idealis et realis, in utroque primum aliquod inveniri debet; in ordine ideali *principium primum,* in ordine reali *primum factum.* Utrumque simul ad constituendam scientiam necessarium est, sed unumquodque per se insufficiens. Nam principium abstractum non potest parere scientiam nisi hypotheticam, factum autem solum infecundum per se est, et ad quidpiam concludendum ineptum. Sed praeter haec tertium aliquod insuper requiritur, quod utrumque inter se ordinem componat, per quod et facta ad ordinem idealem transvehi et ideale rebus applicari possit: hoc autem non habebis, nisi ponas mentem posse habere ideas obiectis conformes. Patet igitur fundamentales veritates esse omnino tres, ita ut, vel una vel altera sublata, totum humanae certitudinis aedificium necessario corruat.

Quod autem veritates istae a philosopho admitti absque demonstratione et possint et debeant, ex eo manifestum est, quod 1.º nulla egent demonstratione; 2.º omnem demonstrationem refugiunt; 3.º ipsa negatione vel dubitatione affirmantur. Similiter procedit D. PALMIERI, *Institutiones Philosophicae* vol.1 th.5 p.136-138.

2. *Realismus seu obiectivitas certitudinum nostrarum et veracitas mentis sic statuitur:* Praesupposita obiectivitate cognitionum nostrarum, pervenimus ad cognitiones cohaerentes circa Deum, mundum et hominem, contra omnino ac accidit in idealismo; *ergo* iustificata erat suppositio de realismo facultatum et cognitionum nostrarum. Sicut qui incipit ambulare per aliquam viam supponendo eam esse bonam, et videt se pervenire per illam, quo volebat, concludit illam suppositionem de rectitudine viae esse veram. Hic realismus methodicus, qui etiam *methodus realista* dicitur, diverso modo *procedit* ac *methodus critica.* Haec enim ex cogitatione pergit ad res: *cogito, ergo sum.* Illa e contra ex rebus pergit ad cognitionem: *res sunt, ergo cogito.* In illa "au lieu que le sujet trouve son objet dans l'analyse de la connaissance, il trouve sa connaissance, et soi-même, dans l'analyse de son objet" [2].

3. *Denique hic realismus methodicus non est gratuitus et acriticus,* sed valde rationalis, siquidem proficiscitur a refutatione scepticismi et idealismi.

66. THEORIA EVIDENTIAE ABSTRACTAE has continet praecipuas assertiones:

1. *Non licet admittere problema criticum* ob periculum scepticismi universalis.

2. *Realismus sufficienter fundatur per evidentiam principiorum abstractorum* quia per ipsam apparent vera et fundata, non praecedente ulla intuitione rei concretae sensibilis vel non sensibilis. Itaque v.c. per intuitionem evidentem huius principii, totum est maius sua parte, duo et duo sunt quattuor etc. sufficienter fundatur eorum veritas.

67. Status quaestionis. Sensus thesis est investigare quo sensu hae theoriae sint verae, quae propositiones admittendae sint, quae vero reiciendae.

68. Sententiae. *Prima* tenet theoriam trium veritatum primitivarum, et defenditur a scholasticis saeculi XIX, duce BALMES [3], inter quos nominandi sunt LIBERATORE, SANSEVERINO, TONGIORGI, PALMIERI, FRICK, URRÁBURU, etc.

Secunda, quae ab E. GILSON et aliquibus eius discipulis habetur, defendit realismum methodicum.

Tertia defendit theoriam evidentiae abstractae et tenetur

[2] *Le realisme methodique* p.48.
[3] Cf. *Filosofía fundamental* t.1 l.1 c.4.6.7 etc.

a GARRIGOU-LAGRANGE, et a MARITAIN, qui illam ulterius evolvit per analyses subtiliores et pulchras descriptiones.

Quarta, quae est nostra, et verisimilior videtur, reicit has omnes theorias saltem quoad partem, et propriam viam ingreditur, ut in thesi sequenti videre licet.

69. Probatur thesis. I P. PROBLEMA CRITICUM NON BENE SOLVITUR THEORIA TRIUM VERITATUM PRIMITIVARUM.

1. Problema criticum, ut visum est in prima thesi est admittendum; *atqui* haec theoria illud reicit; *ergo* haec theoria non est admittenda.

2. Haec theoria verum dicit quando affirmat illas veritates primitivas affirmari in omni iudicio nostro, et non fundari in aliis principiis seu praemissis prioribus. At falsa videtur quoad partem illam in qua dicit omnem certitudinem fundari in his tribus veritatibus. Nam ut omnis certitudo obiectiva fundaretur in his tribus veritatibus, necesse est ut constaret has tres affirmationes esse veras obiective, quod philosophice constare non potest, nisi aliqua iustificatio obiectivitatis afferatur; *atqui* in illa theoria nulla affertur iustificatio; *ergo. Nec dicas* sufficere afferre pro earum obiectivitate evidentiam qua fulgent; nam praecise hoc est problema, cur evidentia sit signum veritatis.

3. Tertia propositio huius theoriae est gratuita ex supra dictis. Nisi enim iustificetur obiectivitas principii non contradictionis, et exsistentia tou ego, et veracitas mentis, semper aderit species ut dicatur ab adversariis tales affirmationes oriri ex necessitate subiectiva; nam fortasse dicant nos apprehendere res modo intelligibili et libero a contradictione, ut postulat indoles mentis nostrae, et a parte rei obiectum esse modo inintelligibili et omnino diverso ab eo quo ego repraesento [4].

70. II P. PROBLEMA CRITICUM NON BENE SOLVITUR THEORIA REALISMI METHODICI.

1. Non videtur admittenda prima propositio, quod problema criticum non liceat admittere, ut ex prima thesi patet.

2. Nec videtur iustificata secunda propositio. Nam verum est quod si constaret de obiectivitate certitudinum circa Deum, mundum et hominem, ad quas pervenit philosophia scholastica, costaret etiam de realismo certitudinum nostrarum et ve-

[4] Cf. v. c. hypothesim de *genio maligno,* quam proposuit CARTESIUS, quae etiam si absurdissima sit, cum hac theoria non satis reicitur.

racitatis mentis nostrae. Sed ante iustificationem criticam negamus constare nobis de obiectivitate harum certitudinum, saltem reflexe et philosophice, de qua certitudine philosophica unice hic agitur.

3. Denique non bene fundata apparet tertia propositio, quod nempe bene refutes scepticismum et idealismum, si prius non iustificas et fundas obiectivatem principii non contradictionis et veracitatis mentis. Nam tota refutatio petitur ex eo quod hae theoriae sibi contradicant; *atqui* si principium non contradictionis et veracitas mentis essent falsa, vanae essent omnes illae refutationes; *ergo.*

71. III P. PROBLEMA CRITICUM NON BENE SOLVITUR PER THEORIAM EVIDENTIAE ABSTRACTAE.

1. Haec theoria, sicut praecedentes, incipit reiciendo problema criticum; sed iam diximus illud admittendum esse.

2. Realismus non bene statuitur et iustificatur per illas evidentias abstractas. Nam cum habemus ideas abstractas, ipsa entitas rei affirmatae non est intra mentem meam per se ipsam et physice, sed solum per imagines; nam idea abstracta praescindit ab exsistentia et praesentia physica rei; ergo idealista posset nobis obicere praeter illam imaginem mentalem nullam aliam realitatem esse ut tu eam repraesentas, sed modo diverso ac penitus inintelligibili.

72. Obiectiones. *Pro theoria trium veritatum:*

1. Hae veritates sunt fundamentales si dantur ut ultima ratio omnis assensus certi; *atqui* ita dantur; *ergo* sunt fundamentales.

Dist. mai.: si praeterea constat de earum obiectivitate, *conc.*; secus *nego;* et *contradist. min.*

2. Constat de earum obiectivitate. Nam tota iustificatio earum petetur ex aliqua evidentia; *atqui* illae per se sunt evidentissimae; *ergo* iam per se sunt iustificatae.

Nego assertum. Ad probationem *dist. mai.:* Ex aliqua evidentia abstracta, vel mere affirmata, *nego;* ex aliqua evidentia concreta et enucleata, ita ut appareat veritas iudiciorum immediatorum de factis conscientiae, et obiectivitas conceptus entis et principiorum non contradictionis et causalitatis *conc.* Et *dist. pariter cons.*

73. 3. Tu ipse conaris ita fortiter statuere obiectivitatem tou ego et principii non contradictionis et veracitatis mentis, ut omnem veritatem postea fundes super has veritates: *ergo* ipse tenes eas ut fundamentales.

Dist. mai.: statuo eas per meram affirmationem evidentiae earum, *nego;* per intuitionem concretam factorum, in quibus apprehenditur concrete realitas conceptus entis, principii non contradictionis et

causalitatis, *conc.* Et *dist. pariter cons.*: posteaquam eas iustificavi intuitione concreta, *conc.*; per solam affirmationem evidentiae earum, *nego.*

4. Sed in iustificatione earum iam eas affirmas; *ergo* ante iustificationem iam eas supponis.

Dist. antec.: affirmo sciendo reflexe eas esse obiectivas et bene iustificatas, *nego;* affirmatione non reflexa, nec reflexe iustificata, *conc. Et dist. pariter cons.*

Pro theoria evidentiae abstractae:

5. Ideae sunt medium quo; *atqui* medium quo non terminatur ad se ipsum, sed ad obiectum immediate; *ergo* ideae non attingunt suas repraesentationes, sed realitates repraesentatas.

Dist. mai.: et hoc tibi constat postquam fundatum est in intuitione aliqua intellectuali, in qua apprehenditur obiectum ipsum, *conc.*; per solam apparentiam abstractam ideae, *nego.* Et *conces. minore, dist. pariter cons.*

74. 6. Iuxta defensores huius theoriae datur intuitio corporum, et in hac intuitione concreta corporum vident obiectivitatem conceptus entis et primorum principiorum; *ergo* haec theoria tam bene fundat realismum sicut tua; unica differentia est in eo quod illa iustificat realismum in intuitione corporum, et tua theoria fundat in intuitione actus psychici et tou ego.

Nego mai.: nam *a*) multi ex adversariis sunt thomistae, iuxta quos solus sensus habet intuitionem corporum, intellectus autem non intuetur corpora, sed solum cognoscit ea abstracte, i.e. in universali; iuxta hos igitur solutio non fundatur in ulla intuitione concreta intellectuali contra id quod obicitur.

b) Alii dicunt intellectum cognoscere corpora, sed solum in quantum cognoscit prius in universali corpus ut sic; proinde iuxta hos, intuitio concreta corporum non iustificat veritatem conceptus entis et principiorum, sed e contra abstractio iustificat veritatem perceptionum corporum; ideoque neque ii dant solutionem ex intuitione concreta corporum.

c) Denique probabilis est sententia eorum qui dicunt non dari ullam intuitionem saltem intellectualem corporum. Quomodo igitur possumus dicere valorem conceptus entis et principiorum fundari in intuitione intellectuali corporum?

75. 7. Evidentia est criterium veritatis; *atqui* de principiis abstractis datur evidentia plenissima; *ergo* principia abstracta vera sunt sine ulla possibili dubitatione.

Dist. mai.: evidentia concreta seu intuitio, *conc.;* abstracta, *subd.*: postquam iustificatus est valor idearum et mentis aptitudo per evidentiam concretam, *conc.*; antea, *nego.* Et *contradist. min.*

§ 2. De methodis solutionis per evidentiam concretam seu dogmatismum intellectualem.

Thesis 4. Problema criticum non bene solvitur theoria mixta ex evidentia abstracta et evidentia sensitiva intuitiva; nec theoria actionis et dynamismi intellectualis; sed opus est et sufficit ad bonam solutionem, ut habeamus intuitionem aliquam intellectualem.

76. *Ad theoriam evidentiae mixtae:* MERCIER, *Criteriologie*[8] *in* toto libro, maxime vero p.386,423; VAN RIET, *L'epistemologie thomiste* p.134s; C. SENTROUL, *L'objet de la métaphysique;* secunda editio sub titulo *Kant et Aristote.* *Ad theoriam dynamismi intellectualis:* A. GARDEIL, O. P., *articula varia* in RevThom 6 (1898) 125-138.269-294; 7 (1899) 23-39; 8 (1900) 377-399; P. ROUSSELOT, S. I., *L'Intellectualisme de saint Thomas*[3] (Paris 1936); *Metaphysique thomiste et critique de la connaissance:* RevNeoscolPh 17 (1910) 476-509; J. MARECHAL S. I., *Le point de départ de la métaphysique* cah.5 i.1 c.1; *Le dynamisme intellectuel dans la connaissance objective:* RevNeoscolPh 29 (1927) 137-165; DÁVILA, *Critica* n.35; PICARD: ArchPhil 13 p.9s; VAN RIET, *L'épistemologie thomiste* p.262s.

Ad theoriam intuitionis intellectualis: DÁVILA, *Critica* n.41s; DE VRIES, *Critica* n.17; PICARD: ArchPhil 1 p.26s; DESCOQS, *Institutiones metaphysicae* (Paris 1925).

Nexus. Iterum investigamus diversas methodos ad solutionem propositas et quidem per "dogmatismum intellectualem", seu per admissionem problematis et conatus solutionis eiusdem.

77. Notiones. THEORIA MIXTA EX EVIDENTIA ABSTRACTA ET EVIDENTIA SENSITIVA INTUITIVA his elementis constat:

1. *Admittendum est problema criticum* et diligenter examinandum; status autem praevius non potest esse dubitatio, sed sola praecisio ab omni certitudine naturali. Et ex hac parte exsurgit iam in hac theoria tendentia "dogmatismi intellectualis" contra "veterem dogmatismum".

2. *Principia idealia sunt obiective vera.* Nam assensus praestatur non caece et ex mera necessitate subiectiva, sed sub lumine intellectuali, ex quo apparet v.c. ens opponi non enti, totum esse maius sua parte, etc. Asserit tamen bene haec theoria per hanc evidentiam non constare utrum termini, quibus constant haec principia, sint reales prout a nobis concipiuntur, an sint mere fabricati a mente. Per hanc evidentiam non constat v. c. in principio non contradictionis, utrum conceptus entis sit realis an ficticius; constat quidem assensum non esse caecum, sed fundatum in obiectis, saltem prout a me concipiuntur. Hoc neque Kant neque ullus idealista negat.

3. *Per intuitionem sensitivam* et per demonstrationem *constat terminos esse reales,* et consequenter reales esse etiam relationes terminorum, v.c. entis ad non ens, totius ad partes in principiis praedictis. Nam quoniam certo videmus corpora, et in eis videmus verificari conceptus entis et partis et totius, iam constat etiam realitas principiorum non solum quoad relationem terminorum, sed etiam quoad ipsos terminos. Constat igitur realismum bene stabiliri per evidentiam abstractam et per intuitionem sensitivam.

78. THEORIA DYNAMISMI INTELLECTUALIS, quae a theoriis actionis et intuitionis emotionalis sub aliquo respectu dependet, has praecipuas propositiones continet:

1. *Admittendum est problema criticum,* et solvendum est non praesupposita eius solutione, cum voluntate ostendendi intellectum esse capacem veritatis.

2. *Per methodum kantianam,* quae admittenda est et ulterius evolvenda, *admittere debemus aliquam condicionem a priori* non acquisitam, sed innatam, licet omnes doctrinae et condiciones a priori, quae a KANTIO statuuntur non sint admittendae, v.c. intuitionem esse solius sensibilitatis et non intellectus, categorias intellectus esse condiciones a priori omnis iudicii scientifici, etc.

3. *Haec condicio innata est tendentia ad affirmandum,* quae datur in nobis, siquidem intellectus naturaliter tendit ad cognoscendum ens ut tale et ut a nobis distinctum, quod solummodo in iudicio, non in cognitionibus simplicibus, obtinet.

4. *Haec tendentia affirmationis* iam actualis, quae dicitur *forma obiectiva iudicii,* est *quasi-intuitio,* et proinde vices gerit intuitionis intellectualis; per ipsam intellectus nequit non obtinere suum obiectum reale, ex principio dynamismi, quod enuntiat "*repugnare aliquam tendentiam naturalem frustrari*"; siquidem omnis tendentia est actio et repugnat actionem dari sine termino; ergo exsistit res, et ego per iudicium illam attingo.

5. Ulterius investigat haec theoria per talem tendentiam attingi ens infinitum, et in ipso res finitas, unde novam demonstrationem exsistentiae Dei per suam methodum invenire intendit [5].

THEORIA INTUITIONIS INTELLECTUALIS admittit aliquam in-

[5] Quo pacto procedat et quid valeat haec methodus ad exsistentiam Dei demonstrandam videre licet apud J. HELLÍN, *Theologia naturalis* n.84-5.

tuitionem intellectualem ut sufficientem ad solutionem imo et necessariam.

79. INTUITIO [6] est cognitio alicuius rei praesentis et quidem ut praesentis et influentis actu in nostram cognitionem. Quare ut detur intuitio hae requiruntur condiciones: 1) *Debet res exsistere,* secus non est per se ipsam praesens, sed per imaginem; 2) *Debet etiam esse praesens* propter eandem rationem; 3) *Debet etiam influere actu in nostram cognitionem per se ipsam obiective* et non per aliquam speciem impressam, quia secus posset aliquis dicere praeter illam speciem nihil dari extra cogitationem. Notandum est in Deo non requiri ut res sit actu praesens et exsistens in se ipsa, nam sufficit ut exsistat in futuro vel exstiterit in praeterito. Ille enim non accipit cognitionem a rebus, sed accipit per determinationem suae essentiae; sufficit ergo essentia rei ut Deus cognoscat intuitive et comprehensive. Simile quid dicendum est de angelo. Sed nos non habemus cognitionem nisi ex rebus influentibus in nos; ergo si res per se ipsas non sunt physice in nobis sed aliquod substitutivum rerum, sicuti esset species impressa, nesciremus utrum praeter speciem impressam aliquid reale sit.

80. Status quaestionis. Quaeritur in thesi quae via sit apta ad solutionem bonam inveniendam; examinantur viae propositae et earum convenientiae ac difficultates proponuntur, ut quae sit eligenda appareat. Patet thesim non esse ipsi solutioni nunc applicandam; quia solummodo quaeritur evidentia naturali de aliqua via in abstracto, quae postea apparebit immediate et concrete in thesibus sequentibus tamquam unica via possibilis bona et plena claritate gaudens, scilicet iam cum evidentia reflexa et philosophica.

81. Sententiae. *Prima* tenet solutionem problematis critici per evidentiam mixtam; hanc innuebat iam KLEUTGEN, et profitetur CARDINALIS MERCIER cum suis discipulis ex schola lovaniensi, SENTROUL, NOEL, etc., qui diversas admittunt variationes; ex Instituto catholico parisiensi DOMET DE VORGES

[6] Circa notionem *intuitionis intellectualis* cf. M. D. ROLAND-GOSSELIN, *Peut-on parler d'une intuition dans la philosophie thomiste?:* Philosophia perennis (Melanges Geyser) 2 p.709s; vide etiam F. GREGOIRE, *Note sur les termes "intuition" et "experience":* RevPhilLo 44 (1946) 401-415; J. SANTELER, *Intuition und Wahrheitserkenntnis* (Insbruck 1934); R. ALLERS, *Intuition and Abstraction:* FrancStud 8 (1948) 47-68.

et FARGES; ex universitate S. Cordis medionalensi TREDECI et CANELLA [7].

Secunda defendit solutionem per actionem et dynamismum intellectualem; pendet haec tendentia a doctrinis "intuitionis" a BERGSON et LE ROY propositis, et a "Philosophia actionis" a BLONDEL, BALFOUR et W. JAMES propugnatae. Eam tenet in primis MARECHAL, GARDEIL, et ROUSSELOT praeeuntibus.

Tertia, quae est nostra, tenet solutionem per aliquam evidentiam concretam intellectualem, quae *intuitio intellectualis* dicitur. Haec defenditur a PICARD, DE VRIES, NABER, DÁVILA, ZAMBONI, etc.

82. Probatur thesis. I P. PROBLEMA CRITICUM NON BENE SOLVITUR THEORIA MIXTA EX EVIDENTIA ABSTRACTA ET EVIDENTIA SENSITIVA INTUITIVA.

Haec theoria multa admittit, quae nullam offerunt difficultatem, nempe problema esse admittendum et diligenter examinandum, et principia prima esse evidentia. Sed non videtur admittendum quod addit de terminis illorum principiorum, nempe per aliquam *intuitionem* illos iustificari ut obiectivos, et *per demonstrationem.*

1. *Non per intuitionem a*) intellectualem; propter rationes iam allatas. Nam: 1) Multi dicunt non dari ullam cognitionem concretam intellectualem corporum, sed solum abstractam; 2) alii dicunt dari intuitionem intellectualem et concretam corporum, sed posterius quam perceptum est corpus ut sic in universali, et in tantum constare illam perceptionem esse realem in quantum constet conceptum universalem esse verum; 3) quia saltem est probabilis sententia, quae nullam admittit intuitionem corporum saltem intellectualem; *b*) *nec sensitivam* quia etiamsi detur, tamen haec non aequivalet ideae et iudicio universali.

2. Non *per demonstrationem* exsistentiae corporum fundatam in principio causalitatis. Nam ut probet realitatem corporum, praesupponit verum ontologice et logice principium causalitatis, ut patet; et ut probet realitatem principii causalitatis et ceterorum principiorum quoad terminos quibus constant, debet supponere realitatem corporum; *atqui* hoc videtur clara petitio principii; *ergo.*

---

[7] Circa hos auctores eiusque opera cf. VAN RIET, *L'epistemologie thomiste* p.179s.

83. II P. PROBLEMA CRITICUM NON BENE SOLVITUR THEORIA ACTIONIS ET DYNAMISMI INTELLECTUALIS.

Bene asserit haec theoria tendentiam innatam intellectus ad affirmandum, quia non quiescit in simplici apprehensione. Sed falsa multa proferre videtur:

1. Theoria iudicii et simplicis apprehensionis quoad repraesentationem obiecti realis videtur falsa.

2. Falsa etiam videtur theoria iudicii de significatione copulae *est*, quae in multis casibus non significat ens realiter exsistens, sed vel possibile, vel ens veritatis propositionis, ut in propositione "tenebrae sunt absentia lucis".

3. Nec omnino videtur admittenda propositio de metaphysica repugnantia affirmationis sine obiecto reali, quod ad *principium dynamismi* reducitur, nempe *nullam tendentiam naturalem esse vacuam*. Quia hoc vel nullo modo adversarius probat, et tunc admittit solutionem sine legitimatione principii, nempe solutionem aliquam non philosophicam; vel demonstrat per ipsum principium et datur petitio principii; vel aliunde demonstrat, quod ipse non praestat.

4. Peior est praeterea eius applicatio theoriae ad demonstrandam exsistentiam Dei; tum ob falsa praesupposita, tum ob pessimas sequelas, quae ex eius doctrina erui possunt [8].

84. III P. OPUS EST ET SUFFICIT AD BONAM SOLUTIONEM, UT HABEAMUS INTUITIONEM ALIQUAM INTELLECTUALEM.

OPUS EST: Nam si non habetur intuitio intellectualis, nescimus utrum res ipsa sit praesens, an solum aliqua eius repraesentatio; *atqui* in hoc casu suspicari possemus praeter illam repraesentationem fortasse non dari ullam entitatem qualis a nobis repraesentatur; *ergo* illa intuitio requiritur.

SUFFICIT: Nam res praesens per se ipsam et se ipsam manifestans, non per imaginem, est realis et obiectiva et exsistens.

85. Obiectiones. 1. Ideae sunt medium quo; *atqui* medium quo attingit ipsas res, non autem solas repraesentationes subiectivas; *ergo* sufficit quaelibet idea etiam abstracta ad attingendas res, et non requiritur intuitio.

Dist. mai.: et hoc constat postquam habuimus intuitionem rei concretae, et certiores facti sumus ideam abstractam nihil continere alienum ab eo quod erat in intuitione, *conc.*; constat ante omnem intuitionem, *nego. Et conc. min., dist. pariter cons.*: si constaret tibi

[8] Cf. J. HELLÍN, *o. c.* n.85.

de obiectivitate idearum independenter ab omni intuitione, *conc.*; si solum post intuitionem, *nego.*

2. Constat ante intuitionem. Nam auctores solent proponere hanc thesim: Ideae habent valorem obiectivum; *atqui* inter ideas sunt plurimae, quae non sunt intuitivae, ut ens, mutabile ut sic, substantia, neque ex intuitione abstractae, ut spiritus, impossibile, necessarium; *ergo* de valore idearum constat independenter ab intuitione.

Dist. mai.: et haec thesis valet de ideis intuitivis, vel abstractis immediate ab intuitivis ut ens, mutabile, contingens, etc., *conc.*; de ideis non intuitivis, neque abstractis immediate ab intuitivis, *subd.*: si earum obiectivitas probetur per legitimum ratiocinium, quod tandem fundatur in principiis per intuitionem cognitis, *conc.*; secus, *nego.*

Et *contradist. min.*: non sunt intuitivae, neque abstractae ab intuitivis, neque demonstratae per ratiocinium, quod tandem fundetur in intuitione, *nego;* saltem demonstratae per legitimum ratiocinium, fundatum tandem in intuitione, *conc.*

86. 3. Iuxta hanc solutionem quando habes aliquam ideam, non constat tibi utrum habeat valorem obiectivum, priusquam examines utrum sit abstracta ab intuitione, vel demonstrata legitimo ratiocinio; *atqui* hoc significat ideas nostras non repraesentare res, sed solas nostras repraesentationes, secus non necesse esset transire ab ordine repraesentationis ad rem per aliquod ratiocinium, quae est theoria cartesiana et idealista; *ergo* tua theoria de necessitate intuitionis pro aliquibus ideis introducit cartesianismum et idealismum pro plerisque ideis.

Dist. mai.: si agatur de idea intuitiva aut immediate abstracta requiritur ratiocinium, ut sciam valorem obiectivum eius, *nego;* si agatur de idea non intuitiva, neque immediate abstracta ab intuitiva, *conc.* Et *contradist. min.*

87. 4. Sensationes sunt etiam praesentes per se ipsas intra intellectum, i.e. intra animam intellectivam, et non per ullam speciem impressam; *ergo* possunt esse obiectum intuitionis intellectualis; *ergo* non requiritur intuitio praecise alicuius actus intellectualis, ut esset iudicium aliquod vel ratiocinium.

Concedo antecedens et primum consequens; sed *nego secundum consequens.* Quia etsi sensatio habeat conscientiam concomitantem, tamen hoc ab aliquibus scholasticis negatur; et praeterea illa conscientia concomitans, quam sensationes habent, non aequivalet cognitioni sui sub aliqua ratione absoluta et capaci universalitatis, sicut aequivalet conscientia concomitans actus stricte spiritualis. Ideo sensatio videtur minus apta ut eius examine incipiamus iustificationem problematis critici.

CAPUT II

De solutione problematis critici per evidentiam intellectualem concretam et abstractam in concreta fundatam

ARTICULUS I

De solutione veritatis concretae

§ 1. De iustificatione iudiciorum circa facta conscientiae

Thesis 5. Reflexio circa actus nostros intellectuales ostendit iudicia, quibus affirmamus exsistentiam actuum nostrorum in intuitione fundari et esse obiective vera et certa.

S. Thomas, *De verit.* q.1 a.9; Naber, *Critica* p.110s; Dávila, *Critica* p.51s; De Vries, *Critica* passim; Roland-Gosselin, *Essai d'une étude critique de la connaissance* p.41-147; Picard: ArchPhil 1 (1923) 46-76; Van Steenberghen, *L'épistemologie* [2] (Louvain 1947) c.2 a.2.

88. Nexus. Hucusque propaedeutice vidimus et possibilem et necessariam esse inquisitionem criticam in cognitionem humanam; praeterea consideravimus itinera, per quae haec solutio tentata fuit, reicimus ea quae nobis non placuerunt et indicavimus methodum aptam ad solutionem vere criticam obtinendam. Haec omnia constant certitudine mere naturali, solummodo ut impedimenta tollerentur, quae nobis solutionem bonam impedirent. Nunc vero quaerimus solutionem vere criticam per aliquam descriptionem et reflexionem quodammodo phaenomenologicam, in qua deprehendemus ipsam veritatem et certitudinem in sua formatione, concrete et vivide; postea vero in ipsis concretis veritatibus ulteriori reflexione percipiemus valorem conceptuum abstractorum et principiorum universalium.

89. Notiones. In thesi sermo est de actibus nostris psychicis intellectualibus, de intuitione eorum, de iudicio enuntiante eorum exsistentiam, de reflexione circa hoc iudicium, de veritate et certitudine obiectiva, quae omnia breviter sunt explicanda.

ACTUS PSYCHICUS est omnis actus sensitivus, intellectivus et appetitivus. Nos vero in thesi praecipue agimus de actu psychico intellectivo.

ACTUS PSYCHICUS INTELLECTIVUS habet has proprietates: *a)* habet conscientiam concomitantem sui per se ipsum, seu ipse est notitia suimetipsius per se ipsum; *b)* haec notitia est experimentalis; *c*) immediata; *d*) sed indirecta; *e*) aequivalenter, sed non formaliter est intuitio sui; *f*) iudicium de sua exsistentia; *g*) et evidentia; *h*) et talis conscientia nequit esse falsa.

90. Explicemus breviter singula:

a) *Omnis actus psychicus intellectualis habet conscientiam per se ipsum et non per alium actum distinctum.*

CONSCIENTIA AUTEM CONCOMITANS, quae a veteribus *virtualis. in actu exercito* dicebatur, est notitia actus proprii et subiecti, qua dum signate seu explicite cognoscimus aliquod obiectum externum, v.c. Hispaniam, exercite seu in exercitio huius cognitionis, implicite et indirecte sentitur seu experimentaliter habetur notitia ipsius actus et subiecti, et hoc quidem eodem actu quo cognoscitur obiectum alienum ab actu [1].

91. Aliqui catholici negant hanc conscientiam concomitantem sensationibus, sed plerique eam concedunt actibus intellectualibus, et hoc merito, ut ostenditur in psychologia, sic: Enuntiemus haec iudicia: Hispania exsistit, duo et duo sunt quattuor, disputant de problemate critico.

Cum haec iudicia pronuntiamus, habemus conscientiam nos pronuntiare et intelligere ea. Quod patet, quia postea cum recordor eorum non solum recordor Hispaniae, sed etiam actus quo cogitavi de Hispania. Et quaero: habemusne conscientiam de his iudiciis per ipsam, an per actum distinctum reflectentem supra eam? Si per se ipsam habeo intentum. Si per actum distinctum, de hoc debeo etiam habere conscientiam, secus non habeo conscientiam me cogitare de exsistentia Hispaniae contra hypothesim, siquidem ignorabo meam cognitionem, quod cogito de exsistentia Hispaniae. Et de hoc actu secundo iterum quaeram: de illo habeo conscientiam per se ipsum, an per alium actum distinctum? Si primum habeo intentum, et consequen-

[1] Circa exsistentiam *conscientiae directae,* sub nomine *directae,* disputatur ab scholasticis; non autem de existentia conscientiae *concomitantis,* ut videre licet in URRÁBURU, *Institutiones Philosophicae* vol. I *Logica* p.569s; BALMES, qui admittit etiam directam, *Filosofía fundamental* l.1 c.23 n.226s; J. DONAT, *Psychologia* n.313s; SUÁREZ, *De anima* 3,11 (425b).

ter primus actus erat conscius per se ipsum; si autem per alium actum distinctum, de hoc debeo habere conscientiam, ut dictum est; et quaeretur iterum, per se an per actum distinctum, et ita porro donec concedatur actum conscium, qui sit conscius per se ipsum, aut procedendum erit in infinitum.

Dices: Tandem haec notio conscientiae concomitantis non videtur omnino certa, vel saltem non ab omnibus ut absolute certa admittitur: forsitan enim actus ille conscius esset mihi conscius per alium secundum actum inconscium; ergo solutio quae in tali notione fundetur non erit evidentissima.

Resp.: Quamvis notio conscientiae concomitantis in experientia certo fundata videatur, tamen absolute nostra solutio non pendet ab hac notione, sed solummodo relative. Si enim tenes actum primum conscientiae concomitantis esse conscium per alium actum non conscium, ergo tenes realismum et obiectivitatem cognitionis, nempe secundum actum repraesentare aliam rem, scilicet alium primum actum et quidem prout est in se, quia per illam experientiam plene scio quid sit cogitare, velle, etc. Si e contra ut consequens idealista dicis actum nihil diversum a se repraesentare, sed omnino esse et repraesentare constituere unum idemque, "esse est percipi", tum patet nostram argumentationem maxime valere; quod hic intendimus, loquimur enim praecipue contra idealistas.

92. b) *Haec conscientia est notitia experimentalis;* quia est notitia rei praesentissimae nobis per se ipsam et afficientis nos.

c) *Est immediata tum obiective tum subiective. Obiective,* quia inter notitiam et obiectum non est aliud obiectum cognitum, ex quo deveniam in cognitionem actus. *Subiective,* quia etiam actus quo cognoscitur non est aliquid distinctum a re cognita, sed res cognita est ipse actus cognoscendi.

d) *Sed indirecta* (*implicita*), quia tota attentio actus versatur circa obiectum externum, circa quod expresse occupatur, v.c. circa exsistentiam Hispaniae, et actus ipse cognoscitur obiter, per transennam, dum aliud agitur, i.e. indirecte.

e) *Aequivalenter est intuitio,* quia versatur circa rem praesentem ut praesentem intra cognitionem per se ipsam; tamen non est intuitio formalis, quia obiectum circa quod occupatur illa cognitio non est actus ipse, sed aliquid alienum, v.c. exsistentia Hispaniae.

f) *Aequivalenter est iudicium* de sui exsistentia, quia videt se ipsum sciendo se esse praesentem et realem et habere determinatas dotes, etc. quod est verificatio conceptus exsistentiae. Sed formaliter non est iudicium, quia nondum facta

est analysis actus in conceptus plures, nec comparati sunt inter se, nec coniuncti affirmatione et negatione.

g) *Aequivalenter est evidentia,* quia est manifestatio suimetipsius sibi per se ipsum. Tamen formaliter non est evidentia, quia obiectum circa quod expresse occupatur illa notitia non est actus ipse, sed obiectum externum; et quia actus ipse per analysim non est divisus in plures conceptus, nec habita est perspicientia identitatis, quae praecedit iudicium, in quo consistit proprie actus qui vocatur evidens.

h) *Haec notitia seu conscientia concomitans falsa esse non potest,* quia obiectum cognitum est ipse actus quo cognoscitur, ideoque est impossibile notitiam esse disconformem cum re cognita, quod ad falsitatem requiritur.

93. INTUITIO CIRCA ACTUM PSYCHICUM [2]. INTUITIO est cognitio rei praesentis ut praesentis, et influentis per se ipsam in cognitionem sui, et non per imaginem aliquam. Cum haec intuitio versatur circa actum psychicum proprium vocatur *reflexio perfecta,* seu *conscientia reflexa.*

Haec intuitio circa actum proprium intellectivum versantem circa rem externam, v. c. circa exsistentiam Hispaniae, est cognitio actus: *a*) experimentalis; *b*) immediata; *c*) directa explicita; *d*) aequivalenter sed non formaliter est iudicium et evidentia; *e*) est semper actus distinctus ab eo qui cognoscitur; et *f*) falsa esse nequit. Explicemus singula.

94. a) *Experimentalis,* quia est circa rem praesentem et nos afficientem per se ipsam.

b) *Immediata obiective,* sed non *subiective. Obiective,* quia ut cognoscatur actus ille prior non mediat obiectum ullum cognitum, ex cuius cognitione deveniam in eius cognitionem, ut patet. *Subiective* autem adest medium quo, quod est ipsa intuitio, distincta ab actu qui cognoscitur et est media inter subiectum et rem cognitam.

c) Est *directa-explicita,* quia explicite versatur circa actum cognoscitivum, et non circa aliud, sicut conscientia directa seu concomitans.

d) *Aequivalenter et non formaliter est iudicium et evidentia.*

e) *Et semper est actus distinctus ab eo circa quod ver-*

[2] De hac notione cf. auctores citatos in n.79, nota 24, praesertim vero ROLAND-GOSSELIN.

satur explicite, nam actus cognoscitivus determinatur ut a causa ab obiecto, circa quod expresse versatur, ideoque ab eo realiter distinguitur, sicut effectus a sua causa.

f) *Falsa esse nequit*: Quia non refert nisi quod conscientia concomitans dabat, quamvis magis explicite et directe; sed conscientia concomitans falsa esse nequit; ergo neque reflexa.

95. Iudicium de quo agimus, est illud per quod affirmamus exsistentiam actus intellectualis, quo cognovi, v. c. exsistentiam Hispaniae. Non enim agitur de veritate iudicii directi, quo affirmo Hispaniam exsistere, sed de veritate *iudicii reflexi,* quo affirmo exsistentiam actus mei intellectualis, quo affirmavi Hispaniam exsistere.

96. Fundatur; quaerimus de fundamento logico iudicii, non de fundamento seu causa efficiente aut finali.

Fundamentum logicum est illud quod cognitum facit iudicium non poni caece, sed ob apparentiam ipsam obiecti, i. e. ob praesentiam obiecti menti manifestatam. Et hoc fundamentum logicum dicimus esse intuitionem. Patet fundamentum logicum proximum esse evidentiam, seu perspicientiam identitatis inter subiectum et praedicatum, quae praecedit immediate iudicium; sed haec ipsa perspicientia fundatur logice in intuitione.

Fundamentum seu *causa efficiens* est facultas cognoscitiva, Deus et obiectum. Et *fundamentum* seu *causa finalis* esset illud commodum, quod ego vellem obtinere pronuntiando hoc iudicium reflexum.

97. Reflexio haec ultima est quasi contemplatio eorum omnium, quae hucusque consideravimus, ut per eam detegamus veritatem iudicii reflexi circa actum directum, quo pronuntiavi, v. c. Hispaniam exsistere. Nam per hanc reflexionem seu contemplationem generalem possumus comparare iudicium nostrum, affirmans exsistentiam actus psychici directi, cum ipso actu directo et consequenter doceri possumus per eam reflexionem sub plena luce utrum iudicium reflexum exhibeat exsistentiam actus directi an non.

Dices: haec reflexio non comparat iudicium reflexum cum actu directo, sed imaginem iudicii reflexi cum imagine actus directi. Nam haec reflexio venit postquam locum habuit actus directus, intuitio supra actum directum, analysis propria iudicii, et iudicium

ipsum; in quo lapsu temporis interierunt hi omnes actus, et remanserunt ad summum imagines eorum, supra quas cadet reflexio quae venit post iudicium.

Resp.: *nego assertum*. Reflexio haec posterior adhuc reperit permanentes omnes actus praeteritos ob *praesens psychologicum*. *Praesens psychologicum* actuum psychicorum est coexsistentia eorum et permanentia actuum cum aliqua duratione successiva corporum, v. c. per quinque vel sex instantia, non in memoria, sed in se ipsis. Consequenter cum venit intuitio supra actum directum adhuc perdurat actus directus; et cum venit analysis propria iudicii, adhuc perdurat actus directus et intuitio, et cum venit reflexio adhuc perdurant ceteri omnes.

98. VERITAS LOGICA est conformitas actus cognoscitivi cum re. Erit obiectiva si adest conformitas cum re ipsa prout est in se, et non cum aliqua re mere fabricata a mente per suam repraesentationem. Actus directus est quidem aliquid subiectivum, i. e. psychicum, sed non habet solum esse repraesentatum, sed etiam esse reale in se ipso, i. e. *esse physicum*.

CERTITUDO FORMALIS PERFECTA est assensus firmus mentis sine formidine oppositi, et cognitus ut de facto verus.

99. Status quaestionis. Haec thesis non admittit disputationem cum aliquo adversario qui haec neget. Nam omnis polemica inter adversarios supponit admitti iam aliqua principia in quibus nitantur affirmationes et negationes utriusque, hic autem nondum praesupponi possunt aliqua principia ut vera. Sed habet solummodo finem asceticum et exercitatorium: ingredere per hanc viam reflexionis supra actus proprios, in interiore enim hominis habitat veritas, si invenis eam, suscipe cum amore et posside eam.

Neque procedimus via demonstrativa ob eandem rationem; nam licet apparenter adhibeamus argumentationes et demonstrationes, hoc tantum claritatis et methodi gratia facimus; quia si bene eas consideres, reperies solummodo explicite dici quod in actu directo iam implicite continetur. Sunt potius indicationes (*a modo de inventario*) dum res ipsas et earum proprietates recognoscimus; quae claritatis et methodi gratia per syllogismos proponuntur.

100. Sententiae. *Prima* est eorum qui non admittunt hanc inquisitionem criticam, de quibus iam satis antea dictum est.

Secunda est nostra et omnium eorum qui hanc solutio-

nem aliquo modo propugnant, ut NABER, DE VRIES, ROLAND-GOSSELIN, STEENBERGHEN, PICARD, etc.

101. Probatur thesis. I P. REFLEXIO OSTENDIT IUDICIA QUIBUS AFFIRMAMUS EXSISTENTIAM ACTUUM NOSTRORUM INTELLECTUALIUM IN INTUITIONE FUNDARI.

Haec iudicia fundantur in intuitione, si non possint poni nisi per reflexionem supra actum directum, et si illa reflexio sit intuitio actus directi, et si illa intuitio exhibet saltem implicite totum quod iudicium affirmat de actibus, i. e. exsistentiam actuum; *atqui* ita est res; *ergo* haec iudicia in intuitione fundantur.

Maior patet; si enim haec ita accidunt, intuitio faciet ut iudicium non ponatur caece, sed ob praesentiam obiecti menti manifestatam, quod est *in intuitione fundari.*

Minor per partes: a) *Iudicia haec nequeunt poni nisi ob reflexionem supra actum directum;* nam non debet affirmari exsistentia actuum psychicorum, si prius non respiciantur et videatur utrum ita se res habeat, et hoc est requiri reflexionem supra actus psychicos ante iudicium. Sola enim conscientia concomitans est obscura, quare ut non caece vel caecucienter ponatur iudicium requiritur haec reflexio [3].

b) *Haec reflexio est intuitio;* nam intuitio est contemplatio rei praesentis per se ipsam, et reflexio illa contemplatur actum directum praesentem prout est in se ipso: Nam in illa reflexione adhuc perdurat actus directus cum sua conscientia concomitante et testificatur reflexionem nihil facere nisi repraesentare id quod ipse actus est.

c) Iudicium nihil affirmat nisi quod per intuitionem datur; *ergo* intuitio est causa cur iudicium non ponatur caece, sed ob praesentiam rei affirmatae, ideoque *intuitio est fundamentum iudicii veri.*

102. II P. REFLEXIO OSTENDIT ILLA IUDICIA ESSE OBIECTIVE VERA.

Haec iudicia nihil alienum a realitate exhibent; *atqui* iudicia hac qualitate gaudentia sunt et a nobis dicuntur obiective vera; *ergo* illa iudicia sunt obiective vera.

---

[3] Cf. tamen sententiam G. PICARD: ArchPhil 1 (1923), qui non videtur admittere novum alium actum, praeter ipsam conscientiam concomitantem, quae per maiorem attentionem magis quasi clarescit, ut bene logice fundet veritatem ac certitudinem iudicii reflexi subsequentis.

Maior: nam haec iudicia affirmant exsistentiam de actibus, quae vere in illis verificatur; nam exsistens est illud, quod est praesens extra nihilum, designabile in sua concreta singularitate et non in conceptu abstracto; *atqui* totum hoc verificatur in actu qui exhibetur per intuitionem, ut patet; *ergo* exsistentia, quam iudicia affirmant de actibus, vere in eis verificatur.

Minor; propter hanc enim qualitatem, quam immediate ut obiectivam in illis iudiciis invenimus, illa iudicia merito dicuntur obiective vera.

103. III P. ETIAM REFLEXIO OSTENDIT ILLA IUDICIA ESSE OBIECTIVE CERTA.

Nam iudicium aliquod est certum, cum datur assensus firmus et verus et cognitus ut talis; *atqui* iudicia quibus affirmamus exsistentiam actuum intellectualium sunt assensus firmi, quia carent ulla formidine erroris, et veri et cogniti ut tales, ut patet ex parte praecedente; *ergo* haec iudicia sunt obiective certa.

104. Corollaria. 1. Ergo datur *veritas logica,* quae est conformitas cognitionis cum re prout est in se, et non prout mere repraesentata et fabricata per mentem. Actus quidem, qui per iudicia reflexa affirmantur, sunt aliquid subiectivum et psychicum, sed non habent merum esse repraesentatum, sed etiam esse reale physicum.

2. Ergo datur *certitudo formalis,* ut patet ex tertia parte; quare anima per hanc reflexionem cognoscit naturam suae facultatis cognoscitivae esse talem, ut possit rebus certo conformari.

3. Ergo *conscientia est fons genuinus veritatis.* Si enim enuntiantur facta, quae se manifestant in conscientia concomitante et in reflexione immediata supra illa, impossibile erit dari disconformitatem inter affirmationem et rem. Falsitas potest venire per accidens, si ob praecipitantiam affirmas aliquid, quod non immediate se manifestat in conscientia concomitante.

4. Ergo *evidentia immediata et concreta est signum seu criterium veritatis.* Nam evidentia immediata non est nisi praesentia rei menti manifestata in intuitione aliqua; intuitio autem falsa esse nequit, ut probatum manet. Quae omnia magis postea considerantur, sed hic iam radicaliter soluta manent.

105. Scholion 1. Ad thesim illustrandam conferre potest celeberrimus ST. THOMAE textus in *De ver.* q.1 a.9, qui sic se habet: "*Cognoscitur autem ab intellectu* (veritas), *secundum quod intellectus reflectitur circa actum suum, non solum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit proportionem eius ad rem, quod quidem cognosci non*

potest nisi cognita natura ipsius actus; quae cognosci non potest nisi cognoscatur natura principii activi, quod ipse est intellectus, in cuius natura est ut rebus conformetur; unde secundum hoc cognoscit veritatem intellectus, quod supra se ipsum reflectitur" [4].

106. Scholion 2. Solutionem praeterea per descriptionem phaenomenologicam diverso successu aliqui auctores nostris diebus tentaverunt [5]. Praeter G. Sohngen (n.1892), qui aliqua originalitate methodum sequitur [6], et G. Rabeau (n.1877), qui in theoriis psychologicis nititur, cum antea hac via realismum thomistam cum idealismo scientifico aliquo modo conciliare vellet [7], eminet conatus Augusti Brunner, S. I. (n.1894) [8], qui philosophiae exsistentialistae phaenomenologia utitur, cum incipiendum putet ab aliqua experientia, quae sit omnibus communis et clara. Talis est pro ipso "Dialogus", quo tum cum aliis tum etiam secum ipso homo loquitur. In hoc investigat criterium quo error omnino vitetur, et statuit esse convergentiam diversarum cognitionum inter se independentium, quae in suis ordinibus diversis investigandae sunt.

Ad obiectiones confer theses sequentes.

---

[4] Commentaria hodie frequentiora solent afferre auctores circa hunc S. Thomae textum. Cf. v. c. C. Boyer, *Le sens d'un texte de saint Thomas:* Greg 5 (1924) 424-443; J. de Vries, *Die Bedeutung der Erkenntnsmetaphysik für die Lösung der erkenntniskritischen Frage. Eine Erklärung von De veritate* q.1 a.9: Schol 8 (1933) 321-358; Id., *Zielsicherheit von De veritate q.1, a.9, und der neuscholastichen Erkenntnistheorie:* Schol 10 (1935) 481-507, et 11 (1936) 52-81; J. de Finance, *Cogito Cartésien et réfléxion thomiste:* ArchPhil 16 cah.2 p.160. Hic vero textus ad sententias haud parum diversas nonnumquam trahitur. Cf. autem Naber, *Theoria cognitionis critica* p.125-6, ubi breviter nervus et vis totius argumentationis thomisticae proponitur.

[5] Cf. G. van Riet, *L'épistemologie Thomiste* p.563s.

[6] Cf. opus eius praecipuum: *Sein und Gegenstand. Das scholastiche Axiom: ens et verum convertuntur, als Fundament metaphysischer und theologischer Spekulation* (Munster in W. 1931).

[7] Cf. *Species. Verbum. L'activité intellectuelle élémentaire selon saint Thomas d'Aquin* (Paris 1938); praeterea *Le jugement d'existence* (Paris 1938).

[8] Cf. *La connaissance humaine* (Paris 1943) et praeterea, *Ursprung und Grundzüge des Existentialphilosophie:* Schol 13 (1938) 173-205.

§ 2. De iustificatione iudicii circa exsistentiam propriam cogitantis

Thesis 6. Reflexio supra iudicia, quibus affirmamus exsistentiam tou ego, ostendit ea in intuitione fundari et esse obiective vera et certa.

S. AUGUSTINUS, De *civ. Dei* 11 c.26; *De vita beata* n.7; *Sol.* n.1; *De Trin.* 10 n.14; ROMEYER: ArchPhil 7 p.137-250; NABER, *Critica* p.119; DE VRIES, *Critica* n.28; N. BALTHASAR, *Mon moi dans l'être, et mon moi dans le monde:* RevPhilLo 47 (1949).

107. Nexus. Quamvis haec thesis nihil formaliter supra thesim antecedentem addat, quia hic eodem modo ostenditur nos possidere aliquas veritates et certitudines concretas et quidem scientifice et philosophice; tamen iuvat illam considerare, quia experientia nostra non est de actibus nudis, sed ut in subiecto, et oportet considerare omnia, quae nobis in experientia dantur in ordine ad nostram solutionem.

108. Notiones. In thesi sermo est de to ego, de eius intuitione, de iudicio, quo affirmamus eius exsistentiam, de reflexione supra haec iudicia, de fundamento horum iudiciorum, de veritate et certitudine obiectiva; quae omnes notiones iam prius explicatae sunt, praeter to ego, quod nunc explicandum est.

109. To EGO HUMANUM in se realiter est substantia rationalis, completa et composita ex anima rationali et corpore, incommunicabilis et actu incommunicata, quod est subiectum se unum sentiens sub diversis actibus psychicis, qui simultanee accidunt et successive in tempore.

Non dicimus to ego dari per intuitionem sub omnibus his aspectibus; multi enim evidenter non cadunt sub experientiam. Sed dicimus dari to ego per experientiam saltem ut est subiectum, quod se sentit idem sub diversis actibus, qui accidunt simultanee et successive saltem in aliquo tractu temporis. Quod sic declarari potest:

Omnis actus psychicus saltem intellectualis per se ipsum, et non per actum distinctum a se, notificat non solum obiectum circa quod versatur directe et expresse, et actum ipsum, sed etiam to ego ipsius actus.

Nam cum habeo *iudicium directum,* v. c. Hispania exsistit, simul habeo conscientiam de me pronuntiante hoc iudi-

cium. Et quaero: vel habeo conscientiam de me per ipsum actum quo pronuntio "Hispania exsistit", vel per actum distinctum; si per eundem actum, habeo intentum; si autem per actum distinctum, cum hunc habeo etiam habeo conscientiam de me exercente hanc activitatem sciendi me iudicare; secus non haberem conscientiam de me iudicante. Et tunc iterum quaero; vel habeo conscientiam de me per hunc actum secundum, vel per alium actum; si per se ipsum, ergo actus psychicus per se ipsum dat notitiam tou ego; dicas igitur idem de primo actu; si per actum distinctum, procedendum esset in infinitum. Cum igitur hoc sit impossibile, dicamus primum actum per se ipsum dare notitiam tou ego. Atque haec est *conscientia concomitans* tou ego.

110. Praeter hoc datur *reflexio supra to ego*, quod apparet in actu directo per conscientiam concomitantem. In hac reflexione apparet to ego expresse et explicite, et non solum indirecte sicut in actu directo. Talis autem reflexio vocatur et est *intuitio tou ego;* quia est cognitio tou ego praesentis ut praesentis et influentis per se ipsum et non per memoriam in sui cognitionem. Cognoscitur autem non to ego nudum, ut patet, sed ut vestitum et affectum et titillatum per actum directum, qui adhuc perdurat in praesente psychologico, et non in instante aliquo indivisibili, et quasi in sectione transversali, sed in tractu aliquo longitudinali. Nam perdurante adhuc primo actu supervenit alius, dum prior paulatim extinguitur, atque ita to ego perspicit se transire de uno statu in alium.

111. Post hanc intuitionem venit *iudicium de exsistentia tou ego,* ad quod pervenitur iuxta genesim notam iudicii.

Denique post iudicium venit *reflexio supra illud,* ut comprobetur utrum illud iudicium vere fundetur in intuitione, et verum ac certum sit.

112. Status quaestionis. Quaeritur in hac thesi de veritate illorum iudiciorum circa propriam exsistentiam eodem sensu ac in thesi anteriore.

113. Sententiae. *Primam* tenent multi *thomistae et aristotelici veteres,* qui dixerunt non dari intuitionem nec vagam tou ego aut actuum nostrorum, quia affirmabant res sensibiles solas cognosci cognitione propria, actus vero et to ego cognosci solummodo per conceptus analogos desumptos ex re-

bus materialibus. Sed B. ROMEYER demonstravit eruditissime talem doctrinam esse contra S. AUGUSTINUM, D. THOMAM et veritatem [9].

Secundam tenent *empiristae et phaenomenalistae,* qui dicunt non dari to ego permanens sub phaenomenis, ideoque negant etiam intuitionem tou ego, licet fateantur nos habere illusionem talis intuitionis, quam multis modis explicant, ut videre licet in psychologia.

Tertia est KANTII, qui affirmat non dari intuitionem tou ego, seu eius praesentiam menti manifestatam. Et ratio est, quia subiectum et obiectum sunt essentialiter distincta et opposita; sed id quod percipimus quasi esset to ego est obiectum cognitum; ergo nequit esse subiectum cognoscens, licet ita necessario fingamus.

Quartam tenet ROLAND-GOSSELIN, qui ait nos certe intueri actus nostros psychicos intellectuales, et hoc sufficere ad solvendum problema criticum, siquidem in actibus iam attingo ens reale concretum. To ego autem non intuemur, licet tam facili inferentia deducimus, ut appareat quasi intuitio. Et in hoc solum differt a nostra sententia [10].

Quinta et nostra tenet non solum actus sed etiam to ego esse obiectum intuitionis; hanc tenent PICARD, ROMEYER, GARDEIL, DE VRIES, NABER et frequentissime hodierni psychologi.

114. Probatur thesis. I P. REFLEXIO OSTENDIT IUDICIA QUIBUS AFFIRMAMUS EXSISTENTIAM TOU EGO FUNDARI IN INTUITIONE.

Haec iudicia fundantur in intuitione, si datur intuitio tou ego, et si haec intuitio facit ut iudicium non ponatur caece, sed sub apparitione obiecti de quo est iudicium; *atqui* attenta reflexione haec omnia dari videntur; *ergo* haec iudicia in intuitione fundantur.

Maior patet, siquidem hoc intelligimus nomine fundamenti logici iudicii.

Minor per partes: 1. *Datur intuitio tou ego.* Nam

a) Experimur actus cogitandi, dubitandi, volendi, non abstractos et separatos ab omni habente eos, sed ut in me, qui sum idem sub diversis actibus simultaneis (ille qui videt aut audit est idem qui quaerit, dubitat, anxius est, vult so-

[9] Cf. ArchPhil 6 (1928) 137-205.
[10] Cf. B. ROMEYER, *l. c.*

lutionem claram); et qui est idem sub diversis actibus successivis per praesens psychologicum (ille enim qui quaerit est idem qui mox videt multas vias tentatas esse ad solutionem, et mox se applicat ad eam quae explicata est ut probabilior, adhibendo nempe reflexionem supra actus directos et supra iudicium per quod affirmamus actus directos). Unde experimur to ego tum sub actibus simultaneis tum sub actibus successivis.

b) Et haec experientia est vera intuitio. Nam sentimus to ego ut aliquid praesens, internum et familiare nobis per suimet praesentiam, et non per abstractiones, ut cum capimus to ego commune multis et non designabile in concreto. Neque per synthesim plurium conceptuum abstractorum, ut cum cogitamus de Deo ut de ente a se, infinito, non materiali, non facto, sapienti; neque per inferentias, ut cum conspicio fumum et conicio esse ignem. Nam si de his modis cognoscerem to ego, cognoscerem coniectando et divinando esse aliquid trans phaenomena quae conspicio, non autem cognoscerem eius intimam praesentiam, et contactum et quasi titillationem eius sub actibus. Iam vero cognoscere me praesentem et per ipsum se manifestantem, licet simul cum actibus, hoc est habere intuitionem; *ergo* percipimus to ego per intuitionem.

2. *Haec intuitio facit ut iudicium non ponatur caece, sed ob apparentiam obiecti ipsius.* Iudicium enim affirmat de to ego exsistentiam, prout eam nos concipimus et prout eam ostendit intuitio. Nam exsistentia prout eam nos concipimus est aliquid praesens, extra nihilum, designabile in sua concreta singularitate et non in mero conceptu abstracto; *atqui* to ego in intuitione apparet ut aliquid praesens, extra nihilum et designabile in sua concreta singularitate, et non in conceptu mere abstracto; *ergo* intuitio exhibet totum quod iudicium affirmat de to ego ideoque facit ut iudicium non ponatur caece, sed sub lumine apparitionis ipsius obiecti.

115. II P. EADEM REFLEXIO OSTENDIT ILLA IUDICIA ESSE OBIECTIVE VERA.

Haec iudicia nihil alienum ab ipsa realitate exhibent; *atqui* talia iudicia sunt ideoque recte dicuntur vera obiective; *ergo.*

Maior: haec enim iudicia affirmant de to ego exsistentiam, ut nos apprehendimus, quae exsistentia verificatur in to ego dato per intuitionem, ut supra dictum est. Nec dicas

per iudicium nos fabricari to ego; nam iudicium affirmat id quod iam praeinventum est per intuitionem; *ergo* iudicium non fabricatur illud.

Minor: Nam iudicia tali qualitate realiter ornata vocantur et vere sunt obiective vera.

116. III P. ET ESSE OBIECTIVE CERTA.

Nam iudicium est certum, cum est assensus firmus et verus et cognoscitur ut talis; *atqui* iudicium quo affirmamus exsistentiam tou ego est assensus firmus, quia sine ulla formidine errandi ponitur, et verus, ut ex parte praecedente constat; *ergo* hoc iudicium est obiective certum.

117. Scholium. Celebre est in historia philosophiae illud "cogito, ergo sum", quo Cartesius suas omnes certitudines firmas reddere conatur; sed neque eius sensus est clarus, utrum sit inferentia aliqua, an perceptio immediata, neque eius originalitas est vera, cum iam antea S. Augustinus saepius ad illam propriam experientiam immediatam ipsius ego alluderet cum scepticos profligare intenderet. En celeberrimum textum contra academicos: "Nam et sumus, et nos esse novimus et id esse et ad nos esse diligimus. In his autem tribus, quae dixi, nulla nos falsitas verisimilis turbat. Non enim ea sicut illa quae foris sunt, ullo sensu corporis tangimus, velut colores videndo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura et mollia contrectando sentimus, quorum sensibilium etiam imagines eis simillimas, nec iam corporeas, cogitatione versamur, memoria tenemus, et per ipsas in istorum desideria concitamur: sed sine ulla phantasiarum vel phantasmatum imaginatione ludificatoria, mihi esse me, idque nosse et amare certissimum est. Nulla in his veris Academicorum argumenta formido, dicentium: Quid, si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc sum, si fallor. Quia ergo sum, si fallor: quomodo me esse fallor, quando certum est me esse, si fallor? Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer; procul dubio in eo quod me novi esse, non fallor. Consequens est autem, ut etiam in eo quod me novi nosse, non fallar. Sicut enim novi me esse, ita novi etiam hoc ipsum, nosse me" [11].

118. Obiectiones. 1. Ut habeamus certitudinem de conformitate intellectus et rei, deberemus posse comparare id quod est in intellectu cum ipsa re; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* non possumus habere certitudinem de conformitate intellectus et rei.

Trans. mai. Dist. min: hoc est impossibile quoad res externas, *trans min.;* quoad actus nostros, qui secundum realitatem suam sunt in conscientia, *nego. Pariter dist. cons.*

2. Experientia docet affectiones animae facile mutari, si attente supra eas reflectamus; *ergo* forsitan hoc fiat in nostra reflexione, et iam non poterit certitudo haberi, quia neque comparatio fieri potest.

[11] ML 41,339.

Conc. antec. Dist. cons.: Forsitan hoc fiat in nostra reflexione, nec proinde certitudo haberi possit, si reflexio deberet cadere supra actum non mutatum, *conc.;* si cadit supra actum sicut hic et nunc habetur, *nego.* Iudicium enim conscientiae non dicit quid sub aliis condicionibus (sc. sine reflexione) fuisset, sed quid nunc post influxum forte mutantem reflexionis re vera sit.

119. 3. Obiectum dicit oppositionem subiecto; *atqui* oppositio supponit distinctionem; *ergo* omne obiectum est a subiecto distinctum, ideoque subiectum nequit esse obiectum suae propriae cognitionis.

Dist. mai.: Obiectum dicit oppositionem contradictoriam vel contrariam vel privativam, *nego mai.;* oppositionem relativam, *conc. Contradist. min.*: oppositio contradictoria, contraria, privativa supponit distinctionem, *conc.;* relativa, maxime ea quae est inter cognoscentem et cognitum, *nego.*

Aliae obiectiones post thesim sequentem.

ARTICULUS II

De iustificatione veritatis abstractae universalis

§ 1. De iustificatione valoris obiectivi conceptus entis.

Thesis 7. Per eandem reflexionem circa actus nostros et to ego detegitur valor obiectivus conceptus entis.

S. Thomas, *De verit.* q.1 a.1; Picard: ArchPh'l 1,149-151; De Vries, *Critica* n.51; A. Millán Puelles, *El problema del ente ideal* (Madrid 1947).

120. Nexus. Hucusque vidimus quomodo iustificentur aliquae notiones et veritates concretae; nunc vero ulterius procedendum est, et debemus investigare quo etiam pacto notiones et veritates abstractae iustificentur; ab ipsis enim pendet tota solutio possibilitatis scientiae et imprimis metaphysicae.

121. Notiones. Valor obiectivus seu habere valorem obiectivum significat repraesentare aliquid reale et non aliquid productum per vim repraesentativam actuum.

122. Conceptus entis: loquimur hic et de conceptu obiectivo entis, nempe de ratione seu nota quae in eo datur, et dicimus illum non esse fictum a mente; et de conceptu formali, nempe de actu repraesentante illam notionem, et dicimus hunc actum non fabricari suum obiectum, sed solum inadaequate exprimere illud non exprimendo differentias.

ENS UT SIC potest sumi *nominaliter* et est notio "aptum exsistere", seu "aptum ut sit extra nihilum", praesens et designabile in sua concreta realitate.

Potest etiam sumi *participialiter* est idem atque *exsistens,* seu ens actu in exsistentia. Quando dicitur res seu aliquid significatur tantum quidditas universalissima et non attenditur relatio ad exsistentiam. In thesi comparatio prima fit inter conceptum entis participialiter sumpti cum ipsa realitate actus nostri exsistentis; eius extensio ad ens nominaliter sumptum fit postea clara comparatione illius quidditatis cum ipsa realitate.

123. Status quaestionis. De hoc conceptu entis quaerimus utrum realis sit seu verificetur in rebus. Quod quidem magni est momenti, siquidem ita iustificatur aliqua notio universalissima, quae prima principia constituit; postea aliae notiones iustificantur ut *contingentis, incipientis esse,* quae ad alia principia omnino necessariae sunt. Et ita habebitur solutio radicalis circa quaestionem universalium conceptuum. Constat praeterea nos non hic agere de origine conceptus, sed supponendo ex experientia clarissima nos habere illum conceptum, quaerimus eius realitatem seu obiectivitatem.

124. Sententiae. *Prima* est idealistarum ac conceptualistarum, qui negant obiectivitatem conceptus communis entis.

Secunda est nostra omniumque scholasticorum, qui affirmant thesim.

125. Probatur thesis. Ut conceptus aliquis sit verus obiective requiritur et sufficit ut non referat aliquid alienum a realitate ipsa, sed solummodo referat ipsam realitatem licet minus distinctam, i. e. confusive; *atqui* talis est conceptus entis; *ergo* conceptus entis est verus obiective seu habet valorem obiectivum.

Maior patet ex notione valoris obiectivi.

Minor: conceptus entis significat aliquid aptum esse, i. e. praesens in sua concreta singularitate, et in ea designabile; *atqui* intuemur actus nostros cogitandi et volendi, etc., ut aliquid actuale, praesens in sua concreta singularitate, et quod hae notae non veniunt illis eo quod cogitamus ens; *ergo* conceptus entis non refert aliquid alienum a realitate ipsa, sed eam ipsam refert licet minus determinate.

126. Obiectiones. 1. Realitas est in perpetuo fluxu, conceptus vero sunt rigidi; *atqui* rigidum evidenter non potest realizari in eo quod est in perpetuo fluxu; *ergo* conceptus non verificantur in realitate.

Dist. mai.: realitas est in perpetuo fluxu, ita ut actus non durent aliquantum et to ego se sentiat idem sub diversis actibus successivis, etsi postea dispareat, *nego;* aliter, *trans.* Et *contradist. min.*

127. 2. Repugnat ens reale constitui cogitatione; *atqui* id quod cogitatur constituitur cogitatione; *ergo* id quod cogitatur repugnat esse ens reale.

Conc. mai. Dist. min.: Esse intentionale, quod quidditas cogitata accipit in cogitatione, constituitur per activitatem intellectus, *conc.;* quidditas ipsa, quae per cogitationem accipit esse intentionale est aliquid vel cogitatur ut aliquid cogitatione constitutum, *nego. Pariter dist. cons.* Haec difficultas diverso modo saepius ab idealistis proponitur, sed explico: Id quod cogitatur, scilicet quidditas certe in ipsa cogitatione non habet esse reale, sed intentionale tantum. Sed hic modus essendi non pertinet ad id quod concipitur; non enim cogito, v. c. ens cogitatum, sed ens, seu ens reale. Id ergo quod cogito, potest etiam in ipsa re verificatum esse. Illud de facto verificatum esse utique non sequitur ex eo, quod cogito ens reale, sed ut in thesi apparet, constat per comparationem conceptuum cum ipsa realitate percepta.

3. Actus nostri et ipsum quoque ego sunt contingentia; *atqui* ens dicit necessitatem absolutam; *ergo* conceptus entis et similiter omnes conceptus essentiales non verificantur in actibus nostris neque in ipso ego.

Conc. mai. Dist. min.: Ens dicit necessitatem absolutam negative, *conc.;* positive, *nego. Pariter distinguo consequens.* Difficultas moveri solet contra conceptus universales, qui sunt necessarii, aeterni, etc., non absolute et positive, sed praecisive et negative.

128. 4. Conceptus abstractos non possumus intueri aut experiri, quia praescindunt a singularitate, praesentia, seu exsistentia actuali et determinata; *atqui* conceptus entis est conceptus abstractus seu praecisus; *ergo* non possumus eum intueri aut experiri ut verificatum in ullo singulari.

Dist. mai.: non possumus intueri aut experiri conceptum entis secundum modum abstractum quo significatur, *conc.;* secundum id quod significatur, *nego. Conc. min. et pariter dist. cons.*

5. *Instabis*: Essentiam non possumus experiri, sed solum concipere; *atqui* conceptus entis exhibet aliquam essentiam, late talem, sc. quod responderi potest quaerenti quid res sit; *ergo* conceptus entis non possumus experiri.

Dist. mai.: Essentiam non possumus experiri quoad modum abstractum, quo exprimitur aut concipitur, *conc.;* quoad id quod concipitur, *nego. Conc. min. et pariter dist. cons.* Haec experientia vocatur metaphysica, et non mere empirica et stulta qualis est brutorum animalium; quia non solum sentimus actus nostros intellectuales singulares, sed experimur verificationem comprehensionis, quae est in conceptu universali sciendo eam comprehensionem verificari.

6. *Instabis*: Ex methodo probandi thesim sequitur nos experiri actus nostros sub ratione entis; *atqui* hoc est impossibile; *ergo* methodus probandi thesim est falsa. *Minor,* quia ad talem experientiam requireretur ut illi actus essent abstracti sicut ens; *atqui* non possunt ita esse; *ergo* non possumus experiri actus secundum rationem entis.

Conc. mai. et nego min. Ad probationem *nego mai.* Ad illam enim experientiam non requiritur habere praecisionem actus a singularitate, sed experiri eum actum secundum totam comprehensionem rationis reduplicatae. Et hic modus facit ut experientia intellectualis, i. e. actuum intellectualium, non sit mere empirica, sed transparens et metaphysica. Quia non solum sentit actum, sed etiam eum experitur sub aliqua ratione, ad quam dirigitur specialis attentio.

7. *Instabis*: Ad experientiam metaphysicam, sc. ut experiamur aliquid secundum aliquam rationem seu reduplicationem specialem, sufficit comprehensionem illius rationis verificari in actu, quem experimur; *atqui* in actibus sensuum nostrorum et bestiarum verificatur comprehensio multarum rationum reduplicatarum, ut sunt qualitates, ens, dolor, visio, etc.; *ergo* sensus nostri et bestiarum percipiunt etiam has rationes reduplicatas, seu essentiam, sicut intellectus.

Dist. mai.: Si facultas quae experitur actus suos est capax illarum rationum percipiendarum, *conc.;* secus, *nego. Contradist. min.* Constat autem intellectum esse capacem percipiendi essentias, i. e. conceptus universales quoad id quod, quia conceptus illi nihil novi addunt ad nostram experientiam.

129. 8. Tu experiris aliquod ens singulare; *atqui* ens singulare non est ut ens; *ergo* non experiris ens ut ens. *Minor*: ens ut ens est praedicabile de multis, et quod tu experiris non est praedicabile de multis.

Conc. mai. Dist. min.: non est ens ut ens, quoad abstractionem, *conc.;* quoad comprehensionem, *nego. Dist. pariter cons.*

9. Ens prout a te concipitur verificatur in actibus et to ego, secundum eum aspectum sub quo actus et to ego exhibentur per experientiam, non secundum aspectum sub quo non exhibentur; *atqui* inter hos aspectus potest esse aliquis, qui simul sit ens et non ens; *ergo* ens quod a te concipitur, in tota sua extensione non est reale, sed forsan aliquid reale erit inintelligibile, i. e. ens et non ens.

Conc. mai. et nego min.; quia id quod verificatur in rebus est ens prout a me concipitur; *ergo* illud ens reale vel saltem ille aspectus realis est intelligibilis; *ergo* non includit to non esse simul, quia secus esset penitus inintelligibilis, ideoque ego non intellexissem neque sub illo aspectu sub quo concepi.

130. 10. Ens prout a nobis concipitur est reale in aliquibus entibus, v. c. in actibus nostris; sed in aliis entibus, v. c. in Deo, in mundo, etc., fortasse non sit reale, quia in eis non verificetur prout a nobis concipitur, sc. sine contradictione et ut intelligibile;

ergo non constat ens in tota sua extensione esse reale, seu omnia entia verificare nostrum conceptum entis.

Nego antec.; quia nondum scio utrum sint alia entia praeter psychica, ideoque nequeo supponere ea esse vel non esse entia sicut ego concipio. Postea vero videbimus in principio contradictionis ens excludere, quia ens, to non ens; *ergo* nullum ens est contradictorium seu inintelligibile.

131. 11. Tu existimas actum conscientiae concomitantis exhibere tria: actum et ens, ut oppositum non enti et ut habens rationem sufficientem; *atqui* hoc est incredibile cum sint nimis multa et subtilia ut indirecte cogitentur dum cogitamus de re distincta; *ergo* non haec omnia in illo actu repraesentantur.

Conc. mai. Dist. min.: ut haec cogitentur distincte, *conc.;* confuse, *nego. Distinguo pariter cons.*

12. Exhibitio clara et distincta horum trium (sc. quod ego cogitans sit ens, et oppositum non enti, et habens rationem sufficientem sui) non fit nisi per actum distinctum ab actu qui se exhibet, sc. per reflexionem posteriorem, per analysim et iudicia; *atqui* actus distinctus a re exhibita potest deformare eam et non eam exhibere sicuti est; *ergo* notio entis et principia non referunt actum nostrum et to ego reale prout est in se, sed prout fabricatum ab actu exhibente.

Conc. mai. Dist. min.: si non referunt clare id ipsum, quod per conscientiam concomitantem cognovi confuse, *conc.; secus, nego. Pariter dist. cons.*

Per illam enim reflexionem et iudicia posteriora aut simultanea video non aliud dici, quam quod intuemur per actum directum, qui durat in praesente psychologico, etiam cum fiunt haec iudicia.

132. 13. Si adesset intuitio praedicta, non tot dubitarent; *atqui* multi dubitant; *ergo.*

Dist. mai.: si adesset distincte, *conc.;* si confuse, *nego. Conc. min.* et *dist., pariter cons.*

14. Si adesset illa experientia metaphysica, adesset intuitio absoluti; *ergo* tenes ontologismum [1].

Dist. antec.: Absoluti, i. e. Dei, *nego;* absoluti, i. e. alicuius concreti sub rationibus necessarii et universalis, *conc.*; *pariter dist. cons.*

15. Homo intelligit abstrahendo a sensibilibus, secus enim non esset abstractio; *atqui* talis intellectio nequit esse intuitiva; *ergo* non datur intuitio intellectualis [2].

Dist. mai.: a sensibilibus solum, *nego;* etiam a factis experientiae internae, *subdist.*: postquam ea cognovit intuitive, *conc.;* priusquam intuitive noscat abstrahit, *nego. Conc. min., et dist. pariter cons.*: si abstractio fit post intuitionem, *nego;* secus, *conc.*

133. 16. Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu; *atqui* to ego cogitans non est in sensu; *ergo* neque in intellectu.

Nego mai; deberet potius dici: omnis cognitio incipit a sensu et

[1] Cf. G. Picard; ArchPhil 1 p.129.
[2] Ib. p.172.

adiuvatur a sensu inchoative et concomitanter; sed obiectum intellectus potest esse res non sensibilis neque sensata, v. c. actus mei et to ego.

17. Aut cum facis eam intuitionem praescis intuitionem valere ad attingendum ens reale, vel non praescis; si nescis, ergo quamvis forte attingas, non certus eris te attigisse; si autem praescis, tum certus eris te attigisse non per intuitionem; sed solvis problema per principia abstracta, quae via iuxta te inepta est[3].

Ad mai. admitto disiunctionem et eligo secundum membrum, non praescio, sed per ipsam intuitionem video me attingere ens non abstracte, sed concrete, et simul video illud ens, quia ens, regi a primis duobus principiis[4]. Certe intuitio est confusa, sed clarescit per reflexionem intensam, cuius fructus exprimitur per abstractiones "ens quia ens".

134. 18. Thesis a te ostensa est per multas analyses abstractas; *atqui* de earum fidelitate non constat; *ergo* non constat de veritate theseos[5].

Conc. mai. Nego min.; quia in eis nihil profertur alienum a re, ut ostensum est. Tamen propter has analyses et abstractiones possibilis fit adhuc quaedam dubitatio et agnosticismus.

19. Intuitio illa versatur circa actum singularem, contingentem, experimentalem; *atqui* talis actus concretus non est verificatio entis et legum eius in tota sua universalitate; *ergo* non ostendis aptitudinem mentis in tota sua universalitate[6].

Dist. mai.: circa casum particularem cognitum ut ens, *conc.;* non cognitum qua ens, sed solum empirice, *nego. Contradist. min.*: si non cognosceretur ut ens, *conc.;* secus, *nego.* Dat experientia in intuitione tou ego nos non esse stupidos ut bestiae, sed videre illud ens, et non posse identificare cum nihilo, et hoc quia est ens, et in quantum est ens, ideoque virtualiter affirmatur ens et principia valere de omni alio in quo sit ens.

§ 2. De iustificatione principii non contradictionis

Thesis 8. Eadem reflexione constat veritate obiectiva pollere principium non contradictionis.

ARISTOTELES, *Metaph.* 3, 1005b19; S. TH., *In III Metaph.* lect.5; *In IV*, lect.6 VII, VIII, etc.; SUÁREZ, DM d.3 s.3 tota; BALMES, *Fil. fund.* l.1 c.20-21; ROLAND-GOSSELIN, *Essai d'une étude critique de la connaissance* p.41-147; TONQUÉDEC, *La critique de la connaissance* p.301-320; PICARD, *Le problème critique fondamental;* ArchPhil 1 p.46-76; MANSER, *La esencia del tomismo* p.311-337, ubi de prioritate principiorum; DE VRIES, *Critica* n.62s; F. M. SLADECZEK, *Das Widerspruchsprinzip und der Satz von hinreichende Grunde:* Schol 2 (1927) 1-37; L. FUETSCHER, *Die ersten Sein-und Denkprinzipien* (Insbruck 1930); I. BACON SULLIVAN, *An examination of first principles in throught and being in the light of Aristoteles and Aquinas* (Washington 1939); I. TOVAR LLORENTE, *La necesidad de los juicios ideales* (Madrid 1940).

[3] Ib. p.172-3.
[4] Ib. p.173-4.
[5] Ib. p.174.
[6] Ib. p.174.

135. Nexus et necessitas quaestionis. Ex hucusque dictis habemus aptitudinem, ut res saltem psychicas intellectu attingamus; sed quaeri ulterius potest quomodo iustificetur cognitio nostra circa res extrapsychicas. De his enim nobis immediate non constat, v. c. de exsistentia mundi, saltem iuxta aliquorum sententiam, certo quoad exsistentiam Dei et circa multa alia, de quibus solummodo per ratiocinium nobis certo constare potest. Ad ratiocinium autem requiruntur principia, et ideo necessarium est ostendere aptitudinem mentis ad prima principia.

136. Notiones. PRINCIPIUM [7] generatim est id unde aliquid est, fit aut cognoscitur. Hic agimus de principiis unde aliquid certo cognoscitur, nempe de principiis demonstrationis, non autem de principiis quibus res intrinsece constat et ex quibus fit, neque de principiis efficientibus ex quibus res originem ducit.

PRIMA PRINCIPIA sunt illae propositiones communissimae et immediatae, quae acquiruntur cognitis terminis per vim intellectus nativam.

Sunt *communissima,* quia eius subiecta, *ens, contingens,* et cetera, sunt rationes communissimae; *immediata,* quia solum ex ipsorum veritate, non ex ullo medio obiectivo cognito, cognoscuntur; acquiruntur per vim nativam intellectus, cognitis terminis, non in sola experientia.

137. PRINCIPIUM NON CONTRADICTIONIS diversis formulis enuntiari solet [8]. ARISTOTELES sic: "idem (sc. eandem determinationem realem) simul inesse et non inesse eidem (sc. subiecto reali) et secundum idem est impossibile" [9]. Per vocabulum *simul* principium extenditur ad temporalia, non vero restringitur, ut censet Kant.

Formula brevior: "Ens in quantum ens non potest non esse". In hac formula "in quantum ens" aequivalet verbis *simul,* vel *secundum idem* primae formulae.

Hoc principium tripliciter sumi potest: a) *ontologice* est lex realitatis, "ens nequit esse non ens"; b) *psychologice* est lex mentis, "psychice nequit intelligi aliquid, quod dum sit

[7] De notione principii eiusque divisione cf. S. CUESTA, *Ontologia* (Santander 1947) n.287s.

[8] Cf. J. ITURRIOZ, *La fórmula del principio de contradicción:* Pens 3 (1947) 275-300.

[9] 4 *Metaph.* 3: τὸ αὐτὸ ἅμα ὑπάρχειν τε καὶ μὴ ὑπάρχειν ἀδύνατον τῷ αὐτῷ κατὰ τὸ αὐτό.

non sit sub eodem respectu"; c) *logice,* est lex logica "non licet affirmare et negare simul", seu non sunt simul verae affirmatio et negatio de eodem.

138. Sententiae. *Prima* negat principium: 1) propterea quod omnia sunt in perpetuo fluxu, et ideo non potest ens applicari realitati, ita HERACLITUS, LE ROY, BERGSON; 2) quia "esse purum est mera indeterminatio, mera autem determinatio est nihil; unde ens transit in nihilum", ita HEGEL.

Secunda male intelligit principium, ita PARMENIDES qui hoc modo illud enuntiat: "Ens est ens, et non potest non esse." Sic enim negatur ens contingens, et solum manet ens necessarium, unde sequitur pantheismus.

Tertia valorem principii restringit: 1) S. PETRUS DAMIANUS ut defendat omnipotentiam Dei contra dialecticos, dicit principium non habere valorem universalem, sed Deum posse sicut in legibus physicis etiam in illo exceptiones facere; 2) STUART MILL affirmat non habere valorem absolutum, sed relativum, nam est generalizatio multiplicis experientiae, quae fit necessitate psychologica; 3) *Associationistae,* ut SAWICKI, negant valorem ontologicum; dicunt enim principium non esse evidens, sed solum per quamdam fiduciam caecam admitti posse.

Quarta, et nostra, quae est absolute certa, affirmat illud principium habere valorem obiectivum, absolutum et esse immediate evidens.

139. Status quaestionis. Quaeritur proinde de hoc principio, utrum *a*) habeat valorem obiectivum, seu sit in rebus prout a mente enuntiatur; *b*) habeat valorem (veritatem) universalem (pro omnibus entibus) et absolutum (sine ulla possibili exceptione); *c*) utrum sit evidens.

Quaeritur praeterea quis sit modus probandi seu ostendendi illud, utrum etiam per intuitionem et experientiam metaphysicam, quia experiamur actus nostros non stupide, sed secundum quod sunt ens et secundum leges entis, quae sunt principia non contradictionis et causalitatis.

Aliqui enim auctores, ut DE VRIES [10], asserunt ad statuendum principium non contradictionis: 1) necesse non esse ut in aliquo ente verificetur, vel ut comparatio praedicati fiat cum aliquo ente concreto, reali, exsistente, sed 2) sufficere

[10] *Critica* n.67s.

statuere illud condicionale; etiam si nullum ens exsistat, si tamen exsisteret excluderet "to non ens", et per comparationem terminorum abstractorum "ens, non ens".

Hoc nobis videtur verum pro certitudine naturali, sed pro certitudine reflexa forte non sufficiat. Tum enim subiectum principii *ens,* tum relatio oppositionis ad non ens debet percipi in aliquo ente concreto; si enim de realitate conceptus entis non constat per intuitionem concreti exsistentis, dicetur fortasse ab aliquo idealista illud esse fabricatum a mente. Vel si, posito quod subiectum *ens* sit reale, tamen oppositionem ad non ens non intuemur in aliquo exsistente, dicetur fortasse, licet non tam valide, illam oppositionem ad non ens esse legem mentis, sed non legem ipsius entis; quare melius est per intuitionem reflexam statuere hoc principium.

Etiam dicunt auctores videre hoc principium non esse opus experientiae aut intuitionis, sed opus intellectus videntis relationes alicuius termini universalis ad alium terminum universalem. Verum est hoc si agitur de principio in abstracto, non autem si agitur de principio apprehenso virtualiter in re concreta.

140. Probatur thesis. Habere valorem obiectivum significat nihil alienum referre ab ipsa entitate, sed solum id referre quod est in ipsa re praesente nobis per intuitionem; *atqui* principium non contradictionis nihil alienum refert ab entitate; *ergo* habet valorem obiectivum.

Maior patet et *minor* ostenditur: principium nihil alienum ab entitate refert, sed quod est praesens in ipsa per intuitionem, nempe *a*) ens in quantum ens; *b*) oppositio ad non ens; *c*) oppositio quia ens, non quia tale ens.

a) *Ens in quantum ens,* seu secundum comprehensionem huius notionis, ex thesi praecedente. Habemus enim per intuitionem praesentes actus nostros et non stupide, sed videndo in eis verificari comprehensionem entis.

b) *Oppositio ad non ens:* video actum meum plene verificare notionem entis, seu esse aliquid praesens per se in sua concreta realitate; nunc si ipsum actum qui est ens, comparo cum alia notione *non ens* video omnino actum meum *ens* repellere *non ens,* componi non posse cum non ente. Certe illa repugnantia de se non apparet nisi ego faciam illam comparationem; sed facta comparatione, ipsum actum meum *ens* video componi non posse cum *non ente.*

c) *In quantum ens, seu ut est ens:* haec oppositio entis ad non ens non debetur taleitati huius actus; sed datur quia est praesentialiter exsistens et per sui positionem in re, i. e. quia ens.

141. *N. B.* 1. Licet in principio universali subiectum sit abstractum et in intuitione sit singulare, tamen adest perfecta aequivalentia termini in utroque casu. Nam si intueor actum meum, quia est ens excludere to non ens, hoc est idem ac dicere quod ubicumque inveniatur ens dabitur eadem exclusio; ergo in intuitione cum completa aequivalentia datur totum quod continet principium non contradictionis.

2. Sed certe magis expresse; nam in intuitione habetur implicite illud subiectum universale et abstractum, et in enuntiatione principii universalis non contradictionis illa universalitas explicite habetur.

3. Quare ne dicamus unquam nos experiri aut intueri illud principium, quia constat terminis abstractis, qui nequeunt esse obiectum experientiae. Sed certe experimur actum nostrum in quantum ens cum sua lege entis, quia ens. Omnes termini huius experientiae sunt singulares, ideoque obiectum intuitionis; tamen aequivalenter termini sunt universales, ut dictum est.

142. Corollaria. 1. Ergo *principium non contradictionis est evidens immediate.* Nam evidens immediate est illud iudicium, quod refert id quod est praesens per se ipsum; *atqui* tale est illud principium; *ergo* est evidens immediate.

143. 2. Ergo *principium non contradictionis est universale,* quia valet pro omni omnino ente. Erit enim universale, si oppositio eius ad non ens convenit ei quia ens, sic enim conveniet omnibus quae verificent rationem entis; *sed* iuxta thesim ita convenit; *ergo* est universale.

144. 3. Et *est absolutum,* i.e. sine ulla possibili exceptione sub ulla hypothesi. Nam unica ratio cur ens opponatur non enti est quia est ens, ut patet ex thesi; *ergo* dum sit ens, adest totum quo opponitur nihilo; *ergo* nec per Dei omnipotentiam vinci potest. Secus condicio unica oppositionis ad non ens non esset quia ens, sed quia ens et Deus cooperatur ad hanc oppositionem, quod est falsum.

Dices: etiam unica ratio cur ignis comburat est quia est ignis, et tamen potest facere Deus ut ignis non comburat; *ergo* similiter

licet unica ratio cur ens opponatur non enti, sit quia ens, poterit tamen illa oppositio vinci a Deo.

Nego antec.; ratio cur ignis comburat est multiplex condicio praeter essentiam ignis, *ergo* deficiente aliqua condicione, ignis non comburet; ratio autem cur ens opponatur non enti est solum to esse; *ergo* dum sit, dabitur oppositio illa.

Scholion. *De aliis principiis evidentibus.* Cum principio non contradictionis alia principia connectuntur, quae utrum posteriora an anteriora illo sint disputatur [11]. En aliqua praecipua:

145. *Principium identitatis* [12]. Non bene enuntiatur per formulas: *ens est ens, vel A est A,* quia ita est tautologia inanis, ut apparet; neque *ens necessario necessitate absoluta est ens, seu A necessitate absoluta est A,* quia tunc omne ens esset ens necessarium, et sequeretur pantheismus Parmenidis. Denique per hanc formulam: *Ens est necessario dum est ens, vel A est A necessario, sed solum dum est A,* est evidentissimum eodem modo ac principium non contradictionis, quod forma positiva ita profertur. Etiam solet proferri forma negativa hoc pacto: *Ens, dum est ens, non potest esse aliud a se.*

146. *Principium exclusi tertii* [13]. Hoc principium ita enuntiari solet: *Quodlibet aut est aut non est, seu inter esse et non esse eiusdem rei sub eodem respectu, non datur tertium.* Ideo vocatur etiam *principium disiunctionis.* Significat proinde de qualibet re affirmationem aut negationem necessario valere. Illud vero sequitur necessario ex principium non contradictionis, quia de illo tertio affirmandum et negandum esset simul non ens; affirmandum quia esset diversum ab ente; negandum quia esset diversum a non ente.

147. Obiectiones. 1. Officium rationis est removere contradictiones; *atqui* si removentur sunt; *ergo* in rebus sunt contradictiones.

Probo mai.: Renoventur illae contradictiones, v.c. quae sunt inter libertatem Dei et eius immutabilitatem; inter substantiae mutationes et eius permanentiam...

Dist. mai.: removentur contradictiones apparentes, *conc.*; reales, *nego. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*

148. 2. Hoc principium constat terminis abstractis; *atqui* ter-

[11] Cf. G. M. Manser, *La esencia del tomismo* (Madrid 1947) c.3 par.3.
[12] Circa sensum et valorem huius principii cf. J. Hellín, *El principio de identidad comparada,* según Suárez: Pens 6 (1950) 435-463.
[13] Cf. J. de Vries, *Critica* n.72.

minorum abstractorum nulla est intuitio (quia praescindunt a praesentia), *ergo* hoc principium statui nequit per intuitionem.

Dist. mai.: pronuntiatum explicite cum absoluta universalitate, *conc.;* sentitum implicite in experientia metaphysica, *nego. Conc. min.*, et *dist. pariter cons.* Hoc principium formaliter implicite continetur in experientia metaphysica, explicitum transgreditur experientiam.

3. *Instabis*: In experientia metaphysica solum *ens* est in intuitione, sed terminus *non ens* et similiter relatio oppositionis entis ad non ens sunt aliquid abstractum, productum per intellectum; *atqui* ubi adest terminus abstractus non constat per intuitionem de realitate relationis ad non ens; *ergo* principium nullo modo constare potest per intuitionem.

Nego mai. Praeter *ens* est in intuitione actus, qui ut ens et quia ens resistit omni conatui identificationis cum nihilo, et cum non ipso. Concedo quod si non compararem actum illum cum non ente et cum non ipso, non fecissem iudicium de principio non contradictionis; sed facta comparatione, cerno intuitive ens per se ipsum resistere omni conatui talis identificationis.

149. 4. Principium non contradictionis implicat impossibilitatem identitatis cum non ente, seu necessitatem essendi dum est; *atqui* impossibilitas et necessitas non sunt obiectum intuitionis (quia non sunt realitas praesens, sed transgrediens omnem experientiam); *ergo* principium non est obiectum intuitionis.

Conc. mai. Dist. min.: Quoad extensionem, *conc.;* quoad comprehensionem, *nego. Dist. pariter cons.* Ad probationem min., *dist.*: non sunt realitas praesens quoad extensionem, *conc.;* quoad comprehensionem, *nego. Explico:* nos non experimur ipsum principium non contradictionis explicite; sed experimur hoc ens, quia ens, excludere non ens; *ergo* implicite iam novimus quod ubicumque detur talis comprehensio dabitur et illa oppositio ad non ens, et quia videmus ens aliquod verificare oppositionem cum non ente, quia ens, hoc est aequivalenter experiri illud principium, sic v.c. Deus intuetur principia non in abstracto.

150. 5. Quod fit est in medio inter esse et non esse; *atqui* tale medium simul est et non est; *ergo* falsum est principium "quidquid est non potest simul non esse".

Dist. mai.: Quod fit in instanti, v.c. creatio animae, est aliquando in medio inter esse et non esse, *nego;* quod fit successive, *subdist.*: est, quandiu fit, in medio inter non esse simpliciter, nihilum esse, et esse totum, *conc.*; inter non esse simpliciter et esse simpliciter, *nego;* nam licet nondum totum sit, ex parte tamen iam est, *ergo* simpliciter loquendo iam aliquid est. *Contradist. min.*

6. *Instabis: Atqui* quod in instanti fit in momento sui fieri simul est et non est. Nam illud instans est primum instans exsistentiae illius rei; *atqui* simul est ultimum instans non exsistentiae eius; *ergo.*

Nego assertum. Ad prob. dist. mai.: Illud instans est terminus a quo res illa est, *conc.*: est tempus quoddam, in quo res est, *nego. Contradist. min.*: Illud instans est terminus usque ad quem res non est, *conc.;* est tempus quoddam vacuum ab exsistentia eius, *nego.* Nam instans, cum non sit tempus, sed terminus temporis non potest

mensurare durationem alicuius rei; falso igitur dicitur esse in duratione et non esse.

151. Purum esse est pura indeterminatio; *atqui* pura indeterminatio nihil est, *ergo* esse nihil est, et ita ruit principium non contradictionis.

Dist. mai.: Est pura indeterminatio ita ut nihil dicat, *nego;* est pura indeterminatio quatenus non includit alias differentias et perfectiones expresse, *conc. Contradist. min.*

§ 3. De iustificatione principii causalitatis

Thesis 9. Valor obiectivus principii causalitatis per eamdem detegitur intuitionem.

SUÁREZ, DM 12 s.3 n.3; 13 s.3 n.1; IOANNES A S. THOMA, *Cursus Phil.* (París 1883) 2,220; TONQUÉDEC, *La crit que de la connaissance* p 318s; P. DESCOQS, *Institutiones Metaph.* 1 p.483s.502s; L. DE RAEYMAEKER, *Metaphysica generalis* (Lovaina 1935) t.2 p.464s; PICARD: ArchPhil 1 p.66s; 13 p.54; SCHAFF, *Introductio in crit'cam rationis purae* p.181s, ubi ampla bibliographia; S. CUESTA, *Ontologia*[2] n.295, etiam cum ampla bibl. (Santander 1948); MANSER, *La esencia del tomismo* (versio h'spana. Madrid 1947) p.338; HELLÍN, *Theologia natural's* (Madrid 1950) n.160-7; T. URDANOZ, *El princ'pio de causalidad:* CT 61 (1941) 163-88; MAX PLANK, *¿Adónde va la c'encia?* (versio hisp. Buenos Aires 1948); G. L. FONSEGRIVE, *La causalité eff'ciente* (Paris 1893); T. REGNON, *La Metaphys'que des causes d'après Saint Thomas et Albert le Grand*[2] (Paris 1906); A. MICHOTTE, *¿La causalidad física es un dato fenoménico?:* RevPsgeap 1 (1946) 11-58.

152. Nexus et momentum quaestionis. Praeter principium non contradictionis aliaque ab ipso immediate procedentia, omnes fere scientiae egent aliis principiis et in primis principio causalitatis, a cuius valore obiectivo valor metaphysicae et plurimarum scientiarum omnino dependet. Nam etsi principium non contradictionis primum omnium sit et sensu reprehensivo seu ab absurdo etiam unicum, tamen hoc datur potius in ordine statico; nam nota quam rebus tribuit est potius negativa: *ens non potest esse non ens.* Cum vero aliquam notam positivam vel relationem essentialem alicuius obiecti ad aliud ens invenire intendimus, alio principio, causalitatis nempe egemus, quod ad ordinem dynamicum pertineat. Unde de hoc principio agere eiusque valorem stabilire necessarium nunc videtur.

153. Notiones. PRINCIPIUM CAUSALITATIS. Diverso modo enuntiatur [14] secundum diversas sententias circa illud; triplex vero datur modus sanus:

1) *Omnis effectus habet causam sui.* Haec enuntiatio est

[14] Has diversas formulas videre licet apud A. GONZÁLEZ ALVAREZ, *Teología natural* (Madrid 1949) p.143s.

vera, sed tautologica, nam praedicatum dicit omnino idem ac subiectum, nec indicat utrum revera dentur causae et sint ab effectu distinctae.

2) *Quidquid incipit esse habet causam sui efficientem realiter ab ipso distinctam.* Haec est optima enuntiatio; nam indicat et dari causam, et quando datur, et esse distinctam realiter ab effectu. Tamen *de iure* non est satis universalis, quamvis *de facto* ita sit. Posset enim iuxta multos exsistere aliquod ens causatum ab aeterno, quod non inciperet; de facto aliunde scimus fuisse mundum in tempore creatum; igitur omnia causata de facto inceperunt esse. Ideo in hac formula, etsi vera, non indicatur condicio necessaria subiecti ad hoc ut possit et debeat habere causam efficientem.

3) *Omne contingens habet causam sui efficientem a se realiter distinctam.* Haec est formula perfectissima omnium, quia est *universalissima* etiam *de iure,* nam complectitur omnia quae indigent causa efficiente et rationem cur sit necessaria causa efficiens, et realem distinctionem inter causam et effectum.

154. CAUSA EFFICIENS est principium, quod actione sua per se influit esse in aliud a se adaequate distinctum, et non mere invitando aut dirigendo illud quod impellitur ad exsistendum, quod esset proprium causae finalis aut exemplaris.

EFFECTUS causae efficientis est illa res nova quae de novo exsistit per actionem causae, et est adaequate distincta a producente.

CONTINGENS est illud quod potest exsistere et non exsistere, seu dum exsistit poterat non exsistere, seu non exsistit per essentiam, seu cuius non exsistentia non implicat contradictionem. Unde ex suis constitutivis nihil est, quia inter ipsa non est "to exsistere actu".

155. Status quaestionis. Quaeritur in thesi utrum principium causalitatis habeat valorem obiectivum, universalem et absolutum. Apud neoscholasticos autem est alia quaestio valde agitata circa modum probandi illud [15]; multi enim intendunt probare principium causalitatis ope principii non contradictionis, seu per indirectam reductionem ad illud; alii vero talem reductionem non admittunt, quia in ea daretur pe-

[15] Cf. diversas sententias diversosque auctores in C. BOYER, *Cursus philosophiae* (1947) vol.1 p.357s.

titio principii. Quaestio praeterea connexa est cum quaestione de charactere analytico vel synthetico principii [16]. In thesi praescimus utrum illa reductio probanda an reicienda sit. Utimur tamen via et methodo qua hucusque usi sumus constanter in toto processu inquisitionis problematis critici, nempe per evidentiam immediatam et experientiam metaphysicam. In hac tamen ostensione supponimus principium contradictionis ontologice et psychologice, sed non logice, i.e. ut causam logicam principii causalitatis.

Iam vero in hac via duplex est modus:

1) Non integre per intuitionem rei praesentis ut talis, sed proprie per comparationem terminorum abstractorum contingentis et causati; sic J. DE VRIES [17].

2) Per plenam experientiam metaphysicam: Intueor actum meum praesentem ut contingentem, et quia contingens est, video eum causari; sic G. PICARD [18]. Primus modus accedit magis ad certitudinem spontaneam, maxime si ex experientia termini non iustificantur. Quaereret enim quispiam: Unde tibi constat actum tuum esse contingentem, aut relationem causae convenire contingenti in quantum contingenti et reali, et non potius in quantum a te configitur et repraesentatur?

156. Sententiae. *Prima* non bene explicat vel intelligit principium. Ita v. c. ARISTOTELES in sua formula principii: "quidquid movetur ab alio movetur". Ita enuntiatum principium non est generale, quia loquitur solummodo de effectu quae fit in aliquo passo; et praeterea non est enuntiatio ipsius principii causalitatis sed alius, v. c. *mobile numquam posse esse causam sui motus,* quod est valde controversum. Ipse ARISTOTELES proponit principium de mutatione de potentia in actum, quia ultimum substantiale substratum credebat non produci, nam non admittebat creationem. In philosophia autem christiana medii aevi, etsi nondum habeatur formula determinata principii, extenditur tamen necessitas causae ad ultimum substratum rei contingentis.

Rationalismus metaphysicus, non dogmaticus, ex eo quod confundat conceptum causae cum conceptu rationis logicae, principium causalitatis male enuntiat: "Ex data causa deter-

[16] Circa huismodi quaestionem vide J. ROIG, *Carácter analítico y sintético del principio de causalidad:* Las Ciencias, año 11 n.2 p.317s.
[17] *Critica* n.84.
[18] ArchPhil 13 cah.1 (1937).

minata necessario sequitur effectus"; ita SPINOZA. Unde non datur causa libera, quod in psychologia refutatur. LEIBNIZ reducit illud ad principium rationis sufficientis ab eo inventum; WOLF vero ad principium non contradictionis.

Secunda negat principii valorem obiectivum; sic inter antiquos SEXTUS EMPIRICUS, NICOLAUS DE AUTRE-COURT; inter modernos praecipue D. HUME, qui explicat psychologice originem persuasionis nostrae circa causam; nam causa est successio antecedentis et consequentis; et acquiritur associatione, qua viso antecedente necessario cogito de consequente, et viso consequente necessario cogito de antecedente. Positivistae s. XIX illud admittunt ut postulatum necessarium ad scientiam fundandam; hodierni neque ita admittunt, quia in microcosmo non potest experiri, et pro illis nihil valet nisi quod in experientia externa fundetur. KANT denique tenet hoc principium esse iudicium syntheticum a priori, proinde mere subiectivum, lex cogitationis et non rerum.

Tertia denique est omnium scholasticorum et plurimorum scientificorum, qui valorem principii causalitatis obiectivum, universalem et absolutum admittunt ut fundamentalem ad omnem scientiam, et est omnino certa.

157. Probatur thesis. 1. (*Per comparationem terminorum abstractorum contingentis et causati*) [19].

Principium causalitatis est valoris ontologici, si *a*) et subiectum eius "contingens" reale est, et *b*) si relatio eius ad causam etiam realis est; *atqui* ita est; *ergo* hoc principium est valoris ontologici.

Maior patet, nam quaelibet propositio est vera, si et subiectum eius est reale, et relatio subiecti ad praedicatum etiam realis est.

Minor quoad a) scilicet subiectum contingens reale est. Nam conceptus "contingens" non refert aliquid alienum ab ipsa realitate, sed solummodo refert illam, licet incomplete sc. in universali. Quod facile patet: conceptus enim contingentis significat quod potest exsistere et non exsistere, quod incipit et cessat, cuius definitio non est exsistentia actualis; *atqui* experimur et intuemur actus nostros cogitandi et volendi ut aliquid quod incipit et cessat, ideoque ut aliquid cuius essentia non est exsistentia actualis, et quod notae non

[19] Cf. J. DE VRIES, *Critica* n.85.

adveniunt illis actibus primitus ex meo conceptu abstracto de contingente, sed ex se; *ergo* conceptus contingentis non refert aliquid alienum ab entitate ipsa, sed solum refert eam, licet in universali.

Minor quoad b): contingens enim est quod potest exsistere et non exsistere, seu in cuius essentia et constitutivis non est exsistentia, sed nihil; *atqui* nihil sibi relictum est et manet nihil; *ergo* si exsistit non est sibi relictum, sed ab alio impulsum est ad esse, i. e. causatum est ab alio.

158. *Dices:* Haec probatio non nititur in intuitione rei praesentis, sed in conceptibus abstractis contingentis et causati, i.e. in repraesentationibus rerum, non in rebus ipsis; *atqui* repraesentationes non dant ius ut aliquid affirmemus de rebus, sed de nostris obiectis intramentalibus; *ergo* principium causalitatis iuxta tuam probationem valet de obiectis intramentalibus, non de rebus ipsis.

Dist. mai.: nititur in conceptibus abstractis quorum realitas comprobata est in intuitione, *conc.*; aliter, *neg. Et contradist. min.* Conceptus contingentis est abstractus, sed eius realitas comprobata est in minori; consequenter eius relatio ad causam, quae ab ipso exigitur, erit etiam realis.

159. 2. (*Per experientiam metaphysicam*).

Principium causalitatis est valoris ontologici, si et subiectum huius principii "contingens" est reale, et si realis etiam est relatio ad causam; *atqui* ita est; *ergo* principium causalitatis est valoris ontologici.

Maior: si enim conceptus "contingens" non haberet valorem obiectivum, vel de ipso non constaret, non valeret de entibus realibus, sed de rebus a mente confictis; similiter si relatio ad causam non esset realis, vel de eius realitate non constaret, iudicium asserens eam relationem non esset conforme cum rebus, nec esset valoris obiectivi.

Minor quoad a) ut supra; *quoad b*:) Relatio ad causam etiam realis est.

1) Intueor enim actus meos praesentes ut contingentes, quia incipientes et cessantes in praesente psychologico.

2) Ut procedentes a me saltem in actibus volitivis magnae contentionis.

3) Et non quia volitivi, sed quia incipientes et non a se; *atqui* hoc est simpliciter et virtualiter videre ens contingens, quia contingens, esse causatum; *ergo* per intuitionem constat de relatione contingentis ad causam.

Minor ultima: qui enim videt alicui comprehensioni ali-

quam proprietatem deberi, eo ipso implicite et virtualiter videt ubicumque adsit talis comprehensio fore eandem proprietatem. Sic, si vides canem sentire, quia animal, eo ipso implicite et virtualiter vides hanc propositionem universalem: "animal est sentiens", esse veram, ut si quis eam enuntiet postquam tu primum admissisti, eam statim admittas et videas. Simili modo si tu vides aliquem actum praesentem, quia contingens causari, intellexisti tali intuitione "omne contingens habere causam".

160. Scholion 1. Aliqui scholastici volunt ostendere vel demonstrare principium causalitatis ab absurdo, cum dicant esse casum particularem principii non contradictionis; alii vero multi talem demonstrationem reiciunt, quia in ipsa semper petitio principii committitur [20]. Secure vero quaelibet opinio licet teneri, cum etiam secunda recentiorum nullo modo principium infirmet, immo ipsum tam firmum teneat, ut neque ab alio recipiat suam vim, sed a se ipso independenter habeat. En igitur argumenta quae pro prima sententia solent afferre auctores, et quo pacto respondeant adversarii.

161. 1. Si contingens non haberet causam esset contingens et non esset contingens; contingens ex hypothesi; non contingens quia esset a se et non ab alio.

Respondent alii: *Nego mai.* Ad prob. *dist.*: esset contingens, non vero a se, quia non ex vi essentiae suae, neque ideo ab alio, quia non per causam.

2. Contingens aut est a se aut ab alio; *atqui* non est a se; *ergo* ab alio.

Respondent: Nego mai. Potest enim esse a se, vi essentiae suae absolute, aut non a se, quia non ex vi essentiae suae absolute, sed solum *formaliter,* quia de facto habet exsistentiam; neque ideo ab alio, nisi contingens debeat habere causam.

3. Contingens esset exsistens et non esset exsistens; exsistens ex hypothesi; non exsistens, quia cum non haberet exsistentiam neque a se neque ab alio non exsisteret; *ergo* est contradictio esse contingens et non habere causam.

Respondent: Nego antec., sed esset exsistens, et non non exsistens; ad cuius probationem *nego* quod si non esset a se aut ab alio non exsisteret, nisi forte requiratur causa ad exsistendum, quod hic non constat.

4. Quod non exsistit per essentiam, exsistit per causam; *atqui* contingens non exsistit per essentiam; *ergo* exsistit per causam.

Respondent: Nego mai., nisi praesupponas contingens egere causa.

[20] Vide v. c. J. DE VRIES, *Critica* n.90; J. HELLÍN, *Theologia naturalis* n.164.

5. Esse contingens est esse causatum; *ergo* dicere quod ens est contingens et non est causatum est pura contradictio.

Respondent: Dist. antec.: si est verum principium causalitatis, *conc.*; secus, *nego.*

6. Omne ens debet habere rationem sufficientem sui; *atqui* ens contingens non habet rationem sufficientem sui in se; *ergo* habet in alio, quod est habere causam efficientem.

Respondent: Dist. mai.: debet habere notas constitutivas essentiae suae, per quam exsistit, et hoc ex principio non contradictionis, *conc.*; debet habere rationem extra se, seu extrinsecam, *subdist.*; si praesupponitur principium causalitatis, *conc.*; secus, *nego. Contradist. min.*: ut de facto sit, *nego;* ut sit necessario, *conc.*

162. Scholion 2. Alia quaestio valde agitata est circa characterem analyticum vel syntheticum principii causalitatis. Alii enim tenent illud esse analyticum quatenus saltem indigentia causae non indicat aliquam proprietatem entis contingentis iam constituti, sed est eius essentia propria; quamvis certe actualis exigentia non sit de eius essentia; potest enim contingens non exsistere, et tunc non pendebit a causa. Modus autem quo acquiritur cognitio huius connexionis essentialis non est mera consideratio entis contingentis, sed comparatio alicuius entis contingentis vel cum idea impellentis ad esse, vel cum impellente de facto ad esse, praecise quia contingens.

Ideo alii multi [21] dicunt principium non esse analyticum, sed syntheticum obiectivum, etiam a priori, sed sensu omnino diverso ac kantiano. Ad quod bene intelligendum has notiones prae oculis habeas.

IUDICIA SUNT: ANALYTICA, si praedicatum est de ratione subiecti, v. c. animal est vivens sensitivum; SYNTHETICA, si praedicatum non est de ipsa ratione subiecti, sed aliquid supra illud addit. Quod potest esse:

SYNTHETICUM A POSTERIORI, si praedicatum solum additur ex experientia, v. c. hic ignis cremat. Est particulare et contingens.

SYNTHETICUM A PRIORI, si praedicatum additur non ex nuda experientia, sed aliunde, v. c. omnis ignis cremat. Est universale et necessarium. Et potest esse:

SUBIECTIVUM, si illa necessitas oritur ex forma aliqua subiectiva a priori, ut sunt omnia iudicia universalia et necessaria extensiva, iuxta Kant.

---

[21] Vide e. g. J. DE VRIES, *Critica* n.75s; P. DESCOQS, *Institutiones Metaphisicae* p.563, et auctores ibi citatos.

OBIECTIVUM, si illa necessitas oritur ex exigentia ipsius obiecti et detegitur ex comparatione subiecti et praedicati; talia sunt omnia iudicia quae Kant vocat synthetica a priori subiectiva.

Iam vero, principium causalitatis non esse analyticum sensu kantiano, nec syntheticum a priori seu subiectivum facile patet; potest ad summum dici *syntheticum obiectivum seu extensivum,* et etiam analyticum seu cuius praedicatum est de essentia subiecti, quod non ex mera analysi, sed ex comparatione aliqua detegitur.

163. Scholion 3. PRINCIPIUM RATIONIS SUFFICIENTIS[22]. Solet enuntiari: *omne ens habet rationem sufficientem sui.*

RATIO VERO SUFFICIENS est illud cui debetur ut res sit in quolibet ordine, sive essentiae, sive exsistentiae, sive cognoscibilitatis.

I. *In ordine essentiae.* Essentia vel concretum quodlibet debet habere notas suas constitutivas suae taleitatis, et hoc dicitur habere rationem sufficientem sui essentia vel concretum quodlibet in ordine essentiae.

II. *In ordine exsistentiae.* Aut res exsistit per suam essentiam, aut est contingens.

a) *Si exsistit per essentiam,* tunc debet habere in sua taleitate notas constitutivas, quibus sit necessario exsistens, et hoc est habere rationem sufficientem quod per essentiam exsistit.

b) *Si est contingens,* exsistit ab alio, quia de se est nihilum, seu ex suis constitutivis est nihilum actuale, quod sibi relictum erit nihilum, proinde si est aliquid non est sibi relictum, sed ab aliquo impulsum est ad exsistendum; et hoc est habere rationem sui sufficientiam extrinsecam seu causam sui efficientem.

III. *In ordine cognoscibilitatis.* Omnis res est intelligibilis seu habet rationem sufficientem suae intelligibilitatis.

Illud enim est intelligibile quod habet aliquid cuius manifestatio explicat intellectui cur res sit; sed omnis res habet illud, quia omnis res habet rationem sufficientem ipsius esse; et haec ratio manifestata explicat intellectui cur res sit.

164. Obiectiones. 1. Actus mei habent causam efficientem non

[22] Cf. G. NINK, *De principiis contradictionis, rationis sufficientis et causalitatis, eorumque inter se connexione:* EstEcl 7 (1927) 244s.

quia contigentes, sed quia mei, i.e. afficientes me; *ergo* si non afficiunt aliquem conscie non sunt a causa efficiente [23].

Nego antec.: ego enim video actus meos incipere, ut a me, et ideo ab aliquo incipere, quia contingentes, i.e. quia non sunt iam per se exsistentes per suam essentiam, quia devenientes. Supponitur tamen nos possidere undecumque formulam principii, et contendimus nos intueri illam verificatam in casu particulari actus mei volitivi, quia contingens est.

2. Vides casum particularem rei oppositae nihilo, et rei habentis rationem sufficientem, sed non vides omne ens opponi nihilo, et omne ens deveniens habere causam [24].

Nego assertum, quia video haec principia verificari in ente, quia ens, in principio non contradictionis, vel quia contingens, in principio causalitatis; *ergo* implicite video ubicumque sit ens opponi nihilo, et ubicumque sit contingens habere rationem sufficientem sui extrinsecam, seu habere causam sui efficientem.

CAPUT III

De systematibus generalibus falsis circa veritatem et certitudinem

ARTICULUS I

De scepticismo universali

Thesis 10. Ex his veritatibus hucusque critice fundatis scepticismus universalis ut impossibilis et contradictorius infertur.

De Vries, *Critica* n.92s; Naber, *Critica* 138; Pesch-Frick, *Institutiones Log.* n.423s; Mercier, *Criteriologie gen.* p.55s; Marechal, *Le point de dèpart de la Metaph.* I.1; Brochard, *Les sceptiques grècs* [2] (Paris 1923); Thonnard, *Precis d'Histoire de la Philosophie* (París 1945) n.113s.

165. Nexus et momentum quaestionis. Omnes adversarii nostrae humanae cognitionis indirecte et consequenter profligati manent in thesibus praecedentibus de solutione problematis critici; cum autem hi adversarii in tota historia philosophiae maxime invaluerint, eorumque tendentiae etiam modernis temporibus in plurium mentes irrepserint, non alienum videbitur illa systemata considerare, quae maxime nobis opponuntur, difficultatesque solvere, ut nostra doctrina etiam negative ex refutatione illorum clarior appareat.

---

[23] Cf. G. Picard: ArchPhil 1 p.154-155; 13 p.59-60.
[24] Ita obiecit Balmes et respondet G. Picard in ArchPhil 1 p.156.

Systemata autem huiusmodi ad tria reduci possunt: ad scepticismum universalem, qui radicaliter omnem certitudinem negat, ad relativismum et idealismum criteriologicum et transcendentalem item universales, qui veritatem in sensu depravato intelligunt. De his ex ordine agemus.

166. Notiones. SCEPTICISMUS *etymologice et historice* [1] erat systema illorum philosophorum, qui quidem veritatem comprehendi et percipi posse absolute affirmabant, negabant autem de facto ab ullo comprehensam esse. Eam igitur sibi esse *quaerendam;* inde "skeptikoi", i. e. veritatis "quaesitores" vocantur. Sed posteriori tempore hoc nomen translatum est ad significandos omnes, qui quocumque modo negant certo sciri quidquam vel cognosci ab aliquo homine posse.

SCEPTICISMUS est proinde *doctrina* eorum, qui docent habendas ut dubias et incertas cognitiones, quas homines, natura duce, ut certas habent.

Scepticismus dividitur in:

a) *Universalem,* qui se extendit ad omnes omnino cognitiones humanas, et nos posse habere ullam certitudinem negat.

b) *Particularem,* qui aliquam saltem certitudinem admittit in quaestionibus v. c. empiricis, historicis, at non in metaphysicis, moralibus et religiosis, ita positivismus, agnosticismus, idealismus, etc.

167. Brevis adumbratio historica scepticismi. Generatim scepticismus est philosophia temporis decadentis sive propter desperationem inveniendae veritatis post maximos conatus, sive propter dissolutionem verae scientiae in periodis decadentis culturae. Ex hac igitur consideratione mere historica quid de his systematibus dicendum sit, iam clare apparet. In cuius historia diversas periodos distinguere oportet.

168. A. *In periodo praesocratica,* iam sunt aliqui veluti praecursores:

1) ELEATENSES, monistae metaphysici, omnem mutationem et multitudinem negabant.

2) Inter atomistas DEMOCRITUS dicebat: "Revera nihil scimus, in profundo enim veritas latet" [2].

[1] Cf. R. EISLER, *Wörtebuch der phil. Begriffe* 3 p.100 "Skeptizismus".
[2] *Fragm.* 1; SEXT. EMPIR., *Adver. Math.* 7,135-137.

3) HERACLITUS, cum sua sceptica doctrina de perpetuo fluxu.

4) Apud sophistas multi. PROTAGORAS, qui aiebat: "Quales res singulae mihi apparent, tales mihi sunt; quales tibi et tales tibi." Unde celebre eius effatum: "Omnium rerum mensura est homo" [3]. Item GORGIAS, qui docebat nihil omnino esse; etiam si quid esset, illud tamen non posse cognosci; si tamen aliquid esset et cognosci posset, cognitionem hanc aliis communicari non posse. Hi vocantur *theoretici;* alii vero ut HIPPIAS, POLYS, CALLICLES *practici.* Contra hos omnes SOCRATES et ARISTOTELES [4] insurgunt, distinguendo inter scepticos ex protervia et ex ignorantia.

169. B. *In periodo postsocratica*:

1) Schola proprie sceptica PYRRHONIS (365-275) et TIMONIS; hi ex reactione contra sophistas despiciunt dialecticam, et interrogati circa quamlibet quaestionem respondent: "Nihil scio, nihil definio." Hanc retentionem seu *epojen* iudicii fovendam putant, ut tranquillitatem animi indeque felicitatem possidere possint [5]. Est proinde *scepticismus moralis.*

2) Academia media et nova, ducibus ARCESILAO (241) et CARNEADE (129) retentionem iudicii reicit, sed ponit assensum solummodo probabilem, et quidem propter necessitatem vitae practicae, et actionis humanae. His Cicero [6] consentitur.

3) Schola neo-pyrrhonica, quae ab AENESIDEMO s. I a. C. instaurata per plura saecula viguit; ipse proponit tropos [7] seu difficultates, ut et impotentiam rationis humanae demonstret, et consequenter ad assensum suspendendum nos inducat. Ipsum resumit iterum SEXTUS EMPIRICUS (c. 200 p. C.) qui in suis operibus *Institutiones dialecticae* et *Adversus mathematicos* doctrinam uberius evolvit. Est *scepticismus dialecticus et positivisticus.*

170. C. *In philosophia moderna*: haec tendentia sceptica est valde diffusa, sicut consequentia decadentiae scholasticae et doctrinarum, quibus de potentia intellectus et voluntatis sive in verum sive in bonum desperatur.

---

[3] DIOG. 9,51.
[4] 3 *Metaph.* 3.
[5] AUL. GELL., 11,5; DIOG., 9,70; SEXT. EMPIR., *Pyrrh. hypot.*, 188s.
[6] Cf. CIC., *De orat.* 2,18.67; *Acad. post.* 1,12.45.
[7] τρόποι δι'ὧν ἡ ἐποχὴ συναχεσθαι δοκεῖ, SEXT. EMPIR., *Pyrrh.hyp.* 1,36. Sunt decem iuxta AENEDESIMUM.

1) *Tempore renascentiae.* Diffuso modo proponitur a M. DE MONTAIGNE (1533-1592) et P. CHARRON (1541-1603); systematice vero a F. SÁNCHEZ († 1632) in suo famoso opere "Tractatus de multum nobili et prima universali scientia; quod nihil scitur".

2) Post CARTESIUM, tendentiae scepticae foventur a HUET (1722) et B. PASCAL († 1662), qui diffidentiam erga humanam rationem colunt, sicut postea *Traditionalistae* s. XIX, ut F. de LAMENNAIS († 1854). Apud P. BAYLE († 1706) datur scepticismus praecipue in ordine historico ut praeparatio positivismi et empirismi, et apud D. HUME ut consequentia ipsius empirismi.

3) Ultimis demum temporibus diversae tendentiae sive relativismi, pragmatismi, ut in NIETZSCHE († 1900), W. DILTHEY († 1911), O. SPENGLER († 1936) idealismi, etc., hoc vitio laborant. Ita E. GOBLOT (1858-?) considerat prima principia tamquam conventiones mere practicas. Immo aliqui clare etiam nunc de nostra cognitione desperare videntur et ipsum theoreticum scepticismum instaurare contendunt, ut A. LEVI (n. 1878), et TH. ZIEHEN (n. 1862).

171. Status quaestionis. Thesis ut apparet dirigitur contra scepticismum universalem, et quaeritur quomodo falsus ostendatur ex veritatibus hactenus critice fundatis. Infertur vero illatione, illo nempe mentis actu, quo intelligimus immediatam consequentiam, qua unum enuntiabile ex alio sequitur. In hac thesi duplici modo ostenditur illatio: primo, argumentatione ab esse ad posse, seu de facto ad potentiam; alio, a veritate universali ad particularem, ostendendo contradictionem, quam particularis aliqua propositio involvit.

Certe scimus impossibile esse scepticum universalem, praesertim, si eius scepticismus ex protervia, ut ait Aristoteles, procedat, argumentis convinci. Qua de causa, thesis proponitur, non ut scepticum convincamus, sed ut eis, qui scepticismi vitio nondum irretiti sunt, scepticismum et quidquid ipsum redoleat totis viribus vitare, persuadeamus.

172. Probatur thesis. 1. (*Ex illatione ab esse ad posse.*) Multa certo de facto cognoscimus, ut ex thesibus praecedentibus constat; *ergo* possumus aliquid certo cognoscere; unde scepticismus universalis falsus est.

Antec.: v. c. me cogitare de scepticismo, me cogitantem

exsistere, principium non contradictionis et causalitatis, etc.

2. (*Ex interna contradictione.*) Illa doctrina est falsa neque ab adversariis admittitur, quae contradictionem involvit; *atqui* talis est doctrina scepticismi universalis, sive ut probabilis, sive ut certa proponatur; *ergo* est falsa.

Maior patet, et ab adversariis admittitur, secus nihil dicerent.

Minor, si proponitur ut certa, habetur aperta contradictio, quia dicit simul nihil certum esse et aliquid certum esse; si vero proponitur ut probabilis, iam affirmatur aliquid certum, nempe omnia esse probabilia, ut sit doctrina. Si vero non affirmatur ut doctrina, sed solummodo dicitur hanc propositionem esse probabilem, et ita probabilitas probabilitatum in aeternum affirmatur, iam cadit extra quaestionem, quia nos agimus de aliqua doctrina, non de mero lusu verborum [8].

173. Obiectiones. 1. Omnes facultates nostrae cognoscitivae saepe nos inducunt in errorem, et praecipue intellectus; *atqui* facultas quae nos vel semel fallit nullam meretur fidem; *ergo* facultates nostrae et maxime intellectus nullam fidem merentur.

Dist. mai.: facultates et maxime intellectus nos fallunt per se et necessario, *nego;* per accidens et non necessario, *conc. Contradist. min.*: si per se et necessario nos fallerent, *conc.*; secus, *nego.*

2. Cum erramus aut videmus nos errare, aut non videmus; *atqui* si primum impossibilis est error, si secundum, necessario erramus; *ergo* error est necessarius.

Conc. dis. et eligo alterum membrum, nempe non videre nos errare. *Dist. min.* alterum membrum: si non videmus necessario erramus, si adhibita attenta reflexione non possumus videre nos errare, *conc.*; si possumus videre, *nego. Pariter dist. cons.*

174. 3. Saltem cum agitur de quaestione subtiliori et de obiecto valde complexo, impossibile est videre nec per reflexionem nos errare; *ergo* saltem aliquando impossibile est vitare errorem.

Dist. antec.: et in illis casibus cum nulla adsit evidentia melius erit ab affirmatione certa abstinere, *conc.*; necessarium erit ponere affirmationem firmam, *nego.*

4. Non potest mihi certo constare de certitudine ulla sine petitione principii; *ergo* omnis certitudo est impossibilis. *Nego antec.*

Probo antec.: Ut possit mihi constare de aliqua certitudine obiectiva debet mihi antea certo constare de aptitudine mentis ad verum; *atqui* hoc mihi iterum constare non potest nisi per ipsam mentem, cuius aptitudo praecise est in quaestione; *ergo* sine petitione principii non potest mihi constare de ulla certitudine. (Hoc argumentum saepius iam repetitum dicitur *diallelus*).

---

[8] Vide S. AUGUSTINI confirmationem, *Soliloq. 2: Si veritas non est, verum est veritatem non esse; et omne verum veritate verum est; ergo si veritas non est, veritas est; et ideo necesse est veritatem esse.*

Dist. mai.: debet mihi antea constare vel demonstratione per deductionem proprie dictam, vel demum intuitiva apprehensione et ulteriori analysi ipsius actus concreti cognoscitivi, *conc.*; necessario demonstratione, *nego. Contradist. min.*: non potest mihi constare per ipsam mentem demonstrantem, quia tunc necessario aptitudinem illam ut praemissam cognitam, ex qua ipsa deduceretur, supponere deberemus, *conc.*; non mera analysi actus concreti, *nego.*

175. 5. Forte intellectus meus male factus est ab aliquo deo malo, genio maligno, qui gauderet nos decipiendo; *atqui* tunc omnis veritas et certitudo est simpliciter impossibilis; *ergo* saltem sub illa hypothesi possibili impossibilis est omnis veritas et certitudo.

Dist. mai.: illa hypothesis est possibilis pro veritatibus abstractis et universalibus antequam iustificentur, *trans.*; pro veritatibus concretis et immediate evidentibus, et pro abstractis post iustificationem earum in concreta evidentia, *nego.* Quare methodice ineptum est a talibus hypothesibus initium sumere cum arbitrariae omnino et scepticae sint; potius quaerendum est de actibus ipsis, ut fecimus nos, et ex illis facultatem ipsam immediate deducere.

6. De facto etiam videmus homines continuo oppositas sententias circa omnes fere quaestiones proferre; *atqui* hoc manifestum est signum ineptitudinis mentis humanae ad attingendam veritatem; *ergo.*

Dist. mai.: videmus homines in quaestionibus non evidentibus diversas proferre sententias, *conc.*; in evidentibus et quando attente considerant rationes evidentes, *subdist.*; spontanee et quasi duce natura, *nego;* aliqua protervia moti et simul videntes se dicere aliquid omnino absonum, *conc.*

ARTICULUS II

DE RELATIVISMO UNIVERSALI VERITATIS

Thesis 11. Pariter relativismus universalis ut falsus, contradictorius et scepticus infertur.

DE VRIES, *Critica* n.99s; FRICK, *Logica* n.255; MERCIER, *Critériologie* p.194s; NABER, *Critica* p.174, ubi amplior bibliographia; A. ROLDÁN, *Fundamentos del relativismo filosófico moderno:* Pens 1 (1945) 181-206; I. TONQUEDEC, *La notion de verité dans la "Philosophie nouvelle"* (Paris 1908); ROLDÁN, *La verdad del relativismo:* Pens I (1945) p.299-322; L. DE RAEYMAEKER, W. MUND ET J. LADRIÈRE, *La relativité de notre connaissance* (Louvain 1948).

176. Nexus. Sceptici negant nos posse ullam veritatem et certitudinem habere. Relativistae conveniunt cum scepticis in neganda cognitione realitatis prout est in se. At non omni omnino veritati renuntiant; asserunt enim nos posse possidere plures veritates, sed relativas, non absolutas. Indolem ipsam veritatis corrumpunt, ideoque consequenter eam negare coguntur. Multi sunt in moderna philosophia qui hoc

vitio laborant, immo in theologiam pessimum influxum habuerunt, unde plures errores et haereses modernae fluunt. Quare aliquid de huiusmodi theoria falsa dicendum videtur.

177. Notiones. RELATIVISMUS est systema eorum qui docent unam eandemque veritatem formalem non adesse; sed quod pro uno intellectu verum est pro alio intellectu falsum posse esse dicunt.

VERITAS igitur in relativismo non mensuratur secundum rem, sed secundum aliam quamcumque normam; itaque pro diversitate huiusmodi normae innumerae distinguuntur formae relativismi.

Veritas autem, quae secundum rem mensuratur, dupliciter sumi potest:

a) *Materialiter,* seu secundum obiectum materiale spectata, respicit rem cum omnibus suis notis et proprietatibus, seu quidquid de ipsa est cognoscibile.

b) *Formaliter,* seu secundum obiectum formale spectata, respicit unice has vel has notas hic et nunc assertas, et quaerit utrum de facto dentur in obiecto. Inde intelligitur bene quid sit relativismus sensu proprio. Nam

178. Non datur proprie relativismus [1], si aliquis dicat circa idem obiectum materiale aliam et aliam dari veritatem, quod omnes concedunt; nam potest dari multiplex respectus et consideratio eiusdem obiecti; neque si aliquis dicat manifesta exaggeratione realitatem esse in perpetuo fluxu ideoque veritatem esse mutabilem et relativam pro diversis temporibus; neque si dicamus pro diverso ingenio diversas cognitiones claras, vulgares, etc., dari; hic enim relativismus esset solum relativus relativismus.

Potest esse relativismus:

a) *universalis,* si ad omnes cognitiones humanas se extendit;

b) *particularis,* si solummodo ad aliquem campum cognitionis humanae, v. c. historicum, religiosum, etc., extenditur.

179. Divisio et historia relativismi. In tres turmas omnes relativistarum sententias dividere possumus. Negando enim causam formalem seu essentiam propriam veritatis,

[1] De diversis significationibus relativismi cf. A. ROLDÁN, *Fundamentos del relativismo filosófico moderno:* Pens 1 (1945) 181-206.

quam in nostro processu reflexivo circa actus et naturam intellectus nostri iam invenimus, vel affirmant veritatem pendere a sola causa efficiente, vel a sola causa finali, vel a coniunctione utriusque in forma mixta. Itaque iuxta primam formam relativismi datur veritas, et cognitio dicitur vera in quantum producitur a sua causa secundum debitas normas; iuxta vero alteram formam, cognitio erit vera si sit utilis maxime ad vitam, quae est forma pragmatistica.

180. A. *Sententiae quae veritatem dependentem ponunt a sola causa efficiente cognitionis, sine influxu ullo obiecti*:

1. Nonnulli PROTAGORAE vestigia sequentes [2] iuxta illud "omnium rerum mensura est homo", considerant naturam humanam ut normam veritatis humanae. Haec vero natura humana aut intelligitur a) *natura specifica humana,* quae est omnibus hominibus communis, et tunc veritas quae pro aliquo homine valeret, etiam pro omnibus hominibus eiusdem naturae valeret (*psychologismus specificus*), aut intelligitur b) *natura humana individualis,* uniuscuiusque hominis, quae subest diversis omnino condicionibus historicis, educationis, medii ambientis, etc.; tunc veritas omnino variatur pro diversis hominibus et habetur *psychologismus individualis, doctrina typorum individualium, historismus, hodie dicitur humanismus,* v. c. DILTHEY, LEISEGANG, etc. Ita etiam fere tota schola psychologiae experimentalis, ut FRIES, FECHNER, TAINE, RIBOT, etc.

2. Secundum SPENGLER veritas dependet ab aliquo ente suprahumano, quod dicitur anima culturae, terminus valde ambiguus.

3. Multi sunt qui faciant veritatem dependentem a causis omnino infrahumanis. Ita MARX et omnis generis marxistae, qui eam dependentem faciunt ab ordine oeconomico productionis. Alii vero a processibus biologicis mere vitalibus, ita celebris medicus R. TURRO [3] (1854-1926), qui a fame dependentem facit. Inde exsurgit biologica theoria veritatis, iuxta quam cognitio non est nisi adaptatio pugnae vitae.

181. B. *Sententiae quae veritatem faciunt dependentem ab eius utilitate; in genere omnis pragmatismus.*

---

[2] Ipse W. JAMES profitetur se suam doctrinam a veteribus sumpsisse; vide etiam PEIRCE in Monist (1905), et M. BLONDEL in RevPhil (1906) p.123.

[3] Cf. *Orígenes del conocimiento humano* (prólogo de M. DE UNAMUNO, Buenos Aires); vide A. ARÓSTEGUI, *La filosofía crítica de Ramón Turró:* RevFil 9 (1950) 55-84.

1. Secundum NIETZSCHE cognitio est ad vitam conservandam et augendam, et ad prototypum producendum.

2. Secundum *pragmatismum anglo-americanum a* W. JAMES propositum, unica norma et criterium veritatis est "verificatio continua per continuum successum practicum".

3. Secundum *doctrinam oeconomiae cogitandi,* quam MACH proponit, illud est verum, quod ad simpliciores formulas nostram cognitionem et experientiam redigit.

4. Secundum *fictionalismum,* omnia sunt figmenta, et debemus fictiones ut tales admittere ad explicandas realitates; ita VAIHINGER in suo opere *Philosophie des Als-Ob.*

182. C. *Sententiae formarum mixtarum.* Varias theorias pragmatisticas, relativisticas coniungunt. Ita

1. *Modernismus* (relativismus religiosus), ad dogmatum et religionis evolutionem explicandam diversas ideas psychologismi, historismi, pragmatismi, etc., coniunxit. Ita SCHLEIERMACHER, SABATIER, LOISY, TYRREL, etc., qui omnes sunt modernistae protestantes, vel apostatae religionis catholicae.

2. *Relativismus nationalis* miscet ideas pragmatisticas et biologicas ad salvandam convenientiam scientiae cum indole nationali; sic *racismus* et *nationalismus exaggeratus* ROSSEMBERG, GOBINEAU, STEWART CHAMBERLAIN.

183. Status quaestionis. De facto dari relativismum aliquem inter homines ex influxu consuetudinum, praeiudiciorum, medii ambientis, etc., sive ex tendentiis affectivo-volitivis actionis vitae, omnes admittunt, et ita factum erroris inter ipsos homines explicatur, ut videndum erit in thesi de errore. Tamen firmiter negamus, omnem cognitionem nostram de iure pendere non a realitate ipsa sese manifestante, sed solummodo a nobismetipsis, vel ab alia necessitate subiectiva, ut in nullis detur, aut a nobis nullibi dignosci possit necessitas vere obiectiva, et consequenter veritas absoluta. Thesis dirigitur tantum contra relativismum universalem, et affirmat saltem aliquas veritates seu iudicia ut absolute vera esse admittenda.

184. Probatur thesis. 1. (*Ex illatione ab esse ad posse.*) De facto cognoscimus aliquas veritates absolutas; *ergo* etiam de iure cognoscimus seu possumus cognoscere veritatem absolutam; *ergo* repugnat omne genus relativismi, sive psychologismi, sive pragmatismi.

Antec.: patet ex toto processu nostrae inquisitionis problematis critici. Ibi enim ostensum manet, v. c. principia non contradictionis, causalitatis mensurari secundum ipsam rem, non secundum nostram meram voluntatem, vel secundum aliquid mere subiectivum; *atqui* ubi mensura est res, veritas est absoluta, seu mensuratur obiective secundum formalitatem rei quae hic et nunc consideratur; *ergo* saepius veritas est absoluta et valet pro omni intellectu possibili.

2. (*Ex interna contradictione relativismi.*) Relativistae tenent ut doctrinam, nostram cognitionem esse relativam; *atqui* qui tenet ut doctrinam cognitionem nostram esse relativam, iam tenet aliquam veritatem absolutam, nempe nostram cognitionem esse relativam, quod repugnat in terminis; *ergo* relativistae proponunt aliquam doctrinam, quae involvit contradictionem.

3. (*Ex sequelis scepticis.*) Si relativista nihil absolutum potest affirmare de ipsa re, tunc nullam certitudinem obiectivam de realitate habere potest; *atqui* hoc est scepticum; *ergo* relativista est scepticus.

Maior: nam iuxta illum omnis certitudo est mere subiectiva, sicut ipsa veritas.

Minor: hoc enim idem affirmant sceptici, cum dicunt certitudinem, quam homines natura duce habent de multis rebus, non esse in realitate fundatam, sed in tendentiis mere subiectivis.

185. Scholion. Quid de theoria relativitatis einsteiniana? Haec theoria est aliqua theoria physico-mathematica a professore Einstein inventa, ut explicet aliqua phaenomena naturalia motus et temporis in spatio, quae secum ferunt speciales difficultates, quia ipse observans est pars totius systematis sese moventis. Nihil consequenter ipse et discipuli eius volunt dicere de quaestione critica veritatis absolutae; immo, etsi aliquae propositiones illorum relativismum criticum redolere videantur, tamen ex suo modo loquendi illos admittere veritatem aliquam absolutam deducere possumus. Quod vero ipsi dicunt de conceptibus spatii et temporis, de realitate motus, etc. in cosmologia diiudicanda sunt [4].

186. Obiectiones. 1. De facto veritas in historia apparet ut relativa, ita v.c. in quaestionibus physicis, immo religiosis, moralibus, etc.; *ergo* veritas vere relativa est.

Dist. antec.: veritas materialis apparet de facto in historia ut relativa, *conc.*; ipsa veritas formalis, *nego.* Nota tamen adversarios insistere in theoriis de rebus experimentalibus, ubi ob methodos difficiliores inquisitionis scientificae longior et laboriosior datur pro-

[4] Vide A. Roldán, *La verdad del relativismo:* Pens 1 (1945) 299-322.

cessus, et facilius variantur opiniones. Sed ipsa historia testatur circa veritates omnino evidentes nullam propriam variationem in mundo umquam exstitisse.

2. Omnis veritas, quatenus cognitio, est actus psychologicus; *atqui* omnis actus psychologicus regitur legibus psychologicis; *ergo* omnis veritas pendet e respectivis legibus psychologicis.

Dist. mai.: Omnis veritas ut cognitio est actus psychologicus subiective spectata, *conc.*; obiective spectata, *nego. Contradist. min.*

187. 3. Non probatum est nostrum modum cogitandi esse unicum possibilem; *ergo* forte pro aliis entibus detur alius modus diversus et consequenter aliae veritates.

Dist. antec.: Explicite hoc non probatum est, *trans.*; implicite saltem, *nego.* Nam iam saepius indicatum manet veritatem formalem, seu respectum sub quo res consideratur, valere eodem modo pro omni intellectu rem consideranti, licet modus quo consideret diversus sit, quoad claritatem, facilitatem, etc.

4. Intellectus est veluti quaedam machina; *atqui* machina in suis operationibus unice dependet a sua structura; *ergo* et intellectus unice dependet a sua structura, non ab obiecto.

Nego paritatem inter intellectum et machinam; praeterea *nego* machinam dependere solum a sua structura, sed etiam a materia, quae ei proportionetur, v.c. aeroplanum non volat si ei unice aquam immittas.

5. Quo facilius aliqua theoria et brevius explicet facta, ab scientificis ut verior admittitur; *atqui* hoc signum est theoriam oeconomiae cogitationis esse veram; *ergo* illa theoria relativistica admittenda est.

Dist. mai.: admittitur ut verior, quia simplicitas arguit obiectivam veritatem, *conc.*; solummodo quia sit oeconomica cogitationis, *nego.*

6. Cum theoria relativismi veritatis multa explicantur circa errorem, diversitatem opinionum, etc.; *ergo* videtur admittenda.

Dist. antec.: datur aliqualis explicatio, *trans.*; unica et facilior, nec contradictoria asserens, *nego.*

ARTICULUS III

DE IDEALISMO CRITERIOLOGICO UNIVERSALI

Thesis 12. Item reiciendus est idealismus transcendentalis criteriologicus, universalis, ut falsus, contradictorius et scepticus.

DONAT, *Critica* n.220-30; NABER, *Critica* p.153s; M. MENÉNDEZ PELAYO, *Historia de las ideas estéticas en España. El siglo XIX en Alemania* c.5.6; F. KLINKE, *Historia de la Filosofía* (versio hispana, Barcelona 1947) 1.10 c.2; H. DEHOVE in DAFC art. *Idealisme;* R. JOLIVET, *Las fuentes del idealismo* (Buenos Aires 1945).

188. Nexus. Ex tractatione problematis critici sequitur realismus nostrarum cognitionum, quae sese obiectis

conformant, quia ea repraesentant prout in se sunt; haec est doctrina traditionalis, historica, sensus communis. Contra hanc vero obiectivitatem cognitionis humanae exsurgunt maxime ex tempori Kantii idealistae seu subiectivistae, qui tenent cognitionem esse originem obiecti, "ponere obiectum" et non e contra. Ex qua doctrina tot errores exsurgunt in moderna philosophia. Quare necessarium erit et hos adversarios considerare licet breviter, ut eorum difficultates consideremus nostramque doctrinam confirmemus.

189. Notiones. IDEALISMUS CRITERIOLOGICUS est systema quod in moderna philosophia sub tot diversis formis apparet, ut difficile sit illud definire. Commune vero illis hoc esse videtur: docent idealistae nostris cognitionibus non respondere res absolutas seu independentes a nostra mente, sed omnes repraesentationes mentales exhibere solummodo apparentias rerum mere subiectivas, et fabricamenta mentis, secundum quasdam formas a priori insitas in mentibus nostris.

Bene distinguendus est ab *idealismo metaphysico* sensu obiectivo, quod est systema eorum, qui tenent praeter res caducas et corporeas exsistere mundum spirituum et valorum spiritualium et aeternorum; de historia huius idealismi habet tractationem pulchram O. WILLMAN [1].

190. *Idealismus criteriologicus* duplex est:

1. *Particularis,* qui docet nostras cognitiones repraesentare meras apparentias subiectivas solum in quodam ordine rerum, v. c. in rebus corporalibus huius mundi, vel e contra in rebus metaphysicis et spiritualibus; talis est v. c. idealismus acosmisticus BERKELEY, qui negat realitatem mundi corporei, et affirmat realitatem mundi spiritualis et metaphysici.

2. *Universalis,* qui docet nostras cognitiones repraesentare meras apparentias subiectivas in omni ordine rerum. Quare etiam cum cogitamus de to ego aut de actibus nostris cognoscitivis, non eos repraesentamus sicuti sunt, sed sicut fingimus eos et repraesentamus mente.

Hic idealismus fundatur in principio, quod *Immanentiae* vocant. Nam idealista considerat cogitationem humanam tamquam meram actionem immanentem, quae in ipso agente a quo procedit manet, et realiter tota est in conscientia cogitantis; et consequenter existimat impossibile esse ut per illam deveniamus in notitiam rei extra nos exsistentis. Ait enim idealista, cognoscere rem distinctam a co-

[1] *Geschichte der Idealismus.*

gnitione esse cognoscere quid non cognitum, cogitare aliquid non cogitatum, quod evidenter repugnat. Consequenter cognitio non attingit aliud quam se ipsam, et esse rerum non est nisi earum cogitari, seu "esse est percipi"[2].

191. Idealismus universalis pro diversitate subiecti in quo ponuntur formae subiectivae, quae producunt repraesentationes mentales, multiplex esse potest:

1. *Idealismus psychologicus seu anthropologicus* ponit formas in natura ipsa humana; proinde non differt a relativismo anthropologico, seu psychologismo.

2. *Idealismus transcendentalis* ponit formas in subiecto transcendentali kantiano, de quo plura in thesi sequente.

3. *Idealismus metaphysicus subiectivus* ponit formas *in to ego,* quod est unicum et necessarium, quod cogitando se ponit universum per repraesentationes fabricatas ab illo ego. Illud vero "ego absolutum" seu "conscientia absoluta" est infinitum, illimitatum, non est esse, sed agere, activitas quaedam, principium supremum omnium rerum. Limitatio autem huius ego est id quod naturam vocamus, quae nihil aliud est quam mera apparentia seu umbra. Ita J. G. FICHTE (1762-1814).

4. *Idealismus metaphysicus obiectivus* ponit formas non in to ego, sed *in to Absolutum,* in quo identificatur et to ego et to non ego, nempe ordo realis et ordo idealis; uterque enim ordo nascitur ex hoc Absoluto per evolutionem sui ipsius. Ita F. W. SCHELLING (1775-1854).

5. *Idealismus logicus, seu panlogismus* ponit formas in actu quodam, qui vocatur *Idea,* quae cogitando se secundum categorias dialecticas, ponit se et alia diversa a se. Unde haec *Idea* est continua evolutio, continuum fieri absolutum. Ita G. HEGEL (1770-1831) et J. GENTILE (1875-1944).

6. *Idealismus phaenomenalista,* iuxta quem nullum datur subiectum permanens formarum illarum, sed mera pluralitas successiva actuum psychicorum, qui omnes repraesentationes, quas habemus, constituunt. Quare vocatur etiam *idealismus empiristicus.* Ita praecipue D. HUME (1711-1776).

192. Status quaestionis. Omnis idealismus convenit cum scepticismo et relativismo in eo quod dicat, nos non posse habere veritatem et certitudinem formalem, seu rebus conformem. Differt vero a scepticismo quia putat se habere ali-

[2] Cf. R. EISLER, *Wörterbuch der philosophischen Begriffe* 1 p.672.

quam certitudinem de sua theoria, et a relativismo, quia dicit veritatem non variari pro diversitate subiectorum aut naturarum intelligentium, sed esse necessariam et eandem pro omnibus; si enim quis cogitat secundum formas a priori communes omnibus dicit veritatem idealisticam; si vero a formis illis deviat, errat. Quaeritur proinde in thesi quo pacto ille idealismus sit etiam scepticus et revera intrinsece repugnet.

193. Sententiae. Nostris temporibus, sub diversis formis maxime divulgatur idealismus criteriologicus negans transcendentiam cognitionis humanae. Ita in Gallia L. BRUNSCHVICG (1869-1950), E. A. WEBER (1835-1914) et neocriticista C. RENOUVIER (1815-1903); in Germania schola Marburgensis, E. CASSIRER (n.1874), BR. BAUCH (1877-1942); in Anglia, neohegeliani T. H. GREEN (1836-1882), F. H. BRADLEY (1848-1924); in Italia neohegeliani B. CROCE (1866-1951) et GENTILE (1875-1944) etc.

194. Probatur thesis. 1. (*Ex immediata illatione.*) Iam ostensum manet dari veritatem et certitudinem realem et formalem; *atqui* hoc negat idealismus; *ergo* idealismus est falsus.

Antec.: v. c. iudicia, quibus affirmamus facta nostra conscia experientiae internae, sunt vera et certa formaliter; item iudicia principii non contradictionis et causalitatis; quae apparent non solum ut leges mentis, sed etiam realitatis.

2. (*Ex interna contradictione.*) Idealista aut dicit suam doctrinam *omnes cogitationes repraesentare apparentias mere subiectivas non conformes cum rebus,* esse conformem cum rebus, aut non esse conformem cum rebus; *atqui* si dicit esse conformem cum rebus, contradictoria asserit, nempe et nullam cognitionem esse conformem cum rebus, et aliquam cognitionem esse conformem cum rebus; si autem dicit suam doctrinam non esse conformem cum rebus, tunc sequeretur contradictoriam esse veram, nempe "aliquam cognitionem esse conformem cum rebus", in quo iterum sibi contradicit; *ergo.*

3. (*Ex scepticismo consequente.*) Ea doctrina est sceptica, quae dicit nos non posse habere ullam certitudinem formalem de rebus prout sunt in se; *atqui* hoc dicit idealismus; *ergo* idealismus est scepticus, ideoque tam falsus sicut scepticismus.

Tunc *maior* et *minor* patent ex ipsa notione scepticismi et idealismi.

195. Obiectiones. 1. Illud est opus mentis, quod non exsistit nisi dum cogitatur; *atqui* actus psychici, de quibus sunt iudicia immediata conscientiae, non exsistunt nisi dum cogitantur; *ergo* illi actus, in quibus totum realismum fundas, sunt opus mentis.

Dist. mai.: si exsistit mere ut repraesentatum, *conc.*; si etiam exsistit physice, *nego. Contradist. min.*

2. Illud non constat esse reale, sed opus mentis, quod non videmus exsistere ante et post cogitationem nostram; *atqui* talia sunt obiecta omnia, nominatim psychica; *ergo* non constat obiecta cogitationum nostrarum esse realia.

Conc. mai. et nego min. Obiecta psychica video exsistere antequam iudicem de illis, ut ostensum est cum ageretur de problemate critico; unde video iudicium non creare realitatem illam, sed eam praeinvenire ante iudicium. Si agitur de Deo patet illum, utpote ens necessarium, exsistere ante et post cogitationem meam. Si agitur de mundo corporum, constat saltem mediate, ea non esse fabricamenta mea.

196. 3. Ut scias tua iudicia esse vera, debes posse comparare iudicium tuum cum re prout est in se; *atqui* hoc fieri nequit; *ergo* numquam scire poteris tua iudicia esse vera. Et *minor probatur:* res numquam est in intellectu per se ipsam et physice, sed per repraesentationem suam; *ergo* non poteris comparare iudicium cum re de qua iudicas, sed cum repraesentatione rei; quare numquam comparabis iudicium de re cum re.

Conc. mai. et nego min. Ad probationem nego maiorem: nam in iudiciis immediatis conscientiae comparo iudicium quo affirmo exsistentiam actus cum ipso actu, qui est physice praesens per se ipsum et non per repraesentationem alienam a se ipso, quia per se ipsum conscius est. Difformitas repraesentationis et rei possibilis est, cum alia est repraesentatio et alia res repraesentata, sed non cum idem sunt, ut in conscientia concomitante accidit, neque cum immediate post illam sequitur reflexio et affirmatio iudicii, adhuc permanente in praesente psychologico primo actu.

197. 4. Omnis res intellecta dependet ab intellectu; *atqui* quod dependet ab intellectu non potest exsistere independenter ab intellectu; *ergo* omnis res intellecta et repraesentata non est independenter ab intellectu, sed solum intramentaliter.

Dist. mai.: Ut sit intellecta, *conc.*; ut sit, *nego. Contradist. min.*

5. (*Aliter.*) Ens actu non cogitatum est ens actu ignoratum; *atqui* de ente ignorato nihil scio; *ergo* de ente non cogitato non scio utrum exsistat independenter a mente, vel non exsistat.

Conc. mai. et min. et nego consequentiam. De ente de quo non cogito non possum dicere quod exsistat, quia si hoc dicerem, iam de eo cogitarem. Sed tamen de ente quod cogito nunc, possum dicere illud non esse a me fabricatum, et habere exsistentiam independenter a me.

6. Quod possidet exsistentiam extra cogitationem non potest cognosci ut exsistens; *ergo* de ente habente exsistentiam extra mentem non possum affirmare quod exsistat. *Prob. antec.*: Si enim co-

gnosceretur ut exsistens, iam haberet exsistentiam intra mentem seu intramentalem.

Dist. mai.: Si extra mentem significat non cognitam, *conc.*; si significat non fabricatam a mente, *nego.* Nam licet exsistentia non sit a mente fabricata, potest a mente cognosci. *Pariter dist. cons.* Ad probationem *dist. assertum:* fabricatam a mente, *nego;* cognitam a mente, *conc.*

198. 7. Repugnat nos cogitare rem non cogitatam; *atqui* quidquid cogitari non potest est absurdum; *ergo* res non cogitata est absurda, ideoque omnia sunt cogitata seu productum cogitationis.

Dist. mai.: Repugnat nos cogitare rem non cogitatam, i.e. non productam a mente, *nego;* non cogitatam, seu quae non denominetur cogitata dum cogitatur, *conc. Conc. min.* et *dist. pariter cons.* Dum cogitamus rem, haec denominatur cogitata per denominationem extrinsecam, ideoque non est producta a mente.

8. Non constat esse res reales illas, de quibus solum habemus imagines, non ipsam praesentiam physicam; *atqui* tales sunt omnes res de quibus cogitamus, praeter actus nostros psychicos; *ergo* non constat esse res reales eas quas cogitamus, praeter actus nostros psychicos.

Resp. 1: Ergo falsus est idealismus universalis ex tua concessione.

Resp. 2: Dist. mai.: Si illae res repraesentatae per imagines non necessario connectuntur cum rebus praesentibus intra conscientiam, *conc.*; si connectuntur, *nego. Contradist. min.*

199. 9. Evidenter obiectum cognitum qua tale non est idem ac obiectum in se; illud enim est denominatio desumpta ex actu cogitationis, hoc autem est denominatio desumpta ex re ipsa; *ergo* dicere obiecta cognita esse obiecta in se est contradictorium.

Dist. antec.: cognitum reduplicative, *conc.*; specificative, *nego.* Et *pariter dist. cons. et probationem.* Res enim cognita qua cognita appellat cognitionem. Sed nihil impedit quominus res, quae, non qua cognita est, sit etiam in realitate.

10. Cognitio dicit activitatem et productionem; *atqui* si res praeexsisteret cognitioni, haec diceret passivitatem seu receptionem rei praeexsistentis; *ergo* res cognita non praeexsistit cognitioni, sed ab ipsa producitur.

Dist. mai.: dicit productionem actus cognoscentis, *conc.*; rei cognitae, *nego. Contradist. min.*: receptivitatem actus cognoscentis, *nego;* rei cognitae, in quantum haec determinat intellectum ut faciat hunc actum cognoscendi potius quam alium, *conc.*

11. Realitas quae non est spiritus aut positio spiritus non est rationalis, ideoque neque intelligibilis; *atqui* nos intelligimus res quas cogitamus; *ergo* res quas cogitamus sunt spiritus aut positio spiritus.

Dist. mai.: nec positio spiritus saltem increati, *conc.*; positio spiritus nostri per repraesentationem, *nego. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*

ARTICULUS IV

De idealismo transcendentali kantiano

Thesis 13. Nominatim idealismus transcendentalis Kantii est falsus, contradictorius, incidit in idealismum formalem, quem non emendat per criticam rationis practicae, et est origo gravissimorum errorum nostrae aetatis.

J. Maréchal, *Le point de départ de la Metaphysique* cah.3: A. Valensin, *A travers la metaphysique* (Paris 1925); etiam in DAFC, art. *Criticisme kantien* col.734-760; A. Naber, *Critica* n.330-360; J. Donat, *Critica* n.267s; T. Pesch, *Le Kantisme et ses erreurs* (Paris 1807); Dávila, *Critica* n.203s; E. Huidobro, *Problemas filosóficos fundamentales e historia de los sistemas*[3] (Burgos 1948) c.86-90; E. Boutroux. *La philosophie de Kant* (1926); M. García Morente, *La filosofía de Kant. Una introducción a la Filosofía* (Madrid 1917); P. Charles: DTC. art. *Kant et Kantisme*; Schaaf, *Conspectus systematis Kantii* (Ad usum priv. Univ. Gregorianae. 1904); S. Vanni Rovighi, *Introducción al estudio de Kant* (versio hispana, Madrid 1948); F. J. Thonnard, *Precis d'histoire de la Philosophie*,[2] (Paris 1945) n.387s; F. Klinke, *Historia de la filosofía* (versio hispana, Barcelona 1947) p. 444s.

Editiones: Cassirer, 11 vol. (in II *Kants Leben und Lehre*, Berlin 1918); ed. *Academiae Berolinensis* 19 vol. (1902-1918).

Versiones: *Gallica* a Trémésaygues et Pacaud; *Hispana* A. M. G. Morente.

200. Nexus. Influxus systematis kantiani in totam modernam philosophiam nemo est qui non admittat inter modernos historiae philosophiae cultores [1]. Immo tota philosophia moderna, et scientiae quae dicuntur culturales, vix intelligi possunt, si hoc Kantii systema non bene intelligatur. Nihil inde mirum si etiam nobis aliquid de ipsa doctrina proponere videatur, maxime vero ea quae ad quaestionem criticam pertinent. Quaestio enim critica in systemate Kantii nucleus dici potest totius eius doctrinae; ab huiusmodi enim solutione cetera pendent, nempe religio, moralitas, ius, etc. Exponemus igitur breviter sed sufficienter eius doctrinam; postea vero etiam breviter ex hucusque a nobis propositis ipsam iudicare licebit.

201. Nota bio-bibliographica. Emmanuel Kant (1724-1804), natus Regiomonti (Koenigsberg), ubi fere integram vitam transegit, post educationem protestanticam rigorose pietisticam, studiis mathematicis, philosophicis et theologicis peractis, docere incepit in universitate regiomontana in primis scientias mathematicas et physicas, postea vero philosophiam et ius naturae. His annis omnes eius elucubrationes de scientiis naturalibus tractant; tamen iam hoc tempore eius evolutio philosophica incepit, in qua duae praecipuae periodi distinguuntur:

[1] Cf. F. Klinke, *Historia de la filosofía* (Barcelona 1947) 444s.

202. 1. **Periodus genetica,** quae iterum duplex est: ab anno 1755 ad 1660, *periodus rationalistica* ex influxu LEIBNIZ et WOLF, non nihil mitigata doctrinis Newtonianis de scientiis. Huius periodi initialis praecipua scripta sunt: *Primorum principiorum cognitionis metaphysicae nova elucidatio* et *Historia naturae universalis et theoria de caelo.*

Ab anno 1760 ad 1770, *periodus evolutionis,* in qua scripta empiristica HUMII et LOCKE simul cum rationalismo ex novo libro LEIBNIZ *Nouveaux essais* miscentur. Huius periodi praecipua sunt eius scripta: *De falsa subtilitate quattuor figurarum syllogismi, De unico fonte possibili argumenti ad determinandam Dei exsistentiam, De claritate principiorum naturalis Theologiae et Philosophiae moralis.*

203. 2. **Periodus critica,** incipit ab anno 1770, ubi definitive sub influxu HUMII ex somno dogmatico excitatur et magnam lucem recipit, quae, ut ex suo opere *De mundi sensibilis atque intelligibilis forma et principiis* conicere licet, in formis a priori spatii et temporis sine dubio consistit. In illa theoria invenit KANT solutionem ad diversa problemata, quae neque rationalismus, neque empirismus solvere poterant, circa exsistentiam nempe scientiae. Hoc problema secum fert aeternam *quaestionem unius et multiplicis, necessarii et contingentis,* seu conceptuum universalium in rebus singularibus. Solutio aristotelica et thomistica per abstractionem formae per intellectum in sensibilibus a philosophia moderna iam a tempore CARTESII relinquitur, et duplex via, utraque insufficiens tentatur, alia rationalistica, alia autem empiristica. *Iuxta enim rationalismum optime* explicatur necessitas scientiae, cum omnia dependeant ab ipsa ratione, non vero explicatur obiectivitas, siquidem obiectum in scientias nihil influit; *in empirismo* e contra bene explicatur obiectivitas, male autem necessitas, siquidem in obiectis nihil necessarium invenimus. Per multos annos KANT nihil scripsit, sed suam theoriam perpolivit et tandem suam *Criticam rationis purae* edidit anno 1781; secunda vero editio, satis mutata, anno 1778. In hoc opere simul ac in *Critica rationis practicae* et *Critica iudicii* totum suum systema exposuit.

204. Hoc opus *Critica rationis purae* in duas partes dividitur. Post aliquam *introductionem,* in qua problema enuntiatur et eiusdem solutio adumbratur, habetur:

Prima pars: Theoria transcendentalis elementorum, ubi

inquirit in operationes et facultates cognoscendi. Subdividitur in:

Aestheticam transcendentalem, quae est inquisitio in facultatem sensitivam.

Logicam transcendentalem, quae est inquisitio in facultatem intellectivam. Iterum subdividitur in

Analyticam transcendentalem	in primo libro de conceptibus. in secundo libro de iudiciis.
Dialecticam transcendentalem ...	in primo libro de conceptibus rationis purae. in secundo de ratiociniis dialecticis rationis purae.

Secunda pars: Theoria transcendentalis methodi, in qua summa totius tractatus colligitur, et de diversis methodis inquisitionis scientificae agit.

Hic liber *Criticae rationis purae,* et quidem magis quam alia opera kantiana, licet vix non intolerabili dictione scriptus sit et omni careat claritate et constantia, ita ut interpretationes abundent, tamen ut primus philosophiae modernae liber habetur [2].

205. Expositio systematis. Systema kantianum dicitur IDEALISMUS TRANSCENDENTALIS.

IDEALISMUS, quia iuxta illum non cognoscimus res prout sunt in se, sed solummodo phaenomena seu apparentias rerum. Itaque scientiae, quae de illis agunt sunt verae scientiae; quare iuxta KANT mathesis, geometria etc. verae scientiae sunt, ideoque ipse scepticus non est. At vero metaphysica est et fuit semper campus disputationis et pugnae, et in ipsa verus progressus non datur. Quae vero huius magnae differentiae ratio esse potest? Sine dubio ex diverso modo et obiecto, ad quod hae scientiae pervenire intendunt. Metaphysica enim vult agere de rebus prout sunt in se, i. e. de *noumenis,* reliquae scientiae de *phaenomenis,* i. e. de apparentiis rerum.

Aliquando KANT videtur loqui de exsistentia rei in se; disputatur autem inter commentatores utrum et quo iure KANT admiserit, non tantum fide, sed scientia, exsistentiam rei in se. Modo enim videtur

---

[2] Cf. J. DONAT, *Critica* n.268, ubi diversa testimonia auctorum, qui ipsum KANTIUM interpretari conati sunt, inveniuntur; sic. v. c. RICKERT: ... *non iam videtur ulla sententia cum certitudine pro expressione opinionis Kantii haberi posse* (Kantstudien [1899] p.149). Clare PAULSEN admonet nos cum dicit: *Opinor numerum eorum non parvum esse, qui criticam rationis purae tentantes de facultate hunc librum intelligendi desperent* (*Immanuel Kant*[4] [1904] 80).

negare possibilitatem ullius demonstrationis, modo videtur demonstrationem tentare ex necessitate alicuius causae ad impressiones sensibiles producendas; sic maxime in secunda editione Criticae.

206. Dicitur TRANSCENDENTALIS, quia agit de condicionibus, quae praecedunt omnem cognitionem necessariam et universalem, illamque possibilem reddunt. Haec vero vox non est confundenda cum voce *transcendens* quae iuxta KANT significat cognitionem quae rem prout est in se cognosceret, quamque ut impossibilem tenet. Ad cognitionem proinde non requiritur ut intellectus vel facultas mere conformetur obiecto, sed illud informet, intelligibile reddat, construat quodammodo. "Hucusque, ait KANT, supposuerunt omnes nostras cognitiones sese accommodare debere ipsis rebus, sed omnes conatus in hac suppositione erant frustra. Tentemus res sese debere accommodare cognitioni." Inde *methodus erit transcendentalis,* qua detegi possint condiciones a priori quae requiruntur ad hoc ut intellectus possit suum obiectum construere, efformando cognitiones universales et necessarias. *A priori* igitur iuxta KANT significat illud quod in cognitione universali est independens ab illo quod ex incognito X nobis quasi a posteriori datur; est enim condicio subiectiva, innata in mente nostra exsistens, qua redditur possibilis illa cognitio universalis et necessaria.

Haec est proinde thesis, quae per totam *Criticam rationis purae* longissime probatur: *nos non cognoscimus nisi per formas aprioristicas, quae transformant obiectum cui applicantur.*

207. Introductio "Criticae rationis purae". 1. *Intentio auctoris* in *Critica rationis purae* est videre utrum metaphysica sit possibilis, et quo sensu sit possibilis. Respondet autem fore possibilem si adimpleat condiciones scientiae requisitas ut scientia aliqua sit possibilis. Iam vero scientiae bene constitutae sunt physica et mathesis; investigando quomodo hae scientiae sint possibiles, inveniemus condiciones, quibus scientia bene constituta sit possibilis, quae si dentur in metaphysica erit vera scientia, secus non erit.

208. 2. *Condiciones autem sub quibus vera scientia est possibilis* sunt: *a)* ut constet iudiciis syntheticis a priori; *b)* ut his iudiciis donetur obiectum per intuitionem sensibilitatis. Ostendamus singula.

a) *Scientia debet constare iudiciis syntheticis a priori.* Quod ut bene intelligamus antea tradamus doctrinam KANTII

de iudiciis. Iudicia dividuntur in analytica et synthetica; haec autem iterum in synthetica a posteriori et synthetica a priori.

ANALYTICA sunt ea iudicia, in quibus praedicatum est de essentia subiecti, v. c. corpora sunt extensa, triangulus habet tres angulos, animal est vivens sensitivum.

SYNTHETICA sunt ea, in quibus praedicatum non est de ratione subiecti. Possunt esse:

Synthetica a posteriori, si praedicatum, quod non est de ratione subiecti, tribuitur subiecto per solam experientiam, v. c. hic ignis cremat, haec nix est alba. Sunt particularia et contingentia.

Synthetica a priori, si praedicatum non est de ratione subiecti, et ei tribuitur independenter ab omni experientia. Multa exempla affert Kant de his iudiciis, omnia autem illegitima, v. c. lineam rectam inter duo puncta brevissimam esse, septem et quinque esse duodecim, in omnibus mundi corporei mutationibus quantitatem materiae manere eandem, immutatam, et cetera. Haec iudicia sunt necessaria et universalia.

209. Posita hac doctrina, docet scientiam non posse constare iudiciis analyticis, quia nihil novi docent; nam cognito subiecto, attributio praedicati est inutilis et tautologica. Sunt enim iudicia quidem necessaria et universalia, at non extensiva.

Nec constat scientia iudiciis syntheticis a posteriori; quia scientiae sunt de rebus, quae valent universaliter et necessario; sed iudicia synthetica a posteriori, quamvis sint extensiva, sunt tamen particularia et contingentia; non igitur apta ad scientiam constituendam. Hinc deducitur scientiam debere constare iudiciis syntheticis a priori, quae sunt ex una parte necessaria et universalia, ex alia vero extensiva cognitionis.

210. b) *His iudiciis debet dari obiectum per intuitionem sensibilitatis. Propria quaestio igitur Criticae,* ait KANT, *haec est: Quomodo iudicia synthetica a priori sint possibilia?* [3] Sunt vero possibilia solummodo per formas subiectivas a priori, ita ut obiectum offeratur intellectui per sensibilitatem in suis intuitionibus, et intellectus circa illud cogitet, siquidem nihil potest esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu. Hae vero formae sunt subiectivae, quia universalitas et necessitas illorum iudiciorum veniret aut ab obiecto aut a subiec-

[3] *Kritik der reinen Vernunft.* Einleitung, c.6.

to; sed non potest venire ullo modo ab obiecto, secundum praeiudicium empiristicum, ergo venit a solo subiecto. Sunt nempe in nobis quaedam dispositiones subiectivae antecedentes cognitionem, quae dant obiecto totum id quod in eo est necessarium et universale. Atque potissimum inquirendum dicit in has formas a priori, quaenam in nobis sint, et num cum ipsis res quales in se sunt attingere possimus, i. e. *instituendam esse criticam rationis purae. Rationem puram* enim intelligit rationem theoreticam, quae ab omni obiecto reali, quod experientia haustum sit, vacua solisque formis a priori instructa sit.

211. *Ergo omnis cognitio scientifica constat materia et forma.* Materia autem est totum illud, quod est contingens et determinabile, et forma totum illud, quod ut necessarium et universale apparet. Inde vocat KANT systema suum hylemorphicum; nempe quia cognitio constat materia et forma, sed ut clare apparet sensu omnino diverso a sensu Aristotelico et scholastico.

Nunc igitur investigat, quot sin formae aprioristicae, et hoc quidem per longum et latum et pro lubitu, ita ut plurimi eius discipuli in his eum non plane sequantur. Et addit: sunt duae pro sensibilitate, quae sunt *spatium et tempus*, et vocantur *intuitiones purae.* Duodecim pro intellectu, quae vocantur *categoriae.* Tres pro ratione, quae vocantur *ideae rationis transcendentalis,* vel ideae dialecticae transcendentalis, vel simpliciter ideae, et sunt Deus, anima et mundus.

De formis sensibilitatis agit in Aesthetica transcendentali; de categoriis in Analytica transcendentali; et de ideis in Dialectica transcendentali. Breviter exponamus has tres partes Criticae, seu tractatum de formis.

212. Aesthetica transcendentalis. Vocatur *aesthetica* a verbo graeco originaliter significante "sentire"; *transcendentalis,* quia de formis a priori sensibilitatis agit.

SENSIBILITAS enim est capacitas recipiendi in nobis impressionem ab incognito X provenientem, quae sola receptiva est, et ab ipsa sola intuitiones empiricae oriuntur.

INTUITIO vero est modus quo cognitio ad incognitum X refertur. Potest esse: a) *empirica,* si obtenta est per sensationem et impressionem, et b) *pura,* si est a priori, et est idem ac forma a priori sensibilitatis nullo modo dependens a sensatione vel ab impressione externa.

PHAENOMENON est illud quod resultat ex applicatione formae ad aliquam materiam. Nos enim non cognoscimus res in se, noumena, sed solum res prout apparent, phaenomena.

213. Hae formae a priori in sensibilitate duae sunt: Pro sensibilitate externa forma est *spatium*. Nam obiecta sensibilitatis externae non possumus neque sentire, nec imaginari, nec cogitare nisi in aliquo spatio, quod adeo necessario a nobis cogitatur, ut si per imaginationem auferamus omne corpus, adhuc remaneat spatium purum; *ergo* patet spatium esse aliquid necessarium et universale pro omni corpore; *ergo* est a priori et subiectivum, et quidem sensibilitatis, non intellectus; quia in conceptibus intellectus partes praecedunt totum, et contra in spatio. Materia in sensibilitate externa est impressio accepta ab obiecto et recepta in sensibilitate; sed quoniam illa impressio est sine unificatione, est caotica, ideoque est incognoscibilis, nisi informetur forma unificante, quae est spatium. Unde de obiecto non cognoscimus nisi quod nos damus, sc. extensionem.

214. Pro sensibilitate interna forma est *tempus*. Nam obiecta sensibilitatis internae, i. e. nostros actus subiectivos non possumus cognoscere nisi ut anteriores et posteriores, ut cum tali successione appareant quoties eorum volumus per memoriam recordari; *ergo* signum est anterioritatem et posterioritatem esse condicionem absolute necessariam et universalem pro omnibus actibus, ut ipsos percipiamus; *ergo* haec condicio quae est tempus est a priori, ideoque mere subiectiva; et quidem sensibilitatis, non intellectus, pari ratione ac spatium. Materia autem sunt ipsi actus nostri subiecti, quos non cognoscimus nisi informentur forma temporis, quae eos in successione temporali extendat; unde de nostris actibus non cognoscimus nisi quod nos per repraesentationem eis damus, quod est duratio vitalis.

215. Post talem *deductionem metaphysicam*, exponit KANT *deductionem transcendentalem* ipsarum formarum. Nempe ipsae sunt a priori, quia ita unice bene fundantur scientiae verae et bene constitutae; nam spatium ut forma intuitionis a priori est necessaria condicio a priori geometriae ut scientiae; et tempus ut forma intuitionis a priori est necessaria condicio a priori arithmeticae ut scientiae, et mechanicae ut scientiae. Quod quidem longe ipse probare intendit.

216. Logica transcendentalis. Sicut in prima parte agit de condicionibus sensibilitatis, seu de formis a priori, quae praerequiruntur ad omnem cognitionem sensibilem, sic in secunda seu *Logica transcendentali* considerat conceptus puros seu principia a priori cognitionis. Haec vero dividitur in: *Analyticam transcendentalem,* quae est illa pars Logicae transcendentalis quae elementa cognitionis purae et principia, sine quibus nihil cogitari potest, considerat; et *Dialecticam transcendentalem,* quae ostendit quisnam sit usus illegitimus intellectus puri.

217. Analytica transcendentalis. Dicitur *Analytica*, quia constat "analysi ipsius facultatis intellectivae ut in ea tamquam in loco nativitatis, possibilitas conceptuum a priori inquiratur"; et talibus conceptibus explicatur valor et possibilitas iudiciorum necessariorum et universalium scientiae naturalis. Haec autem inquisitio est critica, i. e. in eius valorem, non psychologica, i. e. non in modum quo oriatur. Hi conceptus vocantur *categoriae* et sunt pro Kantio duodecim.

Nam forma in iudiciis est modus quo unitur praedicatum cum subiecto; *ergo* tot erunt formae subiectivae seu categoriae, quot genera iudiciorum; *sed* genera iudiciorum sunt duodecim, *ergo* duodecim sunt etiam categoriae. Genera vero iudiciorum sunt duodecim, quia omnia iudicia considerari possunt vel cum ordine ad subiectum, vel ad praedicatum, vel ad relationem inter subiectum et praedicatum, vel ad relationem inter iudicantem et iudicium. Ratione primi iudicia habent *quantitatem,* ratione secundi *qualitatem,* ratione tertii *relationem,* et ratione quarti *modalitatem.*

Unde *ratione quantitatis,* prout praedicatum de subiecto universali, particulari vel singulari affirmetur, oriuntur *iudicia universalia, particularia et singularia.*

Ratione qualitatis, prout particula negativa copulam vel etiam praedicatum afficiat vel non, dantur *iudicia affirmativa, negativa et limitativa.*

Ratione relationis inter subiectum et praedicatum, prout subiecto simpliciter, vel sub aliqua condicione vel disiunctione praedicatum tribuatur *iudicia sunt categorica, hypothetica, et disiunctiva.*

Ratione modalitatis, prout praedicatum tribuatur subiecto ut possibile, vel ut exsistens, vel ut necessarium, dantur *iudicia problematica, assertoria et apodictica.*

Hae omnes formae, quae plus minusve pro lubitu a KANTIO deteguntur, sunt formae aprioristicae et subiectivae; agitur enim de iudiciis syntheticis a priori, quae non sunt possibilia nisi per formas a priori. Materia autem in iudiciis sunt phaenomena data per sensibilitatem, non res in se, sed apparentiae earum.

218. Tabula categoriarum et iudiciorum.

	Formae iudiciorum	*Categoriae*
I. **Quoad quantitatem** .	Universale	Unitas.
	Particulare	Pluralitas.
	Singulare	Totalitas.
II. **Quoad qualitatem** ...	Affirmativum	Realitas.
	Negativum	Negatio.
	Limitativum	Limitatio.
III. **Quoad relationem** ..	Categoricum	Inhaerentia (Substantia, accidens).
	Hypotheticum	Causalitas.
	Disiunctivum	Communitas (actio mutua).
IV. **Quoad modalitatem** .	Problematicum.. ...	Possibilitas - impossibilitas.
	Assertorium	Exsistentia - non exsistentia.
	Apodicticum	Necessitas - contingentia.

219. Corollaria ex Analytica. Formae intellectuales aprioristicae seu *categoriae sunt penitus inanes,* seu nullum obiectum repraesentant, sunt enim unitiones obiectorum, et unitio de se nihil dicit de extremis uniendis. Ideo applicari nequeunt nisi donetur aliquod obiectum, et quidem per intuitionem sensibilem. Debet donari obiectum per intuitionem, quia, ut visum est, conceptus sunt vacui. Debet donari per intuitionem sensibilem, quia unica facultas capax recipiendi impressionem ab obiecto et habere intuitionem eius est sensibilitas; intellectus enim non recipit impressionem, sed facit unitiones obiectorum secundum formas aprioristicas; est igitur activus non passivus. Unde *conceptus sine intuitione sunt vacui; intuitiones sine conceptu sunt caecae.*

220. Cur vero ad praesentiam phaenomeni applicantur diversae categoriae, modo substantiae et accidentis, modo relationis, etc.? Si per influxum et exigentiam obiecti expe-

rientiae, ergo iam cognoscimus diversa obiecta, nempe pro diversitate categoriarum, quas exigunt. Si mere arbitrarie et sine ulla exigentia obiectorum, tunc nulla erit uniformitas, invariabilitas et universalitas iudiciorum, ideoque neque possibilis erit scientia bene constituta.

Ad quam difficultatem solvendam proponit Kant *theoriam schematum transcendentalium;* diversae enim categoriae applicantur pro diversitate schematum transcendentalium imaginationis, quae intermedia essent inter sensum et intellectum.

SCHEMATA autem sunt formae aprioristicae imaginationis, quae dividunt experientiam sensitivam datam per spatium et tempus in portiones rite structuratas; nam sine his schematibus sensibilitas externa daret nobis spatium homogeneum et non divisum in res, v. c. in sellas, domus, animalia, etc.; et experientia interna daret nobis tempus homogeneum, non divisum in diversos actus volitionis, intellectionis, sentimentorum etc. Unde schemata definiri possunt: "Proiectiones categoriarum singularum factae in intuitionem puram temporis", vel clarius: "Imagines communes, quas imaginatio ex intuitionibus efficit, quae cum categoriis quodammodo concordant, et sic intellectum ad certas categorias applicandas inducit."

221. *Illustremus exemplo functionem schematis.* Si schemata imaginationis exhibent successionem motuum in aliqua re quae non perit suis motibus, statim intellectus applicat categoriam substantiae et accidentis; si schemata exhibent portiones temporis, ita ut posita tali portione sequatur alia, statim intellectus applicat categorias causae et effectus, etc. Unde applicatio categoriarum non dependet ab ullo influxu obiecti, sed solum ab schematibus subiectivis et aprioristicis.

222. *Potest contra ipsum aliquis arguere*: cur autem applicantur nunc schemata successionis structuratae et successionis permanentis? Aut hoc fit ex exigentia obiecti, et tunc cognosco obiectum ex aliquo suo effectu, nempe ex eo quod hic et nunc talia schemata suscitat; aut non fiet ex exigentia obiecti, et tunc dabitur mira arbitrarietas, et ideo erit impossibilis uniformitas et necessitas iudiciorum determinatorum in determinatis adiunctis, ideoque scientia erit impossibilis.

At respondet KANT hoc deberi obiecto, sed tamen ita ut de illo nihil penitus possimus cognoscere, quod est aperta contradictio.

KANT addit praeterea aliam tractationem, analyticam nempe principiorum intellectus puri; in qua intendit declarare modum quasi psychologicum quo formae purae intellectus applicari possunt ad data sensibilia, explicare etiam principia pura et independentia ab experientia, fundata in conceptibus, et denique suam doctrinam comparare cum oppositis.

223. Dialectica transcendentalis. Dicitur *Dialectica* tum quia versatur circa rationem, prout est facultas ratiocinandi; tum quia, iuxta KANT, ratiocinia haec sunt dialectica, nempe sophistica. Dividitur in duas partes: in prima parte proponit Kant doctrinam circa ideas; in secunda refutat veterum metaphysicam, nempe cosmologiam, psychologiam et theologiam naturalem.

224. *Prima pars: de Ideis.* Elementum formale rationis sunt *tres Ideae,* nempe normae quaedam rationis a priori, innatae, quae eius ratiocinationes dirigunt. Non habent valorem neque sensum scholasticum; significant enim, iuxta KANT, quasi "focum imaginarium" in quem omnes cognitiones nostrae tendunt, aliquem conceptum mere hypotheticum, qui solummodo dirigit cognitionem, sed minime constituit, problema quod rationem invitat ac excitat ut ulterius unitatem cogitationum perficiat. Hoc igitur sensu Ideae sunt fundatae in ipsa natura humana, quatenus per illas intellectus ad unitatem perfectam tendit. Itaque illusio, qua credimus illas *Ideas* in se exsistere, est illusio transcendentalis.

225. *Hae vero Ideae sunt tres*: nam ratio conatur omnia phaenomena propria ad unitatem reducere, phaenomena subiectiva ad unum subiectum conscium, et sic habemus Ideam psychologicam *tou Ego;* omnia phaenomena externa naturalia ad unum subiectum physicum, et ita habemus Ideam cosmologicam *mundi rite ordinati;* phaenomena tandem omnia tam subiectiva quam naturalia ad suam plenam et ultimam rationem sufficientem seu fontem, et habemus Ideam theologicam *Dei.* Has Ideas invenit KANT quasi a priori applicando categorias relationis, et praeterea applicando triplicem formam ratiocinii categorici, hypothetici et disiunctivi.

226. Hucusque respondet ad suam quaestionem praeviam nempe quomodo sit possibilis scientia bene constituta, et docet: per iudicia synthetica a priori, et per formas aprioristicas, atque ita ut obiectum donetur per aliquam in-

tuitionem sensitivam. Nunc venit ad quaestionem principalem solvendam, quae iam implicite soluta est, utrum nempe metaphysica sit possibilis, ad quod respondet negative.

227. *Metaphysica est impossibilis.* Metaphysica igitur est impossibilis:

1) *Ut cognitio noumenorum*: haec non dantur per sensibilitatem, quae solummodo donat nobis phaenomena spatialia et temporalia; et noumena metaphysica Deus, mundus, to ego non sunt phaenomena spatialia et temporalia; neque dantur per intellectum, quia cognitio noumenorum non potest dari per conceptus, siquidem hi sunt vacui et nihil repraesentant; nec per intuitionem, quia intellectus non est capax intuitionis, cum haec habeatur per impressionem acceptam ab obiectis, quam non accipit intellectus, qui est omnino activus iudiciorum secundum formas a priori; nec denique dantur noumena per rationem, quia Deus, mundus et to ego sunt formae a priori omnis ratiocinii, ideoque sunt mere subiectivae. Est praeterea impossibilis:

228. 2) *Ut scientia bene constituta,* nempe ut series propositionum, quae necessario et universaliter ab omnibus admittuntur. Et hoc duplici ratione:

Prima ratio est ex consideratione condicionum sub quibus est possibilis scientia bene constituta. Praecipua vero condicio est ut donetur obiectum per aliquam intuitionem sensitivam; quia non potest donari per conceptus, quia hi sunt vacui, neque per intuitionem intellectualem, quae non datur; sed quoniam circa illa obiecta metaphysicae dari nequit intuitio sensitiva, ut patet, impossibile est ut haec condicio adimpleatur.

Secunda ratio, quae simul est *secunda pars Dialecticae transcendentalis,* ex refutatione argumentorum, quibus solet probari realitas noumenorum metaphysicorum, i. e. Dei, tou ego et mundi. Omnia enim argumenta, ait KANT, quae dantur circa haec noumena aut sunt falsa, aut nihil probant. In primis in *Psychologia* agitur de to ego puro; iam vero non cognoscimus nisi to ego phaenomenale, cui tribuimus omnia quae conveniunt enti in se subsistenti; consequenter omnia argumenta sunt paralogismi, i. e. confusiones ordinis logici cum ordine ontologico.

In *Cosmologia* vero Ideam mundi, quae per unitatem om-

nium phaenomenorum enascitur, si ulterius evolvere volumus, necessario incidimus in antinomias, seu contradictiones, nempe in propositiones contradictorias, quae simul aequo iure probantur. Has antinomias proponit KANT et quidem in quattuor classibus categoriarum. Sit exemplum in categoria quantitatis.

Thesis: mundus, tum secundum tempus, tum secundum spatium consideratus, habet initium et limitem.

Antithesis: mundus nullum initium habet in tempore, et nullos limites in spatio. Et sic de ceteris.

In *Theodicea* datur, iuxta KANT, solummodo triplex argumentum: ontologicum, cosmologicum et teleologicum. Primum nihil valet, siquidem continet transitum illegitimum ex idea ad ens. Secundum vero ad primum reducitur. Tertium, omnium pulcherrimum, ad summum probat exsistere aliquem factorem imperfectum mundi, non vero Deum ut ens perfectissimum, nisi iterum in argumentum ontologicum incidas, et supponas finalitatem ut aliquid obiectivum.

229. CONCLUSIO FINALIS TOTIUS CRITICAE RATIONIS PURAE: *ergo, si Metaphysica ut scientia est impossibilis, ad summum exsistit ut doctrina de limitibus cognitionis humanae.* Est purus agnosticismus theoricus.

230. Critica rationis practicae. Praeter *Criticam rationis purae,* alios tractatus habet Kant ad diversas partes philosophiae et religionis pertinentes; sed inter ipsos maxime eminet *Critica rationis practicae,* in qua theoriam moralitatis humanae proponit, et aliquo modo illum agnosticismum theoreticum emendare intendit per aliquem realismum practicum, quem nos in thesi reicimus ut infundatum. De ipso aliquid dicere nunc oportet.

In duobus operibus praecipue agit Kant de philosophia morali: 1) in opere *Metaphysicae morum fundatio* [4], et 2) in *Critica rationis practicae* [5] quae est critica voluntatis. *In his igitur quaeritur*: si Metaphysica est impossibilis per rationem speculativam, eritne possibilis per rationem practicam, quae imperat et dirigit ea quae facienda sunt?

Responsio vero est: Per rationem practicam non est possibilis cognitio noumenorum metaphysicorum, sed *est possibilis fides circa eadem noumena.*

---

[4] *Grundlegund zur Metaphysik der Sitten* (1785).
[5] *Kritik der prastichen Vernunft* (1788).

231. Explicemus nunc mentem kantianam, quam breviter complectemur sub triplici capite:

1. De exsistentia et proprietatibus imperativi categorici; 2. De postulatis rationis practicae, quibus affirmanda est exsistentia libertatis, immortalitatis et Dei gubernatoris; 3. De sensu horum postulatorum.

232. I. **Exsistentia imperativi categorici.** Exsistit imperativum categoricum, seu mandatum exercendi plenam moralitatem; circa quod nulla possibilis est dubitatio ex ipsa experientia.

233. *Proprietates huius imperativi categorici sunt*:

a) *est a priori,* quia universaliter et necessario et invincibiliter valet; ergo non oritur ex experientia, quia secus valeret solum pro quibusdam casibus;

b) *est indeterminatum quoad materiam,* ideoque non iubet abstinere, v. c. a furto, ab adulterio, nec iubet honorare parentes, colere Deum, etc. Omnis enim determinatio particularistica venit ab experientia, non a priori ubi omnia sunt universalia;

c) *est valde determinatum quoad formam,* quae sic se habet: "operare ita ut maxima tua possit esse lex universalis". Ad hanc formulam reducuntur reliquae, quas proponit Kant. Si enim est indeterminatum quoad materiam et universalissimum quoad formam, talis debet esse eius formula;

d) *est absolutum,* seu iubens operari sine ullo respectu ad finem particularem, vel ad aliquam personam, etiamsi sit Deus. Imperia enim quae respiciunt ad aliquem finem particularem, vel ad aliquam personam sunt iudicia scientifica et utilitaristica, non autem moralia. Sic si detur hoc imperium: sume medicinam ad recuperandam sanitatem, sensus est: si vis obtinere sanitatem, sume medicinam; quod est scientificum et utilitaristicum, non autem morale, quia nullibi praecipitur tibi ut recuperes sanitatem. Similiter si praecipiatur sic: sis sanctus, ut obtineas praemium, vel ut placeas Deo, sensus esset: si vis obtinere praemium, vel si vis placere Deo, sis sanctus; quod est mere scientificum, sed non morale, quia nullibi enuntiatur mandatum, ut obtineas praemium vel ut placeas Deo;

e) *est iudicium syntheticum,* nam per solam analysim

voluntatis numquam reperietur in eius notis imperativum categoricum.

234. Corollaria. 1. *Imperativum categoricum procedit a voluntate propria,* non autem ab aliqua voluntate divina, aut ab aliqua voluntate societatis vel superioris. Secus in adimpletione talis mandati deberem respicere ad voluntatem alienam, et, sic imperium iam haberet sensum condicionatum: *si vis placere iubenti*... quod non est iudicium morale, sed mere scientificum.

2. *Hinc debemus operari propter solam legem ut finem in se.* Si enim respiciam ad finem aliquem particularem diversum a lege, vel ad aliquam personam, tunc adimpleo iudicium scientificum et utilitaristicum, non autem morale.

3. Seu aliter: *debemus operari propter solam nostram voluntatem,* seu propter nos solos ut fines in se non subordinatos ultimo fini alieno. Debemus enim respicere ad solam legem, et quia haec debet oriri ex nobis, debemus respicere solummodo ad nos, i. e. ad nostram dignitatem entium rationalium. Inde sequitur moralis autonoma seu independens, quae contraponitur morali heteronomae seu dependenti. Quare nostra voluntas est omnino legifera et construit ordinem moralem, sicut ratio construit ordinem cognitionis seu logicum. Itaque datur plena deificatio hominis.

235. II. **Postulata rationis practicae.** a) *Debemus admittere libertatem nostrae voluntatis;* nam si iubetur tam absolute imperativum categoricum, debemus concludere nos posse illud adimplere; et quoniam saepe non adimpletur, signum est nos ita non adimplere, ut etiam adimplere potuissemus, quod est habere libertatem.

b) *Debemus admittere immortalitatem animae.* Nam imperativum categoricum non potest homo adimplere perfecte in aliquo determinato tempore, tum ob eius summam perfectionem, tum praesertim quia si possemus adimplere in aliquo determinato tempore, iam postea cessaremus esse obligati ulterius, et sic haberemus absurdum, quod aliquod ens rationale non haberet obligationem moralem.

c) *Debemus admittere Dei exsistentiam.* Nam felicitas est iuncta modo inseparabili cum virtute; ergo vel quia virtus causat felicitatem, vel quia felicitas causat virtutem, saltem ut causa finalis; vel quia exsistit gubernator universa-

lis, qui talem iunctionem facit et in perpetuum servat; sed virtus non causat felicitatem, quia saepe viri boni sunt infelices hic; neque felicitas causat virtutem ut causa finalis, quia si operaris virtutem ob felicitatem, iam illa non est virtus; neque ut causa efficiens, quia ad hoc deberet felicitas esse ante virtutem, quod non contingit; *ergo* restat ut exsistat gubernator potentissimus et perpetuus, qui faciat et servet hanc coniunctionem virtutis et felicitatis.

236. III. **Sensus horum postulatorum.** a) *Non valent speculative.* Nullum enim ius habeo ad dicendum haec noumena exsistere ontologice et vere; quia applicantur categoriae intellectus et iudicii, cum obiecta non dentur per ullam intuitionem sensibilem; *ergo* non valent neque ut cognitio noumeni neque ut scientia bene constituta.

b) *Sed valent solummodo practice,* et hoc dupliciter: primo, quia implicantur mere logice in actione, quam debeo amplecti ex supradictis; unde ut sim logicus, si amplector imperativum categoricum, debeo amplecti et haec postulata; secundo quia non augetur mea cognitio circa haec postulata, quando ea amplector, sed solummodo debeo me gerere, quasi si essent vera.

c) *Unde debeo ea amplecti propter solam fidem kantianam,* quae sic definitur: fides est assensus in rem aliquam, non quia eam cognosco, sed quia est necessaria ad aliquem finem, i. e. ad actionem moralem.

e) *Obici potest*: videntur non posse esse obiectiva haec postulata, quia ad hoc requireretur ut obiectum exhiberetur intellectui per aliquam intuitionem sensibilem, quod hic non contingit. Respondet KANT: hic non requiri hanc condicionem. In *Critica rationis purae* requirebatur haec condicio, quia ibi intellectus debet conformari rei alienae, hic autem non requiritur quia intellectus practicus non debet conformari veritati alienae, sed debet facere actionem suam, quae a sola voluntate dependet, non ab obiecto quod exhibeatur.

237. Summam et fructus totius Criticae his punctis complectimur. 1. Per sensus externos non cognoscimus mundum externum, sed solum nostras apparentias mere subiectivas datas per formas spatii et per schemata transcendentalia, i. e. phaenomena, non noumena.

2. Per sensum internum non cognoscimus nostrum ego,

neque ipsos actus nostros prout sunt in se, sed meras apparentias subiectivas datas per formam temporis et per schemata transcendentalia imaginationis.

3. Per categorias intellectuales, i. e. per conceptus nullam rem ontologicam cognoscimus, quia sunt mere subiectivae; tamen per eas efficiuntur propositiones stricte scientificae, i. e. quae valeant universaliter et necessario pro omnibus, si obiectum exhibeatur per aliquam intuitionem sensitivam.

4. Per ratiocinium pervenimus ad tres Ideas rationis: Deum, to Ego et mundum. Sed illae non sunt reales, quia et sunt a priori, et quia demonstrantur per paralogismos, antinomias, et transitum ab ordine subiectivo ad obiectivum.

5. Tamen per *Criticam rationis practicae* dantur nobis tria noumena: Deus, immortalitas et libertas; sed mere practice et per fidem, nequaquam autem per speculationem et rationem.

238. Probatur thesis per partes. I P. IDEALISMUS TRANSCENDENTALIS EST FALSUS. 1. In tota solutione problematis critici iam ostensum est nos habere cognitionem obiectivam et absolutam realitatis, nempe nos cognoscere res prout sunt in se, i. e. noumena; *atqui* hoc negat Kant; *ergo* theoria kantiana est falsa.

2. Praeterea idealismus transcendentalis multa falsa et quidem in fundamentalibus asserit; *ergo* est falsus.

Prob. antec.: *a*) dicit spatium et tempus esse formas a priori, quia non possunt per experientiam et influxum obiecti explicari sensationes externae et internae; quod est falsum ut ostenditur in cosmologia; *b*) ait necessitatem et universalitatem non posse explicari per influxum obiectorum ex sola experientia; sed hoc affirmatur, quia nescit theoriam abstractionis, quam philosophia scholastica proponit in tractatu de universalibus, secundum quam dicimus totum, quod est in universali obiectivum, esse ex obiecto ipso; quod autem est praecisio et denominationes, quae proveniunt ex praecisione esse ex intellectu; sed per hoc nihil obiectivum addimus obiecto, sed mere non adaequate cognoscimus illud; *c*) dicit intellectum non habere ullam intuitionem, quod falsum est; intuetur enim suos actus et to ego; unde intellectus non est mere activus, sed etiam passivus respectu obiecti reprae-

sentati; *d*) admittit consequenter ut fundamentalia iudicia synthetica a priori, quae sensu kantiano nullo modo dantur; *e*) denique infidelissime exponit doctrinam scholasticam cum agit de paralogismis, de antinomiis et de argumentis pro Dei exsistentia.

239. II P. IDEALISMUS TRANSCENDENTALIS EST CONTRADICTORIUS.

1. Dicit nos non posse cognoscere ullum noumenon, seu rem in se, neque per sensibilitatem, neque per intellectum, neque per rationem; *atqui* hoc affirmat praecise quia per plures analyses facultatis suae pervenit ad cognoscendam eius naturam, quae est ut non possit noumena attingere; *ergo*.

2. Affirmat mentem non esse aptam ad veritatem obiectivam attingendam, sed illusione transcendentali teneri, quando existimat rem in se exsistere; *atqui* in hoc affirmando fidit menti, ideoque aptam ad verum putat, nec illusione transcendentali teneri; *ergo* sibi contradicit.

3. Affirmat praeterea exsistere sub apparentiis realitatem extrasubiectivam incogniti X, seu dari aliquod noumenon, ex principio causalitatis, quia debet dari causa nostrorum phaenomenorum; *atqui* exsistentia et causalitas sunt formae mere subiectivae et inanes et pariter principium causalitatis; *ergo* sibi iterum contradicit.

240. III P. IDEALISMUS TRANSCENDENTALIS INCIDIT IN IDEALISMUM UNIVERSALEM ET ABSOLUTUM.

Nam docet omnes nostras cognitiones esse meras apparentias subiectivas, unde ipsa apparentia noumeni est apparentia subiectiva; *atqui* hoc docet idealismus absolutus, nempe nos solum cognoscere meras apparentias subiectivas, etiam quando de rebus obiectivis agimus; *ergo* incidit in idealismum absolutum.

241. IV P. IDEALISMUS TRANSCENDENTALIS NON EMENDAT SUUM IDEALISMUM ABSOLUTUM ET AGNOSTICISMUM PER CRITICAM RATIONIS PRACTICAE.

1. Dicit enim tria postulata affirmari mere practice, ita ut non augeatur cognitio per iuvamen rationis practicae; *ergo* per rationem practicam non emendatur ignorantia idealistica rationis purae.

2. Affirmat ea noumena admittenda esse solummodo per

fidem; *atqui* explicat fidem ut sit assensus in rem aliquam, non quia eam cognoscimus aut scimus, sed quia necessaria est ad praxim; *ergo* revera nullam scientiam aut cognitionem acquisivit de his noumenis.

3. Docet ea noumena esse opus tam liberum sicuti ipsa admissio libera actionis moralis; *atqui* effectio et admissio libera nulla est cognitio; *ergo* similiter neque admissio talium postulatorum; sed est sola affirmatio libera et irrationalis.

Quare sensus postulatorum est ut nos geramus tamquam si darentur tria postulata, quamvis nos ea ignoraremus.

242. V P. IDEALISMUS TRANSCENDENTALIS EST ORIGO GRAVISSIMORUM ERRORUM NOSTRAE AETATIS.

1. KANT promovet efficaciter immo docet clare verum *positivismum et agnosticismum metaphysicum,* qui ad *nihilismum gnoseologicum* ducit, tum quoad rationem theoreticam, cum restringat omnia ad nudam experientiam et metaphysicam neget, tum quoad rationem practicam, quia fides qua statuuntur illa postulata nullo modo est certitudo rationalis fundata in motivis obiective validis.

2. Inde est etiam pater KANT illius tendentiae antiintellectualisticae *pragmatismi, vitalismi, voluntarismi,* quae ultimis temporibus adeo floruit; quae generatim tenet cognitionem, utpote meram affectionem, omni valore destitutam, solummodo vitae et humanae utilitati inservire debere. Unde veritas mensuraretur ex eius utilitate ac fertilitate.

3. KANT est etiam praecipuus auctor *subiectivismi moderni,* certe non integralis, etsi illogice, in suo systemate, quia mutata cognitionis natura, ipsius subiecti cogitantis leges ac indolem facit normam totius cogitationis. Sic autonomiam in cogitando introduxit, unde effrenata libertas, quam homines moderni contra omnia dogmata et impositiones rationis et fidei sibi vindicant, ut opiniones quae magis sibi arrideant plena libertate cogitandi sibimetipsis efforment.

4. KANT ducit in *pantheismum* cum sua doctrina de *subiecto transcendentali* seu *conscientia ut sic;* quam doctrinam, etsi KANT noluit determinate docere quid sit, eius tamen discipuli vel in sensu plane pantheistico interpretati sunt, ita ut cum intellectu simpliciter, sc. Deo, identificaretur; vel cum intellectu uniuscuiusque hominis, unde potius sequeretur plenus *relativismus psychologicus.*

5. Ipse KANT praeterea per postulata rationis practicae auctor haberi potest *fideismi perniciosissimi*, qui religionem et omnes altiores veritates ex campo rationis tollit, et ad affectum, vel voluntatem, vel sentimentum tractandas expellit.

6. Denique ultima sequela Kantismi habetur *modernismus*, qui est mera coniunctio agnosticismi, positivismi et fideismi ad religionem, maxime christianam, explicandam.

CAPUT IV

De ultimo et universali criterio veritatis et certitudinis

243. Nexus. Cognoscimus iam exsistere veritatem et certitudinem, et quidem tum positive ex nostra ostensione problematis critici, tum etiam negative ex refutatione adversariorum. Oportet nunc investigare in qua nota conveniant omnes illae veritates et certitudines particulares, quae nota sit *signum*, quod indicet nobis ibi certo adesse veritatem ubicumque illud signum reperiatur. Quod duplici articulo perficiemus: in primo criteria vel falsa, vel insufficientia exponemus et reiciemus, in altero vero unicum et legitimum criterium veritatis esse evidentiam formalem defendemus.

ARTICULUS I

DE FALSIS VERITATIS CRITERIIS

Thesis 14. Ultimum et universale criterium et motivum veritatis et certitudinis naturalis non est auctoritas sive humana sive divina, neque instinctus animi caecus, aut sentimentum veri, aut conscientiae testimonium, aut idea subiectiva clara et distincta.

T. PESCH FRICK, *Institutiones Logicae et ontologiae* [2] n.777s; J. URRÁBURU, *Institutiones Phil.* 1 p.533s; J. DONAT, *Critica* n.151s; J. DÁVILA, *Critica* n.64s; BALMES, *Filosofía fund.* l.1 c.32.33; MERCIER, *Critériologie générale* [8] (Louvain 1923) p.128s.

244. Notiones. CRITERIUM etymologice a verbo graeco κρίνειν iudicare, generatim sumitur pro illa re quae ad iudi-

cium spectat, philosophice autem est illud, quo homo regitur in veritatis assecutione, ut verum a falso secernat. Potest esse [1]:

Criterium a quo, ipse nempe homo iudicans, *criterium per quod,* ipse intellectus iudicium ponens, et denique

Criterium secundum quod, de quo hic proprie agimus, est propria veri ac certi nota, *regula veri ac falsi* [2], *atque insigne veri* [3] seu signum aliquod infallibiliter indicans iudicium aliquod esse obiective verum seu conforme cum realitate.

245. Motivum veritatis et certitudinis est ratio cognita, propter quam firmus assensus praestatur, et quae facit iudicium esse verum. Cum verum sit obiectum formale intellectus, quidquid habet rationem criterii veritatis, eo ipso habet etiam rationem motivi assensus alicuius; unde sufficit agere de criterio et eo ipso actum erit etiam de motivo.

Criterium ultimum est illud ultra quod non datur aliud in quo fundetur, et reliqua omnia criteria in ipso fundantur. Est idem ac *sufficiens,* quod definitur illud, quo posito, quin aliud requiratur, iam possumus veritatem enuntiabilis cognoscere.

Universale est illud quod extenditur ad omnem veritatem ordinis naturalis, ita ut nulla veritas ordinis naturalis possit carere hoc criterio et motivo; quare est idem ac *necessarium absolute,* si sine illo non possumus ullam veritatem cognoscere.

Veritatis et certitudinis; licet duo nomina adhibeamus, unum volumus significare, veritatem nempe logicam ut talem cognitam, quae est omnino idem ac certitudo.

Ordinis naturalis. Quaerimus criterium et motivum non veritatis et certitudinis supernaturalis, quae est divina auctoritas, ut patet.

246. Status quaestionis. Quaerimus criterium et motivum ultimum et universale certitudinis naturalis, et in hac prima thesi investigare intendimus cur aliqua criteria ut insufficientia, velut auctoritas, cur alia ut impossibilia et irrationalia reicienda sint. Hic iam realismus bene fundatus supponitur et ex illa suppositione proceditur ad criterium rectum

[1] Ita, ut videtur, Sextus Empir., 2 *Hypot.* 4.
[2] Cicero *Academ. quaest.* 1.4 n.11,33.
[3] Ibid. n.11,36.

statuendum; patet enim ab idealistis et adversariis iam refutatis alia omnino falsa criteria doceri.

247. Sententiae. *Prima* docet aliquod criterium externum ipsi veritati, auctoritatem nempe sive humanam, sive divinam. Omnes qui hanc tendentiam fovent, de intellectu humano maxime diffidunt; inter hos ponit criterium veritatis in auctoritate humana F. R. DE LAMENNAIS (1782-1854), qui existimans rationem individualem uniuscuiusque hominis prorsus nihil valere, affirmat scepticismum eo tantum vitari posse, quod pro principio certitudinis statuatur auctoritas generis humani; hanc vero auctoritatem fieri nobis manifestam consensu communi (*la raison générale*), qui concordia iudiciorum manifestatur. Haec vero auctoritas ultimatim fundatur in testimonio ipsius Dei sese humano generi revelantis [4].

Ponit vero hoc criterium in auctoritate divina F. HUET (1630-1721) discipulus CARTESII, qui saepius sententiam suam mutavit, tandem affirmavit propter insufficientiam rationis humanae confugiendum esse tamquam ad ultimum et necessarium criterium ad fidem, ad auctoritatem nempe divinam. Unde revelatio esset physice necessaria homini [5]. Hanc sententiam saeculo transacto *traditionalistae* secuti sunt, qui hoc nomine insigniuntur, eo quod compleant fideismum cum addant normam externam, quae in concreto nobis veritatem divinitus revelatam, qua talem, demonstret. Quae norma est *traditio*, narratio nempe doctrinae per continuatam seriem testium usque ad nos transmissa. Duplex distinguitur *traditionalismus*:

a) *Rigidus*, qui existimat nullam in genere humano rationalem cognitionem esse posse nisi ex loquela; nam ideae omnes, omnis veritatis cognitio, ipsa denique humana ratio ex verbo nascuntur. Addit praeterea illam loquelam initio a Deo communicatam esse, et huiusmodi revelationem traditam esse ad nos per sermonem. Ita LUD. DE BONALD [6] (1754-1840).

b) *Mitigatus*, qui necessitatem revelationis ad veritates principaliores ordinis moralis et religiosi restringit, et fere defendit aliquem dogmatismum exaggeratum. Ita LUD. BAU-

---

[4] Cf. *Essai sur l'indifférence en matière de religion* (1817-23) t.2 c.3.

[5] Cf. *Traité philosophique de la faiblaisse de l'esprit humaine par Mr. Huet* (1723) l.1 c.15; l.2 c.1,2.

[6] In libris: *Legislation primitive; Les recherches philosophiques sur les premiers objects des connaissances morales.* Cf. circa eius doctrinam E. MARÉCHAL, *La philosophie de Bonald:* Annales Phil. chretienne (1910).

TAIN[7] (1796-1867), I. VENTURA[8] (1792-1861), LUD. BONNETTY (1798-1879); apud recentiores huiusmodi sententiam fovet F. W. FOERSTER[9].

248. *Secunda sententia* ponit criterium internum, sed pure subiectivum. Inter auctores qui hanc viam ingrediuntur numerandi sunt:

1. THOMAS REID (1716-1796) et schola scotica contra scepticismum Humii reagens, statuit criterium veritatis esse instinctum quemdam a natura inditum sine perspicientia rationum; qui vocatur etiam a suis patronis sensus communis, facultas intuitionis et instinctus naturae, quasi vox ipsius naturae intellectualis, per quam philosophus caeca necessitate eruit omnia principia fundamentalia, quae nec probantur, nec probari possunt aut debent. Ad hanc sententiam accedunt[10] praeterea W. WUNDT (1832-1920) cum suo determinismo psychologico, et ex parte etiam G. HERMES (1775-1831) et inter antiquos stoici.

2. F. H. JACOBI[11] (1743-1819) cum schola sentimentali docet esse in homine sensum superiorem, affectum vel fidem affectuosam, qua ipse vera, bona supersensibilia et ipsum Deum percipit; quae omnia mediante illo sentimento seu sensu a nobis non cognoscuntur sed experiuntur, ut tali experientia non ratione legitimentur. Hoc vero criterio sentimentali insistendum esse, si volumus scepticismum et errores humanae rationis vitare. Quid vero simile docet A. GRATRY (1805-1872) qui distinxit in homine sensum externum, internum et divinum, qui sensus divinus unicus fons esset certitudinis.

3. Sunt qui videantur ponere criterium ultimum veritatis in testimonio conscientiae; secundum hanc sententiam certus sum, quia conscientia mihi testatur, me habere tale

---

[7] In suo libro *De l'enscignement de la philosophie en France au XIX siècle* (1833).

[8] *La tradition et les Semi-Pélagiens de la philosophie ou le Semi-Pelagiamisme dévoilé* (Paris 1950). Hi errores ab Ecclesia profligati sunt: D 1617.1622.

[9] In eius libello *Autorität und Freiheit*.

[10] Aliqui accusant J. BALMES eo quod huic sententiae aliquo modo adhaereat. Cf. URRÁBURU, *Institutiones Philosophicae* vol.1 *Logica* p.534, ubi in nota afferuntur praecipua loca ex Philosophia fundamentali, quae talem fideismum redoleant. Cf. tamen M. FLORÍ, *El sentido común, fuerza catalizadora de la filosofía de Balmes:* Pens extraordinario BALMES (1947) 39-72.

[11] Cf. R. PANIKER, *F. H. Jacobi y la filosofía. Un ejemplo de filosofía del sentimiento:* Sapientia 2 (1947) 322-43.

iudicium. Solet citari pro hac sententia P. GALLUPPI [12] (1770-1846); eam certo habent aliqui *kantiani*.

249. 4. CARTESIUS et schola cartesiana ponit criterium et normam veritatis in idea clara et distincta. Quoniam de hoc systemate iam aliquid declaravimus (vide th. 2. n.53-6) nunc breviter dicamus.

IDEA CLARA CARTESII est repraesentatio, qua obiectum aliquod intramentale apparet perspicue et cum distinctione ab omni alio, ita ut ipsum bene intelligatur, nulla alia re intellecta. Et hoc principium statuit: *Quod idea clara et distincta repraesentat, hoc est verum et distinctum ab omni alio* [13]. Quod duplici exemplo ab ipso illustratur:

Corpus est sola extensio, non aliquid quod sit substantia distincta ab extensione, composita ex materia et forma, aut radicans vires activas, aut potens sentire, si informatur aliqua substantia vitali. Nam ego possum repraesentare clarissime corpus concipiendo extensionem et non concipiendo aliquid distinctum ab extensione.

Similiter, *cogitans* est aliquid spirituale et distinctum a corpore; nomine autem cogitantis intelligit "sentiens, appetens, volens, ratiocinans, verbo, habens actum psychicum". Et similiter etiam probat: quia ego possum concipere clarissime "cogitans" non concipiendo extensionem aut corpus aut organa quibus fiant sensationes, intellectiones; ergo revera cogitans non habet quidpiam corporis, *ergo* est distinctum a corpore, ideoque est spirituale et carens omni organo ad faciendam quamlibet sensationem.

Distinguitur autem haec idea clara cartesiana a criterio evidentiae, quia in criterio evidentiae, ut videbimus, affirmamus aliquid esse verum quia ipsum obiectum se manifestat per se ipsum vel per connexionem necessariam cum re praesente per se ipsam. Sed iuxta ideam claram et distinctam dicimus aliquid esse verum et distinctum ab omni alio vel e contra, quia

---

[12] Cf. G. DE NAPOLI, *La filosofia di Pascuale Galluppi* (Padova 1947); ZIGLIARA autem ipsum ab hac accusatione defendit, *Summa phil.* 1, *Critica* 1.1 c.3 a.2 n.4; saepius tamen ipse GALLUPPI valde ambigue loquitur.

[13] Ipse CARTESIUS affirmat: *Ideo iam videor pro regula generali posse statuere illud omne verum esse, quod valde clare et distincte percipio* (*Medit.* 3, Adam et Tannery VII,35). Hoc vero criterium pendere ab ipso Deo clare affirmat: *Plane video omnis scientiae certitudinem et veritatem ab una vera Dei cognitione pendere, adeo ut priusquam illum nossem, nihil de ulla re scire potuerim* (*Medit.* 5,1. c71); et alibi: *Omnis clara et distincta perceptio procul dubio est aliquid, et proinde a nihilo esse non potest, sed necessario Deum habet auctorem, Deum inquam, illum summe perfectum, quem fallacem esse repugnat; ideoque procul dubio est verax* (*Medit.* 4.1 c.62).

possumus ita cogitare vel non possumus; quare *est criterium mere subiectivum.*

Tertia sententia est nostra omniumque scholasticorum, quae tenet haec omnia criteria vel falsa vel insufficientia; et solam evidentiam formalem, ut in thesi sequente videbimus, admittit, et quidem certissime ut unicum criterium ultimum et universale veritatis ac certitudinis.

250. Probatur thesis per partes. I P. ULTIMUM ET UNIVERSALE CRITERIUM ET MOTIVUM VERITATIS ET CERTITUDINIS NATURALIS NON EST AUCTORITAS SIVE DIVINA SIVE HUMANA.

1. (*Ex notione veri criterii universalis.*) Illud est ultimum et universale criterium et motivum veritatis et certitudinis, quod ut habeat vim signandi veritatem non indiget alio criterio, et valet insuper pro omni ordine veritatis; *atqui* auctoritas sive divina sive humana caret hac vi; *ergo* neque auctoritas divina, nec humana est universale et ultimum criterium et motivum veritatis.

Maior patet ex ipsa notione criterii ultimi.

Minor prob.: ut auctoritati rationabiliter assensus praestetur, debet constare de testis exsistentia, scientia, veracitate, et quid concrete dixerit; *atqui* haec omnia non possunt constare per solam auctoritatem; *ergo*. Et *minor ultima patet:* quia sinaliter procedendum esset in infinitum. Quod autem auctoritas non valeat pro omni ordine veritatis patet exemplis, v. c. non valet pro veritate factorum ipsius subiecti cogitantis, pro veritatibus metaphysicis, mathematicis, etc.

2. (*Indirecte, ex suppositione adversariorum.*) Fundamentum adversariorum est diffidentia in facultates nostras cognoscitivas; *atqui* facultates nostrae cognoscitivae habent suam vim informativam, brevem quidem, sed sufficientem; *ergo.*

251. II P. TALE CRITERIUM NON EST INSTINCTUS ANIMI CAECUS, NEC SENTIMENTUM VERI.

1. Illud nequit esse ultimum et universale veritatis criterium et certitudinis motivum, quod antequam ei fidam iam alias veritates certo cognitas supponit; *atqui* talis est sensus communis seu caecus instinctus naturae, et sentimentum seu affectus voluntatis; *ergo.*

Minor: nam certi esse debemus exsistere talem instinctum seu sentimentum, et me illis fidere cum securitate posse.

2. Quia talem instinctum et sentimentum cum errore coniunctos esse ex historia facile ostendi potest; *atqui* ultimum criterium nequit cum errore coniungi, secus sequeretur plenus scepticismus; *ergo*.

3. Haec doctrina nititur in supposito ineptitudinis mentis humanae ad cognitionem certam et veram habendam; *atqui* hoc idem affirmant sceptici; *ergo* haec doctrina de instinctu et sentimento est sceptica.

252. III P. TALE CRITERIUM NEQUIT ESSE CONSCIENTIAE TESTIMONIUM.

1. Si conscientiae testimonium esset ultimum criterium et universale veritatis et certitudinis nulla differentia esset inter verum et falsum, sed omnia essent vera; *atqui* hoc est absurdum; *ergo*.

Prob. maior.: tum enim iudicia vera tum etiam falsa manifestantur per conscientiam, item tum iudicia certa, tum probabilia et omnino incerta.

Minor etiam ab adversariis admittitur.

2. Quod non manifestat rationem conformitatis inter subiectum et praedicatum quoad omnes veritates, et inter cognitionem et rem non potest esse supremum veritatis criterium et motivum; *atqui* conscientia, etsi saepissime doceat me videre hanc claram conformitatem inter subiectum et praedicatum, tamen non mihi manifestat undenam et cur detur illa conformitas, quae aliunde perspicienda est; *ergo*.

Minor: in Dei v. c. exsistentia video Deum exsistere non quia habeo conscientiam de exsistentia Dei, sed ex principio causalitatis applicato alicui enti contingenti.

Animadverte tamen nos concedere testimonium conscientiae requiri ut condicionem ad omnem certitudinem; immo esse criterium et motivum aliquod particulare alicuius veritatis et certitudinis, circa exsistentiam nempe actuum nostrorum psychicorum. At non inde sequitur conscientiam esse ultimum et universale criterium omnis veritatis ac certitudinis.

253. IV P. TALE CRITERIUM NEQUIT ESSE IDEA SUBIECTIVA CLARA ET DISTINCTA.

1. (*Ex periculo idealismi.*) Nos non possumus per ideas nostras subiectivas repraesentare nisi obiectum intramentale; *atqui* ex obiecto intramentali non possumus transire ad obiec-

tum extramentale quod dicit idealismus; *ergo* per ideas claras subiectivas inducitur idealismus.

Maior: dicit enim CARTESIUS nos debere transire ex idea clara ad obiectum extramentale; *ergo* idea clara est mere subiectiva, seu non possidet obiectum reale, sed solummodo intramentale.

2. (*Ex periculo rationalismi.*) Iuxta hoc criterium non est verum nisi quod apparet in idea clara et distincta; *atqui* plurimae veritates fidei non apparent in idea clara et distincta; *ergo* plurimas veritates fidei non deberemus admittere ut veras.

Nec dicas hoc inconveniens inveniri etiam in criterio evidentiae. Nam iuxta hoc criterium, illud est verum, quod manifestatur per se vel per connexionem necessariam cum re praesente, sive de illo habeamus ideam claram, sive non; nec necesse est semper habere evidentiam rei, sed sufficit credibilitatis.

3. (*Ex periculo spiritualismi exaggerati.*) Res cogitans seu anima spiritualis adeo spiritualis confingitur, ut non habeat unionem substantialem cum corpore; *atqui* hoc dicit spiritualismus exaggeratus platonicus, destruens veram essentiam hominis; *ergo.*

Maior: quia ego possum clare et distincte cogitare cogitans non concipiendo ullam extensionem; *ergo* cogitans neque est extensum, neque habet ullam relationem cum extensione.

254. Obiectiones. 1. Illud est ultimum criterium et motivum universale, quod maxime infallibile est et consequenter summam certitudinem praebet; *atqui* talis est sola auctoritas divina; *ergo* sola auctoritas divina est ultimum veritatis criterium.

Dist. mai.: Est ultimum in ordine dignitatis, *conc.*; in ordine cognitionis, *subdist.*: si cognoscitur, *conc.*; si non cognoscitur, *nego. Conc. min.* et *dist. pariter cons.*

2. Illud est ultimum criterium, quod solum potest nos ab omni errore liberare; *atqui* talis est auctoritas divina et quidem sola; *ergo.*

Dist. mai.: quod potest nos ab omni errore omnis ordinis liberare, *conc.*; alicuius solum ordinis, *nego. Contradist. min.*: Auctoritas divina potest nos sola liberare ab errore alicuius ordinis, *conc.*; omnis, *nego.*

255. 3. In introductione Philosophiae statuitur fides revelationis tamquam norma philosophiae, seu omnis cognitionis scientificae; *atqui* norma est criterium; *ergo* fides est criterium omnis cognitionis saltem scientificae.

Dist. mai.: Ut norma negativa, *conc.*; ut positiva, *nego. Contradist. min.*

4. Omnis veritas alicuius criterii pendet tandem aliquando ab immutabili Dei veritate; *ergo* haec est ultimum veritatis criterium.

Dist. antec.: In ordine ontologico, *conc.*; in ordine logico, *nego. Pariter dist. cons.*

256. 5. Illud est criterium ultimum veritatis ad quod nos impellit ipsa natura; *atqui* natura, ut patet ex quotidiana experientia, nos impellit ad consulendos alios homines in nostris dubitationibus; *ergo* auctoritas humana est ultimum veritatis criterium.

Dist. mai.: In omni ordine veritatis, *conc.*; in aliquo solummodo, *nego. Contradist. min.*: natura nos impellit ad consulendos homines pro omni veritate, *nego;* pro aliqua, *conc.*

6. Multis dubitantibus de nostris affirmationibus vel dissentientibus, et ipsi dubitare incipimus; *atqui* hoc signum est manifestum esse pro nobis ultimum criterium et rationem quod ceteri homines tandem dicant; *ergo.*

Dist. mai.: In non evidentibus, *conc.*; in evidentibus, *nego. Contradist. min.*

257. 7. Ut quis certitudinem reflexam habeat debet scire se esse in statu normali; *atqui* id solum scire potest inde quia alios sibi consentientes videt; *ergo* consensus aliorum est principium et criterium omnis certitudinis.

Dist. mai: Hoc a priori scire debet, *nego;* scire debet a posteriori, sc. ex eo quod videt se habere aliquam veritatem indubitabilem, deducit vel infert clarissime, *ergo* possum habere, *conc. Contradist. min.* Haec difficultas est omnino similis difficultati cartesianae de genio maligno, vel de natura bene constituta, quare similis responsio est danda.

8. Quod necessario determinat intellectum ad assensum est ultimum criterium veritatis; *atqui* instinctus vel idea clara necessario determinat intellectum ad assensum; *ergo* in illis ultimum criterium ponendum est.

Dist. mai.: Quod necessario determinat intellectum necessitate proveniente ab ipsa realitate obiectiva menti manifestata, *conc.;* necessitate mere subiectiva, *nego. Contradist. min.*

ARTICULUS II

DE VERO CRITERIO VERITATIS AC CERTITUDINIS

Thesis 15. Ultimum et universale criterium veritatis et certitudinis naturalis motivum est evidentia formalis.

T. PESCH, *Instit. Phil.*[2] n.805s; URRÁBURU, *Logica* p.552s; G. PICARD: ArchPhil 1 p.46s; ROLAND-GOSSELIN, *Essai d'une étude critique de la connaissance* p.41s; BALMES, *Filosofía fundamental* l.1 c.24.

258. Notiones. EVIDENTIA, etymologice a verbo "videre" est idem ac clara rei sensibilis visibilitas, quae ita facultatem visivam percellit, ut non possit rem non videre. Ex analogia

vero hoc nomen ad cognitionem intellectualem translatum est. Auctores vero graeci ἐνάργεια ipsam vocant [1].

EVIDENTIA INTELLECTUALIS; solet ab auctoribus cum quadam ambiguitate hoc nomen usurpari, quia dicitur et de obiecto et de actu cognoscitivo; unde enascitur evidentia tum obiectiva tum subiectiva:

Obiectiva est ipsa realitas obiecti, in quantum est proportionata menti nostrae, et talibus motivis circumdatur, ut possit manifestari clare menti sive per se ipsam sive per connexionem necessariam cum aliquo, quod est menti obiective praesens per se ipsum.

Subiectiva, potius *mere subiectiva,* est ipsa cognitio clara obiecti, sed mere existimata, quia ob praecipitantiam accipitur ut obiecti manifestatio quod est similitudo obiecti, vel mera associatio imaginum, vel praeiudicium, vel desiderium.

EVIDENTIA VERO FORMALIS est cognitio clara obiecti, per quam obiectum manifestatur menti sive per se ipsum, sive per connexionem necessariam cum eo quod est praesens per se ipsum intra intellectum. Haec, ut patet, subiectivam et obiectivam amplectitur.

259. Divisio evidentiae formalis. Plures dantur divisiones evidentiae formalis, secundum diversos respectus.

a) *In evidentiam immediatam et mediatam* [2].

Immediata est praesentia rei intellectui per se ipsam, ita ut nihil mediet cuius cognitio ducat nos in cognitionem rei; et sic immediate evidens est cognitio actuum nostrorum psychicorum, entis contingentis, principiorum non contradictionis et causalitatis.

Mediata est praesentia rei intellectui non per se ipsam, sed per connexionem necessariam et claram obiecti cognoscendi cum obiecto praesente per se ipsum; v. c. Dei exsistentia est evidens mediate, quia non est praesens intellectui obiective per se ipsam, sed per connexionem necessariam et claram cum ente contingente, quod certe est praesens per se ipsum intellectui; quae connexio non est nisi principium causalitatis, quod immediate nobis apparet in aliquo actu nostro immediato. Hanc vero *evidentiam mediatam esse possibilem* inde patet, quia est

[1] Ita v. c. EPICURUS, DIOG. 10,52; cf. SEXTUM EMPIR., *Advers. Math.* 7,203. Unde CICERO ait: *Nihil clarius* ἐνάργεια, *ut graeci, perspicuitatem aut evidentiam nos si placet nominemus* (*Academ. quaest.* 1.4 n.6,17.)

[2] Cf. S. THOMAM, *De verit.* q.11 a.3 et q.14 a.1.

possibile et cognoscere illud, quod est medium connexum cum re cognoscenda, et quidem quatenus est medium, i. e. quatenus habens connexionem necessariam et claram cum illa, ut in exemplo allato de Dei exsistentia, ubi clarissime hae condiciones apparent.

b) *In evidentiam metaphysicam, physicam et moralem,* iuxta tres certitudines essentialiter diversas. Nam etiamsi in certitudine physica et morali non sit res praesens per se ipsam, tamen est per motivum, quod exigit rem ita esse.

c) *In evidentiam intrinsecam et extrinsecam,* prout motivum sit in ipsa re consideranda, vel extra ipsam, ut v. c. auctoritas testis.

d) *In evidentiam veritatis et credibilitatis,* prout illud quod menti plene manifestatur sit ipsa formalis veritas alicuius enuntiabilis, vel solum eius credibilitas; haec datur cum ipsa veritas rei in se non clare apparet, sed aliunde adsunt rationes, quae clare ostendant non esse irrationale et temerarium ita affirmare.

e) *In evidentiam necessitantem et non necessitantem.*

Necessitans est illa quae non impeditur exercere suas vires per difficultates oppositas sive speculativas sive practicas, tunc enim intellectus necessario assentitur veritati.

Non necessitans est illa quae impeditur exercere suas vires per difficultates oppositas sive speculativas sive practicas, sed vincibiles per influxum legitimum voluntatis, ut videre licebit suo loco. Alii praeterea considerant evidentiam consequentiae et consequentis [3].

260. Dicimus ORDINIS NATURALIS nam in certitudine naturali evidentia est criterium et motivum certitudinis, quia certitudo naturalis proportionatur non solum motivo, sed etiam claritati qua menti apparet. At in certitudine supernaturali fidei criterium et motivum certitudinis est sola *auctoritas divina infinitae dignitatis,* ideoque haec certitudo est *ultrametaphysica.* Verum neque in hac certitudine fidei deesse potest evidentia ut condicio praerequisita; nam ante assensum fidei demonstravi, vel potui demonstrare cum evidentia stricta, me rationabiliter posse et debere cum assensu firmissimo credere ob solam auctoritatem divinam; adest *ergo* evidentia credibilitatis.

[3] URRÁBURU, *Inst. Phil.* vol.1 p.516.

261. DE CRITERIO ET MOTIVO ET CETERIS ut in thesi anteriori. Animadverte tamen hoc: ut evidentia sit criterium et motivum veritatis debet esse realiter distincta a iudicio vero et certo, et ita revera est, in nostra opinione. Nam evidentia est quartus gressus in genesi iudicii, est enim perspicientia identitatis inter subiectum et praedicatum, quae perspicientia est realiter distincta a iudicio. Qui autem doceant iudicium non realiter distingui a perspicientia identitatis, debent docere evidentiam esse causam certitudinis et veritatis non obiectivam seu praecognitam, sed solum formalem; ipsa enim perspicientia erit forma iudicii. At nequaquam possunt dicere esse motivum, quia motivum semper distinctum est a re, ad quam movet.

262. Status quaestionis. Patet clare ex notionibus quis sit in thesi status quaestionis: quaerimus enim criterium ultimum et universale veritatis et certitudinis ordinis naturalis solummodo, et dicimus illud esse *evidentiam formalem.*

263. Sententiae. Ex thesibus anterioribus tria possumus distinguere agmina sententiarum.

Prima negat dari aliquod criterium sive universale sive particulare veritatis et certitudinis, vel saltem nos posse illud cognoscere. Ita *sceptici* omnis furfuris, de quibus iam satis dictum est.

Secunda ponit criterium universale et necessarium sive in aliquo externo, ut auctoritate, sive in aliquo interno mere subiectivo, velut in instinctu caeco naturae vel sentimento vel idea clara et distincta mere subiectiva, de quibus iam antea diximus.

Tertia denique ponit in evidentia formali prout in notionibus sufficienter explicatur et est communissima inter scholasticos [4], et omnino certa.

264. Probatur thesis. 1. *Evidentia formalis est criterium ultimum seu sufficiens.* Nam evidentia formalis erit criterium ultimum et sufficiens, si illa sit signum manifestans iudicium in ea fundatum esse verum; *atqui* evidentia est tale signum; *ergo* evidentia formalis est criterium ultimum et sufficiens veritatis.

Maior patet ex notione criterii ultimi seu sufficientis.

[4] Cf. S. THOMAM, *De verit.* q.14 a.9; *Contra gent.* c.154; ARISTOTELES, *Metaph.* 9 (1051b3).

Minor: nam evidentia formalis ex sua notione est praesentia rei obiectiva ante intellectum, sive per se ipsam, sive per connexionem necessariam eius cum re praesente; *ergo* iudicium, quod in illa fundetur, non affirmabit nisi realitatem praesentem intra intellectum per se ipsam vel per connexionem necessariam cum re praesente, ideoque necessario erit verum.

2. *Evidentia formalis est criterium universale seu necessarium.* Evidentia formalis erit criterium universale seu absolute necessarium, si absente evidentia formali, non possit constare utrum assensus sit verus; *atqui* ita accidit si absit evidentia formalis; *ergo* evidentia formalis est criterium ultimum seu absolute necessarium.

Maior constat ex notione rei necessariae, est enim illa sine qua alia res non potest esse, fieri aut cognosci.

Minor: nam si non est evidentia, non est praesens res in intellectu per se ipsam, neque per connexionem necessariam cum re praesente, et consequenter nequit constare utrum res sit sicut affirmatur per iudicium, ideoque hoc poterit non esse verum neque certum.

265. Scholion. Dicimus evidentiam, quae est criterium veritatis et motivum certitudinis, esse *evidentiam formalem;* evidentia enim obiectiva sola non potest esse criterium; quia haec potest esse non cognita, et res nondum cognita non est actualiter motivum aut criterium veritatis et certitudinis. Neque est evidentia mere subiectiva; haec enim est falsa evidentia, et solum ob praecipitantiam existimatur ut vera evidentia. Restat igitur ut sit evidentia formalis, quae complectitur et evidentiam obiectivam et subiectivam.

Nec dicas: Criterium sit evidentia obiectiva, seu necessitas enuntiabilis, seu realitas ontologica; et cognitio eius seu clara manifestatio sit solum condicio ut possit esse motivum et criterium. Nam certitudo proportionatur non solum rei cognitae, sed etiam cognitioni seu manifestationi eius; sic, si perspicientia est probabilis, certa moraliter, certa metaphysice, assensus erit probabilis, certus moraliter, certus metaphysice.

266. Obiectiones. 1. Si homines haberent tale principium non essent tot errores; *ergo* non habent evidentiam formalem ut criterium veritatis.

Dist. antec.: Si homo non determinaretur ad affirmandum quidpiam nisi ex evidentia aut solum cum adest evidentia, *conc.*; si determinatur pluribus aliis causis, ut videre licet in thesi de errore, *nego.*

2. Sed multi homines cum errant, iactant evidentiam; *ergo* signum est evidentiam non esse criterium veritatis.

Dist. antec.: Iactant evidentiam, quam non habent, seu existimatam, *conc.*; veram evidentiam, *nego.*

267. 3. Ex tua concessione datur vera ac falsa evidentia; *atqui* si ita est egemus alio criterio, quo falsam a vera distinguere possimus; *ergo* evidentia nequit esse ultimum criterium veritatis.

Dist. min.: Si vera a falsa non distinguatur per ipsam evidentiam veram, veluti ut distinguamus solem ab aliis obiectis non egemus alio sole, *nego;* secus *conc. Pariter dist. cons.*

4. Sed saltem ut reflexe et scientifice sciamus evidentiam esse ultimum criterium egemus alio criterio ab ipsa evidentia realiter distincto; *atqui* tunc evidentia nequit esse ultimum criterium; *ergo.*

Dist. mai.: Si ut scientifice sciamus evidentiam esse criterium opus esset propria demonstratione, et proinde alio criterio, *conc.*; si solum ostensione, *nego. Contradist. min.*

268. 5. Ut certi simus de his quae docet evidentia, iam certi esse debemus de principio non contradictionis ut primo; *atqui* principium primum cognoscendum est id ad quod omnis certitudo reduci debet; *ergo* omnis certitudo reduci debet ad principium non contradictionis, non ad evidentiam.

Dist. mai.: Debemus esse certi a priori de principio non contradictionis independenter ab evidentia, *nego;* in ipso exercitio cognitionis certae implicite cognosco ipsum principium non contradictionis, *conc. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*

6. Criterium in thesi propositum reduci potest ad hoc principium: "quidquid evidens est, verum est." Sed legitimitas huius principii admittitur vel propter ipsam evidentiam, vel propter aliud criterium. Si primum datur petitio principii, si secundum evidentia non est ultimum et necessarium criterium.

Nego antec., criterium in thesi propositum non fuit illud iudicium abstractum, sed ipsa realitas menti sese clare manifestans.

269. 7. Illud est criterium necessarium et sufficiens quod est ultima ratio omnis veritatis et certitudinis; *atqui* Deus est ultima ratio veritatis et certitudinis; *ergo.*

Dist. mai.: Quod est ultima ratio ontologica omnis veritatis et certitudinis, *nego;* quod est ultima ratio logica movens intellectum obiective ad assensum iudicii, *conc. Contradist. min.*: Deus est ultima ratio ontologica omnis veritatis et certitudinis, *conc.*; est ultima ratio logica movens intellectum ad assensum iudicii, *subdist.*; in veritatibus supernaturalibus, *conc.*; in naturalibus, *nego.*

LIBER II

De intimiori essentia veritatis ac certitudinis

270. De ratione huius tractationis. In praecedentibus tractationibus primi libri, nempe de exsistentia veritatis in solutione problematis critici, habuimus iam in concreto et quasi per immediatum contactum aliquas veritates et certitudines; unde aliquo modo iam scimus per illam experientiam, quid certitudo, quid veritas logica sit. Nunc vero has notiones per analysim, reflexionem et demonstrationem ulterius evolvere volumus, ita ut possimus et proprietates et definitionem essentialem et divisiones, si dentur, veritatis et certitudinis clare proponere. Aggredimur proinde ipsam essentiam veritatis et certitudinis.

CAPUT I

De veritate ac falsitate

ARTICULUS I

De definitione veritatis logicae et de actu in quo inest

§ 1. De definitione veritatis logicae

Thesis 16. Veritas logica recte definitur: conformitas seu adaequatio intentionalis intellectus cum re.

S. Th., 1 q.16; *De veritate* q.1 a.3.5.8; *In VI Metaph.* lec.4 (ed. Cathala) n.1936; Suárez, DM 8 s.1 n.1.3.7; s.3 n.1.4.5.7-9.12.13,18; s.4 n.1.4.5-8; s.6 n.1-3; s.7 n.24.25.34; s.8; L. Lossada, *Cursus Phil.* t.3 n.1-2; Urráburu, *Inst. phil.* vol.1 p.402s; Frick, *Logica* n.164s; P. Gény, *Critica* n.15-24; Dávila, *Critica* n.225s; W. Brugger, S. I., *Philosophische Wörterbuch* (Friburgo 1947) art. *Wahrheit;* J. de Tonquédec, *La notion de verité* (Paris 1908); C. Boyer, *L'idée de verité dans la Philosophie de S. Augustin* (Paris 1921).

271. Notiones. VERITAS[1] nomen est abstractum, quo forma aliqua sine subiecto significatur. Quid ipsa sit melius intelligetur si examinamus concreta vera, quae iam in prima parte invenimus, et alia quae ita vulgari sensu habentur, quibus veritas tribuitur.

Tripliciter igitur aliquid dicitur *verum*:

1) *Res* v. c. amicus verus, aurum verum, cui falsum seu falsificatum opponitur.

2) *Sermo* seu loquela vera, cui mendacium opponitur.

3) *Cognitio* vera cui proprie falsum opponitur.

Si vero examinemus in quo conveniant res tam dispares, ut verae dicantur, inveniemus esse aliquam adaequationem seu conformitatem. Aurum verum dicitur quia conformatur cum idea, quam habemus de auro vero; sermo verus, quia conformatur cum idea subiectiva loquentis; cognitio vera, quia conformatur cum ipsa realitate. Unde *veritas in genere consistit in aliqua conformitate inter duo extrema.*

VERITAS SENSU LATO est conformitas inter duo extrema, quorum nullum est intellectus, v. c. pictura vera, sensatio vera.

VERITAS SENSU STRICTO est conformitas inter duo extrema, quorum unum est intellectus. Quod notissima illa formula: AREI = *Adaequatio rei et intellectus,* exhibetur, quae est veritatis definitio[2].

272. Divisio veritatis. Spectata eiusmodi adaequatione rei et intellectus triplex veritas distingui solet:

a) *Ontologica,* seu *realis,* quae consistit in conformitate rerum cum intellectu, saltem divino.

b) *Logica,* seu *formalis,* quae consistit in conformitate intellectus cum re.

c) *Moralis,* seu *sermonis,* quae consistit in conformitate sermonis seu locutionis cum subiectiva cognitione loquentis.

Nos hic agimus, ut patet, de *veritate logica,* quae proprissime veritas dicitur. Aliae vero veritates, cum conceptus veritatis secundum communem sententiam sit analogus[3], et analo-

---

[1] Graeci auctores voce ἀλήθεια utuntur, quae revelatum quid, non occultum significat. Cf. ARIST., 3 *De anima* 8 (432a8); 4 *Metaph.* 6 (1011b26s); SEXT. EMPIR., *Adversus Math.* 8,38 etc.

[2] Cf. S. TH., 1 q.16 a.2; *De verit.* q.1 a.2

[3] Ita generatim sentiunt auctores, ut videre licet apud URRÁBURU, *Inst. Phil.* vol. 1 *Logica* p.404; S. TH., *De verit.* q.1 a.2 et 4; *Periherm.* l.1 lect.7; GREG. DE VALENTIA, *In I partem* disp.1 q.16 punct.1; D. RUIZ DE MONTOYA, *De scientia Dei* disp.85.

ga non conveniant in conceptu perfecte uno, debent singillatim declarari; quamobrem triplex haec veritas specialem postulat tractationem. Veritas igitur metaphysica propriam habet sedem in Ontologia, moralis in Ethica, in Critica veritas logica.

273. CONFORMITAS SEU ADAEQUATIO... "est debita quaedam proportio et habitudo inter perceptionem intellectivam et rem perceptam. Quae proportio recte explicatur... quod res cognita ita repraesentatur seu iudicatur sicut in se est, quibus non comparatur res ipsa cognita ad seipsam in se ut ait Durandus, sed comparatur cognitio ipsa, seu iudicium intellectus ad rem cognitam, in ratione repraesentantis et repraesentati..." [4]

Dicitur INTENTIONALIS [5], nam per illam conformitatem, cognitio se debet habere in repraesentando sicut res in essendo; nullatenus est conformitas ontologica.

Res cognita in veritate logica est terminus conformitatis et dicitur *obiectum,* quia obicitur ipsi intellectui. Hoc duplex esse potest:

Materiale, quod est ipsa res considerata secundum omnes suas notas et proprietates, seu secundum totam suam comprehensionem.

Formale, quod est res considerata secundum unam aut plures notas et proprietates, quibus intellectui se manifestat.

In veritate logica conformitas datur cum obiecto formali; quare, licet non omnia quae sunt in re cognoscantur, tamen dummodo aliqua prout sunt in re repraesententur, datur veritas logica perfecta vel minus perfecta. Unde *adaequatio est qualitativa, non quantitativa,* et consequenter non necessario *totalis,* sed *partialis* esse potest [6].

INTELLECTUS SEU FACULTATIS COGNOSCITIVAE iam actu cognoscentis; inde sequitur etiam illam conformitatem debere esse intentionalem.

274. DEFINITIO [7] est clara notitia rei; per definitionem separamus, definimus, rem aliquam ab omni alia re. Potest esse:

1. *Essentialis,* si detur per notas essentiales.

2. *Descriptiva,* si detur per notas proprias vel accidentales.

---

[4] SUÁREZ DM 8 s.2 n.6.

[5] *Intentionalis* theoriam veritatis moderni sub influxu scholasticae resumunt; cf. v. c. F. BRENTANO, *Vom Urspr. sittl. Erk.* p.17.77.

[6] Errant proinde illi qui, ut modernistae, recentioribus temporibus asserunt omnem cognitionem inadaequatam ipso facto falsam esse.

[7] Cf. *Tractatum II,* Logica n.60-2.

QUALITATES bonae definitiones sunt: claritas, brevitas, reciprocitas, non mera negatio.

275. Status quaestionis. Quaeritur in hac thesi bona definitio aliqua veritatis logicae, qua nempe hanc cognoscamus et ab omni alia re distinguere valeamus. Patet nos hic iam supponere rectam solutionem problematis critici ex prima parte, et consequenter exsistere veritatem, et aliqualem notionem quasi experimentalem ipsius veritatis habere.

276. Sententiae [8]. *Prima* non admittit nostram definitionem, sed pro diversitate terminorum inter quos dari dicunt conformitatem, diversas ponunt definitiones auctores huius primae sententiae, de quibus late iam dictum est in prima parte. Ita:

1. *Subiectivistae,* qui cum KANTIO dicunt veritatem consistere in conformitate cognitionis cum se ipsa, vel in conformitate cogitationum omnium cum legibus cogitandi, et ideo inter se. Cum his coincidunt *relativistae* omnis generis, qui dicunt veritatem consistere in conformitate cognitionis cum subiectiva evolutione cognoscentis, vel etiam qui affirmant consistere in necessitate ita cogitandi vel quid simile.

2. *Empiristae,* qui dicunt verum esse, quod verificatur vel verificari potest in experientia.

3. *Pragmatistae,* qui veritatem dicunt esse idem ac utilitatem vel fertilitatem cognitionis ad vitam practicam fovendam [9].

4. *Cultores theoriae valoris,* ut H. RICKERT (1863-1936) W. WINDELBAND (1848-1915) et alii multi, qui veritatem in valore ponunt; qui terminus valde ambiguus ab ipsis diversimode explicatur [10].

Secunda est nostra et certa quae in thesi proponitur.

277. Probatur thesis. 1. (*Positive, ex proprietatibus bonae definitionis.*) Qualitates bonae definitionis sunt: claritas, brevitas, reciprocitas, non mera negatio; *atqui* hae omnes

---

[8] Circa diversas theorias veritatis cf. M. SCHLIK, *Wessen d. W.*, Vierteljahrs. chr. f. wiss. Phil.34 (1910).

[9] Cum quibus aliqui catholici quodam sensu convenire videntur. Inter quos eminet M. BLONDEL, cuius notio veritatis *adaequatio realis mentis et vitae,* pragmatismum relativisticum redolens, acriter a R. GARRIGOU-LAGRANGE impugnatur: Ang 25 (1948) 186-198. Circa blondelianam doctrinam cf. J. DE TONQUÉDEC, *Immanence. Essai critique sur le doctrine de M. Blondel* [3] (Paris 1932).

[10] Cf. R. EISLER, *Wörtebuch* d. ph. B. 3 p.514, *Wert.*

qualitates dantur in definitione proposita; *ergo* illa definitio veritatis est bona.

Maior patet ex dialectica.

Minor probatur per partes:

a) *Est clara;* nempe constat conceptu claro, i. e. tot ac talibus notis insignito, ut facile distinguatur res definita a qualibet alia re. Data vero definitio tali conceptu gaudet, quia separat rem, quam volumus definire, ab omni alia re etiam ab his cum quibus facilius confundi posset, a veritate nempe ontologica et morali, a quibus separatur tum subiecto tum termino conformitatis.

b) *Est brevis,* nam constat vocibus sufficientibus, non vero inanibus vel supervacaneis.

c) *Est reciproca,* nam convenit toti et soli definito.

d) *Non est mere negativa,* ut ex terminis ipsis patet.

278. 2. (*Exclusione aliarum definitionum.*) Definitiones ab adversariis allatae, quae sunt moraliter omnes, sunt malae definitiones; *ergo* sola nostra est bona.

Antec.: nam his omnibus definitionibus, ex falsa utique solutione problematis critici quam eius auctores statuunt, aliqua essentialis proprietas deest; ut singillatim videre licet.

A. *Subiectivistae: a)* "Conformitas cognitionis secum ipsa." Haec definitio non est reciproca, quia aeque adest haec conformitas in cognitione falsa atque in vera.

b) "Conformitas cognitionum inter se." Neque est reciproca, possunt enim cognitiones erroneae optime inter se convenire, nec tamen ideo sunt verae; et e contra, etsi aliqua cum aliis non conveniat potest convenire cum realitate, ideoque esse vera.

c) "Conformitas cum legibus cogitandi." Est definitio rectitudinis, non veritatis cognitionis. Posset aliqua cogitatio procedere recte et tamen esse falsa, si falso supposito nitatur. Certe rectitudo totalis requiritur ut condicio ad veritatem cognitionis, sed neque ideo est essentia veritatis.

d) "Necessitas ita cogitandi." Neque est reciproca; nam etsi nullus error sit stricte necessarius, tamen non omnis veritas apparet menti ut necessaria, vel in se vel in affirmatione.

B. *Empiristae.* Restringunt ambitum veritatis vel ad ob-

iecta sensuum (sensismus), vel ad sola facta experientiae (positivismus).

C. *Pragmatistae.* Ponunt veritatem in aliqua nota, quae neque convenit omni veritati, saltem sensu quo ipsi de veritate loquuntur, siquidem saepissime error utilis esse potest.

D. *Cultores theoriae valoris.* Non dant definitionem claram, ipse enim terminus *valor* magis obscurus est, ut ex modo loquendi adversariorum patet, quam ipsa veritas definienda.

279. Obiectiones[11]. 1. Quod in se est impossibile non est admittendum; *atqui* conformitas intentionalis inter intellectum et rem est impossibilis; *ergo* non est admittenda.

Conc. mai et *nego min.*

2. *Probo min.*: Ut conformitas intentionalis esset possibilis deberet refferre omnia quae sunt in re; *atqui* hoc saltem humano intellectui impossibile est; *ergo* talis conformitas est impossibilis.

Dist. mai.: Si necessaria esset conformitas totalis, *conc.*; si sufficit partialis, *nego. Contradist. min.*: intellectui humano est impossibilis conformitas totalis, *conc.*; partialis, *nego.*

3. *Atqui* repugnat conformitas partialis intentionalis; *ergo* stat difficultas.

Prob. min. subs.: Conformitas est idem ac adaequatio; *atqui* adequatio nequit esse partialis; *ergo* neque conformitas potest esse partialis.

Conc. mai., et *nego min.*

4. *Probo mai.*: Adaequatio partialis esset adaequatio inadaequata; *atqui* talis adaequatio repugnat in terminis; *ergo* repugnat adaequatio partialis.

Dist. mai.: Esset adaequatio inadaequata quantitative, *nego;* qualitative, *conc. Contradist. min.*: repugnat adaequatio inadaequata quantitative, *conc.*; qualitative *nego.*

5. *Atqui* repugnat adaequatio inadaequata etiam qualitative; *ergo* stat difficultas.

Probo min. subs.: Omnis adaequatio aut est, aut non est, i.e. stat in indivisibili; *ergo* aut est adaequatio, aut nulla.

Dist. antec.: Omnis adaequatio quantitativa, *conc.*; qualitativa, *nego. Pariter dist. cons.*

280. 6. *Atqui* neque adaequatio qualitativa inter rem et intellectum dari potest; *ergo* stat difficultas.

Probo min. subs.: Inter mentale et non mentale nulla potest esse conformitas seu adaequatio; *atqui* cognitio essentialiter est quid mentale, et obiectum quid extramentale; *ergo* inter cognitionem et obiectum nulla esse potest conformitas.

Dist. mai.: Nulla esse potest conformitas entitativa, seu in esse

[11] Obiectiones in hac thesi proponuntur forma stricte scholastica, ut discipulis tamquam exemplum arguendi proponi possint.

physico, *conc.*; nulla conformitas intentionalis, *nego. Conc. min.* et *pariter dist. cons*

7. *Atqui* neque conformitas intentionalis adesse potest inter obiectum et cognitionem; *ergo* stat difficultas.

Probo min. subs.: Cognitio obiecti immaterialis, quae hauritur ex materialibus non potest esse obiecto conformis; *ergo* conformitas intentionalis saltem in his veritatibus non datur, ideoque definitio non est reciproca.

Dist. antec.: Non potest habere illam perfectam conformitatem, quae habetur in obiecto proprio, *conc.*; non potest habere aliqualem imperfectam conformitatem quae pertinet ad conceptum analogum, *nego.*

281. 8. *Transeo ad aliam difficultatem.* Cognitio quae exprimitur per negationem non potest esse obiecto conformis; *atqui* plures dantur cognitiones, quae per negationem exprimuntur; *ergo* plures cognitiones nequeunt esse obiecto conformes.

Dist. mai.: Non potest esse obiecto positivo conformis, *conc.*; negativo, *nego.* Cum dico Petrus non est doctus, obiectum cognitionis stricte sumptum, quod exprimit haec propositio, non est Petrus vel doctrina, sed absentia doctrinae in Petro, quod obiectum negativum concipitur ad modum positivi, et licet non possit esse causa efficiens cognitionis, potest esse et revera est eius causa exemplaris [12].

§ 2. De actu cui veritas logica inest

Thesis 17. Veritas logica competit simplici apprehensioni inchoative, iudicio vero perfecte, per modum obiecti cogniti.

ARISTOTELES, 4 *Metaph.* 6 (1011b26s); S. TH., 1 q.16 a.2; *De veritate* q.1 a.3; SUÁREZ, DM 8 s.1 n.6; s.3 n.18; URRÁBURU, *Logica* p.421s; PESCH-FRICK, *Logica* n.822s; DÁVILA, *Critica* n.231s.

282. Nexus. Postquam iam scimus qualis sit bona definitio veritatis et quid proinde veritas, investigamus nunc in quibus actibus intellectus illa inhaereat, utrum in solo iudicio an etiam in simplici apprehensione, licet inchoative et imperfecte; quod idem est ac quaerere utrum veritas formalis essentialiter duplex sit alia perfecta alia vero imperfecta.

283. Notiones. APPREHENSIO est illa mentis operatio, qua acquiritur notitia alicuius rei sine ulla circa rem ipsam affirmatione et negatione; in ea facultas intellectiva se habet magis passive.

SIMPLEX APPREHENSIO solet dici illa in qua nullum est iudicium, seu affirmatio et negatio, sed solummodo simplex et

[12] Cf. S. TH., *De verit.* q.1 a.8; P. GENY, *Critica* p.17-19.

nuda repraesentatio. Nos vero *hic intelligimus* pro apprehensione simplici *primam illam cognitionem* seu visionem intellectualem, sive intuitivam sive abstractivam, quae datur sine ulteriori reflexione aut comparatione. Debet proinde bene distingui ab aliis ideis sive reflexis sive comparativis; est enim primus gressus in genesi iudicii. Patet autem argumenta non valere nisi pro hac prima idea simplici directa.

Iudicium est actus quo intellectus duos conceptus obiective sumptos aut affirmando componit aut negando dividit; in ipso facultas intellectiva se habet magis active. Praescindimus nunc a quaestione postea agitanda, de formali essentia iudicii, et nunc quando loquimur de perfecta veritate in iudicio intelligimus iudicium prout unum naturale cum comparatione et visione identitatis efformat.

284. Veritas logica, de qua in thesi superiori, potest esse in intellectu dupliciter:

1. *Inhaesive,* si cognitio est conformis cum suo obiecto, sed haec conformitas non cognoscitur. Tunc adest *veritas logica imperfecta* seu *inchoative.*

2. *Obiective,* si intellectus non solum est conformis cum re, sed etiam hanc conformitatem cognoscit. Tunc adest *veritas perfecta* seu *per modum obiecti cogniti.* Quae duplici modo haberi potest:

a) *in actu signato,* si directe et explicite fertur intentio cognoscentis in veritatem logicam, v. c. quasi dicendo "cognosco veritatem meae cognitionis";

b) *in actu exercito,* cum intentio cognoscentis directe et explicite fertur in aliud obiectum, ita ut implicite cognoscat conformitatem actus sui cum re, seu veritatem ipsam logicam, v. c. si dico "Deus est iustus" simul implicite dico "cognosco meam cognitionem esse conformem rei prout est in se". Hoc alterum sufficit ad veritatem perfecte habendam.

285. Status quaestionis. Thesis habet duas partes. In prima quaeritur utrum veritas logica competat simplici apprehensioni, nam aliquam veritatem, saltem ontologicam, competere omnes admittunt, quamvis aliqui dubie loquantur. In secunda vero quaeritur utrum soli iudicio perfecta veritas conveniat. Notandum vero est nos solum agere de mente humana; ex theodicea enim constat Deum non intelligere iudicando, ideoque in simplici apprehensione divina veritatem esse perfec-

tissimo modo. Supponimus praeterea ex prima parte criticae veritatem logicam saltem in iudiciis dari, licet non in omnibus; sunt enim iudicia falsa.

286. Sententiae. Quoad hanc secundam partem nulla datur difficultas inter auctores scholasticos, qui omnes exsistentiam veritatis logicae admittunt. Quoad primam vero duplex est sententia:

Prima denegat omnino veritatem logicam simplici apprehensioni, ita inter antiquos DURANDUS[13], VÁZQUEZ[14], inter recentiores MERCIER, DOMET DE VORGES, SENTROUL, GREDT, GENY, etc.

Secunda, quae est nostra, et probabilior videtur, asserit simplici apprehensioni competere aliqualem imperfectam et inchoativam veritatem et quidem non solum transcendentalem seu metaphysicam, sed etiam logicam; ita inter antiquos Capreolus[15] et FERRARIENSIS[16], MOLINA, VALENCIA, TOLEDO, CONIMBRICENSES, ARRIAGA[17], etc.; inter recentiores WILLEMS, LEHMEN, FRICK, URRÁBURU, DÁVILA, etc.

De mente vero S. THOMAE ac SUAREZII disputatur apud diversos auctores, unusquisque enim pro sua domo decertat. Verba utique utriusque non sunt clara, ut in scholio apparebit.

287. Probatur thesis. I P. VERITAS INEST SIMPLICI APPREHENSIONI INCHOATIVE. 1. (*Ex notione veritatis.*) Veritas logica stat in conformitate cognitionis cum suo obiecto; *atqui* in simplici apprehensione datur haec conformitas; *ergo* in ipsa datur veritas logica.

Maior ex definitione veritatis logicae in thesi praecedenti.

Minor ex notione simplicis apprehensionis, est enim apprehensio cognitio, qua intellectus gignit in se similitudinem alicuius rei, seu similitudo alicuius obiecti expressa in mente percipiente, ut omnes scholastici tenent. Si igitur adest similitudo adest conformitas et quidem intentionalis seu cognitionis, quia idea est vera cognitio, ideoque adsunt omnia elementa veritatis logicae formalis.

2. (*Ex veritate sensationis.*) Admittunt auctores in sensatione adesse aliqualem veritatem cognitionis, sed imperfec-

---

13 Vide apud SUÁREZ DM 8 s.3.
14 *In I partem* disp.75 c.2.
15 Vide SUÁREZ, l.c.
16 *In lib. I Contra Gentes* c.59.
17 Horum auctorum loca videre licet apud URRÁBURU, *Inst. Phil.* vol.1 p.419.

tam; *atqui* si in sensatione a fortiori in apprehensione simplici; *ergo* adest etiam veritas logica in apprehensione simplici.

Maior: ita v. c. S. Thomas dicit: "Sensus autem, qui inter ceteros est propinquior intellectui substantiae, redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire; non tamen completur eius reditio; quia sensus non cognoscit essentiam suam" [18]. Igitur in sensatione adest veritas logica inchoative et imperfecte.

Minor: nam apprehensio habet quod et sensatio et aliquid amplius, cum sit actus intellectualis, et proinde perfectior.

288. II P. VERITAS EST PERFECTE IN SOLO IUDICIO PER MODUM OBIECTI COGNITI.

1. Veritas dicitur perfecta per modum obiecti cogniti cum inest intellectui obiective, imperfecta seu inchoativa cum inest inhaesive; *atqui* simplici apprehensioni inest inhaesive, solo autem iudicio obiective; *ergo* in solo iudicio invenitur veritas logica perfecte.

Maior ex notionibus, et hoc solo sensu defendimus thesim.

Minor: nam in iudicio, si affirmatur rationabiliter, debet fieri comparatio inter subiectum et praedicatum et solum post visionem identitatis vel discrepantiae affirmatur vel negatur, quod est idem ac scire se possidere veritatem.

2. Ibi ratio veritatis logicae plene et perfecte verificatur, ubi plene et perfecte verificatur ratio cognitionis; *atqui* in solo iudicio verificatur ratio cognitionis plene et perfecte; *ergo* in solo iudicio verificatur plene et perfecte ratio veritatis logicae.

Maior: nam veritas logica est conformitas cognitionis; *ergo* ubi hoc elementum essentiale sit perfectius perfectior erit et veritas.

Minor: perfecta cognitio postulat, ut non solum quidditas rei, sed etiam eius in rebus verificatio cognoscatur, quia perfecta cognitio est illa per quam menti notificatur id quod in obiecto reperitur; *atqui* hoc postremum tantum per iudicium obtinetur; *ergo* tantum per iudicium obtinetur perfecta cognitio.

[18] *De verit.* q.1 a.9.

289. Scholion. *De mente S. Thomae et Suárez.* S. THOMAS non omnino clare in hac re loquitur. Quare aliqui, ut v. c. GENY [19], pro sententia non tribuenti veritatem logicam simplici apprehensioni afferunt testimonia Doctoris Angelici; alii vero, ut URRÁBURU [20], DÁVILA [21] pro contraria afferunt.

Dicit S. THOMAS: "Veritas igitur potest esse in sensu, vel in intellectu cognoscente *quod quid* est ut in quadam re vera; non autem ut cognitum in cognoscente: quod importat nomen veri. Perfectio autem intellectus est verum ut cognitum. Et ideo, proprie loquendo, veritas est in intellectu componente et dividente, non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente *quod quid est.*" Antea vero dixerat: "Cum autem omnis res sit vera secundum quod habet propriam formam naturae suae, necesse est quod intellectus, inquantum est cognoscens, sit verus, inquantum habet similitudinem rei cognitae, quae est forma eius inquantum est cognoscens. Et propter hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur. Unde conformitatem istam cognoscere, est cognoscere veritatem" [22]. Quomodo haec verba in sensu omnino diverso interpretari possint videre licet apud citatos auctores.

Ex eadem quaestione, art. V citantur verba alia S. Doctoris: "veritas invenitur in intellectu, secundum quod rem apprehendit, ut est". Et "verum intellectus nostri est, secundum quod conformatur principio, scilicet rebus, a quibus cognitionem accipit".

De SUÁREZ affirmat URRÁBURU [23] solum tribuisse veritatem metaphysicam simplici apprehensioni; contrarium vero videtur tenere DÁVILA [24]. En textum SUÁREZ: "Respondetur, veritatem cognitionis proprie esse in iudicio, et quemlibet actum intellectus tantumdem huius veritatis participare, quantum de iudicio participat." Et postea: "Notitia autem simplex, quae simplex apprehensio dici solet, in tantum est capax alicuius veritatis in quantum cognitio est, et aliquam rationem iudicii participat..." [25] Quae verba videntur confirmare nostram sententiam, nempe in apprehensione simplici adesse veritatem sicuti est cognitio; *atqui* est cognitio imper-

[19] *Critica* [3] (Roma 1932) n.32.
[20] *Inst. Phil.* vol.1 *Logica* p.423.
[21] *Critica* n.234.
[22] S. TH., 1 q.16 a.2.
[23] *L. c.* p.421.
[24] *Critica* n.233.
[25] DM 8, s.4.

fecta et iudicium inchoative; *ergo* habet veritatem imperfectam et inchoative.

290. Obiectiones. *Contra primam partem*[26].

1. Simplex apprehensio nequit esse falsa; *atqui* posset esse falsa, si in ipsa est veritas logica; *ergo* in ipsa non est veritas logica. *Nego minorem.*

Prob. min.: Contraria sunt circa idem subiectum; *atqui* veritas et falsitas sunt inter se contrariae; *ergo* si veritas est in apprehensione tamquam in subiecto erit etiam falsitas in ipsa.

Dist. mai.: Contraria sunt circa idem subiectum, ita ut quodlibet subiectum capax unius formae sit etiam capax alterius, *nego;* quando subiectum est capax recipiendis formis contrariis, *conc.* Nam contraria sunt quae in eodem genere maxime distant, et eidem subiecto vicissim insunt, *nisi alterum eorum insit a natura.* Sensus perfectus effati est, si dentur duo iudicia contraria necessario versantur circa idem subiectum.

2. Veritas logica est conformitas intentionalis cognitionis cum re; *atqui* in simplici apprehensione rei spiritualis nequit dari talis conformitas in hac vita; *ergo* relate ad res spirituales non datur veritas logica in apprehensione simplici.

Resp. 1.°: Argumentum si aliquid valeret, etiam pro iudicio relate ad res spirituales in hac vita valeret, unde retorqueo illud.

Resp. 2.°: *Dist. mai.*: Veritas logica est conformitas intentionalis cognitionis cum re quoad id quod repraesentatur, *conc.*; quoad modum, *subdist.*: si est cognitio intuitiva, *conc.*; si est abstractiva, vel analoga, *nego. Contradist. min.* Quare idea quam habemus in hac vita de rebus spiritualibus cum non sit intuitiva et propria est quidem imperfecta; at non inde sequitur eam esse falsam.

291. 3. Si veritas esset in simplici apprehensione, etiam esset in speciebus intelligibilibus atque habitibus; *atqui* hoc videtur absurdum; *ergo.*

Nego maiorem. Probo mai.: Nam si veritas consistit in mera conformitate cum obiecto, etiam illa suam habent conformitatem cum obiectis ad cuius intellectionem concurrunt; *ergo* etiam in illis esset veritas logica.

Dist. antec.: Si veritas logica consisteret in qualibet conformitate seu proportione cum obiecto, *conc.*; si in conformitate intentionali seu cognitionis formalis, *nego. Pariter dist. cons.*

4. Si in apprehensione simplici esset veritas logica etiam in vocabulis eorum signis esset; *atqui* nemo dicit vocabula esse vera; *ergo* neque simplex apprehensio.

Dist. mai.: Esset veritas logica in vocabulis formaliter, *nego;* analogice ut in signo manifestante veritatem quae est in intellectu, *conc. Contradist. min.*

292. 5. Conformitas intentionalis in qua stat veritas debet esse cognita; *atqui* in simplici apprehensione illa conformitas nullatenus

[26] Cf. C. FRICK, *Logica* n.184-9; URRÁBURU. *l. c.* p.424-427; DÁVILA, *Crítica* n.235.

est cognita; *ergo* in simplici apprehensione veritas logica nullatenus adest.

Dist. mai.: Debet esse cognita ut veritas sit perfecte in intellectu, *conc.*; ut sit simpliciter, *nego.*

6. Iuxta thesim tuam datur in simplici apprehensione veritas logica imperfecte; *atqui* si datur debet dari ut in iudicio; *ergo* nullo modo datur.

Nego minorem. Probo min.: Veritas logica datur in iudicio obiective, i.e. ut cognita; *atqui* in simplici apprehensione comparativa, si datur, etiam datur obiective; *ergo.*

Conc. mai. Ad min. nego suppositum nos loqui in thesi de apprehensione comparativa; nam ut iam indicatum manet in notionibus apprehensio comparativa consideratur tamquam efformans aliquid unum naturale cum iudicio.

293. 7. Veritas ontologica seu transcendentalis est ea quae cum ipsa rerum essentia confunditur; *atqui* talis est veritas simplicis apprehensionis; *ergo* veritas apprehensionis simplicis est veritas ontologica.

Conc. mai. Dist. min.: Talis est veritas apprehensionis simplicis solum, *nego;* etiam, *conc.* Etenim essentia simplicis apprehensionis, quae veritas aliqua est, sub duplici aspectu considerari licet. Eadem enim simplicissima entitas physica, quae est inchoata rei notitia pro diverso termino cum quo comparari potest diversam sortitur veritatem; si consideratur per comparationem ad obiectum, cum quo adaequatur, idealiter illud exprimendo, logica veritate ornatur, de qua nunc agimus; si autem comparatur cum intellectu, quatenus est res quaedam, quae et habet essentiam suam typis divinarum idearum respondentem, et cognoscibilem vera cognitione per aliquem alium actum intellectus nostri, veritatem habet transcendentalem. Illae ergo duae veritates, quamvis in una re physica reperiantur indefectibiliter non sunt in suis conceptibus confundendae, utpote ex diversissima consideratione petitae[27].

Contra secundam partem.

8. Intellectus ante iudicium iam cognoscit veritatem logicam; *atqui* in hoc stat perfecta veritas; *ergo* in simplici apprehensione est perfecta veritas.

Dist. mai.: Cognoscit veritatem logicam apprehensione comparativa et reflexiva, *conc.*; prima, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons.*

294. 9. Sed Deus simplici apprehensione prima cognoscit omnia et quidem perfectissime; *ergo* veritas perfecta competit simplici apprehensioni etiam primae.

Conc. antec. Dist. cons.: Veritas logica perfecta competit simplici apprehensioni primae divinae, *conc.*; humanae, *nego.* Non est enim paritas inter modum nostrum cognoscendi et modum divinum.

10. Per simplicem apprehensionem intellectus cognoscit "quod quid est" seu essentiam rei; *atqui* si ita est per illam cognoscit rem perfecto modo; *ergo* intellectus in simplici apprehensione habet veritatem logicam perfecto modo.

[27] Cf. URRÁMBURU, *Inst. Phil.* vol. 1 *Logica* p.426.

Dist. mai.: Per simplicem apprehensionem intellectus humanus simpliciter cognoscit quidditatem rei, *conc.*; cognoscit etiam hanc quidditatem in hac vel illa re verificari, *nego. Contradist. min.*

295. 11. Ad habendam veritatem perfecte requiritur ut cognoscam per reflexionem conformitatem actus mei cum obiecto; *atqui* hoc non datur in iudiciis directis; *ergo* saltem in illis non est veritas logica perfecte.

Dist. mai.: Requiritur ut cognoscam conformitatem mei actus cum obiecto sive in actu exercito, sive in actu signato, *conc.*; praecise in actu signato, *nego. Contradist. min.*: non datur in actu signato, *conc.*; in actu exercito non datur, *nego.*

12. In iudiciis falsis nulla datur veritas logica; *ergo* nec in actu exercito potest dari cognitio veritatis logicae.

Trans. totum. Nam ut ex statu quaestionis apparet non affirmamus dari veritatem perfectam in omnibus iudiciis, sed solum in veris.

296. 13. In veritate perfecta intellectus quiescit; *atqui* in iudicio saepissime intellectus non quiescit; *ergo* saepissime in iudicio veritas perfecta non inest.

Conc. mai. Dist. min.: Non quiescit absolute quoad alias veritates nondum cognitas, *conc.*; quoad illam veritatem, quae hic et nunc affirmatur, *nego.*

14. Iuxta thesim veritas in simplici apprehensione est imperfecte; *atqui* iudicium nihil novi addit ad simplicem apprehensionem; *ergo* etiam in iudicio erit imperfecte.

Conc. mai. Nego min.: Additur enim attentio, comparatio, visio identitatis et affirmatio, quae omnia ut antea diximus considerantur hic ut unum quid cum iudicio.

297. 15. Veritas consistit in conformitate; *atqui* conformitas non perficitur eo quod ipsa cognoscatur; *ergo* veritas non est perfectior in iudicio eo quod obiective insit.

Dist. mai.: In conformitate entitativa, *nego;* intentionali, *conc. Contradist. min.*: Conformitas entitativa non perficitur eo quod ipsa cognoscatur, *trans.*; conformitas intentionalis, *subdist.*: extensive et obiective, *trans.*; intensive et ratione actus, *nego.*

16. Si veritas est in iudicio vero tamquam cognita, idem quoque dicendum erit de falsitate; *atqui* id absurdum videtur; *ergo* neque veritas est in iudicio tamquam cognitum in cognoscente.

Dist. mai.: Dicendum esset falsitatem cognosci per iudicium directe et sub ratione falsi, *nego;* indirecte et sub ratione veri, *conc. Contradist. min.*

Non eodem modo cognosci dicenda est falsitas et veritas per actum iudicii. Si enim cum iudicamus existimaremus nos falli, iam non falleremur, immo nec posset intellectus eiusmodi iudicium amplecti, quippe qui ad veritatem natus est. Itaque falsum non admittit nisi sub specie veri. Cum ergo intellectus erronee iudicat, existimat se in sua cognitione obiecto conformari, etiamsi revera non conformetur; ideo cognoscit aliquid quod falsum est, quin tamen cognoscat hic et nunc falsum esse.

§ 3. De definitione essentiali veritatis perfectae

Thesis 18. Veritas formalis perfecta consistit in actu cognoscitivo prout connotat obiectum se habens sicut repraesentatur.

ARISTOTELES, 4 *Metaph.* 6 (1011b26); 6,4 (1027b25); SUÁREZ, DM 8 s.2; LOSADA, *Logica* disp.14 s.1; URRÁBURU, *Logica* p.404-412; DELMÁS, *Ontologia* p.347-349; DÁVILA, *Critica* n.229; DONAT, *Critica* 101; VÁZQUEZ, *In I partem* t.1 disp.75 c.2 et disp.76.

298. Nexus. Iam vidimus veritatem logicam esse conformitatem actus cognoscitivi cum obiecto se habente sicut enuntiatur, affirmatur vel cognoscitur; aliquo igitur modo designat et actum cognoscitivum et obiectum. Vidimus etiam veritatem perfectam in solo iudicio inveniri. Nunc autem volumus investigare accuratius quaenam sint essentialia constitutiva veritatis perfectae, seu quid addat conformitas supra actum cognoscitivum et obiectum, seu de intima essentia veritatis.

299. Notiones. VERITAS FORMALIS[28] est simplex conformitas cum obiecto, quae potest esse etiam in actu probabili, cum nulla est exigentia veritatis. Bene distinguenda est a veritate radicali.

VERITAS RADICALIS est dignitas actus cognoscitivi, vel perfectio eius, ob quam postulat obiectum esse sicut enuntiatur, ut est v.c. supernaturalitas, certitudo aut evidentia actus.

TERMINUS CONNOTATUS est ille qui requiritur ad veritatem non tamen ut terminus alicuius relationis, sed ut aliquid sine quo actus verus intelligi nequit.

PROUT REPRAESENTATUR SEU AFFIRMATUR; loquimur enim de veritate iudicii perfecta; nam veritas simplicis apprehensionis confunditur cum veritate actus, seu cum specificatione et configuratione, quam actus habet ad obiectum, ideoque consistit in relatione transcendentali.

300. Status quaestionis. Quaeritur in thesi non de essentia veritatis radicalis, utrum haec sit perfectio intrinseca solius actus, quia hoc est evidens et a nemine disputatur; sed quaeritur circa veritatem formalem seu actualem, utrum scilicet consistat in solo actu, an in solo obiecto, an in actu

[28] Cf. SUÁREZ, DM [redacted] s.2 n.14.

et obiecto simul, ita tamen ut obiectum non sit terminus intrinsecus relationis, sed terminus ab actu connotatus. Agitur praeterea de veritate perfecta, quia imperfecta consistit in relatione transcendentali.

301. Sententiae. *Prima* est eorum qui dicunt veritatem logicam consistere in solo actu qui dicitur versu: ita PETRUS HURTADO [29]. Aliqui hoc affirmant de actibus necessario veris, non vero de contingenter veris.

Secunda sententia, similis primae, est eorum qui dicunt conformitatem propriam veritatis addere supra actum *perfectionem intrinsecam absolutam. Perfectio intrinseca,* quia veritas est perfectio actus, etsi nemo fingat et cogitet de illa. *Absoluta* et non respectiva, quia illa perfectio saepe datur cum nullus est terminus realis; sic cum dicitur: "chimaera est ens fictum" habetur actus verus, et terminus seu obiectum eius nulla est realitas, ita SONCINAS et CAPREOLUS [30].

Tertia est eorum qui affirmant illam conformitatem consistere in aliqua relatione actus ad terminum seu obiectum, sive illa relatio sit rationis ut volunt VÁZQUEZ [31], DURANDUS et alii, sive realis ut magis arridet MASTRIO [32] aliisque.

Quarta denique, quam nos ut probabiliorem eligimus, proponitur a SUÁREZ, qui dicit veritatem consistere in complexu ex actu cognoscitivo et ex obiecto se habente sicut enuntiatur seu repraesentatur, ita tamen ut obiectum non sit terminus intrinsecus alicuius relationis actus ad ipsum, sed mere terminus connotatus.

302. Probatur thesis. 1. Illa sunt alicuius rei constitutiva, quibus positis res formaliter intelligitur constituta, et quibus deficientibus res nondum constituta formaliter intelligitur; *atqui* ita se habent duo elementa designata in thesi in ordine ad veritatem; *ergo* illa elementa sunt constitutiva formalia veritatis, actus nempe repraesentativus et obiectum se habens sicut repraesentatur, ut terminus ab illo connotatus.

Maior: constitutiva enim sunt illa omnia et sola, ex quibus essentia aliqua coalescit.

Minor: *Positis ponitur,* nam si ponatur actus cognosciti-

[29] *De anima* disp.9 s.3.
[30] Apud SUÁREZ, DM 8 s.2 n.1.2.
[31] *In I partem* disp.75 c.2.
[32] *Logica* disp.10 q.2 n.27.

vus et praeterea obiectum se habens sicut repraesentatur seu enuntiatur, iam actus ille erit verus, licet nulla alia res fingatur superaddi vel resultare, sicut esset relatio realis aut rationis.

Deficientibus deficit, si enim habeatur actus cognoscitivus affirmans v. c. Petrus est sanus, adhuc non habetur veritas, si revera Petrus non est sanus; et si habeatur obiectum iudicii v. c. Petrus sanus, si tamen deficiat actus hoc affirmans, nondum habetur veritas.

Dices: Etiam deficiente corde in homine, deficit homo, et tamen cor non est constitutivum hominis, sed pars eius integralis; *ergo* pariter, licet veritas deficiat, deficiente aliquo ex elementis designatis, poterit tamen illud non esse elementum constitutivum.

Resp.: *Conc. antec.,* et *nego consequens* ob disparitatem. Deficiente corde, deficit homo non formaliter ex sola nempe deficientia cordis, sed consequenter, quia consequenter ad illam ablationem destruitur unio substantialis inter animam et corpus, et ita deficit homo consequenter. Sed in nostro casu, etiamsi nihil aliud deficiat, deficit veritas formaliter.

303. 2. (*Exclusione aliarum sententiarum.*) *a*) Sententia P. Hurtado admitti nequit, quia si in solo actu qui dicitur verus consisteret veritas, ubicumque daretur actus cognoscitivus daretur veritas; sed hoc dici nequit, secus error esset impossibilis; *ergo.* Affirmantibus vero veritatem confundi cum solo actu in actibus necessario veris respondendum est ita revera esse si agatur de veritate radicali, non vero si de formali.

b) Etiam altera sententia similiter admitti nequit; nam, licet veritas esset perfectio (melius diceretur arguere perfectionem in cognoscente), tamen negatur esse solius actus, quia posset esse perfectio intrinseca inadaequate et extrinseca inadaequate ipsi actui; intrinseca actui, quia veritas comprehendit actum, et extrinseca actui quia comprehendit et obiectum, quod est extrinsecum actui. Neque est *absoluta,* quia licet non detur relatio stricte talis, tamen non potest explicari sine termino saltem connotato se habente sicut repraesentatur seu enuntiatur. Exemplum allatum de chimaera nullam vim probandi habet. Non enim est necessarium ut huiusmodi veritas cognitionis requirat obiectum actu exsistens; non enim dicimus realem exsistentiam obiecti includi in conceptu veritatis; sed solum quod ita se habeat, sicut per cognitionem repraesentatur seu iudicatur; seu quod habeat tale esse, quale cognoscitur. Quod esse non semper

est exsistentiae, sed quale sufficit ad veritatem enuntiationis [33].

c) Neque tertia sententia admitti potest; non enim dici potest esse *α*) *relationem transcendentalem;* haec enim essentialis est actui, et ab eo penitus inseparabilis; *atqui* conformitas cum obiecto est accidentalis actui et ab eo penitus separabilis; *ergo. Minor*: nam permanente eodem actu in praesente psychologico, potest in priori instanti esse verus in altero vero ipse actus fieri falsus, v. c.: si tu dicis "Petrus est sanus", potest actus esse verus in prima parte suae durationis, et postea falsus, eo quod Petrus tum aegrotet. Neque dici potest esse *β*) *relationem praedicamentalem,* saltem in sententia thomistica et communiori de relatione: haec enim *resultat* positis fundamento et termino; *atqui* veritas habetur solummodo posito actu repraesentationis et obiecto se habente sicut enuntiatur, etiam si, his duobus extremis positis nihil omnino resultet vel concipiatur resultare; *ergo* in relatione illa forsitan resultante non consistit primo et formaliter veritas. In sententia connotatorum de relatione aliud dicendum esset.

304. Scholion 1. Cum hac quaestione de essentia veritatis intime connexa est alia quaestio, nempe utrum illa conformitas sive sit relatio, sive mera connotatio, detur inter conceptum formalem et obiectum seu rem, an inter conceptum obiectivum et rem. Est quaedam confusio in definiendo *conceptu obiectivo* inter auctores [34]. Clare proponit SUÁREZ et IOANNES A STO. THOMA conceptum obiectivum definiri constanter ab scholasticis tamquam ipsum obiectum de quo formamus conceptum, seu res prout cognita ab intellectu; *conceptus* vero *formalis* est ipse actus intellectus prout relationem ad tale obiectum habet; si actus consideraretur sine illa relatione dicitur *conceptus subiectivus.*

Aliqui, ut DURANDUS, VÁZQUEZ et inter modernos DONAT affirmare videntur conformitatem in qua veritas consistit, esse inter conceptum obiectivum et rem, vel "*cognitionis obiectivae cum re* seu rei, sicut repraesentata est, secum ipsa, sicut in ordine rerum est" prout DONAT loquitur [35]. Communior vero est sententia opposita, secundum quam veritas est conformitas conceptus formalis cum re ipsa, quare conceptus formalis veritate sibi propria verus est; ita inter antiquos CAIE-

[33] Cf. SUÁREZ, DM 8 s.2 n.16.
[34] Cf. P. GENY, *Critica* n.45 in nota.
[35] *Critica* n.101.

TANUS et SUÁREZ, MOLINA, FONSECA, MASTRIUS, etc. inter modernos URRÁBURU, DÁVILA, GENY, FRICK. Et haec sententia admittenda videtur, quia inter conceptum obiectivum et ipsam rem potius quam conformitas plena datur identitas, cum conceptus obiectivus sit secundum communem definitionem ipsum obiectum conceptus, v. c. albedo nivis. Argumenta autem, quae a DONAT v. c. afferuntur pro sua sententia possunt intelligi de veritate ontologica, quae certe obiecto inest, non de logica. Quae si proprie solo obiecto conveniret, ut ex modo loquendi adversariorum sequeretur, clare sibi contradicerent, cum ipsi affirment v. c. veritatem in relatione consistere, quae essentialiter includit duos terminos [36].

305. Scholion 2. Ad quaestionem *utrum veritas admittat gradus*, respondemus: 1) quoad obiectum formale non admittere gradus; 2) certe vero quoad obiectum materiale, et quoad actum, seu *obiective* et *subiective*.

Primum ostenditur, eo quod illa adaequatio stet in indivisibili; proinde aut est aut non est. Certe potest aliqua vera cognitio repraesentare plures notas, sed quas repraesentat non potest non repraesentare, quia tunc non esset simpliciter cognitio.

Secundum vero facile patet. Nam *a*) ratione obiecti potest una cognitio plures notas de obiecto materiali exhibere quam alia, et sub hoc respectu esse magis adaequata quam alia; vel *b*) quia actus in quo habetur veritas, firmior est de se, ut v. c. "bis bina esse quattuor" firmitatem maiorem habet quam v. c. "Petrus est sanus"; vel *c*) quia omnia quae augent perfectionem illam, ex qua actus cognoscitivus habet conformitatem cum suo obiecto, augent etiam radicaliter seu fundamentaliter ipsam veritatem; haec vero sunt: lumen intellectuale, quod potest obiecto magis vel minus esse proportionatum; species intelligibilis, seu conceptus subiectivus, clarior vel minus clara, motiva assentiendi plura, firmiora, vel e contra. Sed haec potius quam ad veritatem, ad certitudinem pertinere videntur.

---

[36] Sunt et proponuntur alii modi explicandi veritatem, qui quidem non videntur admittendi. Ita v. c. explicatio, quam memorat P. GENY, *Critica* n.46, quam L. NOEL, interpretationem Cardenalis MERCIER exponens, proponit: *Le rapport est tout entier, si l'on peut dire, transporté à l'intérieur de la conscience* (Annales de l'Institut Sup. de Phil. Louvain 1933, *note sur le problème de la connaissance* p.674). Sed *ut innuit* P. GENNY, non ita fas est loqui; non enim *intra* conscientiam tota refertur relatio, sed *coram* facultate cognoscitiva, quae est operationum suarum conscia.

306. Obiectiones[37]. 1. Illa connotatio non est nisi relatio saltem rationis; *ergo* veritas logica in relatione saltem rationis consistit.

Nego antec. Nam relatio praedicamentalis resultat aut concipitur resultare ex extremis positis; veritas autem logica non resultat ex extremis positis, sed etiam si nihil ex illis resultet, iam habetur veritas.

2. Omnis repraesentatio intentionalis dicit relationem transcendentalem ad suum obiectum; *atqui* veritas non est nisi aliqua repraesentatio intentionalis; *ergo* veritas in relatione transcendentali consistit.

Conc. mai. et *nego min.* Nam veritas logica, ultra id quod sit cognitio, dicit obiectum esse sicut repraesentatur, quod non semper aut essentialiter datur. Sic si tu dicis: "Petrus est sanus", et ille non est sanus, habetur actus cognoscitivus habens relationem transcendentalem ad suum obiectum repraesentatum, et tamen non est veritas, quia deest obiectum se habens sicut repraesentatur, seu affirmatur.

307. 3. Iudicium verum differt a falso intrinsece; *atqui* differt solum veritate logica; *ergo* veritas logica est quid adaequate actui intrinsecum.

Nego mai. Probo mai.: Iudicia diversa habentia obiecta differunt intrinsece; *atqui* iudicium verum diversum habet obiectum ac falsum; *ergo* iudicium verum differt intrinsece a falso.

Conc. mai. Dist. min.: Iudicium verum saepe diversum habet obiectum ac falsum, *conc.*; semper, *nego. Pariter dist. cons.*

4. Sed semper habet obiectum diversum. Nam iudicium verum habet obiectum quod est, falsum quod non est; *ergo* semper habet iudicum verum obiectum diversum ac falsum.

Nego antec.: Nam et verum et falsum iudicium possunt idem obiectum habere, v.c. homo est rationalis, homo non est rationalis, quae proinde non ex obiecto differunt, sed ex modo tendendi ad illud.

308. 5. Veritas est perfectio actus; *ergo* est intrinseca actui.

Dist. antec.: Veritas radicalis aliquorum actuum est intrinseca ipsis actibus, *conc.*; formalis seu actualis, *nego.*

6. Sed veritas actualis est perfectio intrinseca actus. Nam actus verus est aestimabilior secundum se falso, et intellectus melius se habet cum illo quam cum falso; *atqui* hoc indicat veritatem logicam esse perfectionem ipsius actus; *ergo* veritas logica actualis est perfectio ipsius actus.

Dist. mai.: Hoc valet de actu vero veritate radicali, *conc.*; formali seu actuali, *subd.*: arguitive et moraliter, ex hominum aestimatione, *conc.*: in se solum, *nego.* Arguit enim perfectionem maiorem in potentia, quae falli nequit, ut v.c. in Deo accidit.

309. 7. Falsitas est imperfectio actui intrinseca; *ergo* veritas est perfectio intrinseca.

Nego antec. Probo antec.: Deo repugnat actus falsus; *atqui* quid-

[37] Cf. URRÁBURU, *Inst. Phil.*, vol.1 *Logica* p.409.

quid Deo repugnat est propter imperfectionem; *ergo* actus falsus est imperfectio intrinseca.

Dist. mai.: Quatenus arguit intellectum imperfectum et fallibilem, *conc.*; quia intrinsece sit imperfectio, *nego. Conc. min.* et *dist. pariter cons.*

8. Actus voluntatis moraliter boni sunt adaequate ex sua intrinseca bonitate; *ergo* a pari actus intellectus veri sunt adaequate ex sua intrinseca veritate.

Trans. antec. Nego cons. et *paritatem.* Disparitas est ex natura actus boni, qui stat non in similitudine cum obiecto, sed in conveniente tendentia ad bonum prosequendum vel malum avertendum.

310. 9. Mensura est extra mensuratum; *atqui* obiectum est mensura, actus vero mensuratum; *ergo* obiectum est extra actum verum, nec ullo modo veritatem constituit.

Dist. mai.: mensura intrinseca, *conc.*, extrinseca, *nego. Contradist. min.*

10. Aliqui actus sunt essentialiter veri; *atqui* quod essentialiter verum est, intrinsece ex se adaequate verum est; *ergo* saltem illi actus identificant sibi adaequate veritatem.

Dist. mai.: Aliqui actus sunt essentialiter veri veritate radicali, *conc.*; formali, *nego. Contradist. min.*

11. Aristoteles dicit "verum et falsum non esse in rebus" [38] sicut bonum et malum; *atqui* solus actus est in intellectu, non vero obiectum; *ergo* in solo actu consistit adaequate veritas.

Conc. antec. et *nego cons.* et *constiam.* Nam verum in intellectu est ita ut res saltem ut connotatum essentialiter requiratur.

ARTICULUS II

DE FALSITATE LOGICA

Thesis 19. Falsitas logica nequit esse per se in simplici apprehensione, sed in solo iudicio.

S. TH., *De verit.* q.1 a.1.2.10; SUÁREZ, DM 9 s.1; URRÁBURU, *Logica* p.413-417, et 433-439; PESCH-FRICK, *Logica* n.839-855; DÁVILA, *Critica* n.240-247.

311. Nexus. Quamvis obiectum proprium inquisitionis criticae sit tantum veritas et certitudo, aliqua tamen tradere circa falsitatem post veritatem, et circa errorem post certitudinem, non nihil fini talis inquisitionis proderit. Natura enim erroris et falsitatis declarata, clarius cognosci poterunt et ipsius veritatis et certitudinis essentia, et ratio cur homo saepius in falsitatem et errorem deveniat, licet intellec-

[38] 1 *Metaph.* 6.

tus ad veritatem sit natura sua inclinatus. Declaremus nunc aliqua circa falsitatem logicam.

312. Notiones. FALSITAS potest definiri simili modo ac antea iam definita est veritas logica (cf. n.271). Nam falsitas est nomen abstractum, significans formam ab omni subiecto separatam. Melius vero haec intelliguntur per concreta.

FALSUM igitur tripliciter accipitur ab hominibus: *ontologicum,* v. c. falsum aurum [1]; *logicum* v. c. falsa cognitio; et *morale,* v. c. falsa locutio. Quae omnia si bene considerentur ostendunt aliquid ideo falsum dici, quia aliquam disconvenientiam habent [2]. Unde

FALSITAS IN GENERE est idem ac non conformitas.

FALSITAS LOGICA *sensu lato* est quaevis disconformitas inter cognitionem et rem.

FALSITAS LOGICA *sensu stricto,* de qua hic agimus, est disconformitas positiva intellectus a suo obiecto.

DISCONFORMITAS enim duplex esse potest:

1. *Negativa,* quae est illa quae datur cum intellectus nihil cogitat, aut cogitans de aliqua re, non omnia cogitat quae in illa re sunt. Haec vero disconformitas potius quam falsitas est *ignorantia.*

2. *Positiva,* quae datur cum intellectus detrahit obiecto aliquid quod habet, vel tribuit quod non habet. In hac positiva disconformitate consistit proprie falsitas logica, quae contrarie opponitur veritati [3].

313. Dicimus PER SE, nam per accidens utique potest esse falsa simplex apprehensio, quod tripliciter obtinere potest:

1. *Occasionaliter,* si ipsa sit occasio falsi iudicii ob suam similitudinem vel associationem cum alia idea, v. c. aliquis simul apprehendens animal rationale et quadrupes potest induci ad has rationes falso componendas.

2. *Praesuppositive,* si simplex apprehensio formata sit per falsum iudicium et illud virtualiter contineat, v. c. qui falso iudicavit Deum esse corporeum, illum sibi talem repraesen-

---

[1] S. TH., 1 *Dist.* 19 q.5 a.1, innuit quid falsa res sit, illa *quae nata est facere, quod apparet exterius de ipsa, falsam apprehensionem; sicut aurichalcum dicitur aurum falsum.* Cf. etiam *De verit.* q.1 a.1.2 et 10.

[2] Nam *sicut veritas consistit in adaequatione rei et intellectus, ita falsitas consistit in eorum inaequalitate.*

[3] Cf. SUÁREZ, DM 9 s.1 n.14, egregie rem declarantem.

tat etiam per simplicem apprehensionem, quae proinde falsa dici potest ratione illius iudicii.

3. *Relative seu abusive,* si confundatur cum aliquo iudicio falso, v. c. prodigus habet ideam generositatis, quae non generositatem, sed prodigalitatem refert.

SIMPLEX APPREHENSIO, de qua iam antea locuti sumus, intelligitur vel *primitiva,* non *deducta,* illa nempe intellectualis expressio alicuius rei vel notae, ad quam mens determinatur ab ipso obiecto praesente, vel *facticia* ex primitivis sed *neque deducta,* quae est illa quam mens sibi efformat plures ideas simul coniungendo in unam, vel unam obiective dividendo in plures; semper sunt verae; solummodo occasionaliter in errorem inducere possunt.

Ideae facticiae deductae vel arbitrariae, cum iudicium implicite contineant, possunt esse disconformes per accidens obiecto ad quod referuntur, et hoc praesuppositive et relative.

314. Status quaestionis. Quaeritur in thesi, supposita iam notione falsitatis logicae, ubinam proprie et per se inveniatur, an in simplici apprehensione, vel solum in iudicio. Quod in duplici parte investigatur.

315. Sententiae. *Prima* esset illorum qui negarent definitionem propositam veritatis logicae, consequenter ad suam solutionem problematis critici, atque ad notionem veritatis logicae ab ipsis antea propositae. Ita idealistae, pragmatistae, positivistae, etc.

Secunda, quae *est nostra,* defendit thesim propositam, quae ab omnibus scholasticis tenetur, et est plane certa.

316. Probatur thesis per partes. I P. NEQUIT FALSITAS COMPETERE SIMPLICI APPREHENSIONI PER SE.

1. (*Ex natura simplicis apprehensionis.*) Mens apprehendens aliquid, vel exprimit in se similitudinem alicuius obiecti vel non exprimit; *atqui* si primum conceptus est verus, si alterum, nullus; *ergo* idea vel conceptus eo ipso quod est, est verus.

Nec dicas exprimere aliam rem ac ego cognoscere intendo; hoc enim vel supponit iam aliquod iudicium, vel est aliquid omnino absurdum et inintelligibile; nam per apprehensionem nihil intendimus dicere.

2. (*Ex natura falsitatis logicae.*) Ut detur falsitas posi-

tiva debet tribui rei aliquid quod non est in ea, vel detrahi aliquid quod est; *atqui* hoc fieri nequit per apprehensionem; *ergo* in apprehensione nequit dari falsitas positiva.

Maior patet ex definitione falsitatis logicae.

Minor, quia hoc fit solummodo affirmando vel negando, et apprehensio est nuda repraesentatio.

317. II P. FALSITAS ESSE POTEST IN IUDICIO.

1. (*Ex experientia.*) Experientia constat dari apud homines plures errores; *atqui* non per apprehensionem, ut patet ex parte anteriori; *ergo* per iudicium.

2. (*Ex notione falsitatis.*) Falsitas logica in eo est, quod intellectus tribuat vel neget subiecto notas, quae tribuendae vel negandae non sunt; *atqui* hoc fieri potest per iudicium; *ergo* in iudicio falsitas esse potest.

Minor melius apparebit quando loquamur de essentia iudicii, quae in assensu formaliter consistit; proinde nihil mirum si intellectus illum assensum extendere possit, ultra id quod cognoscit, sub influxu voluntatis et multiplici occasione.

318. Scholion. *De gradibus falsitatis.* Falsitas positiva et quidem materialiter, formaliter et subiective spectata semper admittit gradus. Difformitas enim potest esse maior et minor, v. c. "non est tam magna falsitas aestimantis tria esse quinque, sicut eius qui aestimat tria esse centum" [4]. Notae enim, quae immerito rei tribuuntur vel negantur, possunt esse plures vel pauciores; et in modalibus iudicium negans modum necessarium est falsius quam negans contingentem, v. c. maior falsitas est in iudicio "Deus non exsistit" quam in iudicio "Petrus aegrotat" si non aegrotet.

Denique ex parte subiecti omnia quae augent imperfectionem actus illius, ex quo intellectus difformitatem cum obiecto suo habet, augent etiam radicaliter ipsam falsitatem.

319. Obiectiones. *Contra primam partem.*

1. Imagines possunt esse falsae; *atqui* simplex apprehensio est imago; *ergo* simplex apprehensio falsa esse potest.

Dist. mai.: Imagines esse possunt falsae falsitate impropria, quae in disconformitate negativa consistat, *conc.*; propria falsitate, seu positive disconformes, *nego. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*

2. Sed apprehensio potest esse disconformis positive. Nam in apprehensione, quae repraesentat obiectum aliter ac est datur discon-

[4] S. TH., 1 *C. Gentes* c.139.

formitas positiva; *atqui* ita accidit in apprehensione v.c. repraesentante baculum in aqua immersum ut fractum cum non sit fractus, vel in apprehensione universali; *ergo* apprehensio potest esse disconformis positive.

Conc. mai. Dist. min.: Si ille modus, *aliter ac est,* pertinens ad medium non homogeneum, aquam et aerem, vel ad facultatem, praedicabilitas conceptus universalis, tribuitur rei prout est in se, *conc.*; secus, *nego.*

320. 3. Sed tribuitur rei prout est in se. Nam post huiusmodi apprehensionem dicimus baculum esse fractum; *ergo* tribuimus baculo aliquid quod non habet.

Dist. antec.: Et hoc fit per iudicium, *conc.*; per apprehensionem, *nego.* Ille enim baculus apparet fractus in imagine visuali intuitiva, quia medium non est homogeneum, ideo obiectum formale apprehensionis est baculus apparenter fractus, quod respondet realitati ob diffractionem lucis ex diverso medio. Si postea mens extendit inconsiderate assensum ultra id quod videt dicens: hic baculus est in se fractus, datur falsitas in iudicio, non in apprehensione.

4. Si dantur iudicia falsa, dantur et apprehensiones falsae; *atqui* dantur iudicia falsa; *ergo* et apprehensiones.

Dist. mai.: Si unica causa influens in iudicium esset apprehensio, *conc.*; si dantur aliae causae, maxime voluntas, ut videre licet in thesi de causis erroris, *nego. Conc. min. pariter dist. cons.*

321. 5. Dantur definitiones falsae; *atqui* definitiones sunt apprehensiones; *ergo* dantur et apprehensiones falsae.

Dist. mai.: Dantur definitiones falsae per se, *nego;* per accidens, *conc. Conc. min. pariter dist. cons.*

6. Habentur apprehensiones chimaericae, v.c. circuli quadrati; *atqui* tales apprehensiones sunt falsae; *ergo* dantur apprehensiones falsae.

Dist. mai.: Per apprehensionem solam simplicem, *nego;* per iudicium, *conc.*

322. 7. Saepe dum examinamus obiectum aliquod externum determinatum v.c. stamnum, efformamus ideam argenti; *atqui* in hoc casu vere datur apprehensio aliqua falsa; *ergo* saepe habemus apprehensiones falsas.

Conc. mai. Dist. min.: Datur apprehensio falsa per se, *nego;* per accidens, *conc.* Si enim nihil affirmaremus nihil esset in intellectu alienum a re; tota falsitas formaliter provenit ab aliqua affirmatione.

Contra secundam partem.

8. Si daretur falsitas in iudicio, iudicium esset nullum; *atqui* hoc admitti nequit; *ergo* non datur falsitas in iudicio.

Probo mai.: Nam aut de facto adsunt elementa iudicii, aut non; *atqui* si primum habetur iudicium verum, si alterum nullum; *ergo* si daretur falsitas in iudicio iudicium esset nullum.

Ad mai.: Admitto disiunctionem et eligo primum membrum. *Dist. min.*: tum habetur iudicium verum ontologice, *conc.*; logice, *subd.*: si datur conformitas cum re, *conc.*; secus, *nego.*

323. 9. Sed nequit dari iudicium logice falsum. Omnis enim facultas agit tantum circa suum obiectum formale; *atqui* obiectum formale intellectus est verum; *ergo* intellectus tantum circa verum agere potest, nec dari proinde potest iudicium falsum.

Dist. mai.: Omnis facultas agit solum circa suum obiectum formale per se, *conc.*; per accidens, *nego*.

10. Sed neque per accidens intellectus falso iudicare potest. Nam in iudicando intellectus conformatur suo obiecto; *atqui* si conformatur non potest falso iudicare; *ergo* intellectus neque per accidens potest falso iudicare.

Dist. mai.: Solum conformatur suo obiecto, *nego;* etiam *conc.* Nam et conformatur et aliquid affirmat et ponit per suum assensum, in quo esse potest falsitas, ut patebit in thesi de errore.

CAPUT II

De mentis statibus circa veritatem, et praecipue de certitudine

324. Notiones praeviae. In primo libro Criticae simul ac veritatis etiam certitudinis exsistentiam vindicavimus; vidimus enim nostrum intellectum sub plena luce et motivo rationali aliquando indubitabilem assensum ponere et asserere rem esse sicuti est in se.

Nunc autem sicut ipsa veritatis notio, sic etiam certitudinis scientifice est evolvenda. Sed antequam hoc aggrediamur, aliquid de diversis statibus mentis circa veritatem dicere utile videtur; ipsa enim certitudo aliquis status mentis nostrae circa veritatem est. Hi vero status sunt:

325. 1. IGNORANTIA, est absentia cognitionis in subiecto cognitionis capaci [1]. Dividitur in a) *negativam,* quae est mera nescientia, et b) *privativam,* quae est carentia cognitionis debitae, illius nempe cognitionis, quam aliquis homo secundum suam naturam, vitae statum, etc. potest et debet habere; ita v. c. esset ignorantia privativa, quam haberet medicus de medicina. Utraque tum privativa tum negativa potest esse *totalis* et *partialis.*

Bene autem distinguenda est ignorantia a falsitate et errore; ad falsitatem enim requiritur positiva discrepantia inter iudicium mentis et obiectivam realitatem; ad ignorantiam vero

[1] Cf. S. TH., 1-2 q.76 a.2.

sufficit absentia cognitionis. Semper autem errorem comitatur aliqua ignorantia [2].

2. DUBITATIO est suspensio mentis inter utramque partem contradictionis. Potest esset: a) *positiva,* quando adsunt rationes solidae, sed non certae, pro utraque contradictionis parte, b) *negativa,* si nullae adsunt rationes, quae mentem determinent ad alterutram partem. Est status proximus ignorantiae. De aliis dubitationis divisionibus cf. primum librum (n.44).

3. SUSPICIO medium quid obtinet inter dubitationem et opinionem [3]; est vero inclinatio quaedam ad iudicandum ex perspicientia motivorum, quin detur de facto assensus. Potest esse prudens vel imprudens prout dentur motiva gravia vel non dentur.

4. OPINIO est actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius [4]. Huiusmodi assensus nititur in motivo, quod suadet quidem unam partem ex contradictoriis, non tamen simpliciter oppositam excludit. Hoc motivum vocatur probabile, et assensus opinativus propter tale motivum probabile positus etiam assensus probabilis dicitur.

5. CERTITUDO est firma adhaesio ad unam partem contradictorii sine ulla prudenti formidine errandi [5].

326. Ratio tractationis. De his omnibus statibus mentis circa veritatem maxime interest nostra certitudo, ut patet. De reliquis fere nihil est dicendum, praeter quam de opinione; ipsa enim cum certitudine intime cohaeret, nam ex opinione sub convergentia videtur aliquando enasci certitudo, et in rebus moralibus magnum momentum obtinet, sive quia aliquando practice certitudini aequivaleat, sive quia cum minori probabilitate, cum non agitur de valido, licite procedere possumus. Quare sit sequens articulus.

---

[2] S. AUGUSTINUS, *83 Quaest.* q.32.
[3] S. TH., 2-2 q.2 a.1; *De verit.* q.14 a.1.
[4] S. TH., 1 q.79 a.9 ad 4.
[5] Illa firmitas adhaesionis constituit formaliter certitudinem. Ideo definitur a STO. THOMA, in *3 dist.* 26 q.2 a.4: *firmitas adhaesionis virtutis cognitivae in suum cognoscibile.*

ARTICULUS I

De opinione

Thesis 20. Probabilitas unius opinionis non eliditur probabilitate aequali vel maiori suae contradictoriae; ex summa autem probabilitatum non exsurgit certitudo bene autem ex earum convergentia.

URRÁBURU, *Logica* p.459-69.495; PESCH-FRICK, *Logica* n.858-866; TONGIORGI, *Institutiones philosophicae, Logica*[8] p.253-56.262-65; PALMIERI, *Institutiones philosophicae* p.221.250-258; GENY, *Critica* n.207s; A. BRUNNER, *La connaissance humaine*, c.4; ad quaestionem moralem H. NOLDIN, A. SCHMITT, *Summa Theologiae Moralis* vol.1 *De principiis* n.228s; P. S. LAPLACE, *Ensayo filosófico sobre las probabilidades* (trad. y notas de A. B. BESIO y J. BAUFI, Buenos Aires 1947).

327. Nexus et utilitas quaestionis. Nexus iam in numero praecedente indicatus manet; utilitas huius tractationis non est mere critica et philosophica, sed etiam practica et theologica, ut in quaestione theologiae moralis de systematibus moralibus apparet.

328. Notiones. OPINIO est assensus vel dissensus praestitus in unam partem contradictionis cum formidine alterius. Tria igitur in opinione continentur:

a) *assensus vel dissensus,* qui actus sunt intellectus non voluntatis;

b) *formido de opposito,* quae fundamentaliter et causaliter est iudicium, oppositum posse esse verum, et formaliter est affectio voluntatis, et in prudentem et in imprudentem dividitur, denique

c) *actus voluntatis* imperantis assensum, qui a solo intellectu determinari non potest.

329. Aliud est iudicium probabile, aliud iudicium de probabilitate.

IUDICIUM PROBABILE asserit nexum inter subiectum et praedicatum, v. c. puer ex operatione chirurgica convalescet. IUDICIUM DE PROBABILITATE asserit exsistentiam motivorum ad affirmandum puerum ex operatione convalescere. Solum primum est iudicium probabile et formidolosum; secundum autem est saepe certissimum.

Opinio potest esse *prudens* et *imprudens,* seu aliis verbis probabilis et improbabilis seu temeraria.

Prudens et *probabilis* datur cum adsunt motiva gravia ad assentiendum.

Imprudens improbabilis vel temeraria cum non adsunt motiva gravia ad assentiendum etiam formidolose.

330. PROBABILITAS, quae etiam *verisimilitudo* dicitur, est pondus motivorum seu complexus motivorum gravium ad assentiendum prudenter alicui enuntiabili. Potest esse intrinseca et extrinseca.

Intrinseca si motiva petuntur ex natura rei.

Extrinseca si motiva petuntur ex auctoritate; haec vero aliquo modo intrinsecam supponit.

Ratione graduum probabilitas potest esse *tenuis* si contra eam stat probabilissima; *probabilis, magis probabilis seu probabilior,* quae per se patent; et *unice probabilis,* si pro ea stant argumenta valida, et pro opposita non stant ulla motiva gravia.

331. SUMMA PROBABILITATUM est cumulus argumentorum probabilium, consideratus secundum eam vim, quae resultat ex mera iuxtapositione eorum.

CONVERGENTIA PROBABILITATUM est cumulus probabilitatum qualificatus, nempe consideratus sub principio rationis sufficientis, quatenus non datur ratio sufficiens talis convergentiae probabilitatum nisi in veritate illius facti, ad quod probandum probabilitates convergunt. Sic si multi testes affirment aliquam rem, et unusquisque solam probabilitatem gignit, etiam summa eorum solam probabilitatem, licet maiorem, dabit. Sed si testes tales sunt ut fieri possit argumentum, quod consensus illorum non potest venire nisi a veritate rei annuntiatae, tunc habetur certitudo ex convergentia probabilitatum; quam aliqui vocant "criterium convergentiae" [6].

332. Status quaestionis. Duplex est quaestio in thesi solvenda; quaeritur enim primo de ipsa opinionis vi, utrum nempe destruatur per aliam opinionem an solummodo per evidentiam; secundo autem quaeritur, utrum maxima opinio per cumulum probabilitatum transire possit in certitudinem stricte talem, seu utrum detur differentia essentialis inter probabilitatem et certitudinem, an mere accidentalis.

[6] A. HUSSER, *Le critère de la convergence:* Actas del Congreso intern. de fil. de Barcelona, vol.1 p.401-415.

333. Sententiae. *Prima* est thomistarum probabilioristarum affirmantium probabilitatem minorem disparere in conflictu cum maiori probabilitate.

Secunda tenet certitudinem secari posse in varios gradus probabilitatis, velut in totidem fractiones, et ex illorum complexione posse certitudinem coalescere, sicut unitas numerica ex congerie plurium fractionum; sic aliqui mathematici assertores calculi probabilitatis, ut CONDORCET, LA PLACE, etc.; et pauci Philosophi, ut C. BONNET († 1793), GRAVESANDE († 1742), ANTONIUS GENUENSIS († 1769) et GALLUPPI (1770-1846) [7].

Tertia denique, quae est *nostra,* asserit in primis opinionem aliquam non elidi nisi per contradictoriam certam non autem per mere probabilem vel probabiliorem, et secundo asserit differentiam essentialem inter opinionem et certitudinem, ita ut ex prima nullo modo exsurgat secunda, nisi detur convergentia probabilitatum. Et haec sententia videtur certa, saltem practice.

334. Probatur thesis. I P. PROBABILITAS UNIUS OPINIONIS NON ELIDITUR PER AEQUALEM VEL MAIOREM PRO CONTRADICTORIO.

Nam tunc solum destrueretur probabilitas unius opinionis per aequalem vel maiorem oppositam, si huius argumenta destruerent argumenta partis prioris; *atqui* hoc non contingit; *ergo* prior non eliditur per probabilitatem ullam oppositam.

Maior: si enim argumenta prioris probabilitatis non destruuntur, servant suam vim, ideoque probabilem faciunt sententiam pro qua stant.

Minor: argumenta enim prioris partis tunc solum destruerentur si sententia contraria esset certa; sed non est, ex supposito; *ergo* non destruuntur. Quod clare apparet, quia argumenta pro utraque parte contradictionis sunt disparata, nempe ex diverso tracta capite, et directe inter se non opponuntur; hinc simul manere suamque vim servare possunt.

Illustratur exemplis. Si pro una sententia stent septem auctores graves, et pro opposita stent tres non minus graves, posterior sententia veram probabilitatem externam possidet, etsi alia maiorem habeat. Pariter probabile manet puerum ex morbo, in quo septuaginta pueri mori, triginta autem

[7] Apud SANSEVERINO, *Criteriologia* c.1 a.1 n.5.

convalescere solent, incolumem evasurum, licet probabilitas infelicis exitus sit maior.

Ergo intellectus potest ita iudicare: *haec sententia est vera, sed opposita est probabilis, vel etiam probabilior.* Nulla enim est oppositio; quia in primo iudicio dicitur rem esse veram, in secundo autem non dicitur rem non esse veram, sed pro opposita adesse rationes probabiles vel probabiliores.

335. II P. EX SUMMA PROBABILITATUM NON GIGNITUR CERTITUDO.

Singulae probabilitates carent firmitate assensus; *atqui* si singulae carent firmitate assensus, etiam summa caret; *ergo* ex summa probabilitatum nequit exsurgere firmitas assensus seu certitudo.

Maior ex definitione probabilitatis et opinionis; est enim assensus non firmus, sed cum formidine oppositi.

Minor: quia si unaquaeque probabilitas est nihil in ordine ad firmitatem, etiam summa erit nihil in ratione certitudinis, sicuti si singuli mendici careant pecunia, etiam collectio mendicorum carebit pecunia.

Dices contra hoc argumentum; etiam singuli milites non sunt exercitus, et tamen summa eorum facit exercitum; similiter singulae probabilitates non habent firmitatem, tamen collectio habebit.

Nego paritatem; singuli milites non faciunt exercitum adaequate, sed certe inchoative; exercitus enim est summa individuorum armatorum, et consequenter unusquisque est pars exercitus; sed in nostro casu firmitas assensus non est neque inchoative in singulis probabilitatibus, ut patet ex ipsa definitione probabilitatis.

336. III P. BENE AUTEM EXSURGIT CERTITUDO EX EARUM PROBABILITATUM CONVERGENTIA.

Illud constat cum certitudine formali etiam perfecta, quod est unica ratio sufficiens alicuius facti patentis; *atqui* saepe veritas illius enuntiabilis, ad quod attestandum plura indicia probabilia concurrunt, est unica ratio sufficiens explicans factum mirae illius convergentiae; *ergo* saepe constabit cum certitudine etiam perfecta de veritate illius enuntiabilis, ad quod attestandum plura indicia probabilia concurrunt.

Maior; facta enim debent habere rationem sufficientem; *ergo* si aliquid est unica ratio sufficiens illius facti debet admitti cum certitudine.

Minor exemplo illustratur. Sunt permulti casus in quibus spectata varietate, independentia, numero indiciorum aut tes-

tium, eorum convergentia ad idem testificandum aliter explicari nequit, nisi admissa veritate illius, quod enuntiant.

Ita in re historica consensus omnium ephemeridum diversarum etiam nationum in referendo aliquo facto maioris momenti, quod uni nationi gratum, aliis e contra ingratum est, non habet rationem nisi in veritate facti narrati.

In re iudiciali identificatio illius scelerati, cuius descriptio clara habetur; item comparatio duarum compositionum, quarum altera suspicionem movet ne sit mera alterius transcriptio furtim facta, ostendit usque ad minutissima quaeque easdem particularitates cogitationum, dictionis, menda etc...

In multis eiusmodi casibus absque dubio ullo possibili conclusio simpliciter certa dicenda est [8].

337. Obiectiones. 1. Probabilitates se habent sicut pondera in statera; *atqui* in statera pondus maius necessario vincit minus; *ergo* etiam probabilitas maior vincet minorem.

Nego paritatem; nam pondus maius determinat stateram ut inclinetur, sed probabilitates oppositae tales sunt, quae non sufficiant ad determinandum intellectum ad assensum, etiam si magnae sint et etiam si non habeant probabilitatem oppositam. Ratio autem intrinseca est, quia pondus maius est quantitas, ideoque per unam partem potest aequare pondus minus, et per aliam reliquam potest determinare stateram; sed probabilitates non sunt quantitates, ideoque non habent partes, quarum una aequet minorem probabilitatem et aliae determinent intellectum; nullam enim habent vim ad determinandum intellectum.

338. 2. Duae propositiones contradictoriae non possunt esse simul verae; *ergo* neque simul probabiles; *ergo* si una est probabilis vere destruit probabilitatem alius.

Conc. antec. Nego primum consequens. Probabilitas enim non supponit veritatem ipsius enuntiabilis, quod dicitur probabilis, sed veritatem motivi, quod hoc enuntiabile suadet.

3. Motivum verum nequit suadere falsum; *atqui* propositio falsa probabilis haberet motivum verum, quod suaderet falsum; *ergo* duae propositiones contradictoriae nequeunt esse simul probabiles.

Dist. mai.: Motivum verum infallibile, *conc.*; fallibile, *subd.*: nequit suadere falsum ut falsum est, *conc.*; ut imitans aliquo modo verum, *nego.*

339. 4. Mens non potest simul affirmare et negare veritatem alicuius propositionis; *atqui* videre duas propositiones oppositas esse simul probabiles est affirmare et negare simul veritatem eiusdem propositionis; *ergo* saltem pro eodem intellectu probabilitas unius propositionis destruit probabilitatem alterius.

---

[8] Ulterior explicatio huius convergentiae in thesi inductionis datur. Cf. praeterea circa eius applicationem PINARD *Essai sur la convergence des probabilités:* RevNeoscol (1919.1920); praesertim ad res apologeticas CARD. NEWMAN, *Grammar of Assent* p.2 c.8 par.2.

Conc. mai. Nego min. Alius enim est assensus in ipsam propositionem, alius vero in valorem motivi.

5. *Probo min.*: Affirmare unum motivum esse probabile est negare implicite motivum oppositi esse probabile; *ergo.*

Dist. antec.: Cum motiva sunt directe opposita ut se mutuo elidant, *trans.*; cum non sunt directe opposita, *subd.*: si alterum motivum sit infallibile, *conc.*; si ambo sint fallibilia, *nego.*

340. 6. Illa convergentia potest oriri ex eo quod omnes mentiti sunt, vel erraverunt eodem modo et errore; saltem inspecto calculo probabilitatum hic est unus ex casibus possibilibus; *ergo* non requiritur veritas enuntiabilis, ut ratio sufficiens convergentiae.

Dist. antec.: Considerando rem in quantum gubernaretur per solum calculum probabilitatum, *conc.*; in quantum gubernatur etiam legibus moralibus et Providentia Dei, *nego.* Calculus enim probabilitatum respicit unice aspectum quantitativum, dum convergentia attendit ad qualitativum.

ARTICULUS II

DE DEFINITIONE CERTITUDINIS ABSOLUTAE

Thesis 21. Certitudo absoluta bene definitur: assensus mentis necessario verus, praestitus ex motivis, quae oppositi possibilitatem simultaneitatis excludunt, cognitis ut talibus.

PESCH-FRICK, *Logica* n.870s; URRÁBURU, *Logica* p.471; FRICK, *Logica* n.213s; NABER, *Critica*, p.89s.

341. Nexus. Postquam de opinione aliquid diximus, quo modo nempe a certitudine differat et sub qua condicione certitudinem gignat, nunc iam de ipsa certitudine agendum venit. Et in primis quid certitudo.

342. Notiones. CERTITUDO est nomen abstractum, quod indicat formam qua certa constituuntur talia. Patet enim ex experientia dari iudicia et enuntiabilia, quae certa, alia quae incerta sunt.

Ex reflexione vero constat elementa communia horum iudiciorum certorum esse haec:

1. *Mens revera dat assensum suum,* itaque clare distinguitur hic mentis status ab aliis in quibus assensus non datur, v. c. a dubio.

2. *Assensus datur sine ulla formidine errandi,* scilicet *firmus;* et ita clare distinguitur ab assensu opinativo, qui semper datur cum formidine errandi, neque firmus esse potest.

3. *Et ratio huius differentiae datur ex parte motivi,* quod omnino diversum est in opinione et in certitudine, et ex parte cognitionis in certitudine semper evidentis.

343. DIVISIO. Prout huiusmodi elementa dentur aut non dentur, certitudo potest esse:

1. *Mere subiectiva, seu existimata,* in qua adest assensus firmus, non vero motivum obiective connexum cum rei veritate, sed solummodo putatur adesse. Unde haec certitudo est omnino *irrationalis.*

2. *Obiectiva* est ipsa rei veritas in se spectata, tali modo manifestata ut postulet firmum assensum vere certum; unde est potius certitudo causaliter spectata.

3. *Formalis,* seu certitudo simpliciter, est illa in qua, utraque et subiectiva et obiectiva coniunguntur, nempe status firmus assensus ob evidentiam motivi sine formidine prudenti errandi.

CERTITUDO VERO ABSOLUTA SEU PERFECTA, de qua in thesi, illa est, quam de facto vidimus nos possidere in prima parte circa solutionem problematis critici, quando nempe affirmabamus exsistentiam propriam et actuum nostrorum et principiorum non contradictionis et causalitatis. Dicitur *absoluta* quia in nulla hypothesi potest deficere. Opponitur vero imperfectae seu *hypotheticae,* quae utrum detur ad thesim sequentem relinquimus.

344. POSSIBILITAS SIMULTANEITATIS significat non posse simul dari, sed certe separatim dari, non enim excludit *simultaneam possibilitatem.* Nempe dicimus non esse possibile dari simul tale motivum et contradictorium propositionis; sed esse possibile simul in rebus contingentibus dari vel motivum sine contradictorio vel contradictorium sine motivo.

345. Status quaestionis. Supposita iam aliunde exsistentia certitudinis, quaeritur in hac thesi eius essentia, et quidem certitudinis absolutae, quae ab omnibus admittitur et tribus elementis continetur, unde totidem partes in thesi.

346. Sententiae. *Prima* negat thesim vel quia non admittit exsistentiam certitudinis ut sunt omnes sceptici universales, vel quia si admittunt eam solummodo admittunt ex ali-

qua necessitate mere subiectiva, vel ex quadam utilitate practica, sed non ex aliqua evidentia obiectiva propter motivum reale; ita subiectivistae, pragmatistae, vitalistae etc. de quibus omnibus iam satis dictum est.

Secunda affirmat haec elementa dari saltem in certitudine perfecta seu absoluta, quam omnes scholastici admittunt.

347. Probatur thesis. I P. CERTITUDO ABSOLUTA est ASSENSUS MENTIS NECESSARIO VERUS.

1. Si assensus absolute certus posset esse falsus, numquam intellectus posset habere ullam certitudinem formalem; *atqui* hoc admitti nequit; *ergo* assensus absolute certus nequit esse falsus.

Maior: nam si sub plena evidentia maximi motivi intellectus posset errare, a fortiori posset etiam errare sub peioribus adiunctis; *ergo* numquam sciret se possidere veritatem obiectivam firmam, seu habere certitudinem formalem.

Minor patet ex experientia nostra in solutione problematis circa veritatis et certitudinis exsistentiam, et ex refutatione scepticismi.

2. (*Aliter.*) Ex prima parte constat intellectum nostrum esse facultatem ad verum firmiter assequendum; *atqui* si in assensu absolute certo posset errare non esset talis facultas; *ergo* intellectus in assensu absolute certo nequit errare, seu ille assensus est absolute et necessario verus.

Maior etiam ab adversariis admittitur.

Minor, si enim in illo assensu posset errare; *ergo* etiam in omni, *ergo* numquam firmiter assequeretur veritatem, quare non esset facultas ad veritatem firmiter assequendam.

348. II P. CERTITUDO ABSOLUTA EST ASSENSUS PRAESTITUS EX MOTIVIS, QUAE OPPOSITI POSSIBILITATEM SIMULTANEITATIS EXCLUDUNT.

Assensus absolute certus debet esse absolute verus seu necessitate absoluta verus; *atqui* assensus absolute verus non habetur nisi ex motivo omnino insociabili cum contradictorio, quod oppositi possibilitatem simultaneitatis excludat; *ergo* ad assensum absolute certum requiritur motivum omnino insociabile cum contradictorio, quod oppositi possibilitatem simultaneitatis excludat.

Maior patet ex anteriori parte.

Minor: nam si motivum non esset tale, posset componi cum contradictorio saltem in aliqua hypothesi; *atqui* in illo casu certitudo illa absoluta non esset in verum, sed in falsum, quod repugnat; *ergo.*

349. III P. REQUIRITUR UT ILLA MOTIVA UT TALIA COGNOSCANTUR.

Assensus certus debet esse rationalis; *atqui* assensus certus praestitus non cognita infallibilitate motivorum, ratione firmitatis non esset talis, sed assensus irrationalis; *ergo* ad certitudinem perfectam requiritur ut illa motiva cognoscantur ut talia, nempe ut insociabilia omnino cum contradictorio.

Min.: Nam etiamsi motiva in se essent fortissima, pro intellectu qui eorum vim non cognosceret, essent tamquam si non essent; igitur si in hoc casu absolute assensum poneret, hoc caeco modo faceret, non propter evidentiam motivorum.

350. Obiectiones [1]. 1. Certitudo absoluta dicitur status perfectus mentis; *atqui* saltem pro intellectu humano talis perfectio non datur; *ergo* saltem pro mente humana talis certitudo non datur.

Nego minorem.

Probo min.: Status perfectus non habetur nisi in cognitione rerum adaequata per ultimas causas; *atqui* mens humana non potest habere tales cognitiones; *ergo* pro mente humana talis status perfectus non datur.

Dist. mai.: Si status perfectus intelligitur ratione veritatis formaliter spectatae et ratione firmitatis assensus, *nego;* si intelligitur ratione totius ambitus obiectorum materialium, *conc. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*

351. 2. Error potest esse perfecte certus; *ergo* assensus perfecte certus non est absolute verus.

Nego antec.

Probo antec.: Assensus qui est necessarius est perfecte certus; *atqui* assensus erroneus est saepe necessarius; *ergo* assensus erroneus est saepe perfecte certus.

Dist. mai.: Assensus necessarius necessitate absoluta et invincibili, *conc.;* vincibili, *nego. Contradist. min.*

3. Falsum potest ut verum apparere et simul abesse omnis ratio suspicandi falsitatem; *atque* in hoc casu nequit mens assensum cohibere et invincibiliter errat; *ergo* aliquando potest mens invincibiliter errare.

Dist. mai.: falsum potest clare et evidenter ut verum apparere, ita ut nullo modo eius falsitatem suspicari possimus, *nego;* potest magnam speciem viritatis prae se ferre, *conc. Contradist. min.*: si nullo modo posset suspicari falsitatem, *conc.;* secus, *nego.*

[1] Cf. C. FRICK, *Logica* n.224s.

352. 4. Ad certitudinem sufficit ut formido erroris excludatur; *atqui* formido erroris excluditur motivis quae solum probabilitatem sed non omnem possibilitatem contradictorii excludant; *ergo* non requiruntur motiva, quae omnem possibilitatem simultaneitatis excludant.

Dist. mai.: ad aliqualem certitudinem mere practicam, *conc.;* ad perfectam, *nego. Trans. min.* et *pariter dist. cons.*

5. Si esset excludenda possibilitas contradictorii, certitudo perfecta solum haberetur de rebus necessariis; *atqui* etiam habetur de contingentibus; *ergo* non est excludenda possibilitas contradictorii.

Dist. mai.: si esset excludenda possibilitas simultanea, *conc.;* si solum possibilitas simultaneitatis, *nego. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*

6. Ecclesia docet ante assensum fidei requiri certitudinem revelationis divinitus factae, et tamen ipsum actum fidei esse actum liberum et meritorium; *atqui* cum cognitione evidente revelationis divinitus factae non stat libertas assensus fidei; *ergo* admittenda est vera certitudo non evidens.

Conc. mai. Nego min. ut ex ostensione certitudinis liberae apparebit.

ARTICULUS III

DE DIVISIONE CERTITUDINIS FORMALIS

Thesis 22. Praeter certitudinem metaphysicam, quae sola est perfecta seu absoluta, etiam certitudines quae dicuntur physica et moralis sunt verae certitudines, licet imperfectae.

URRÁBURU, *Logica* p.498s; FRICK, *Logica* n.228s; MERCIER, *Critériologie* n.35s; NABER, *Critica* n.315s; DÁVILA, *Critica* n.225; PALMIERI, *Logica* th.9; VAN DER AA, *Logica obiectiva* prop.11; L. OLLÉ-LAPRUNE, *De la certitude morale* [9] (Paris 1924).

353. Nexus. Posita exsistentia et definitione certitudinis absolutae quaeri potest utrum praeter illam aliae dentur certitudines, quae sint velut classes vel species diversae certitudinis. Hoc affirmamus in thesi praescindendo a quaestione utrum illae certitudines sint verae species unius generis communis, vel utrum sint analogata alicuius notionis analogae, ut plurimi tenent [1].

354. Notiones. CERTITUDO est, ut antea indicavimus, assensus firmus in aliquam partem contradictionis sine prudenti formidine errandi.

[1] Cf. P. GENY, *Critica* n.158; C. FRICK, *Logica* n.232.

Dicitur vero *metaphysica, physica* vel *moralis*[2] non ex elemento materiali, ex eo nempe quod enuntiabile, in quod cadit, ad ordinem metaphysicum, physicum vel morale pertineat, sed ex elemento formali, scilicet prout assensus determinetur a motivo, quod sit necessitatis metaphysicae, physicae vel moralis. Ad quam notionem bene intelligendam explicandum est quid sit necessitas, quaeque eius divisio.

355. Necessitas est id quo aliquid debet esse tali modo et non alio. Potest esse:

a) *necessitas absoluta seu perfecta,* quae ab omni condicione ulterius ponenda independens est, ut nec per divinam omnipotentiam deficere vel alio modo esse possit, v.c. idem non posse esse simul et non esse, me cogitantem exsistere, etc. Unde illud *motivum* est *metaphysicum* seu absolute necessarium, ad quod ex necessitate absoluta sequitur veritas enuntiabilis, cuius est motivum. Certitudo autem, quae ex perceptione talis motivi sequitur, dicitur absoluta seu metaphysica. Itaque dari potest certitudo metaphysica seu absoluta de exsistentia rei contingentis, si adsit nempe motivum cum quo repugnet absolute huius non exsistentia, v. c. exsistentia propria, cogitationis, dum cogito. Alia vero est

b) *necessitas hypothetica* seu imperfecta illa cuius effectus absolute pendet a condicione verificanda, v. c. hic ignis appositus stuppae cremabit, sed a condicione *nisi Deus faciat miraculum,* pendet. Potest exceptiones pati, et aliquando non sortiri suum effectum, prout illa condicio ponatur vel non ponatur. Haec hypothetica necessitas duplex est:

1. *Physica,* quae est illa determinatio ad talem agendi modum, quae enascitur ex ipsa intima natura physica rerum, ita ut, positis omnibus ad agendum praerequisitis, debeat ita agere. Exsistentiam et naturam talis determinationis seu legis physicae hic supponimus, quia alibi de ipsa disputatur[3].

Unica exceptio possibilis in hac necessitate physica esset per interventum ipsius Creatoris, qui propter rationes a se intentas non tollit ipsam legem, sed effectu naturali frustrat; quae exceptio *miraculum* dicitur.

[2] Affirmant aliqui hanc divisionem veteres ignorasse; vide v. c. J. Alejandro, Actas del Congreso intern. de fil. de Barcelona, 1 p.299; tamen multa loca citari solent Divi Thomae, in quibus certitudinem physicam admittere videtur; cf. Urráburu, *Inst. Phil. Logica* p.499 in nota.

[3] Si aliquis vero negaret exsistentiam harum legum, quaestio iuxta illum nullum haberet sensum, ideoque ab ipso praetermitti posset; vide P. Geny, *Critica* n.148 in nota.

2. *Moralis* est illa necessitas quae ex lege morali oritur. Lex vero moralis, sensu physico non ethico est illa, quae ex ipsis tendentiis et inclinationibus intimis et constantibus ipsius naturae rationalis resultat, ita ut exceptio, etsi non superet hominis vires, tamen non fiat nisi violentiam inferendo ipsis tendentiis fortissimis naturae, sic v. c. ex instinctu conservationis propriae omnis homo fugit periculum vitae, ex instinctu speciei omnis mater diligit filium suum, etc.

356. Bene tamen distinguenda est *certitudo moralis stricta* a *certitudine morali lata.* Haec enim intelligitur maxima illa probabilitas, qua saepissime in vita quotidiana contenti esse debemus, et quae sufficit ad honeste agendum. Hodie abusive frequens est usus termini certitudinis moralis ad significandam: *a)* certitudinem illam, quae requiri solet de rebus moralibus, et de agibilibus, quod est eius elementum materiale, et *b)* ad significandum omnem assensum, qui positus sit sub influxu voluntatis, quo fit ut ille actus iam sit moraliter meritorius vel demeritorius [4].

357. Certitudo hypothetica pariter distinguenda est a *certitudine respectiva.* Haec enim est illa quae nititur motivis, quae sufficiunt quidem pro ingenio alicuius hominis, vel determinatae classis hominum, v. c. rudis, pueri, sed non satisfit omni simpliciter ingenio. Quaestio est momenti potius theologici; disputatur enim quaenam stricta requirantur et sufficiant, ut etiam puer elicere possit actum fidei, qui debet esse simul obsequium rationale. Talis assensus minime caecus est seu illegitimus, etsi nequeat dici formaliter certus.

358. CERTITUDO IMPERFECTA. His positis, definimus certitudinem imperfectam, scilicet physicam aut moralem: "*assensum, quo factum aliquod non directe in propria realitate apprehensum affirmatur propter aliquam legem physicam aut moralem, quae illud exigit*» [5]. Unde sequitur:

1. Non agi de exsistentia ipsius legis, quae potest esse metaphysice certa, sed de aliquo facto particulari ex illa lege tamquam antecedente inferendo.

2. Nec de assensu hypothetico, v. c. homo stans super aquas mergetur, si miraculum non fit; hoc enim est absolute certum. Sed de assensu dando huic enuntiabili: hic homo mer-

---

[4] Circa hos diversos sensus cf. HARENT, art. *Foi* in DTC 209.
[5] Cf. P. GENY, *Critica* c.9.

getur. Proinde non ipsum enuntiabile est hypotheticum, sed necessitas motivi.

3. Nec de casu in quo certitudo physica et moralis fit metaphysica, et tunc dicitur *reductive metaphysica,* si ex adiunctis nempe potest demonstrari repugnare absolute in aliquo casu particulari hypothesim miraculi vel exceptionis moralis. Qui casus non raro dari potest, si v.c. demonstretur aliquod factum de se defectibile vel possibile repugnare cum sapientia et sanctitate Dei indefectibili.

359. Status quaestionis. Quaeritur utrum illi assensus qui ob motivum physicum et morale ponuntur, et communiter certi dicuntur, revera sint certi, vel potius sint maximae probabilitates, quae mere abusive et vulgari modo certitudines dicantur. Proinde quaeritur, utrum ad certitudinem requiratur necessitas indefectibilis motivi, an sufficiat vera necessitas, sed essentialiter defectibilis. Unde aliquibus videtur haec quaestio tantum de nomine seu de definitione certitudinis strictius vel latius ponenda: utrum ad certitudinem requiratur praesentia actualis veritatis, an sufficiat solum exigitiva. Sed haec quaestio de nomine seu de facto intime cohaeret cum quaestione de iure, seu de ipsa certitudinis essentia.

360. Sententiae. *Prima* est eorum qui, ex eo quod omnem certitudinem negent, nullam eiusdem admittunt divisionem, et eorum, qui cum ex fundo subiecti omnem certitudinem enasci dicant, solum absolutam admittunt, ut sunt *conceptualistae subiectivistae* omnis generis.

Secunda est quorumdam scholasticorum, qui nimium indulgentes modo cogitandi rationalistarum et mathematicorum tenent certitudinem obiectivam aut metaphysicam esse aut nullam; sic PALMIERI [6], VAN DER AA [7], LAHOUSSE, ROTHENFLUE.

Tertia denique, quae est *nostra,* est communissima inter scholasticos, et affirmat certitudinem physicam et moralem, quamvis possint aliquando ad metaphysicam reduci, tamen de se esse vere et proprie certitudines imperfectas, et non mere actus opinativos.

361. Probatur thesis. I P. SOLA CERTITUDO METAPHYSICA EST PERFECTA.

Illa certitudo est sola perfecta, quae nititur motivo exclu-

[6] *Inst. Phil.* 1, th.9 p.150.
[7] *Logica obiectiva* prop.11 p.46

dente absolutam possibilitatem simultaneitatis contradictorii; *atqui* sola certitudo metaphysica nititur tali motivo; *ergo* sola certitudo metaphysica est perfecta.

Maior patet ex definitione certitudinis perfectae.

Minor vero ex notione certitudinis metaphysicae.

362. II P. ETIAM CERTITUDINES, QUAE DICUNTUR PHYSICA ET MORALIS, SUNT VERAE CERTITUDINES, LICET IMPERFECTAE.

1. (*Negative.*) Si assensus positus ob motivum physicum aut morale non esset proprie certus, licet imperfecte, reduceretur ad maximam probabilitatem, prout ipsi adversarii affirmant; *atqui* hoc dici nequit; *ergo* eiusmodi assensus sunt vere et proprie, licet imperfecte, certi.

Maior patet, et ipsi adversarii eam tenent.

Minor prob.: Inter illas res in quibus datur differentia essentialis una non potest esse aut reduci ad aliam et quidem absolute, v. c. inter hominem et bestiam; *atqui* inter assensum praestitum ob motivum physicum et morale, et assensum ob motivum mere probabile datur haec differentia essentialis; *ergo.*

Minor ultima: nam in primo datur exigentia realitatis, in altero vero nulla talis exigentia datur, vel saltem non cognoscitur dari, quod idem est ac si non daretur.

2. (*Positive.*) Ille assensus est formaliter certus, qui 1) datur ob motivum, quod cognoscitur natura sua et per se exigere ut res ita sit, et 2) ab eo consequenter abest omnis formido prudens errandi; *atqui* utrumque habetur in assensu moraliter et physice certo; *ergo* in assensu ob motivum physicum et morale datur vera certitudo.

Maior ex definitione certitudinis formalis, quam omnes homines solent admittere, et admitti debet, quia primum dat constitutivum essentiale certitudinis, alterum vero consequens.

Minor probatur per partes: 1) nam in certitudine physica et morali cognoscitur adesse legem; iam vero ubi cognoscitur adesse legem, cognoscitur adesse exigentiam, ut res ita se habeat, et ut excludatur, in suo ordine, possibilitas oppositi; 2) ibi non est formido prudens ubi malum non imminet, nec est ulla ratio positiva illud suspicandi; *atqui* in nostro casu malum non imminet, nec est ulla ratio positiva illud suspicandi; *ergo* in nostro casu nulla adest formido prudens.

Maior ultima: nam mera possibilitas non est ratio sufficiens ad dubitandum vel timendum; ratio enim sufficiens formidinis errandi non est in malo mere possibili, sed in pendente aut appropinquante.

363. Scholion. *Utrum certitudo admittat gradus.* Praeter hos gradus essentiales, qui secundum thesim in certitudine dantur, exsistunt praeterea gradus accidentales et quidem in omni ordine certitudinis. Hi gradus accidentales non dantur quoad absentiam formidinis; nam aut excluditur formido aut non; si alterum nulla est certitudo; si vero primum nihil manet excludendum ulterius; certe vero quoad firmitatem assensus, quae proportionatur sive motivis, quae assensum movent, sive claritati, qua haec motiva menti apparent, sive etiam influxui voluntatis; quae omnia, ut patet, gradus admittunt diversos etiam in unoquoque ordine certitudinis. Inde in certitudine distinguenda est indubitabilitas et aestimatio, quae non eundem gradum obtinent. In iudicio enim hoc: duo et duo sunt quattuor, indubitabilitas maior est quam in hoc altero: Deus exsistit, vel Deus est trinus et unus, sed aestimatio seu consideratio motivorum et dignitas ipsorum maior est in altero.

364. Obiectiones[8]. 1. Aut constat certo Deum in casu particulari non facturum miraculum aut non constat; *atqui* si primum habemus certitudinem metaphysicam, si alterum nullam; *ergo* omnis certitudo est metaphysica.

Conc. disiunctionem, dist. primum membrum minoris: si constat certo certitudine metaphysica Deum non facturum miraculum, habemus certitudinem metaphysicam, *conc.;* si constat certo, sed non certitudine metaphysica, *nego. Dist. etiam secundum membrum minoris*: si non constat certo certitudine metaphysica Deum non facturum miraculum, nullam habemus certitudinem, *nego;* si non constat certo Deum non facturum miraculum, scilicet, si adsunt rationes positivae miraculum suadentes nullam habemus certitudinem, *conc.* In hoc casu debet mens suspendere iudicium firmum; sed si tales rationes non adsunt tunc illae leges retinent totam suam vim necessariam et mentem ad assensum firmum et sine formidine prudenti errandi determinant.

365. 2. Certitudo imperfecta repugnat; *atqui* certitudo physica et moralis dicuntur certitudines imperfectae; *ergo* repugnant.

Nego maiorem.

Probo mai.: Quod constituitur ratione quae stat in indivisibili et non admittit magis et minus, aut est perfectum aut nullum; *atqui* certitudo formalis constituitur tali ratione, nempe absentia formi-

[8] Vide D. PALMIERI, *l. c.*

dinis; *ergo* aut est perfecta aut nulla, et proinde imperfecta repugnat.

Dist. mai.: Quod unice constituitur tali ratione quae stat in indivisibili, *conc.;* quod partim tali ratione, partim ratione, quae admittit diversitatem, *subd.*: aut est perfectum aut nullum quoad primam rationem, *conc.*; quoad alteram, *nego. Pariter dist. cons.* Alterum enim elementum est firmitas positiva, quae commensuratur necessitati motivi; quare diversitas essentialis in necessitate motivi includit necessitatem diversam in ipsam certitudinem.

3. Leges physicae non tribuunt actui iudicii exigentiam veritatis. Nam semper manet miraculum possibile; *atqui* talis possibilitas tollit a iudicio, propter leges illas posito, omnem exigentiam veritatis; *ergo.*

Conc. mai. Dist. min.: tollit exigentiam absolutam veritatis, *conc.;* exigentiam physicam, *nego. Pariter dist. cons.* Vis enim legum quoad certitudinem non tollitur per meram possibilitatem miraculi, sed per rationes positivas, quae hic et nunc suadeant miraculum.

366. 4. Certitudo formalis in falsum est quid absurdum; *atqui* certitudo quae dicitur physica vel moralis potest esse in falsum; *ergo* sunt quid omnino absurdum.

Dist. mai.: si certitudo definiatur per praesentiam ipsam realitatis vel facti, quod affirmatur, *conc.;* si definiatur per exigentiam realitatis vel facti, *nego. Trans. min.,* et *pariter dist. cons.*

5. Sed impossibile est veram certitudinem cum falsitate coniungi; *atqui* certitudo physica et moralis possunt coniungi cum falsitate; *ergo* non sunt verae certitudines.

Dist. mai.: Impossibile est sive metaphysice, sive physice, sive moraliter, *conc.;* solum metaphysice, *nego. Contradist. min.*: Est metaphysice possibile certitudinem physicam et moralem coniungi cum falsitate, *conc.*; est physice et moraliter possibile, *nego.*

Proinde mens potest rationabiliter ponere suum assensum firmum, quoties habeat motivum physicum et morale, et non adsint rationes positivae contrarium suadentes; tunc enim veritati necessariae sive physice sive moraliter adhaerebit.

367. 6. Necessitas quae deficere posset non est vera necessitas; *atqui* talis est necessitas legis physicae vel moralis; *ergo* non est vera necessitas.

Nego mai. vel dist.: non est necessitas absoluta et perfecta, *conc.*; non est vera necessitas licet imperfecta, *nego.*

7. Experientia constat non examinari motiva in vita quotidiana pro exsistentia miraculi; *atqui* hoc significat illos actus vel reductive metaphysicos, vel mere opinativos esse; *ergo* in vita quotidiana non datur certitudo imperfecta.

Dist. mai.: constat motiva non examinari reflexe, *conc.;* implicite, *nego. Contradist. min.*: hoc probat illos actus esse reductive metaphysicos, si absolute existimatur non adesse rationes, *conc.*; secus, *nego.* Ex probatione vero theseos patet non esse mere opinativos.

368. 8. Certitudo non datur ubi omnis formido non excluditur; *atqui* in certitudine physica vel morali omnis formido non excluditur; *ergo.*

Dist. min.: ubi omnis formido prudens erroris non excluditur, *conc.*; imprudens, *nego. Contradist. min.*: non excluditur omnis formido imprudens, *conc.*; prudens, *nego.*

9. Motivum quod ex circumstantia mere extrinseca, v.c. ex eo quod ego cogitem de possibilitate miraculi, vim suam amittit, non est motivum sufficiens certitudinis formalis; *atqui* tale est motivum legis physicae vel moralis; *ergo* motivum physicum vel morale non sunt motiva sufficientia ad certitudinem formalem.

Trans. mai. et *nego suppositum minoris:* meram cogitationem de possibilitate exceptionis tollere vim motivi.

Probo suppositum ex experientia: Sunt aliqui in primis mathematici et multi metaphysici, qui ita timeant cum tali cogitatione; *ergo.*

Dist. antec.: et hi sunt considerandi in statu normali, *nego;* aliter, *conc.*

ARTICULUS IV

De certitudinis proprietatibus

Thesis 25. Certitudo quandoque necessaria est, quandoque libera, non solum remote et indirecte, sed etiam proxime et directe.

S. Th., *De verit.* q.24 a.1; Suárez, *De fide,* et auctores scholastici in eodem tractatu; S. Harent, DTC, art. *Croyance col.* 2377-8.2384-87; A. Chollet, DTC, art. *Certitude* col.2162; Ollé-Laprune, *La certitude morale* (Paris 1880); Card. Newman, *Grammar of assent* (Londres 1892); Billot, *de Virtutibus infusis;* Jeannière, *Criteriologia* th.3 p.44; Naber, *Critica* p.188-195; Pesch-Frick, *Logica* n.889s; Dávila, *Critica* n.269-275; Geny, *Critica* n.165-185.

369. Nexus. De proprietatibus certitudinis oportet nunc agere. Maioris vero momenti est cum ad quaestiones apologeticas, tum etiam ad fidei quaestiones, tractare de partibus, quas voluntas et aliae facultates in nostros actus certos habeant. Utrum et quo sensu detur certitudo libera et necessaria. Nam ex una parte intellectus videtur determinari ad assensum ex evidentia motivi; sed aliunde experientia constat, non semel, etiamsi detur motivum necessario connexum cum realitate et clare menti propositum, intellectum minime determinari ad assensum, ideoque requiri influxum liberum voluntatis [1] ut de facto iudicium ponat.

370. Notiones. Certitudo est necessaria, si intellectus percipit motivum cum plena evidentia et non potest cohibere assensum.

[1] Cf. L. Ollé-Laprune, *La certidude morale* c.2 *Le role de la volonté dans la certitude.*

CERTITUDO EST LIBERA, si intellectus percipit motiva ut sufficientia ad assentiendum certo, sed ita ut pro parte opposita occurrant difficultates speculativae, quas solvere nequit, vel difficultates ordinis practici, quae attentionem pro vera certitudine attenuent vel avertant; vel etiam cum intellectus videt motiva pro necessitate vel obligatione assentiendi in aliquod enuntiabile, sed quae non faciunt evidens ipsum enuntiabile. Hoc accidere potest, v. c. cum probatur *Dei exsistentia;* exsurgunt difficultates speculativae, quae oriuntur ex exsistentia mali moralis et physici in mundo; et etiam ordinis practici, ut esset necessitas vitam mutandi, si Deus exsistit. Vel cum ostenditur nos debere credere in Trinitatem et Eucharistiam, etc.; argumenta probant evidenter me debere credere, sed non ostendunt directe veritatem ipsius mysterii, vel saltem ad hoc non attendo. In his casibus [2] datur certitudo libera non quia voluntas suppleat defectum motivorum sufficientium ad ostendendam veritatem, sed quia, stantibus motivis sufficientibus ad certitudinem, compescit difficultates supervenientes, et iubet intellectum elicere assensum. Inde patet duplicem considerari posse insufficientiam motivorum:

371. INSUFFICIENTIA THEORETICA datur quando motiva de se ex natura sua non habent vim ad determinandum intellectum ad assensum, ut sunt motiva probabilia.

PRACTICA vero datur quando motiva de se ex natura sua habent vim ad determinandum assensum firmum mentis, sed tamen propter adiuncta seu difficultates vitae practicae non illum efficaciter determinant, ac proinde requiritur ad determinationem de facto habendam, ut voluntas influat.

372. REMOTE ET INDIRECTE influit voluntas in assensum certum, cum voluntas facit ut intellectus applicetur ad consideranda motiva, sed posita consideratione motivorum, assensus sequitur etiam renuente voluntate, vel sine ullo influxu voluntatis. Sic v. c. libere considero enuntiabile "duo et duo sunt quattuor" vel "anguli trianguli aequivalent duobus rectis"; sed consideratis motivis necessario assentior.

PROXIME ET DIRECTE influit voluntas in assensum certum, cum intellectus perspicit motiva quae ostendunt se possidere veritatem, sed tamen ob rationes ante indicatas non necessario sequitur assensus; et tunc voluntas facit ut intel-

[2] Alia exempla proponuntur a HARENT in DTC, art. *Croyance* col.2383.

lectus assentiatur. Rationes autem quae movent voluntatem ad imperandum hunc assensum non sunt ordinis speculativi, sed sunt bona quaedam allicientia et quae maxime aestimantur ob educationem, indolem, medium ambiens, habitus intellectuales, etc.

Tamen assensus non elicitur a voluntate, ut volebat DESCARTES[3], sed ab intellectu; agitur enim de affirmatione veritatis, quae ad intellectum non ad voluntatem pertinet. Voluntas enim movet intellectum ad assensum, sicut movet pedem ad deambulandum sed praesupposita perspicientia motivorum sufficientium pro enuntiabili.

373. LIBERTAS autem haec non solum refertur ad exercitium actus, sed etiam ad specificationem. Pertinet *ad exercitium actus* si a voluntate pendet ut intellectus assentiatur vel ut abstineat ab assensu; pertinet *ad specificationem* si a voluntate pendet ut ponatur assensus vel etiam dissensus.

374. CERTITUDO haec sub voluntatis influxu a veteribus *certitudo inevidentiae* dicitur, quae appellatio optima est, dummodo vetus servetur terminologia, quae solam evidentiam necessitantem agnoscit.

Dicta est etiam *certitudo credibilitatis,* scilicet ex evidentia credibilitatis, sed hoc nomen potius restringitur ad casum illum, praecipuum utique, sed non solum, quo veritas per testimonium cognoscitur.

Hodie etiam a multis dicitur "certitudo moralis" qui terminus tamen alium usum habet, ut vidimus; patet enim certitudinem liberam posse esse metaphysicam. P. HARENT proposuit ut certitudini formali liberae exclusive reservaretur vox, quae in diversis idiomatibus modernis actum credendi designat (*la creencia*) qui actus videtur influxum aliquem voluntatis importare. Forsan illa exclusiva affectatio vocis aptius fieret de voce "certitudo prudens". Sed vix, indicat P. GENY[4], est sperandum, terminologiam ullam fixam posse universim acceptari.

375. Status quaestionis. Quaestio praecipua, quae hic agitatur, non est utrum detur certitudo necessaria, quam omnes admittunt, nec utrum detur certitudo remote et indirecte libera, sed utrum detur certitudo formalis, quae sit libera, sub influxu nempe voluntatis proximo et quidem legitimo.

---

[3] Cf. sententiam cartesianam in thesi sequenti.
[4] In *Critica* n.179.

376. Sententiae [5]. *Prima* tenet omnem influxum proximum et directum voluntatis esse illegitimum; nam, si datur evidentia, haec determinat intellectum, si non datur, illegitime determinatur intellectus a voluntate. Sic intellectualistae exaggerati, ut PAUL JANET [6], E. RABIER [7] et aliqui scholastici ut FRICK [8]. Hi explicant assensum liberum fidei per influxum remotum voluntatis.

Secunda tenet influxum directum voluntatis admittendum esse, etiamsi motiva sine sufficientia perspecta sint. Tunc enim voluntas amore quietis et tranquillitatis determinat intellectum ut firmiter aliquid teneat iuxta illud: "sit pro ratione voluntas". Sic RENOUVIER [9], BROCHARD, PAYOT [10] et communiter protestantes liberales, qui voluntarismum exaggeratum fovent, sub influxu agnosticismi kantiani.

Tertia denique, quae est nostra et certa videtur, affirmat etiam percepta sufficientia motivorum posse aliquando dari interventum directum et proximum voluntatis assensum imperantis, et hunc influxum esse legitimum, quotiescumque mere insufficientiam practicam suppleat, non legitimum, si theoreticam. Hanc tenent multi theologi ad libertatem fidei explicandam [11]. Eam sequuntur multi philosophi scholastici [12].

377. I P. CERTITUDO QUANDOQUE NECESSARIA EST.

1. (*Ex experientia.*) Multa enuntiabilia cum tali evidentia sive mediata, sive immediata a nobis percipiuntur, ut intellectus etiam sponte assensum eliciat, vel saltem non possit actum positivi dissensus elicere; *atqui* hic assensus certus est necessarius; *ergo* quandoque certitudo necessaria est.

Maior patet ex experientia et exemplis ostenditur, v. c. principium non contradictionis et causalitatis et propria exsistentia necessario admittuntur ob evidentiam immediatam;

---

[5] Cf.P. GENY, *Critica* n.167-9.
[6] *Principes de Metaphysique et de Psychologie* (Paris 1897) t.2 p.467s.
[7] *Leçons de Psichologie* (Paris 1893) c.21 appendice.
[8] *Logica,* n.435.
[9] Cf. *Essai de Critique générale* deuxième essai (Paris 1875) deuxième partie; vide etiam *Critique de la doctrine de Kant* (Paris 1906).
[10] *De la croyance* (Paris 1895) p.32; cf. ipsa neocriticismi auctorum verba apud MERCIER, *Critériologie générale* n.81.
[11] Ita v. c. KLEUTGEN, *Theologie der Vorzeit* 4 B, n.213s; C. PESCH, *Praelectiones theol.* t.8 n.136s; *Ueber freies und unfreies Fürwalhalten:* ZkathTh (1886) p.36; et praesertim HARENT *in art. Croyance,* DTC.
[12] Sentiunt ita P. GENY, *Critica* n.169; J. DONAT, *Critica* th.18; JEANNIÉRE, *Criteriologia* th.3; RICHARD O. P., *Des causes de l'assentiment dans la croyance:* RevThom (1910) p.590; A. NABER, *Critica* p.188-95 etc.

angulos trianguli aequivalere duobus rectis necessario admittitur ob evidentiam mediatam.

Minor: hic enim adimpletur definitio facultatis necessariae, quae est illa quae positis omnibus praerequisitis ad agendum non potest non agere.

2. (*Ex definitione facultatis necessariae.*) Facultas necessaria est illa quae nequit omittere actionem cum eius obiectum ei rite proponitur; *atqui* intellectus est facultas necessaria, et saepe obiectum ei rite proponitur; *ergo* saepe intellectus assentitur cum necessitate.

Maior: ex definitione facultatis necessariae; si enim positis omnibus ad agendum praerequisitis non necessario operatur, non erit facultas necessaria, sed libera.

Minor: quod intellectus sit facultas necessaria ex psychologia patet, et breviter ostenditur: libertas enim versatur circa bonum et malum eligendum vel reiciendum; facultas autem quae versatur circa bonum et malum eligendum vel reiciendum est sola voluntas; *ergo* sola voluntas est libera, non vero intellectus.

378. II P. CERTITUDO QUANDOQUE EST LIBERA NON SOLUM REMOTE ET INDIRECTE, SED ETIAM PROXIME ET DIRECTE.

Datur certitudo formalis proxime et directe libera, si intellectus quandoque perspicit motiva sufficientia pro enuntiabili quae ostendunt nos possidere veritatem, et si pro opposito enuntiabilis suscitantur motiva speculativa quae nequeant facile solvi, vel motiva practica, quae attentionem ad motiva cognita attenuent vel avertant; vel si motiva ostendunt obligationem admittendi enuntiabile, non autem veritatem intrinsecam ipsius enuntiabilis; *atqui* hoc saepe accidit; *ergo* saepe datur certitudo formalis libera proxime et directe.

Maior: nam in his omnibus casibus assensus extorqueri non potest a solo obiecto, siquidem ob difficultates oppositas evidentia pro enuntiabili non sinitur exercere suas omnes vires, ut explicatum manet. Neque ab ipso intellectu potest poni, quia intellectus, ut facultas necessaria, non movetur nisi determinetur ab ipso obiecto, quod hic non accidit, ut visum est. Ergo non remanet nisi ut a voluntate moveatur, et quidem libere.

Minor patet ex explicatione data in notionibus.

379. Scholion. Haec doctrina verbis S. THOMAE illustrari potest: "Quandoque vero intellectus [*antea enim egerat Divus Doctor de assensibus necessariis*] non potest determinari ad alteram partem contradictionis neque statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quae eligit assentiri uni parti determinate et praecise propter aliquid quod est sufficiens ad movendam voluntatem, non autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire; et ita est dispositio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicuius hominis, quia videtur decens vel utile: et sic etiam movemur ad credendum dictis, inquantum nobis repromittitur, si crediderimus, praemium vitae aeternae: et hoc praemio movetur voluntas ad assentiendum his quae dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum" [13].

380. Obiectiones. 1. Certitudo est actus intellectus; *atqui* actus intellectus non potest esse liber; *ergo* certitudo nequit esse libera.

Conc. mai. Dist. min.: intellectus non est liber libertate interna proveniente ex facultate eliciente actum, *conc.;* libertate externa proveniente ex facultate imperante actum, *nego.*

2. Actus voluntatis non est actus rationalis; *atqui* certitudo libera debetur voluntati; *ergo* certitudo libera non est actus rationalis.

Dist. mai.: non est actus rationalis si non praesupponantur motiva ostendentia veritatem, *conc.*; si talia motiva praesupponantur, *nego. Contradist. min.*

381. 3. Si certitudo est libera, potest esse arbitrarie quando velit nempe voluntas; *atqui* certitudo arbitraria est irrationalis; *ergo* certitudo libera est irrationalis.

Dist. mai.: si est libera ob absentiam motivorum, quae ostendant veritatem enuntiabilis, *conc.*; si est libera solummodo, quia evidentia non nihil attenuatur praesentibus motivis, quae veritatem ostendunt, *nego. Contradist. min.*

4. Ubi adest certitudo adest evidentia; *atqui* evidentia necessitat intellectum; *ergo* omnis certitudo necessaria est.

Dist. mai.: evidentia perfecta, i. e. non attenuata difficultatibus, *nego;* evidentia saltem imperfecta, i. e. attenuata modis indicatis, *conc. Contradist. min.*

382. 5. Motiva quae influunt in assensum liberum vel percipiuntur ut sufficientia vel non; *atqui* si primum inutilis est voluntatis influxus, si secundum illegitimus; *ergo* non datur talis influxus voluntatis.

[13] *De verit.* q.14 a.1 Integer articulus, qui plurima de certitudine tradit, legendus est. Cf. etiam 1-2 q.17 a.6; 2-2 q.15 a.1.

Conc. disiunc. et eligo primum membrum cum dist.: percipiuntur ut sufficientia theoretice, *conc.*; etiam practice, *nego. Contradist. min.*: voluntatis influxus est illegitimus, si non percipiuntur ut sufficientia saltem theoretice, *conc.*; si solum practice, *nego.*

6. Sed non dantur motiva quae solum practice sint insufficientia. Nam difficultates quae constituunt illam insufficientiam practicam aut cognoscuntur ut vanae, aut non cognoscuntur; *atqui* si primum tunc non reddunt motiva practice insufficientia, si alterum motiva illa nec theoretice sunt sufficientia; *ergo* non dantur motiva solum practice insufficientia.

Ad maiorem do tertium: difficultates illae non cognoscuntur vanae in se, sed solummodo in comparatione cum motivis; quare si non attendo ad motiva possunt exercere suum influxum et tunc reddunt motiva illa insufficientia solum practice, quia sufficientia motivorum theoretica non dependet ab eo quod sint plures vel paucae difficultates ordinis tunc practici tunc theoretici difficilis solutionis.

Quomodo vero voluntas influere possit in his adiunctis explicari potest, quia difficultates sunt praesentes cum tota sua vi in intellectu, et motiva praecise ob praesentiam illarum difficultatum non tam vivida in memoria remanent [14].

CAPUT III

De iudicio erroneo

ARTICULUS I

De essentia iudicii ad errorem explicandum

Thesis 24. Assensus iudicii distinguitur a perceptione identitatis vel discrepantiae inter subiectum et praedicatum, nec est actus elicitus voluntatis, sed intellectus.

SUÁREZ, *De anima* l.3 c.6 n.4; PALMIERI, *Institutiones Phil.* t.2 p.550; URRÁBURU, *Institutiones Phil.* t.5 *Psychologia* p.930; TONGIORGI *Psychologia* n.492; GENY, *Critica* n.26-31.47-48.50; FRÖBES, *Psychologia speculativa* t.2 p.66; G. VAN RIET, *La doctrine thomiste du jugement*: RevPhilLo 46 (1948) 97-108; P. HOENEN, *La theorie du jugement* (Roma 1946); L. OLLÉ LAPRUNE, *De la certitude morale* [9] c.2 (Paris 1924).

383. Nexus. Haec thesis, quae de essentia iudicii agit, est potius psychologica; tamen ipsa hic proponitur, quia maxime utilis est non solum ut ea omnia, quae de veritate, certitudine, et eius proprietatibus, maxime de libertate, hu-

---

[14] Ulteriorem explicationem harum difficultatum vide apud J. DÁVILA, *Critica* n.274, et P. GENY, *Critica* n.180-5.

cusque diximus, sed etiam et praecipue ut ea, quae de errore in sequenti dicenda sunt, bene intelligantur.

384. Notiones. IUDICIUM est actus mentis, quo affirmamus vel negamus identitatem inter subiectum et praedicatum; vel quo duos conceptus obiectivos vel affirmando componimus vel negando dividimus.

GENESIS HUMANI IUDICII hos diversós continet gressus: primo adest apprehensio confusa rei, de qua est iudicium; secundo attentio ad aliquam ex notis vel proprietatibus rei, quae mente separantur, seu considerantur seorsim, et *analysis* dicitur; tertio venit comparatio inter rem et notam per analysim avulsam a reliquis, quae comparatio non est nisi simultanea consideratio utriusque termini ad detegendam identitatem vel discrepantiam eorum; quarto datur apprehensio comparativa identitatis vel discrepantiae notae comparatae cum subiecto; denique quinto venit assensus seu affirmatio vel negatio identitatis.

Ratio vero cur in humano iudicio detur talis processus longior est limitatio ipsius humani intellectus, qui non apprehendit adaequate et comprehensive rem prout est in se, sed diversis conceptibus debet rem paulatim concipere, quos conceptus debet postea in unum componere vel inter se dividere. Ideo in angelis non datur iudicium cum tali processu, sed ipsorum iudicium per solam apprehensionem est perfecte affirmativum.

385. APPREHENSIO, ut antea dictum manet, est intellectualis notitia rei. Potest esse *simplex,* si est repraesentatio alicuius termini vel realitatis; *complexa,* si est apprehensio compositionis attributivae duorum terminorum, quam alius facit vel facere potest, v. c. nix alba, remus fractus, doctrina alicuius libri heterodoxi ut dicta ab alio.

Comparativa est perceptio identitatis vel discrepantiae terminorum qui comparati sunt, per quam nempe cernitur praedicatum ut proprietas vel dos subiecti. Cum hac sola apprehensione comparamus nunc iudicium.

386. *Proprietates horum actuum. Apprehensio* est magis *passiva,* nam licet sit aliquis actus active elicitus ab intellectu, tamen fit ex vi et efficatia et quasi violentia obiecti; et si ab obiecto non provenit hoc modo, tunc non habetur apprehensio illius obiecti, sed fortasse alius, unde nunquam

esse potest falsa (cf. n. 316). *Assensus est* magis *activus*, quia tendit ad obiectum exprimendum et quasi transcribendum et ad dicendum sibi, acquirendo securitatem sibi adesse obiectum, et ad dandam quasi sententiam rem ita esse.

ACTUS EST ELICITUS alicuius facultatis, quando ponitur vi propria illius facultatis. Dicitur vero IMPERATUS alicuius facultatis, quando ab ea facultate non elicitur, sed ab alia ex imperio ipsius.

387. Status quaestionis. Duo quaeruntur in thesi, primum utrum iudicum constituatur formaliter per apprehensionem comparativam, an per assensum, qui proprie non sit visio ulla, sed mera adhaesio et quasi sententia ultima mentis; secundum vero, cuius facultatis sit illa adhaesio seu assensus seu sententia, utrum sit elicitive a voluntate, an solum ab intellectu licet possit esse imperatus a voluntate.

388. Sententiae. CIRCA PRIMUM: *Prima* tenet iudicium realiter distingui ab apprehensione comparativa et consequenter non esse cognitionem, sed aliquid cognitioni superadditum; hanc sequuntur DE BENEDICTIS [1], PALMIERI [2], TONGIORGI [3], et hodie plerique, quam in thesi ut *probabiliorem* tenemus.

Secunda tenet iudicium consistere in apprehensione comparativa, sic v. c. SUÁREZ [4], MOLINA [5], FONSECA [6], VÁZQUEZ [7],

---

[1] *Philosophia peripatetica* t.1 *Logica* 1.3 q.2 c.1.
[2] *Inst. Phil., Anthopologia* th.36.
[3] *Inst. Phil., Psychologia* p.3.ª c.10 a.1; multi praeterea theologi, ut KLEUTGEN, BILLOT etc., hanc sententiam in tractatu de fide tenent, DIVUM THOMAM sequentes. Cf. 1-2 q.17 a.6 ubi dicit: "Attendendum est quod actus rationis potest considerari dupliciter. Uno modo, quantum ad exercitium actus, et sic actus rationis semper imperari potest... Alio modo quantum ad obiectum, respectu cuius duo actus rationis attenduntur: primo quidem ut veritatem circa aliquid apprehendat, et hoc non est in potestate nostra... Alius autem actus rationis est, cum his quae apprehendit assentit..." Quare nihil mirum si RIPALDA suo etiam tempore dicat: "Non solum extrema, sed etiam unio ipsorum extremorum ante iudicium apprehenditur, ut fere omnibus commune est" (*De ente supernaturali* 1 d.62 s.1 n.9).
[4] *De anima,* 1.3 c.6 n.4; DM 8 s.4 n.5, ubi affirmat: "Fieri non potest, ut intellectus componat praedicatum cum subiecto, actu cognoscendo eorum coniunctionem, quam in re habent, vel habere existimantur, quin iudicet ita esse vel non esse. Quia, si totum hoc cognoscit, nihil est, quod iudicium addere possit. Igitur iudicium compositionis in cognitione illa consistit, qua cognoscitur praedicatum convenire subiecto".
[5] *In I partem* q.1 a.3 d.3 concl.2.
[6] *Metaphysica* 1.6 c.1 q.4 sect.4.
[7] *In I partem* disp.223 c.3 n.16; *In I-II* disp.79 c.3 n.12-14, ubi concludit: "Cum igitur omne iudicium sit, vel per assensum, vel dissensum, ex dictis facile colligi potest, quid sit iudicium; est enim cognitio convenientiae et repugnantiae unius rei cum alia in enuntiatione..."

VALENCIA [8], LOSSADA [9], SANSEVERINO [10], SCHIFFINI [11], MENDIVE [12].

Tertia tenet iudicium consistere in apprehensione comparativa, prout continet tendentiam adhaesivam; hanc tenent URRÁBURU [13], VAN DER AA, LAHOUSSE, BOEDDER.

389. CIRCA SECUNDUM: *Prima* tenet iudicium consistere in assensu praestito convenientiae identitatis, qui assensus est voluntatis, ita DESCARTES [14] et cartesiani, v. c. MALEBRANCHE [15], iuxta quem assensus in verum est electio veri, quae ad voluntatem pertinet; inter recentiores psychologi aliqui, qui leges cogitandi ad leges voluntatis revocant ut WUNDT, vel evidentiam explicant ut delectationem certitudinis.

Secunda, quae est nostra et quidem certa, tenetur a scholasticis, exceptis aliquibus, qui CARTESIO adhaerent [16].

390. I P. IUDICIUM REALITER DISTINGUITUR AB APPREHENSIONE COMPARATIVA.

Diversae probationes desumuntur ex contrariis proprietatibus, quae tunc in iudicio tum in apprehensione comparativa dantur.

1. Dantur iudicia temeraria et imprudentia; *atqui* non datur apprehensio imprudens et temeraria; *ergo* iudicium est distinctum ab apprehensione.

Maior patet et *minor* probatur: temeritas et imprudentia consistit in eo quod actus non proportionetur obiecto, sed dicat magis quam obiectum dat; *atqui* apprehensio non dat magis quam obiectum, quia est ex vi et efficatia obiecti praesentis vel exhibiti per alias duas simplices apprehensiones, si agatur de comparativa; *ergo.*

Dices: saepe res apprehendimus vitiose, *ergo* apprehensio est improportionata obiecto, ideoque imprudens et temeraria.

Dist. antec.: vitiose vitio adiuncti iudicii, quia quod est mera asso-

[8] *In I partem* disp.1 q.14 punct.2.
[9] *De anima* disp.8 c.4 n.78.
[10] *Dynamologia* vol.3 c.7 a.30.
[11] *Metaphy. specialis* vol.1 pars altera, disp.2 sect.9 th.14.
[12] *Psychologia* n.170.
[13] *Inst. Phil.* vol.5 n.281; ibi etiam videre licet in n.280 auctores qui pro hac sententia adduci solent.
[14] *Les principes de la Philosophie* 1 partie, n.32; cf. praeterea *Medit.* 4 circa medium.
[15] *Recherche de la verité* 1.1 c.12.
[16] Haec cartesianorum sententia s. XVIII et intio XIX ab omnibus scholis, etiam scholastica, tenebatur, ut videre licet in manualibus scholasticis huius temporis.

ciatio assumitur ut vera identificatio, et quod est apprehensio merae illationis accipitur ut apprehensio entitatis, *conc.*; vitiose vitio ipsius apprehensionis, quasi videat id quod non est aut aliter ac est, *nego*. *Pariter dist. cons.*

2. Iudicium potest esse falsum; *atqui* apprehensio nequit esse falsa; *ergo* iudicium realiter distinguitur ab apprehensione.

Maior patet et *minor* probatur: apprehensio enim est aliquid passivum, quod determinatur ex mera vi et efficatia obiecti; *ergo* nequit esse disconformis obiecto. *Antec.*: si enim exerceret aliquam activitatem attribuens obiecto quod ei non convenit, tunc esset iudicium falsum, non iam apprehensio.

Dices: iudicium proportionatur apprehensioni praecedenti; *atqui* iudicium est falsum; *ergo* et apprehensio praecedens.

Dist. mai.: iudicium verum, *conc.;* falsum, *subdist.*: apprehensioni quae de facto detur, *nego;* quae aestimetur dari ob praecipitantiam, *conc. Pariter dist. cons.*

391. 3. Iudicium saepe est liberum; *atqui* apprehensio numquam est libera; *ergo* iudicium ab apprehensione realiter distinguitur.

Maior patet et *minor* probatur; apprehensio est aliquid passivum, ex vi et efficatia obiecti praesentis; *ergo* numquam potest esse libera, saltem proxime et directe.

4. Actus fidei supernaturalis est iudicium firmissimum; *atqui* tamen non adest apprehensio identitatis vel discrepantiae inter subiectum et praedicatum, vel saltem huic apprehensioni non proportionatur iudicium; *ergo* iudicium ab apprehensione realiter distinguitur.

Maior patet ex tractatu de fide; est enim firmior certitudine metaphysica, saltem aestimative.

Minor: a) non est perceptio identitatis; nam cum credimus Trinitatem, non videmus Deum esse unum et trinum, sed solummodo videmus esse rationale ut credamus firmissime super omnia, immo et obligatorium; *b)* vel si videmus hanc identitatem ex motivo extrinseco, v. c. quidquid Deus dicit verum est; sed dicit Trinitatem; ergo Trinitas est vera, tamen huic perceptioni non proportionatur assensus, sed auctoritati Dei solius; nam de illa identitate mihi constat cum certitudine morali, vel ad summum reductive metaphysica, et certitudo fidei est plus quam metaphysica.

392. II P. Iudicium non est actus voluntatis, sed ntellectus.

1. Actus voluntatis sunt amor, desiderium, gaudium et iis contrarii; *atqui* iudicium non est amor, desiderium, gaulium aut his contrarii actus; *ergo* iudicium non est actus vountatis.

Maior patet ex analysi voluntatis, quae est ab bonum co;nitum appetendum, aut malum cognitum avertendum.

Minor: nam iudicium non est tendentia ad verum cognium appetendum, sed ad verum affirmandum, loquendum sibi, xprimendum.

2. Si iudicium esset actus voluntatis, tunc affirmatio eset prosecutio boni, et negatio esset fuga mali, ideoque non ffirmaremus nisi quae amaremus, et non negaremus nisi quae dio haberemus; *atqui* contra saepe est; *ergo* iudicium non st actus voluntatis.

Minor patet, nam saepe affirmamus quae maxime odio abemus, ut nostra peccata, calamitates; et contra negamus, uae maxime amamus, ut divitias, sanitatem, eruditionem, etc.

393. Obiectiones. *Contra primam partem.* 1. Iudicium est actus ntellectus possibilis; *atqui* intellectus possibilis essentialiter est conoscitivus; *ergo* iudicium est actus essentialiter cognoscitivus.

Conc. mai. Dist. min.: et etiam assertivus, *conc;* non etiam assertvus, *nego. Pariter dist. cons.*: si intellectus non esset etiam assertius, *conc.;* si est etiam assertivus, *nego.*

2. Veritas logica non est nisi in cognitione; *atqui* veritas logica st in iudicio et quidem speciali perfectione; *ergo* iudicium est vera ognitio.

Conc. mai. Dist. min.: per solam identitatem, *nego;* per enuntiaionem, dictionem, ratificationem, *conc.* Et *pariter dist., cons.*: si eritas esset in iudicio per solam identitatem, *conc.;* si est per enuniationem etc., *nego.* Dicimus per solam identitatem, quia in iudicio roprie habetur veritas perfecta, quatenus unum efformat cum apprelensione praecedenti (cf. n.283).

394. 3. Tota necessitas iudicii sub forma humana, nempe per ompositionem et divisionem, est ut possimus rem perfecte cognosere; *atqui* si iudicium non est cognitio, per illud non cognoscimus em neque perfecte neque imperfecte; *ergo* iudicium est cognitio.

Dist. mai.: Ratio totius iudicii humani est ut per illud rem perecte cognoscamus, *conc.;* etiam ultimi elementi ratio est ut per llud rem perfecte cognoscamus, *subdist.*: in quantum haec perfectio ncludit etiam locutionem ad se ipsum, ut securitatem capiamus nos ossidere veritatem, *conc.;* in quantum haec perfectio includit novam ognitionem rei, *nego. Pariter dist. cons.*: quoad totum processum, *onc.;* quoad ultimum elementum, *subdist.*: si hoc dat maiorem notiiam rei, *conc.;* si solum dictionem, securitatem, etc. *nego* .

4. Per assensum distinctum ab apprehensione aut aliquid cognoscitur aut non; si aliquid, ergo iudicium est apprehensio; si non, *ergo* assensus est inutilis.

Conc. antec.; et eligo secundum et *nego* fore inutilem, nam est utilis ad dicendum sibi veritatem, ad maiorem securitatem acquirendam de possessione realitatis.

395. 5. Ipsa apprehensio comparativa iam est aequivalenter iudicium; *ergo* praeter apprehensionem non datur assensus distinctus ab ea.

Nego antec. ob argumenta data in prima parte.

6. Fortasse concedi potest thesis in iudiciis inevidentibus, falsis, temerariis; sed non in iudiciis evidentibus. Nam in his casibus assensus est inseparabilis a perceptione identitatis inter subiectum et praedicatum et praeterea assensus tunc nihil adderet claritatis aut securitatis perceptioni; *ergo* in his casibus evidentibus assensus non est distinctus a perceptione.

Nego assertum; iudicium enim eiusdem est essentiae ubicumque reperiatur; *atqui* in casibus inevidentibus et falsis datur iudicium perfectum psychologice, et in his casibus est aliquid distinctum ab apprehensione; *ergo* etiam in casibus evidentibus erit aliquid distinctum ab apprehensione.

Contra secundam partem.

396. 7. Assensus est quies vitalis in vero; *atqui* quies est propria voluntatis; *ergo* iudicium est proprium voluntatis.

Conc. mai. et nego min.: quies enim est affectio omnis potentiae, quae terminum attingit.

8. Iudicium est liberum; *atqui* libertas est propria voluntatis; *ergo* iudicium est proprium voluntatis.

Dist. mai.: elicitive, *nego;* imperative, *conc. Conc. min.* et *dist. pariter cons.* [17]

ARTICULUS II

De causis erroris

Thesis 25. Erroris causa proxima est in eo quod intellectus extendat assensum ultra id quod fuit apprehensum; causa remota est influxus voluntatis; occasio est apparentia veri et affectus indeliberati voluntatis.

S. Th., *De malo* q.3; Suárez, DM 9 s.2.3; Tongiorgi, *Institutiones Phil.* 2 *Logica* n.709-729; Urráburu, *Logica* p.634-639; Naber, *Critica* p.195-201; Dávila, *Critica* n.276-286; Roland-Gosselin, *Melanges thomistes: La theorie thomiste de l'erreur* (1923); L. Keeler, *The problem of error from Plato to Kant* (Roma 1934); Id., *Aristotle on the problem of error:* Greg 13 (1932) 241s.

397. Nexus. Iam antea postquam de veritate, etiam de eius contrario, de falsitate egimus, quo melius ipsa verita-

[17] Alias obiectiones vide apud Urráburu, *l. c.* vol.5 n.278.

tis notio nobis appareret; sic etiam nunc post tractationem de certitudine agere oportet et de eius contrario, errore nempe, quo melius ipsa certitudinis notio pateat, cum praeterea exsistentia erroris in tota historia philosophiae maximum fuerit semper problema, quod nunc aliquo modo nobis solvendum occurrit.

398. Notiones. ERROR est assensus firmus in falsum quod pro vero habetur. Dicitur *firmus,* nam licet a vulgo omnis assensus falsus etiam opinativus dicatur error, tamen sensu stricto solus assensus falsus et firmus est error. Inde divisio erroris in materialem et formalem.

ERROR FORMALIS est assensus firmus, vel etiam iudicium falsum quod est improbabile et imprudens.

ERROR VERO MATERIALIS est iudicium probabile et prudens, quod a mente propter apparentiam et rationes vere probabiles ponitur; inde si prudenter ponitur non potest esse firmus [1].

399. Status quaestionis. Cum factum erroris negari nequeat, nam ex experientia quotidiana evidens est, quaeritur quomodo sit possibile, quod semper magna fuit quaestio: nam cum erramus vel aliquid apprehendimus vel nihil. Si nihil apprehendimus tunc iudicium erit caecum et impossibile; si vero aliquid videmus, illud profecto verum erit, secus non esset obiectum visum. Ad quam quaestionem [2] respondere debemus investigando causas tum internas tum externas, quae in iudicium erroneum influant, et quidem in omne sive formale sive materiale, quamvis, cum de errore ut peccato agitur, solummodo de formali loquimur.

400. Sententiae. *Prima* est rationalistarum et idealistarum, ut SPINOZA [3], HEGEL, qui dicunt errorem esse cognitionem inadaequatam, difformem obiecto non positive, sed negative; quod est simpliciter negare exsistentiam erroris.

Secunda est CARTESII [4] et cartesianorum, qui affirmant assensum iudicii esse actum voluntatis, et quoniam voluntas est amplior quam intellectus, est enim quodammodo infinita, ergo nihil mirum si aliquando assensus se extendat magis quam

---

[1] Cf. PESCH-FRICK, *Inst. Phil.* 1 n.847.

[2] Ad huius questionis historiam cf. BROCHARD, *De l'erreur* (Paris 1897) c.14, et L. KEELER, *The problem of error from Plato to Kant* (Roma 1914).

[3] *Ethica* p.2.ª prop.49 schol. Ita etiam COUSIN, *Fragments philosophiques* préface.

[4] Cf. *Medit* 4.

apprehensio intellectus. Et hinc procedit error, quod voluntas assentiatur ultra id quod intellectus apprehendit de re. Animadvertendum tamen est, falsum esse assensum iudicii esse actum voluntatis (cf. thesim anteriorem, n.392), item falsum esse voluntatem esse ampliorem quam intellectum, utraque enim facultas est quodammodo infinita. Bene autem affirmant errorem deberi proxime huic facto, quod magis asseratur quam quod conceptum fuit.

Tertia est scholasticorum generatim, et nostra qui distinguunt in iudicio apprehensionem et assensum intellectualem, et docent errorem proxime consistere et formaliter in eo quod assensus magis extendatur quam apprehensio; remote autem et efficienter deberi influxui voluntatis, quae decipitur per diversas occasiones, et tandem radicaliter deberi debilitati naturae; hic autem praescinditur a ratione theologica tanquam ultima erroris radice, nempe a peccato originali.

401. Probatur thesis. I P. ERRORIS CAUSA PROXIMA EST IN EO QUOD INTELLECTUS EXTENDAT ASSENSUM ULTRA ID QUOD FUIT APPREHENSUM.

1. (*Ex erroris experientia.*) Cum erramus aut apprehendimus id quod non est, aut extendimus assensum ultra id quod fuit apprehensum; *atqui* primum est impossibile; *ergo* secundum, seu error provenit ex eo quod assensus extendatur ultra id quod apprehenditur.

Maior dat explicationes possibiles facti erroris; ipsa enim explicatio cartesiana, etsi erret in assignatione facultatis assentientis, tamen causam proximam erroris ponit in eo quod extendatur assensus ultra id quod fuit apprehensum. Error solum enim potest provenire vel ab apprehensione praecedente vel ab assensu.

Minor: nam iuxta doctrinam saepius expositam in apprehensione impossibilis est error; ipsa enim vel est conformis cum re vel non; si primum non est error; si non est conformis cum re, nulla est apprehensio illius rei, sed alius vel aliarum rerum.

402. *Dices*: similiter dicam de iudicio: aut iudicium aliquid apprehendit aut nihil apprehendit; si primum est conforme apprehensioni, ideoque non erroneum; si vero nihil apprehendit iudicium est caecum, quod repugnare videtur.

Ad maiorem do tertium, aliquid apprehendit et ultra id, aliquid aliud tribuit illi apprehenso ex levitate, aut ex apparentia; iudicium

enim praeter apprehensionem continet affirmationem rerum apprehensarum.

2. (*Confirmatur exemplis.*) Video de longe venientem hominem cum gressu characteristico Petri amici mei, et statim dico: "est Petrus", quod est falsum. Quaero in bibliotheca librum cuius magnitudo, color, forma sunt mihi valde nota; alius liber mihi occurrit qui hos characteres habet, et statim dico: "hic est liber, quem quaerebam", falso tamen. Video solem in diversis positionibus respectu nostri, et statim occurrit motus solis circa terram, et assero solem circa terram moveri, quod etiam falsum est. In his exemplis aliquid apprehenditur, et deinde propter inconsiderationem, associationem idearum, etc. ultra id quod fuit apprehensum simpliciter, aliquid aliud affirmatur, quod falsum est.

403. II P. HAEC ASSENSUS EXTENSIO DEBETUR ALICUI INFLUXUI VOLUNTATIS.

Ultimatim et remote causa erroris est in voluntate, si in potestate voluntatis est tum ut assensum extendat ultra id quod fuit apprehensum, tum praesertim cohibere intellectum, ne assensum extendat ultra id quod fuit apprehensum; *atqui* haec duo sunt in potestate voluntatis; *ergo* error ultimo et remote debetur influxui voluntatis.

Maior patet. *Minor* probatur: nam iudicium erroneum aut determinatur ab obiecto, aut ab intellectu, aut a voluntate; non autem potest determinari ab obiecto, quia in eo non est evidentia, secus esset iudicium verum; neque ab intellectu ob eandem rationem; *ergo* determinatur a voluntate, libere si attendit ad defectum evidentiae, necessario, si non advertit.

404. *Dices*: ergo omnis error est peccatum, est enim deordinatio facultatis superioris; *atqui* multi errores certissime non sunt peccatum.

Dist. antec.: per se, *conc.*; per accidens, ex defectu attentionis ad defectum evidentiae, *nego.;* vel materialiter, *nego;* formaliter *conc.* Sicuti furtum per se est peccatum, per accidens potest non esse peccatum. Ad rem S. Thomas: "Error manifeste habet rationem peccati. Non enim est absque praesumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, et maxime in quibus periculum exsistit" [5].

405. III P. OCCASIO AUTEM ERRORIS EST APPARENTIA VERI OB ATTENTIONIS DEFECTUM SIMUL CUM AFFECTIBUS VOLUNTATIS.

[5] *De malo* q.3 a.7.

In hac parte indicantur ea quae communiter suum influxum exercent in factum erroris, dum aliquam praebent facilitatem. Quare haec pars optima potest considerari introductio ad ascesim intellectualem, qua attendamus ad modum quo habitus intellectuales exercitio efformentur, quibus facilius vitemus errores et veritati adhaereamus; longe lateque a TONGIORGI proponitur [6].

406. *Ad errorem enim duo requiruntur:* 1.° ut falsitas speciem aliquam veritatis intellectui offerat; 2.° ut intellectum voluntas moveat. Dispositiones igitur ad errorem ex parte intellectus sunt ea omnia, quae veritatis speciem falsitati obducunt, et ex parte voluntatis ea omnia, quae iudicium inconsideratum illi appetibile faciunt.

407. 1.° EA VERO QUAE DANT FALSITATI SPECIEM VERITATIS SUNT IN PRIMIS:

a) *Errores a mente iam recepti,* in primis *praeiudicia* seu opiniones alte animo defixae, quibus utimur tanquam principiis certis. Sunt infinitae varietatis et perniciossimae, v. c. praeiudicia nationalia, praeiudicia primae educationis et pueritiae, etc.

b) *Auctoritas sive dogmatica sive historica testium;* maxime autem *opiniones communes,* et *communes consuetudines.*

c) *Confusio plurium idearum, relationum* etc., qua confusione unum pro alio substituitur. Haec vero substitutio iuvatur sive *imaginatione,* quae uno pro alio phantasmate posito omnia mutat; *oblivione* alicuius adiuncti seu condicionis, sine quibus id quod memoria reproducit nec veritatem habet amplius, nec evidentiam; denique vocabulorum *indeterminata vel aequivoca significatione,* v. c. vocabulum *libertas, democratia* etc. quae tot errores gignere valuerunt.

Fit vero haec substitutio semper *ex attentionis seu reflexionis deffectu, aut saltem interruptione.* Quare omnes causae, quae attentionem impediant, mutent, etc., huic deceptioni viam parant. Hae causae in psychologia considerantur et sunt praecipuae:

a) *Ex parte subiecti:* mentis limitatio, defatigatio, sensatio seu affectus vehementior, perturbatio, sollicitudo, tumultus excitatus variis curis, liberum arbitrium etc.

b) *Ex parte obiecti*: multiplicitas rerum, quae conside-

[6] *Inst. Phil.* vol.1 n.714s.

randae sunt, ratiocinii prolixitas, obiecti subtilitas, amplitudo, sublimitas, etc.

408. 2.° QUAE VOLUNTATEM MOVERE POSSUNT AD ERRONEUM IUDICIUM IMPERANDUM REDUCUNTUR AD ALIQUOD IPSI BONUM; nam vel movetur amore enuntiabilis, vel amore assensus.

409. A. AMORE ENUNTIABILIS: *a)* si illud sit conforme suis opinionibus receptis;

b) vel sit conforme animae desideriis aut cupiditatibus, maxime vehementioribus;

c) si sit praeterea utile ad fines intentos;

d) si illud enuntiabile sit conforme cum amore ordinis, proportionis, pulchritudinis etc.

e) si ametur ob rationes extrinsecas, v. c. ob aestimationem et reverentiam nimiam auctoritatis, vel e contra ob contradicendi pruriginem.

410. B. AMORE ASSENSUS: *a*) voluntas potest desiderare assensum propter *impacientiam conatus et contentionis,* quae ad reflectendum et ad solida rationum fundamenta consideranda requiritur:

b) propter vanitatem ac nimiam propriam perspicacitatis fiduciam, qua homo imbutus, dedecori sibi putat fore, si aliquid se non vidisse, aut tempore egere ad quaelibet perspicienda fateatur;

c) *propter quaestionis,* de qua agitur, *parvipensionem,* vel quia ab homine despecto proponitur; vel quia inutilis aestimatur;

d) ob necessitatem sese determinandi ad agendum, quae moras non patiatur, vel quia res urget, vel quia anxietas animum discrutiat.

Ut evidens est, pessimus est error ubi voluntas suis passionibus vel sensualitate fertur; nam errores communes, qui ordinario ex mera confusione nascuntur, facilius cognoscuntur et facilius auferuntur; illi vero difficilius. Nam, ut scribit Doctor Angelicus, "ex luxuria oritur caecitas mentis, quae quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit; ex gula autem hebetudo sensus, quae reddit hominem debilem circa huiusmodi intelligibilia. Et e converso oppositae virtutes, scilicet abstinentia et castitas, maxime disponunt hominem

ad perfectionem intellectualis operationis" [7]. Pariter "ira inter ceteras passiones manifestius impedit iudicium rationis" [8]; et similiter "si timor tantum increscat quod rationem perturbet, impedit operationem etiam ex parte animae" [9].

411. Scholion. Ultima denique radix omnis erroris ac falsitatis ipsa mentis humanae debilitas est; nam natura humana cum non sit pure intellectualis operationes suas intellectuales perficere debet iuvamine aliarum facultatum propter quas saepius deficere potest; et cum praeterea limitata sit aliqua obiecta ei proportionata non sunt, sicut optime notat Aristoteles: "sicut oculus noctuae ad lumen solis, ita se habet mens nostra ad manifestissima naturae" [10].

412. Obiectiones [11]. *Contra primam partem.*

1. Error consistit in difformitate positiva cum suo obiecto formali; *atqui* nulla facultas potest esse difformis suo obiecto formali; *ergo* neque intellectus, ideoque impossibilis est error.

Conc. mai. Nego min.

Probo min.: omnis actus cognoscitivus est conformis suo obiecto formali; sed iudicium est actus cognoscitivus; *ergo* est conformis suo obiecto formali.

Dist. mai.: omnis actus mere cognoscitivus est conformis suo obiecto formali, *conc.*; assertivus seu iudicativus, qui cognitionem ad aliquid refert, *nego. Contradist. min.*

2. Apprehensio non errat quia suum obiectum iam constitutum invenit; *ergo* a fortiori iudicium, quod nihil aliud facit quam obiectum apprehensum exprimere, sibi dicere.

Conc. antec. Nego cons. et *paritatem,* nam iudicium praeter antecedentem apprehensionem ponit assensum, qui extendi potest ultra id quod apprehendit.

Contra secundam partem.

413. 3. Errores sunt immunes a voluntate. Nam v. c. inter scribendum unam litteram pro alia scribimus et saepius erramus; *atqui* in hoc casu nullus datur influxus voluntatis; *ergo* non semper error provenit ex influxu voluntatis.

Dist. mai.: erramus in his casibus mere materialiter et physice, *conc.*; formaliter et intellectualiter, *nego. Conc. min.* Et *pariter dist. cons.*

4. Dantur alii casus in quibus propter rerum similitudinem error omnino vitari nequit; *atqui* tunc datur error independenter ab omni voluntatis influxu; *ergo* saepe datur error independenter ab omni voluntatis influxu.

Dist. mai.: in his casibus similitudo est occasio erroris, *conc.*; est unica causa erroris ita ut influxus voluntatis maiorem diligentiam imperantis non possit illum saltem vitare, *nego. Contradist. min.*

[7] 2-2 q.5 a.3
[8] 1-2 q.48 a.3.
[9] 1-2 q.44 a.4.
[10] 2 *Metaph.*, c.1.
[11] Cf. P. Gény, *Critica* n.226; J. Dávila, *Critica* n.285.

Error proinde nunquam est stricte necessarius, quamvis aliquando propter maximam difficultatem illum vitandi dicatur moraliter necessarius.

414. 5. Potest dari casus certitudinis physicae et moralis, quae propter aliquam exceptionem sit in falsum; *atqui* in hoc casu nullus daretur influxus voluntatis; *ergo* potest dari error formalis sine ullo influxu voluntatis.

Dist. mai.: et hic casus est omnino invincibilis etiam maiori reflexione adhibita sub voluntatis influxu, *nego;* est vincibilis, *conc.* *Contradist. min.*: si esset physice invincibilis, *conc. mai.;* secus, *nego.* Nam, ut iam antea diximus, in casu certitudinis physicae, quando datur miraculum sunt aliqua adiuncta, ex quibus si diligens attentio adhibeatur, facile suspicio oriri potest de exsistentia miraculi, et tunc prudentia suadet ne mens assensum suum saltem firmum praestet.

6. Ille qui v. c. probata solo lumine rationis exsistentia Dei, concluderet: ergo unica est persona divina, poneret hoc iudicium erroneum sine ullo influxu nec remoto voluntatis; *ergo* non semper error provenit ex tali voluntatis influxu.

Dist. antec.: in hoc casu error provenit ex eo quod intellectus extendat assensum ultra id quod videt, *nego;* ex eo quod obiectum non sit ei proportionatum, *conc.*

LIBER III

De mediis seu fontibus acquirendi veritatem et certitudinem

415. Introductio: de ratione huius tractationis. Ex praecedentibus tractationibus sufficienter constat dari veritatem et certitudinem, mentemque aptam esse ad veritatem consequendam, et similiter sufficienter examinatae sunt notiones veritatis et certitudinis et his contrariae. Nunc vero iam ad tertiam accedere oportet partem, in qua de mediis in particulari acquirendi veritatem et certitudinem, seu de fontibus veritatis et certitudinis agendum erit.

Non enim uno modo nostras cognitiones acquirimus; alia enim est via qua immediate exsistentia indubitabilis rerum singularium nobis innotescit, alia vero via qua veritates universales et ab experientia et rerum contingentium exsistentia independentes, vel etiam a propria observatione remotas, cognoscimus.

CAPUT I

De experientia tum interna tum externa ut de fontibus veritatis et certitudinis

ARTICULUS I

DE NOTIONE AC DIVISIONE FONTIS SEU MEDII VERITATIS AC CERTITUDINIS

FRICK, *Logica* n.286s; DÁVILA, *Critica* n.69; PESCH-FRICK, *Logica* n.488s.

416. MEDIUM vi vocis dicitur illud quod inter duo alia est; sensu vero strictiori, illud quod inter duo alia est ita ut duo illa extrema aliquo modo coniungat; et sensu quo hic sumitur.

Medium in genere est quidquid quocumque modo aliquo influxu ad aliquid efficiendum vel assequendum adiuvat. Potest esse medium quo et medium quod.

Medium quo, maxime cognitionis, quod prius cognosci non debet, potest esse: a) *primarium*, et est *medium subiectivum*, quod in ipsa facultate suisque actibus consistit; b) *secundarium* est omne id, quod ad cognitionem gignendam quocumque modo ita concurrit, ut ipsum cognosci non debeat, v. c. aer pro auditu et huiusmodi.

Medium quod seu medium obiectivum cognitionis certae est omne id, quod menti se obiciens, seu obiective se sistens veritatem aliquam certo manifestare potest. Haec igitur media sunt strictissimo sensu fontes cognitionis.

417. Medium, fons veritatis, criterium et motivum certitudinis materialiter idem sunt, formaliter autem distinguuntur.

Fons dicitur aliquid, quatenus est medium novae cognitionis acquirendae.

Criterium, qua distinctivum veri ac falsi.

Motivum, qua movens mentem ad assensum.

Nec tamen haec tria inter se simpliciter converti possunt; nam licet unum sit omnis veritatis universale criterium et unum omnis certitudinis naturalis ultimum motivum, non tamen datur unicus communis fons ex quo omnium rerum nobis cognoscibilium notitiam haurire valeamus.

418. Pariter distinguendus est fons a condicione et a fundamento.

Condicio est id totum quod ad cognitionem praerequiritur, sed ipsam veritatem non manifestat obiective, v. c. sanitas mentis.

Fundamentum est illa veritas, in qua cognita ultimatim nititur omnis certitudo et veritas. Differt a condicione eo quod condicio adesse debeat vel oporteat, sed non supponatur necessario per se cognita. Tamen fundamentum non est necessario fons alterius cognitionis. Ita principium non contradictionis potest dici fundamentum omnis certitudinis et veritatis, sed non ideo est fons omnis veritatis.

419. Divisio mediorum seu fontium. *Media seu fontes,* quibus intellectui materia cognitionis suppeditatur, ad tria possunt revocari: experientiam tum internam tum externam,

intelligentiam, auctoritatem. Duo priores fontes vocantur fontes interni rei scilicet cognoscendae; tertius vero seu auctoritas fons externus. Aliqui [1] vero numerant quinque sequentes:

1) *testimonium conscientiae* seu internae experientiae, quae est conscientia obiective spectata;

2) *testimonium experientiae externae,* quae est experientia externa obiective spectata;

3) *ideae seu conceptus universales obiectivi.* Hi fontes interni sunt ex quibus immediatam notitiam acquirimus.

4) *ratiocinium obiective spectatum.* Hic fons est internus cognitionis mediatae, qui proinde alios praerequirit, quin cum illis confundatur.

5) *auctoritas seu testimonium legitimum alienum.* Hic est unicus fons externus cognitionis certae.

De his igitur omnibus nunc agendum est nobis.

ARTICULUS II

DE EXPERIENTIA INTERNA TANQUAM VERO FONTE VERITATIS ET CERTITUDINIS, SEU DE CONSCIENTIAE TESTIMONIO

Thesis 26. Experientia interna seu conscientiae testimonium est fons cognitionis verae et certae, seu est criterium particulare certitudinis.

BALMES, *Filosofía fundamental* c.23; FRICK, *Logica* n.290; GENY, *Critica* n.242; URRÁBURU, *Logica* p.569s; PESCH-FRICK, *Logica* n.574; DONAT, *Critica* n.172.

420. Nexus. Haec thesis, sicut et aliquae ex sequentibus, aliquatenus, saltem radicaliter, iam ostensae manent in nostra solutione ad problema criticum; nam etiamsi in illa parte consideretur conscientiae testimonium ut omnino obiectivum, etiam apparet consequenter ut fons novae cognitionis; hic vero directe et formaliter ut talis consideratur, maxime ob proprias difficultates, quas gignere potest.

421. Notiones. CONSCIENTIA etymologice venit a *cum-scientia,* notitia notitiae, seu cognitio cognitionis; est enim scientia vel cognitio de his quae pertinent ad ipsum cognos-

[1] Cf. C. FRICK- *Logica* n.289.

cens; nam, ut ait ARISTOTELES[1]; "qui videt, sentit se videre, qui audit sentit se audire, qui ambulat sentit se ambulare; atque sic etiam in ceteris est aliquid, quod sentit nos actione quadam fungi. Sic sentire etiam possumus quod sentiamus, item intelligere, quod intelligamus". Hinc etiam facta psychologica intelliguntur ex eo quod sint conscia. Hic sensus etymologicus constans est apud scholasticos, non ita apud modernos, qui conscium vocant quidquid est in conscientia; unde pro illis omnia obiecta cognita sunt ex conscientia[2]. Haec dicitur *conscientia psychologica,* quae probe distinguenda est a

422. CONSCIENTIA MORALI, quae est iudicium dictans aliquid esse faciendum, vel approbans vel reprobans aliquid iam factum. Unde

CONSCIENTIA PSYCHOLOGICA definiri potest ut actus notitia actuum nostrorum psychicorum; ut facultas nativa quaedam animi insita potentia habendi notitiam actuum nostrorum psychicorum.

423. *Divisio conscientiae psychologicae.* Haec conscientia ut actus dividitur in *concomitantem,* seu *directam,* et conscientiam *reflexam.*

CONSCIENTIA CONCOMITANS est notitia actus psychici, qua subiectum, cum rem sibi obiectam percipit, secundario sive concomitanter et in actu exercito, percipit et experitur perceptionem suam et se ipsum, neque tamen ad has res subiectivas directe advertit animum. Generatim a psychologis tenetur actum per se ipsum, et non per alium actum realiter ab ipso distinctum, notificare haec tria: *obiectum,* v. c. arborem; *actum ipsum,* quo cognoscitur arbor; *et subiectum, seu to ego.* Obiectum quidem signate et expresse, et actum et subiectum indirecte et implicite, seu exercite, seu in ipso exercitio, i. e. dum fit, actus. Haec conscientia concomitans sive prima vocatur etiam *directa* a recentioribus, quamvis haec vox ab aliquibus reiciatur, quia ambigua sit[3].

Conscientia concomitans subdividitur in *intellectualem et sensitivam,* prout actus qui sunt conscii sint intellectuales vel sensitivi.

CONSCIENTIA REFLEXA est notitia propriorum actuum, qua subiectum per animi advertentiam ad operationes suas et ad

[1] *Ethicor. ad Nicomach.* 1.9 c.9.
[2] Cf. P. GENY, *Critica* n.242 in nota.
[3] Vide apud PESCH-FRICK, *Logica* n.576 in nota.

se ipsum redit et reflectitur; haec vero datur certo per actum distinctum.

424. Reflexa subdivitur in *conscientiam perfectam* et *imperfectam*.

REFLEXIO IMPERFECTA revertitur ad actum diversae facultatis, et quidem in concreto, ita ut non cognoscatur actus prior ut distinctus a subiecto, sed in confuso cognoscatur subiectum et actus per modum unius; in hac subiectum "redire quidem incipit ad essentiam suam, quia non solum cognoscit sensibile, sed etiam cognoscit se sentire; non tamen completur eius reditio, quia sensus non cognoscit essentiam suam" [4]. Talis est conscientia, qua sensus communis hominum et bestiarum sentit actum sensuum externorum; ita v. c. canis advertit dolorem dentium per actum sensus communis.

REFLEXIO PERFECTA revertitur ad actum priorem eiusdem vel diversae facultatis, et quidem abstractive, ita ut cognoscatur actus ille prior ut distinctus a subiecto et ut modificatio eiusdem. Haec reflexio est propria solius intellectus. Nam "substantiae spirituales redeunt ad essentiam suam reditione completa..." [5].

TESTIMONIUM CONSCIENTIAE est ipse actus psychicus sive sensitivus, sive affectivus, sive intellectualis.

425. DIFFERENTIAE INTER CONSCIENTIAM CONCOMITANTEM ET REFLEXAM his continentur punctis:

1. Conscientia concomitans est aliquid primitivum in subiecto cognoscente; reflexa vero addit specialem advertentiam, dum in hos actus animum dirigit.

2. Conscientia concomitans semper et continenter adest, quandiu homo actu cognoscit; reflexa autem essentialis non est, nec ideo semper adest.

3. Conscientia concomitans est fons, ex quo mens interna facta cognoscit; reflexa est directa et propria illorum factorum cognitio.

4. Concomitans est condicio sine qua nulla certitudo umquam haberi potest: reflexa per se ad certitudinem, saltem naturalem, non requiritur.

5. Concomitans sensu proprissimo non est conscientia,

[4] S. TH., *De verit.* q.1 a.9.
[5] S. TH., *ibid.* q.10 a.8.

qua significatur facultatis alicuius in suos actus et se ipsam reditio; haec vox sic intellecta soli conscientiae reflexae convenit [6].

426. *Per se* dicitur *conscientia verae cognitionis fons,* quia si nihil affirmatur nisi quod evidenter se manifestat non potest dari error seu falsitas ulla; *per accidens* vero potest falsitatem gignere, quia aliquando non affirmamus solummodo id quod evidenter se manifestat in conscientia concomitante et in subsequente reflexione seu intuitione, sed alia etiam quae sunt interpretationes factorum, deductiones, localizationes, causae et classificationes eorumdem; quae nequaquam dantur per conscientiam. Haec solent in psychologia experimentali tradi, sed tamen considera bene ad tales errores explicandos ea quae affert Donat [7].

427. *a*) Conscientia saepe facta interna vel locum eorum in corpore non clare percipit et, cum simul in anima repraesentationes phantasiae et memoriae adsint, quae similia facta interna possibilia vel praeterita exhibent vel alium locum corporis menti sistant, fit, ut de factis internis vel de sede eorum dubium oriatur sive perceptiones conscientiae cum imaginationibus confundantur et sic errores oriantur. Sed haec confusio iudicando fit, non per apprehensionem. Sic confunditur tentatio cum consensu libero vel assignatur dolori membrum, in quo non est, immo dolor in membro amputato sentiri videtur, quia sensationi doloris imaginatio brachii amputati associatur.

Somniantes, amentes vel aliter in statu alterationis vitae psychicae versantes saepe falso iudicant, se sentire, agere, pati, quae non sentiunt et agunt; attamen conscientia in hoc statu non affectiones intuetur, quae non exsistunt, verum intellectus sufficientem reflexionem instituere non valet, ut apparentiam a veritate distinguat. Speciatim accidit in somniantibus, hypnotizatis, amentibus vel aliter psychice aegrotis, ut conscientiam identitatis proprii ego amittant duplicemque vel triplicem personam in se apprehendant... existimantes, se alios factos esse, pristinam personam non iam vivere. Hae illusiones ex eo oriuntur, quod perceptiones factorum internorum et recordatio pristini status obscurae vel tenues sunt et sic imaginatio excitata intellectum, debita consideratione impedita, decipit. Sic v.g. evenit, ut in quibusdam aegrotis duae periodi per vices inter se sequantur, una normalis, altera anormalis, et in una appareant alii (laeti) ac sunt in altera (tristes), neque habeant in una reminiscentiam omnium rerum, quae in altera accidunt; hinc certe imaginatio duplicis personae oriri potest. Vel evenit, ut aegrotis propriae actiones et verba tanquam ab aliis profecta esse videantur et de se et de corpore suo tanquam de alio loquantur; id ex eo declarandum est, quod tantum tenuem conscientiam suarum perceptionum et mo-

[6] Ulteriorem explicationem videre licet apud Pesch-Frick, *Logica,* n.577, Scholion 2.

[7] *Critica* n.172.

tuum corporis habent et sic imaginatio peregrini subiecti se obtrudit.

b) Non videtur approbanda esse modernorum psychologorum sententia, quae tenet, actus sentiendi omnes in solo cerebro sedem habere, non vero in illis corporis partibus, in quibus eos conscientia clare refert; vulnere enim in pede accepto clare percipimus, ibi esse vehementes dolores, non vero in capite.

c) Ex eo quod conscientia facta interna non omnia refert, non sequitur eam errare. Talia facta imprimis pleraeque operationes vegetativae sunt. Num etiam *facta psychica inconscia* sint, psychologi moderni multum disputant. Sine dubio saepe tantum tenuem conscientiam actuum habemus. Distracti enim multa videmus, audimus, quorum postea nullam memoriam retinemus; etiam hypnotizati eorum, quae in hypnosi acciderunt, saepe non recordantur; pariter dolores in somnia influunt, quorum tamen conscientiam claram non habemus. Sed ex his factis sequitur quidem, conscientiam non nisi tenuem adfuisse. Certe facta psychica inconscia nulla esse possunt, si conscientia directa admittitur, quia sic omnis actus ipse se imperfecte percipit. Conscientiam reflexam nonnumquam abesse posse, concedendum esse videtur.

Itaque non est admittenda subsconscientia... quatenus intelligitur pars quaedam vitae psychicae, quae in nobis adsit, sed inconscia sit, attamen influxu suo in reliquam vitam psychicam se prodat. Haec doctrina saltem nullis factis demonstratur ideoque gratis conficta est.

428. Status quaestionis. Quaeritur utrum testimonium conscientiae sit medium seu fons acquirendi veritatem et certitudinem; seu utrum iudicia, quae affirmant exsistentiam horum actuum se manifestantium in conscientia per se sint vera, dummodo nihil affirment nisi quod se manifestant per conscientiam concomitantem, licet per accidens possint esse falsa.

Quaeritur praeterea utrum sit fons particularis veritatis; nam etiam si sit condicio pro omni cognitione, non inde forsan sequatur nos ex illa omnem cognitionem haurire.

429. Sententiae. *Prima* est modernorum positivistarum, ut HUME, ST. MILL, WUNDT, etc., KANTII et subiectivistarum ac aliorum monismo addictorum, qui quamvis de factis internis certo nobis constare affirment, immo de his solis veritatem habere posse existiment, tamen valorem huius testimonii deturpant quatenus exsistentiam propriam per ipsum testimonium nobis manifestatam, ut illusionem manifestam tenent ob diversa praeiudicia.

Secunda, quae est *nostra* et est omnino certa, tenet conscientiae testimonium esse fontem omnino indubitabilem certitudinis quoad facta nostra psychica, immo et quoad exsistentiam propriam cogitantis.

430. Probatur thesis. Haec conscientia erit verus fons cognitionis, si per ipsam possumus acquirere cognitiones veras et novas; *atqui* ita accidit; *ergo* conscientiae testimonium erit verus fons cognitionis.

Maior patet ex notione fontis cognitionis.

Minor prob.: nos acquirere cognitiones novas patet ex experientia ipsa nostra quotidiana; multa enim sunt quae per conscientiae testimonium nobis primo innotescunt, v. c. quid sit dolor capitis, volitio, affectio irae, intellectio, etc.; nos vero acquirere cognitiones veras patet ex prima parte, ubi de solutione problematis critici. Breviter vero ita:

Iudicia quae obtinentur per conscientiam sunt vera, si nihil affirmant alienum a realitate, sed dicunt quod est; *atqui* ita est; *ergo* sunt vera.

Maior patet ex notione veritatis.

Minor: actus psychici se manifestant per se ipsos, quae manifestatio falsa esse nequit, quia obiectum manifestatum in conscientia concomitante identificatur cum manifestatione, ideoque disconformitas esse nequit inter cognitionem et cognitum. Item se manifestant per subsequentem intuitionem et reflexionem, quae falsa esse nequit, propterea quod immediate comparare possum reflexionem cum ipso actu in praesente psychologico, et videre omnino concordare. *Ergo* iudicia quae affirmant solummodo id quod apparet in conscientia concomitante et subsequente intuitione falsa esse nequeunt, sed dicunt esse quod est.

431. Scholion 1. Testimonium conscientiae est absolute necessarium ad habendam quamlibet certitudinem. Nam ut habeamus certitudinem necesse est ut cognoscamus motiva assentiendi firmiter et vere; secus caece assentiremur; *atqui* unice per conscientiam scimus nos videre motiva assentiendi firmiter et vere; *ergo* sine testimonio conscientiae impossibile est habere ullam certitudinem[8].

432. Scholion 2. Tamen testimonium conscientiae non est causa aut motivum aut fons omnis certitudinis: nam tectimonium con-

[8] Cf. S. AUGUSTINUM, *De Trinitate* 15,11,21; *De vera religione* 39,73; *Contra academ.* 3,26; *Soliloquia* 2,1. Sic ipse contra academicos: "Intima scientia est, qua nos vivere scimus, ubi ne illud quidem academicus dicere potest: fortasse dormis et nescis et in somnis vides; visa quippe somniantium simillima esse vigilantium quis ignorat? Sed qui certus est de vitae suae scientia, non in ea dicit: scio me vigilare, sed: scio me vivere. Sive ergo dormiat sive vigilet, vivit. Nec in ea scientia per omnia falli potest, quia et dormire et in somnis videre viventis est. Nec illud potest academicus adversus istam scientiam dicere: furis fortassis et nescis; quia sanorum visis simillima sunt etiam visa furentium. Sed qui furit, vivit; nec contra academicos dicit: scio me non furere, sed: scio me vivere. Numquam ergo falli nec mentiri potest, qui se vivere dixerit scire" (*De Trin.* 15,12).

scientiae solum testificatur me videre motiva assensus; *ergo* motiva assensus sunt diversa a testimonio conscientiae et illo priora.

433. Obiectiones [9]. 1. Sunt multi qui putent se esse sapientes, doctos, cum rudes et insipientes sint; *atqui* haec sunt iudicia de factis internis; *ergo* testimonium de factis internis nos fallere potest.

Trans. totum; nam habere scientiam, doctrinam etc. et esse doctos potius est habitum habere, qui proprie per conscientiam non manifestatur.

2. Saepe accidit ut ille cui crus vel bracchium est amputatum, dolorem sentiat in crure vel bracchio amputato; *atqui* in hoc decipitur et quidem per testimonium conscientiae; *ergo* testimonium conscientiae non est fons verae cognitionis.

Dist. mai.: Dolorem revera sentit in crure vel bracchio amputato, *nego;* arbitratur ibi sentiri ob illusionem imaginationis, *conc.; Contradist. min.*: decipitur accidentaliter per conscientiam, *conc.*; per se, *nego.*

434. 3. Amentibus et somniantibus multa manifestat conscientia quae falsa sunt; *ergo* testimonium conscientiae non est verus fons cognitionis.

Dist. antec.: Et hic error est *per accidens,* quatenus iudicium falsum ponitur per falsam interpretationem factorum conscientiae, *conc.*; est *per se,* quatenus conscientia manifestet aliquid quod non est, vel aliter ac est, *nego. Pariter dist. cons.*

4. Saepe dubitamus, ut experientia docet, de affectione quam habemus, quae sit, immo de ipsa exsistentia in nobis alicuius affectionis; *ergo* testimonium conscientiae non est verus fons cognitionis.

Dist. antec. quoad primam partem: dubitamus de natura vel qualitate affectionis, *trans.*; de ipsa eius actuali praesentia, *nego.* Quoad secundam partem: dubitamus de praeterita exsistentia, quae ad memoriam, non ad conscientiam spectat, *conc.*; de exsistentia affectionis hic et nunc praesentis, *nego.*

435. 5. Anxii seu scrupulosi iudicant saepe adesse liberum consensum in malam cogitationem, dum nullus consensus adest; *atqui* hic error ex phantasia nequit provenire, quia nihil de libertate indicare potest; *ergo* provenit ex solo testimonio conscientiae.

Conc. mai. Dist. min.: Nequit provenire ex phantasia, si affectio appetitus sensitivi non possit confundi cum actu libero voluntatis, *conc.*; si potest, *nego.* Et *pariter dist. cons.*

---

[9] Cf. PESCH-FRICK, *ibid.* n.581.

ARTICULUS III

DE EXTERNA EXPERIENTIA UT VERAE COGNITIONIS LEGITIMO FONTE

436. Nexus et momentum quaestionis. Pars fere potissima nostrarum idearum ac iudiciorum circa rem externam seu mundum externum versatur, secundum notum effatum: *Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu.* Ex falsa autem interpretatione datorum sensuum innumeri errores originem ducunt; quare huius fontis cognitionis valorem bene determinare oportet.

Nec tamen exaggeranda est vis huius sensitivae cognitionis et momentum. Effatum enim illud solum dicere potest: a sensatione exoritur prima impulsio ac determinatio ad facultatem cognoscitivam actuandam, et ipsa sensatio, saltem interna, necessario comitatur omnem processum cognoscitivum. Sed hoc non significat unice illa data sensuum cognitioni humanae pervia esse; datur enim praeterea alia experientia interna, et praecipue potentia intellectiva, quae in sensibilibus abstrahit insensibilia, ex quibus demum omnes scientiae constituuntur.

A fortiori non dicit sensationem ita esse fundamentum nostrae cognitionis, ut a quaestione de eius valore valor cognitionis etiam intellectivae simpliciter dependeat; nam unice intellectus, perfectae reflexionis capax, iudicare et perspicere potest quae sit natura ipsius sensus, et quo modo et qua extensione sensibus cognitio vera conveniat.

Inde quaestio de veracitate sensus plane distinguenda est a quaestione de veracitate intellectus; nam licet sensus veracitas indubitabilis omnino sit, tamen non oportet innumeras difficultates, quae propter varias ac diversas quaestiones scientificas, psychologicas et criticas in tractatu sensationis dantur, cum quaestione generali de veritate misceri[1]. Inde nihil mirum si auctores propter has difficultates, etsi idem sentiant, diverso tamen loquantur modo. Huius vero quaestionis, ut melius res pateat, talis erit nobis divisio: agemus in primis de exsistentia alicuius rei extensae, deinde de exsistentia rerum colore aliisque proprietatibus affectarum et denique de exsistentia alicuius substantiae quae verum sit corpus.

[1] Cf. NABER, *Critica* p.362-3.

§ 1. De experientia externa sensibilis communis.

Thesis 27. Sensus externi sunt fontes cognitionis verae et certae circa sensibilia communia; unde exsistunt corpora formaliter talia.

TONGIORGI, *Instit. Phil.* t.1 n.457s; DE VRIES, *Critica* n.152-78; PESCH-FRICK, *Logica* n.491s; TONQUEDEC, *La critique de la connaissance* (Paris 1929) p.43; STEENBERGHEN, *Epistemologie* c.3 a.3; NABER, *Critica* p.361s; DÁVILA, *Critica* n.72-109; DONAT, *Critica* th.22-4; DE SYNÉTY, *La perception du monde extérieur:* RevQuestSc (1913).

437. Notiones. *Ex psychologia* desumuntur notiones sequentes:

SENSUS IN GENERE est potentia organica perceptiva rei materialis, singularis.

Dicitur nempe *potentia organica* quia est facultas, qua producitur cognitio sensitiva, et quidem per organum. ORGANUM vero dicitur pars corporis ad aliquam functionem vitae destinatum, sive vegetativae sive sensitivae; dicitur vero sensorium si vitae sensitivae inserviat, ut oculus ad visionem: constat vero ex psychologia illud organum esse animatum, seu informatum ab anima seu principio vitali, et constitui tum parte externa tum etiam centro cerebrali.

Perceptiva, seu repraesentativa, quia est potentia ponendi actum repraesentativum, et ita differt ab aliis potentiis v. c. vegetativis, locomotivis, etc., quae quamvis organicae sint, non tamen quidquam manifestant.

Rei materialis, quia eius actus non nisi res materiales singulares attingere possunt, ideoque sensatio ab intellectione et intellectus a sensu essentialiter differunt.

438. Divisio sensus. Sensus possunt esse:

a) *Externi,* et sunt facultates cognoscitivae residentes generatim in organis, quae extrinsecus patent, et habent suos actus cognoscitivos non mediante alia sensatione, sed immediate per percussionem et influxum obiectorum in ipsa organa.

b) *Interni* sunt facultates residentes in organis quae interius latent, et suos actus cognoscitivos habent mediante alia sensatione, et non ex influxu immediato obiectorum in ipsa organa, v. c. memoria, cuius organum interius latet, et habet suum actum dependenter a sensationibus olim habitis.

Tum sensus externi tum etiam interni ulterius dividuntur, ut videre est in psychologia.

439. SENSATIO EXTERNA, qua nostra experientia externa constituitur, est operatio sensus et sic potest nunc definiri: illa experientia cuiusdam impressionis ab obiecto praesente provenientis, qua ex naturali quadam persuasione illud obiectum quasi immediate percipere nobis videmur.

Haec vero sensatio dupliciter, ut omnis actus cognoscitivus sumitur: *a*) ut *subiecti affectio*, proprie est obiectum conscientiae et ita potius pertinet ad psychologiam; *b*) ut *obiecti perceptio* est rerum repraesentatio et ita est obiectum criticae. Sub hoc respectu pertinet ad thesim [2].

440. SENSIBILE est obiectum quod a sensibus percipi potest; divitur in:

A. *Sensibile per se* est obiectum, quod ratione sui movet sensum, et iterum divitur in:

a) *Sensibile proprium,* quod ab uno tantum sensu percipi potest, v. c. color, sonitus, sapor, resistentia, frigus, etc. Haec sensibilia propria differunt inter se specifice et vocantur etiam *sensibilia per se primo.*

b) *Sensibile commune,* quod a pluribus sensibus percipi potest, v. c. magnitudo et extensio, quae a visu et a tactu percipi possunt. Quinque solent numerari: magnitudo seu quantitas, figura, numerus, motus et quies. Vocantur etiam *sensibilia per se secundo.*

B. *Sensibile per accidens* est illud quod non sentitur a sensu cui attribuitur, vel etiam quod nullo sensu percipitur, sed tamen ita coniunctum est cum eo, quod per sensum percipitur, ut facili ratiocinio deducatur. Exempla prioris sensibilis per accidens est dulce respectu visus; sic dicimus: *vide hoc dulce,* signando saccharum. Exempla alterius sensibilis per accidens sunt, v. c. cum dicimus: *video hominem, tango arborem;* homo enim aut arbor est substantia habens animam rationalem aut principium vitale, quae non cadunt sub sensu; sed ita coniuncta sunt cum sensibili proprio aut communi, ut facillime deducantur in praesentia eorum.

441. *De essentia sensibilis communis* nihil docet psychologia et cosmologia, quod non idem doceat critica huius co-

[2] Circa processum complicatum, quo sensationes fiunt, vide psychologos et physiologos, qui fusius rem tractare solent; brevius autem in *tractatu II, n.16.*

gnitionis; et omnes rationes quae solent dari, ad quaestionem de veritate potius pertinent; quare proprium habebit locum in hac thesi.

CORPUS in thesi non sumitur scientifico et philosophico modo, prout postea in cosmologia consideratur; sed *modo vulgari,* illud nempe ens quod nobis ut extensum et molem habens et coloratum, etc., obicitur.

442. Status quaestionis. In hac prima thesi agimus de exsistentia sensibilis communis, seu de exsistentia corporum formaliter talium. Circa quam triplex quaestio est distinguenda: prima de ipsa re, utrum nostris sensationibus respondeant corpora realiter exsistentia, seu entia formaliter extensa, cum trina nempe dimensione in longum, latum et profundum; altera de modo ostendendi vel demonstrandi thesim; tertia demum de modo quo psychologice attingamus corpora, utrum immediate, an solum mediante ratiocinio.

443. Sententiae circa hanc triplicem quaestionem.

A. CIRCA CORPORUM EXSISTENTIAM.

Prima sententia negat in genere dari corpora, seu entia formaliter extensa: ita

1. LEIBNIZ, qui dicebat exsistere corpora, non tamen formaliter talia, qualia scilicet nobis per sensationes apparent, sed solum virtualiter talia. Corpora enim constant monadibus simplicibus, seu inextensis; consequenter corpora non habent trinam dimensionem, nec inter ea adest distantia, nec ullus motus localis, nec itinera; sed solum est a parte rei fundamentum quod producit in nobis phaenomena bene fundata, quae vocamus corpora, distantias, motus... Et ex his phaenomenis possumus devenire ad cognoscendam ipsam naturam corporum.

2. KANT, qui affirmabat exsistere quidem noumenon seu incognitum X, quod dat occasionem fabricandi ea phaenomena pure subiectiva, quae vocantur corpora et facta naturalia; sed revera non exsistunt corpora talia qualia nobis apparent, nec de illis ullam habere notitiam possumus.

3. BERKELEY, qui dixit non exsistere ulla corpora nec fundamentaliter talia, sed solum exsistere phaenomena pure subiectiva et apparentias corporum, quae in nobis a solo Deo producuntur [3]. Ex LOCKE enim accepit non percipi a nobis

[3] Cf. eius opus *Of the principles of Human Knowledge.*

iuxta suam phaenomenalismi doctrinam ipsas substantias, sed solum nostras repraesentationes subiectivas, et ex MALEBRANCHE iuxta suum occasionalismum eas repraesentationes causari a solo Deo in nobis; et inde conclusit non requiri ulla corpora. Ceterum ipse admisit exsistentiam Dei et spirituum et totam metaphysicam.

4. *Neorealismus anglo-americanus* admittit corpora, sed solum in sensu leibniziano: datur nempe extra nos aliqua realitas, quae dat occasionem nostris sensationibus; et eam realitatem possumus cognoscere mediate [4].

444. *Secunda sententia* tenet dari corpora formaliter talia, entia nempe formaliter extensa. Ita

1. *Realismus ingenuus seu integralis,* qui affirmat exsistere a parte rei corpora formaliter prout nobis apparent, cum omnibus qualitatibus sensibilibus, olore, colore, sonitu, etc., formaliter exsistentibus. Sic fere omnes scholastici antiquiores, et multi etiam inter recentes.

2. *Realismus criticus* admittit exsistentiam corporum formaliter talium cum sua trina dimensione, pondere, resistentia; sed tenet qualitates sensibiles a parte rei non esse formaliter, sed solum virtualiter; exsistunt nempe vires in corporibus, quae simul cum sensu producunt in nobis repraesentationes subiectivas coloris, sonitus formalis, etc.

Hanc sententiam affirmativam, saltem in ultimo sensu tenemus nos et quidem ut omnino certam.

445. B. SENTENTIAE CIRCA MODUM DEMONSTRANDI VEL OSTENDENDI EXSISTENTIAM CORPORUM FORMALITER TALIUM.

1. Plerique scholastici tenent ostendi per intuitionem seu evidentiam immediatam. Sed PICARD, et alii dicunt per intuitionem immediatam constare de exsistentia proprii corporis, et per analogiam et rationem sufficientem de ceteris corporibus.

2. Alii tenent probari solum per principium causalitatis et rationis sufficientis, non invocata sapientia et sanctitate Dei.

3. Alii tenent probari solum mediate per principium cau-

[4] Omnes moderni idealistae, plus minusve rigidi, expressis verbis reiciunt mundi extensi exsistentiam. Ita A. SCHOPENHAUER *in Die Welt als Wille und Vorstellung* I § 1.2; H. RICKERT in "*Der Gegenstand der Erkenntnis* (1892) 2; eodem modo *positivistae,* ut E. MACH in *Analyse der Empfindungen;* horum verba apud DONAT *Critica* n.86-7 videre licet.

salitatis et rationis sufficientis et per sapientiam et sanctitatem Dei.

4. Multi denique adhibent simul argumentationem directam, ex evidentia nempe immediata, et indirectam seu ad hominem, ex absurditate sententiae contrariae, qua omne possibile dubium tollitur et per maiorem reflexionem difficultates solvuntur. Hanc postremam viam nos sequemur.

446. C. SENTENTIAE CIRCA MODUM QUO PSYCHOLOGICE ATTINGAMUS CORPORA.

1. *Prima sententia* tenet nos sensibus externis percipere immediate et intuitive in sua praesentialitate ipsa corpora, et intellectum etiam iuvamine sensuum intueri ipsa corpora, et sic moveri ut affirmet immediate et ex intuitione eorum exsistentiam.

2. *Secunda* distinguit et dicit nos percipere immediate corpus nostrum et qualitates sensibiles corporis nostri, eius duritiem, sonum, colorem; corpora autem extra nos posita solum cognoscimus mediate et analogice; sic nos percipimus extensionem et figuram et colorem imaginis retinianae realis quae est intra oculum nostrum et ex ea deducimus a parte rei dari corpus simile ei quod habemus in repraesentatione. Sic v. c. GREDT.

3. *Tertia* tenet nos immediate percipere imaginem intellectualem obiectorum, quam nos ex influxu obiectorum producimus, non autem ipsa corpora prout sunt in se ipsis, nec eorum accidentia; et postea per ratiocinationem nos deducere a parte rei dari corpora omnino sicut repraesentantur, saltem quoad qualitates extensivas. Haec sententia supponit iam principium causalitatis et Dei exsistentiam aliunde demonstratam per experientiam nempe internam; ubi entia dantur contingentia seu facta.

447. *Nostra* igitur sententia est affirmativa circa primum, nempe circa corporum exsistentiam. Circa alterum, nempe circa modum ostendendi thesim tenemus certitudinem naturalem circa corporum exsistentiam immediate ex experientia originem ducere et in ipsa fundari; at certitudinem philosophicam requirere aliqualem reflexionem intellectualem circa data immediata experientiae sub luce aliquorum principiorum intellectualium. Denique circa modum quo corpora attin-

gamus mediate an immediate, tenemus sententiam, quam in psychologia scholastici generatim tenent, nempe immediate.

448. Probatur thesis. 1. (*Directe ex evidentia immediata.*) Evidentia plena videmus nos, quando sentimus aliquid externum extensum, habere praesentissimum ipsum corpus, nempe aliquod ens determinatae extensionis, figurae, magnitudinis, et praeterea illud ens sua praesentia activa sese nobis obicere; *atqui* hoc evidentissimum et sufficiens signum est exsistentiae rei externae, et quidem extensae formaliter; *ergo* exsistit res externa formaliter extensa.

Minor patet; nam res quae est praesens per se ipsam manifestat per se ipsam suam exsistentiam et suam primariam qualitatem seu modum essendi.

Maior declaratur: 1) Nam inde ex hac evidentia immediata enascitur sine dubio firmissima persuasio, quam omnes homines habent de corporum exsistentia; nam tam evidentem illam habent ut reliquas cognitiones etiam metaphysice evidentissimas per hanc evidentiam explicare conentur; ut ex modo vulgari loquendi hominum patet; 2) revera haec cognitio est tam obvia homini, ut et ipsa vitam suam practicam immo et moralem et scientificam regat; sed cognitio de se ut patet ex prima parte determinatur ab obiecto, seu est de se obiectiva; *ergo* etiam de hac cognitione idem dicendum est, praesertim cum difficultates, quae contra ipsam moveri solent nullius sint momenti, ut apparebit in solutione difficultatum; 3) denique quia illae repraesentationes in quibus res primo nobis apparent magnum habent discrimen cum illis in quibus denuo a nobis revocantur, quod non daretur nisi aliae immediatae aliae vero mediatae essent. En vero praecipua discrimina: *a*) diversissima est intensitas et evidentia seu claritas impressionis, quam ut immediatam habemus, et repraesentationis reproductivae, v. c. inter visionem solis et eius imaginationem media nocte; *b*) diversa est ratio successionis et dependentiae, v. c. ad habendam visionem cathedralis toletanae determinata et maxima series visionum requiruntur, quae minime necessaria sunt in reproductione; *c*) diversa est denique variabilitas, dum enim phantasmata ad libitum usque in infinitum variari possunt, visiones immediatae non habentur nisi determinato et invariabili modo, et quidquid ego variare possum non pro voluntate et arbitrarie sed determinatis condicionibus et adiunctis fieri potest.

449. 2. (*Indirecte ex refutatione adversariorum, maxime idealismi acosmistici.*) Idealismus acosmisticus admittit exsistentiam Dei et spirituum, atque affirmat nostras sensationes rei corporeae extensae non produci a re corporea et extensa, sed a solo Deo; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* idealismus acosmisticus, qui negat dari res corporeas extensas est absurdus.

Maior patet. *Minor* vero probatur: Nam tum Deus sapientissimus et sanctissimus induceret in nobis errorem invincibilem et funestissimum; *atqui* hoc dedecet Deum sapientem et sanctissimum; *ergo* est absurdum Deum ipsum facere in nobis tales impressiones et repraesentationes, corporibus nullis exsistentibus.

Ultima maior: Nam ipse Deus, *a*) offerret nobis aliquod obiectum quod non est, et induceret nos ad iudicandum, vera esse ea et obiectiva, quae nullo modo sunt.

b) Homines misere illuderet ac Illi ludibrio essent, cum illos necessario induceret ad tales res acquirendas, fugiendas, timendas, custodiendas, quae non sunt.

c) Et hic error a Deo infusus esset invincibilis quia tanta evidentia naturali ducimur ad affirmanda corpora ut exsistentia a parte rei, ut haec affirmatio ut quaedam naturalis necessitas appareat; praesertim cum sensationes tam uniformes tamque constantes sint, ut neque suspicari rationabiliter possimus eas non esse a causis necessariis et obiectivis, sed ab agente libero provocatas; et consequenter totum apparatum organicum nostri corporis esset perfecte inutile ad tales repraesentationes habendas.

d) Denique Deus nos induceret in errorem funestissimum, cum enim multa praecepta moralia dependant ab exsistentia reali corporum Deus sua illusione in peccata faceret nos incidere sine exsistentia corporum; quod praeter funestum etiam crudele ex parte Dei apparet.

Minor est clarissima, repugnat enim cum Dei infinita sapientia et sanctitate [5].

450. Obiectiones. 1. Sensationes sunt ex natura sua modificationes subiectivae; *atqui* ex modificationibus subiectivis nequeunt

[5] Hoc indirectum argumentum ab omnibus auctoribus, qui immediatam corporum perceptionem tenent, admittitur, v. c. P. GENY, *Critica* n.264; DÁVILA, *Critica* n.76. Longius proponitur a P. DE SINETY, *La perception du monde exterieur:* RevQuestSc 1913.

cognosci obiecta externa; *ergo* sensationibus nequeunt cognosci obiecta externa.

Dist. mai.: Sensationes entitative sumptae sunt modificationes subiectivae, *conc.*; repraesentative sumptae, *nego. Contradist. min.*: ex modificationibus mere subiectivis, *conc.*; etiam repraesentativis, *nego.*

2. Ut cognosceremus animam simplicem non esse causam adaequatam sensationum, omnes animae vires deberemus penitus cognoscere; *atqui* non cognoscimus; *ergo* non possumus scire utrum anima sit vel non sit causa adaequata sensationum.

Dist. mai.: Si rationabiliter non constat animam humanam non posse aliquid facere, *conc.*; si vero constat *nego. Contradist. min.*

451. 3. Deus potest sensibiles repraesentationes in homine producere, corporibus non exsistentibus; *atqui* in hoc casu sensatio non esset vera; *ergo.*

Dist. mai.: Aliquando ob specialem rationem, *trans.;* semper et quasi connaturali et ordinario modo, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons.*: aliquando erit falsa sensatio quasi materialiter et per accidens, *trans.*; semper et per se, *nego.*

4. *Atqui* Deus potest velle semper nos in sensatione errare.

Prob.: Deus potest positive velle malum physicum; *atqui* hic error ordinarius esset malum physicum; *ergo* Deus potest positive velle hunc errorem.

Dist. mai.: Deus potest velle malum physicum per se ex natura male constituta fluens, *nego;* per accidens, in aliquo casu particulari ob aliud bonum obtinendum, *conc.*

452. 5. Thesis probata supponit exsistentiam Dei; *atqui* exsistentia Dei supponit exsistentiam corporum; *ergo* thesis inducit circulum vitiosum.

Trans. mai. Dist. min.: Solum exsistentiam corporum, *nego;* etiam *conc. Pariter dist. cons.* Adversarii saltem aliqui admittunt exsistentiam Dei, dum mundi externi exsistentiam negant, et ex hac suppositione contra ipsos in argumento arguimus; ipsi vero videant quomodo probent exsistentiam Dei, corporibus non exsistentibus.

6. Cognitio rei externae esset cognitio rei non cognitae; *atqui* cognitio rei non cognitae repugnat in terminis; *ergo* res in se nequit cognosci.

Dist. mai.: Si res in se non posset habere etiam esse intentionale, *conc.*; si potest, *nego. Contradist. min.*

453. 7. Sed res in se non potest habere esse intentionale. Nam res in se est idem ac res independens a cognoscente; *atqui* res a cognoscente independens nequit habere esse intentionale; *ergo* res in se nequit habere esse intentionale.

Dist.: Est res quae non dependet a cognoscente in suo esse reali, *conc.*; in suo esse intentionali, *nego. Contradist. min.*

8. Dantur aliquando hallucinationes seu fallaciae sensuum, in quibus fallimur circa exsistentiam corporum; *ergo* sensus sunt fallaces saltem aliquando.

Dist. antec.: Huiusmodi hallucinationes dantur per accidens, in statu anormali, ita ut intellectus reflexione vitari possint, *conc.*; per se, ita ut nullo modo vitari queant, *nego*[6].

§ 2. De experientia externa sensibilis proprii.

Thesis 28. Sensus externi sunt etiam fontes cognitionis verae et certae circa sensibilia propria.

Praeter auctores in superiori thesi citatos cf. GREDT, *Elementa Philosophiae* vol. p.85; opusculum *De cognitione sensuum externorum* (Roma 1913,1924[2]); GRÜNDER, *De qualitatibus sensibilibus et praesertim de coloribus et sonis* (Friburgi 1911); H. GRUENDER, *Curso de Introducción teórico-práctica a la Psicología esperimental* (versión c. de F. PALMÉS, Barcelona 1924); LEMAIRE, *La connaissance sensible des objects exterieurs:* RevNeoschol (1920) p.37-70; DE SINÉTY, *La connaissance sensible des qualités secondaires:* RevQuestSc (abril 1911); MARXUACH, *¿Están los colores donde los vemos?:* RazFe 31 (1911) p.17; OSTLER, *Die realitàt der Aussenwelt* (Paderbonn 1911); GENY, *Critica* n.278-308; JEANNIÉRE, *Criteriologia* th.27 p.384-396.

454. Notiones. SENSIBILE PROPRIUM, ut antea diximus, est obiectum, quod uno tantum sensu percipitur, v. c. color, sonitus; vocantur etiam a modernis auctoribus *qualitates secundariae.*

NATURA HUIUS OBIECTI SENSIBILIS; in scientiis, nempe in phyicas, in psychologia physiologia duplex theoria datur circa naturam seu modum essendi huius obiecti sensibilis.

455. *Prima theoria* tenet sensibilia propria, saltem quoad lucem et colores, inveniri in ipsis rebus, formaliter; quare praeter influxum et vim physicam, quae a corpore procedit, dantur in ipso quaedam proprietates accidentales, quae per modum causae formalis corpus faciunt coloratum, et quae dantur in rebus eodem prorsus modo ac in sensationibus repraesentantur. Haec sententia *perceptionista* dicitur. Sed inter ipsos perceptionistas, licet in hoc omnes conveniant, multae divergentiae dantur, quando medium, locum, durationem et productionem harum qualitatum explicare intendunt, maxime ut respondeant difficultatibus quae ab adversariis proponuntur.

Multi sunt scholastici inter modernos, praeter omnes veteres, immo et aliqui scientifici, qui hanc sententiam tenent[7],

---

[6] Obiectiones, quae a KANT proponuntur contra realitatem extensionis et successionis, praecipuae iam consideratae sunt in expositione systematis idealismi transcendentalis. Eas videre licet apud NABER, *Critica* p.381s; DONAT, *Critica* n.197s; praeterea in Cosmologia iterum in quaestione spatii et temporis agitari solent.

[7] Ita inter auctores ante citatos MARXUACH, OSTLER, GREDT, GENY; praeterea PESCH, *Inst Log.* t.2 p.647; FARGES, *L'obiectivité de la perception des sens exterieurs* (Paris 1891); DE LA VAISSIÈRE, *Phil. Naturalis* n.56-61; MICHELITSCH, *Einleitung in die Erkenntnislehre* (1910) p.246s.

saltem quoad colores et alias sensationes, quae obiectivae dicuntur, non vero quoad alias, quae ut affectiones subiecti potius habentur.

456. *Argumenta* vero, quae ab his auctoribus afferri solent ad sequentia reduci solent[8]:

1. *Evidentia,* qua visus colores ut externos refert, valde similis est evidentiae, quam intellectus de suis immediatis obiectis, v. c. de primis principiis habet, ita ut ipse intellectus ad iudicandum eos formaliter exsistere ducatur; *ergo* revera illi colores ut formaliter exsistentes habendi sunt.

2. Itaque si colores non essent formaliter a parte rei, in natura humana *magna daretur inharmonia,* quatenus sensus ducerent intellectum vi quadam invincibili in errorem spontaneum, cum ipsi ad iuvamen intellectus in cognoscenda veritate nati dicantur.

3. Huic accedit *consensus generis humani,* cui semper persuasum fuit, luces et colores tales in realitate exsistere, quales nobis apparent in sensatione.

4. *Non videtur ratio ulla cur Deus* dedisset nobis sensus qui realitatem perciperent aliter ac est, cum Ipse posset nobis dare sensus qui realitatem omnino fideliter referrent.

5. *Teste historia,* patet semper ac quomodocumque negatus fuerit valor cognitionis sensitivae, progressum factum esse ad scepticismum circa exsistentiam ipsorum corporum, immo circa omnem omnino cognitionem etiam intellectualem. Ita scepticismus PROTAGORAE praeparatur; ita etiam BERKELEY et HUME ex sententia LOCKE ad scepticismum pervenerunt.

6. *Visus nos non fallit, quando extensionem refert, ergo neque quando refert colores.* Quare si in videndis coloribus non possumus fidere visui, neque in referenda extensione ipsis fidendum est.

7. Denique si colores non sunt formaliter a parte rei, sed tantum causaliter, quo pacto poterimus ipsa *corpora discernere eorumque discrimina specifica cognoscere?*

His rationibus diversis modis respondent adversarii.

457. *Secunda* theoria tenet has qualitates exsistere in rebus *solum fundamentaliter,* formaliter vero in ipso actu

[8] Uberius haec argumenta proponuntur simul cum adversariorum responsionibus apud DONAT, *Critica* n.208-211.

sensationis. Quare iuxta hanc sententiam, corpora sunt colorata, quia habent energiam specialem, quae usque ad organum visus propagatur, et in ipso sensationem coloris causat; haec vero energia est diversa in diversis corporibus et maxime a vi selectiva radiorum lucis pendet, quae ulterius a specifica natura corporis determinatur. Ita sentiunt multi moderni neoscholastici et fere omnes moderni periti scientiarum [9].

458. *Rationes* vero quae ab his auctoribus afferuntur sunt fere sequentes [10]:

1. Physici moderni, secundum suas theorias vibrationum in factis diversis refractionis, reflexionis, polarisationis, interferentiae, etc., fundatas, inferunt coloribus a parte rei non respondere nisi diversos illos status vibratorios; ita ut tota technica moderna instrumentorum opticorum in solis illis theoriis fundetur, qualitatibus illis formalibus omnino reiectis vel posthabitis.

2. Idem persuadet: *fusio colorum complementarium,* quae obtinetur si puncta correspondentia utriusque retinae excitantur coloribus complementaribus, alterum nempe colore flavo, alterum vero caeruleo, tunc enim percipit unum colorem, album.

3. *Mixtura pigmentorum,* qua mera iuxtapositione particularum diverso colore affectarum omnes colores prorsus diversi obtinentur; ita pictores et phototypi paucis coloribus fundamentalibus omnes colores obtinent.

4. *Contractus simultaneus et subsequens,* quo si inspicio plagulam nigram zona rubra circumposita, post aliquod tempus illa apparebit viridis; vel si post visionem alicuius obiecti intensam figo oculos in parietem album, statim video imaginem illius obiecti, sed colore complementari.

5. *Colores interferentiales;* nam eiusdem guttulae aquae pars, a diversis diverso angulo inspecta, alio apparet colore.

6. *Mutatio coloris,* eiusdem obiecti sub diversa intensitate lucis: quod etiam pictoribus valde notum est.

---

[9] Ita sentiunt inter auctores initio thesis citatos, GRÜNDER, DE SINETY; praeterea inter physiologos Io. MÜLLER, qui hanc doctrinam per suam legem ***energiarum specificarum sensuum*** propagavit, *Physilogie* [4] (1844) p.663; MATTIUSSI, *Principi di Fil. Fisica* tr.3 c.3 (Milano 1901); FRÖBES, *Auf der schiefen Ebene zum Idealismus?:* Stimm 73 (1907) p.153.283, etc.

[10] Circa haec argumenta cf. praeter DONAT, *l. c.* NABER, *Critica* p.385-7; H. GRUENDER, *Curso de Introducción teórico-práctica a la Psicología experimental* (versión castellana por F. M. PALMÉS, Barcelona 1924) p.16-123.

7. *Stimuli iadaequati,* quibuns semper unusquisque sensus reagit et sentit secundum propriam energiam specificam, secundum *legem müllerianam;* ita v. c. idem stimulus, qui diversa organa excitet ab oculo percipitur videndo colorem, ab aure audiendo sonum, etc.

8. Denique *discrepantia temporalis* inter esse obiecti et eiusdem perceptionem; sic nunc video stellam, quae iam non exsistit.

Haec omnia sunt facta quae coegerunt perceptionistas ad diversissimas theorias efformandas. Nos proprie ex his rationibus nullam determinatam tenemus sententiam, solummodo reicimus rationes, quae ab aliquibus ex critica afferuntur ad perceptionismum commendandum.

459. Status quaestionis. Igitur circa hanc rem de sensibili proprio duplex dari potest quaestio: *prima psychologica* et *physiologica;* nempe quid illud sensibile proprium a parte rei sit; nam dari aliquo modo in rebus ex prima parte et ex sensu communi sequitur; *altera vero critica,* utrum illae repraesentationes sensibilis proprii, etiam si solum virtualiter darentur in rebus, sint verae et obiectivae, seu utrum intellectus acquirat novas et veras notitias per hoc sensibile, etiam si solum virtualiter detur a parte rei. Et haec secunda quaestio est illa de qua proprie agitur in thesi.

460. Sententiae. *Prima* docet admittenda esse a parte rei sensibilia propria, et quidem formaliter talia, propter rationes criticas, secus non vitatur periculum idealismi; sic v. c. GENY, GREDT, etc.

Secunda docet nullum adesse periculum in sententia affirmante sensibilia haec non exsistere formaliter a parte rei, sed solum virtualiter. Certe in hac sententia interpretationista aliquo modo reformanda esset notio cognitionis et veritatis, quam generatim habemus ex cognitione intellectuali efformatam; sed huiusmodi reformatio est omnino legitima et rationalis. *Hanc postremam sententiam nos tenemus ut certam.*

461. Probatur thesis. Cognitio sensibilis proprii etiam in sententia interpretationista est dicendus genuinus fons cognitionis, si 1) per ipsam re vera *notitia nova* de ipso obiecto acquiritur, et quidem 2) *notitia vera,* i. e. sine ullo errore; *atqui* ita se habet cognitio sensibilis proprii etiam in senten-

tia interpretationista; *ergo* ipsa est fons genuinus verae et certae cognitionis.

Maior patet ex ipsa definitione fontis. Nam debet praestare:

1. *Aliquid novum;* quod duplici modo obtinet, vel ita ut exhibeat aliquam proprietatem talem, qualis est in re, v. c. hic homo habet duo bracchia; vel exhibeat aliquem effectum, determinatum et proprium illius rei, v. c. haec substantia chemica reddit rubram aliam substantiam (*tornasol*). In hac altera cognitione etiam aliquid novum attingo, quamvis non sit aliquid absolutum rei, et inde haec cognitio dici potest relativa. Quia per se dicit quo modo talis res se habeat ad aliam rem; est autem vere obiectiva, etsi certe aliquatenus imperfectior cognitione absoluta.

2. *Aliquid verum,* nempe quod non sit formaliter erroneum, nec virtualiter inducat in errorem invincibilem.

Minor probatur per partes:

1. *Acquiritur nova notitia in repraesentatione sensibilis proprii.* In sententia perceptionista patet.

In sententia interpretationista ita ostenditur: Percipiendo sonos, colores, etc., percipio non aliquid absolutum, uti est in se, sed effectum aliquem constantem et univoce determinatum; *atqui* sic re vera aliquid novi de ipsa re cognosco; *ergo* in tali sententia sensatio sensibilis proprii est fons genuinus cognitionis novae.

Ultima minor: cognosco enim de novo praeter alias qualitates, talem rem me ita afficere; iam vero haec cognitio relativa est unica, quae saepe tum in vita practica tum in scientia habetur, et omnino ut obiectiva aestimatur, et valde utilis est. Ita in chemia saepe eo describuntur substantiae, quod enumerentur reactiones physicae, quas in alias substantias exercent, et saepe hoc est unicum medium ad substantias valde diversas discernendas; simili fere modo ac aliqua repraesentatio graphica alicuius terrae motus dicitur obiectiva et nova quoniam nobis inservit ad aestimandam, verbi gratia, intensitatem illius phaenomeni, licet tamen sit valde imperfecta repraesentatio, et maxime distet ab ipsa realitate terrae motus.

2. *Notitia quam praestat sensatio sensibilis proprii non est erronea*:

a) *Non formaliter,* quia error formalis non habetur nisi in iudicio; *atqui* sensus non iudicant; *ergo* neque possunt formaliter errare.

b) *Non virtualiter,* quia non ducit necessario in errorem irreformabilem. Certe praebet occasionem erroris; sed huiusmodi error non est magis irreformabilis, quam error, v. c. de motu solis circa terram, nam reflexione intellectuali, quae discernit inter modum essendi et modum cognoscendi, distinguere possumus quasnam partes in gignenda sensatione habeat obiectum, quasnam vero subiectum [11].

462. Corollarium. Haec sensuum testimonia circa sensibile proprium, etiam si solum interpretative possint dici esse vera, patet tamen esse valde utilia tum ad scientiam, tum etiam ad praxim vitae.

Ad scientiam, quia per effectus potest cognosci natura causae; sed sensibilia propria sunt effectus sensibilium virtualium; *ergo* ex illis sensibilibus propriis possumus cognoscere naturam sensibilium virtualium.

Ad praxim vitae, quia valde delectant sua varietate et suavitate, et praeterea facillime discernuntur diversa corpora ex diversitate propriorum sensibilium; ex colore enim, sonitu, sapore etc. multa corpora statim ab aliis discernuntur. Quin immo hic maxime videmus elucere divinam Sapientiam et Providentian. Nam si iuxta modernas theorias illa sensibilia non sunt nisi vibrationes, quae per milliones dantur in corporibus, quam facillime et suaviter et varie cognoscimus illa ita ut delectent, cum contrarium, saltem nunc, appareat nobis valde difficile et complicatum.

463. Scholion. Solent auctores [12] agere etiam de *aliis sensationibus internis* ut de legitimo cognitionis fonte, v. c. *de phantasia* [13], et maxime *de memoria,* quae etiam intellectiva esse potest. Hi vero sensus interni, potius quam fontes cognitionis, possunt considerari velut depositum experientiarum iam habitarum, earumque reproductiones ac combinationes; unde quamvis faciliter in errorem inducere possint intellectum, dum occasionem confusionis multiplicis praebent, tamen per se sunt facultates utiles ad veritatem servandam et quodammodo augendam; quod maxime de ipsa memoria valet.

MEMORIA enim est facultas, qua mens suas affectiones et cognitiones olim habitas reproducit et ut tales recognoscit. Potest esse sensitiva et intellectiva. Utraque est omnino uti·

---

[11] Cf. circa hoc argumentum ampliori modo propositum NABER, *Critica* p.388-91.

[12] Vide PESCH-FRICK, *Logica* n.583-91.

[13] Cf. S. TH., *De verit.* q.2 a.6; S. TH., 1 q.84 a.7.

lis ad nostrum cognitionis processum perficiendum et perpoliendum. De qualitatibus vero memoriae confer quae a psychologis experimentalibus dicuntur [14].

Quod attinet vero ad quaestionem *de veracitate memoriae,* affirmare licet ipsam veracitatem certo nobis constare posse ex multiplici experientia quotidiana, v. c. si memoria tenemus aliquam paragraphum alicuius libri facile possumus illam comparare cum ipso libro et comprobare quo modo memoria omnia fideliter reproducat. Tamen cum ipsa memoria, ut experientia constat paulatim decidat ac debilitetur, ita ut post aliquod tempus de multis rebus non nisi obscure et confuse testetur, vel omnino taceat, faciliter occasio esse potest ut intellectus, relicta debita attentione, affirmet ut verum, quod falsum est in illo confuso testimonio fundatus [15].

464. Obiectiones. 1. Si admittitur sensationem in aliquo suo actu non repraesentare, sed formaliter constituere suum obiectum formale, eodem iure logico idem dicendum esset de alio eius actu, scilicet quoad sensibile commune cognoscendum; *atqui* haec esset doctrina idealistica; *ergo* non licet admittere sensibile proprium virtualiter solum exsistens.

Ad maiorem nego paritatem. Si enim sensibilia propria dicerentur non esse formaliter a parte rei: 1) hoc fieret unice solidis argumentis factorum id exigentibus, et simul clare assignantibus huius subiectivitatis limitem; 2) remanet tamen vera aliqua obiectiva cognitio, ut explicatum manet in thesi; inde nullo modo cognitio scientifica mundi impeditur, immo vero cum modo loquendi scientificorum omnino convenimus, qui de illis proprietatibus quiescentibus nihil dicunt, et omnia moderna experimenta et leges opticae, acusticae, etc. solummodo in conceptione exsistentiae mere causalis illarum proprietatum fundantur.

Si vero sensibilia communia dicerentur formaliter subiectiva: 1) hoc fieret omnino arbitrarie, nullis veris factis et argumentis id exigentibus; 2) illis sensibilibus sublatis, tota cognitio obiectiva mundi corporei penitus evanesceret tum pro homine vulgari, tum pro scientifico, siquidem omnia corpora praecise nobis distinguuntur ex huiusmodi proprietatibus; sine quibus totus mundus externus nobis aliquod incognitum X remaneret.

465. 2. Qualitates secundariae, extensio et quantitas non attinguntur nisi mediantibus qualitatibus primariis, v.c. coloribus; *ergo* si qualitates primariae non formaliter cognoscuntur neque secundariae.

Dist. antec.: Qualitates secundariae non attinguntur nisi ex prius

[14] Cf. FRÖBES, *Manual de psicología experimental* (trad. por A. MENCHACA, Madrid 1933) t.2 sec.7, c.3 p.127-65.

[15] Quare certa quaedam documenta de recto memoriae usu a logicis traduntur, ut videre licet apud PESCH-FRICK, *o. c.* n.590; quae omnia ad hanc legem reducuntur: "Numquam memoria erit tibi erroris occasio, si affirmaveris id ipsum et solum, quod memoria recognoscit, eoque modo quo recognoscit."

cognitis qualitatibus primariis *nego*; non attinguntur nisi cum ipsis, *subdist.*: ita tamen ut fidelitas in cognoscendis secundariis, extensione, etc. dependeat ab indole stricte repraesentativa quoad primarias qualitates, *nego;* aliter, *conc.*[16].

3. Similis est evidentia quoad colores videndos evidentiae quae habetur quoad quantitatem percipiendam, immo quoad principia rationis in sua necessitate agnoscenda; *ergo* pro his omnibus aut eadem obiectivitas est admittenda, aut omnis evidentia dicenda est fallibilis.

Dist. antec.: Eadem est evidentia obvia et apparens, *conc.*; eadem est evidentia reflexa et philosophica per maiorem attentionem intellectus habitam, *nego. Pariter dist. cons.*

466. 4. Perceptio sensibilis proprii in thesi habetur ut vera cognitio; *atqui* omnis cognitio ex suo conceptu est assimilatio ad obiectum; *ergo* etiam in perceptione sensibilis proprii datur assimilatio stricta ad suum obiectum.

Conc. mai. Dist. min.: Omnis cognitio est assimiliatio perfecta et formalis cum obiecto, *nego,* vel *peto probationem,* quia hoc praecise in thesi sub iudice est; est assimilatio saltem imperfecta et virtualis cum obiecto, *conc. pariter dist. cons.*

5. Nulla facultas potest errare circa suum obiectum formale; *atqui* si non datur assimilatio perfecta et formalis facultas erraret circa suum obiectum formale; *ergo* assimilatio etiam in cognoscendis qualitatibus secundariis debet esse formalis et perfecta.

Conc. mai. et nego min., nam hoc sub iudice est quod nempe sit obiectum formale sensus, cum qualitates illas percipit.

467. 6. Qualitates secundariae seu "sensibile proprium" pertinet ad obiectum maxime proportionatum cognitionis humanae; *atqui* tale obiectum est obiectum formale; *ergo* qualitates secundariae sunt obiectum formale cognitionis humanae.

Dist. mai.: Res quae per sensibilia propria dantur sunt obiectum maxime proportionatum, *conc.*; ipsa sensibilia, *nego.*

7. Si sensibilia propria non darentur a parte rei formaliter tunc sensatio potius dicenda esset symbolum quam propria repraesentatio seu imago rei; *atqui* hoc dici nequit; *ergo* sensibilia propria dantur formaliter a parte rei.

Dist. mai.: Esset imago seu repraesentatio imperfecta, *conc.*; esset "merum symbolum", *nego.* Licet illa repraesentatio sensitiva sensibilis proprii non omnia quae sunt in re similitudine absoluta repraesentaret, non inde non esset dicenda imago, sicut photographia ordinaria in referendis v.c. coloribus dissimilis est quoad multa, et tamen a nemine "merum symbolum" dicitur.

468. 8. Ut ex datis sensuum possimus acquirere cognitionem certam de exsistentia saltem virtuali sensibilium propriorum, necesse est ut certo constet condiciones requisitas ad rectam habendam sensationem adimpletas esse; *atqui* hoc constare nequit nisi per ipsos

[16] Ulteriorem explicationem vide apud B. PÉREZ ARGOS, *Psychologia* 1 p.56 corol.2.

sensus; *ergo* non possumus sine petitione principii cognoscere certo exsistentiam etiam virtualem sensibilium propriorum.

Conc. mai. Nego min. Potest enim constare per reflexionem intellectualem in multiplicem nostram experientiam.

§ 3. De experientia externa sensibilis per accidens.

P. Geny, *Critica* n. 290-1; A. Naber, *Critica* p. 369.

469. *Sensibile per accidens,* ut indicatum antea manet, est obiectum quod attingitur a facultate sensitiva, ratione alius obiecti apprehensi per se ab ipsa facultate, quocum proxime coniungitur, sic. v. c. cum dicimus "*vide aurum*"; nemo enim videt aurum per ullum sensum, sed aliquid extensum et coloratum, cui accidit esse illam substantiam auri; vel cum dicimus "*vide hoc dulce*", oculus enim videt extensionem aliquam coloratam, cui accidit illa dulcedo, quam per alium sensum, i. e. gustum, sentimus.

470. Circa hoc sensibile per accidens tres praecipuae quaestiones agitari possunt:

1. Utrum revera a parte rei exsistat, et quo modo ostendatur eius exsistentia.

2. Quo pacto oriatur et suam structuram accipiat in mente nostra.

3. Denique quod sit eius momentum criticum.

Circa primam quaestionem, aestimatio communis omnium hominum et reflexio circa data immediata eorumque causas tum efficientem tum materialem sub principiis non contradictionis et causalitatis plenam certitudinem nobis praebere possunt. Patet igitur exsistentiam huius sensibilis per accidens nobis non dari immediate, *sed solummodo mediate* et quidem *per strictam demonstrationem* [17].

471. *Quoad secundam quaestionem,* nempe quoad eius originem et structuram maxime interest psychologo determinare quis sit quasi nucleus, seu quasi *punctum luminosum,* quod nobis in unaquaque experientia datur, quid vero addatur ex nostra repetita experientia, et quasi *halus* imaginum sit. Moderni itaque psychologi communiter distinguunt inter sensationem et perceptionem; cum *sensatio* intelligatur illa actio, qua obiectum hic et nunc per sensum externum attin-

[17] Cf. Suárez, *De anima* 3,8,2.

gatur, *perceptio* vero etiam imagines amplectatur quae simul tempore in phantasia excitantur et ipsi sensationi referuntur. Unde ipsi psychologi dum clare determinant quid ab ipso obiecto, quid vero ab experientia repetita proveniat, considerant et statuunt possibilitatem *educationis sensuum,* qua actiones etiam complexae faciliter fiunt, v. c. scriptio tam manu quam machina, usus instrumentorum musices, etc.

472. *Quoad tertiam quaestionem,* facile apparet momentum huius quaestionis criticum, ad integram vitam nostram tam vulgarem quam scientificam et moralem iustificandam. Specialissimum vero obtinet momentum in factis erroris explicandis, prout iam in thesi de errore indicavimus; nam si ea solum affirmaremus, quae in cognitione sensibili apparent, impossibilis esset multiplex error circa res externas; qui solum possibilis est, quia aliquid affirmatur ultra id quod fuit apprehensum sub diversis occasionibus, quibus dum imagines cum sensationibus confundimus, unam rem pro alia simili ponimus, eique propter illam similitudinem notas tribuimus, quae minime ei conveniunt. Caute itaque procedendum haec experientia nos docet, semper ac illae imagines abundare solent.

CAPUT II

De conceptibus universalibus, ut de vero fonte veritatis et certitudinis.

ARTICULUS I

INTRODUCTIO GENERALIS IN QUAESTIONEM

473. Momentum quaestionis. Oportet bene determinare sensum et valorem nostrorum conceptuum universalium. Ex thesi enim anteriori iam constat cognitionem singularium per experientiam immediatam esse plene iustificatam et consequenter verum esse cognitionis fontem. Sed intellectus humanus praeter singularia etiam cognoscit universalia, ita ut talis cognitio maxime propria sit huius intellectus. Estne talis cognitio verus cognitionis fons?

Et quidem *frequentissimus est usus terminorum et con-*

ceptuum universalium in sermone quotidiano, ut cum loquimur de homine, de familia, de societate, de negotiis, de pretio rerum, et cum affirmamus aliquid esse magnum, pulchrum, bonum, ingeniosum, etc., et oportet philosophum his terminis uti cognita eorum vi et significatione.

Sed praesertim *usus est frequentissimus in scientiis,* ubi agitur non de hoc aut de illo individuo oxygenio, hydrogenio, ferro, sulphure, etc., sed de sulphure, ferro, oxygenio et hydrogenio ut sic, et de illis statuuntur proprietates ab omni individuatione praescindentes, ut cum affirmamus talia corpora habere tale punctum fusionis, chystallizationis, tales combinationes et quidem in tali proportione. Ex valore nostrorum conceptuum universalium pendebit valor et significatio horum terminorum, proprietatum et propositionum. Nam ut affirmat Aristoteles "omnis scientia est universalium" [1].

474. Quotuplex problema circa universales conceptus suscitetur. Quattuor problemata circa hos conceptus suscitantur:

Primum est de valore seu realitate conceptuum universalium, et est *problema criticum.* Huic problemati respondet triplex systema: *nominalismus* negat suppositum, scilicet dari tales conceptus universales; *conceptualismus* respondet dari quidem conceptus universales, sed eis non respondere in rebus ullam realitatem; *realismus* denique affirmat conceptus universales habere valorem obiectivum.

Secundum problema est ontologicum seu metaphysicum. Cum enim iam constet dari conceptus universales, qui valorem obiectivum habent, ulterius quaeritur quomodo sint universales in rebus, nempe utrum eo modo quo a nobis cogitantur, seu formaliter sumpti, an solum quoad id quod concipitur seu fundamentaliter. Huic problemati respondet duplex systema: *realismus exaggeratus* tenet universalia exsistere formaliter a parte rei ut concipiuntur, sive extra individua; et realismus *moderatus* tenet universalia exsistere in rebus solummodo fundamentaliter, non autem formaliter, seu quoad id quod concipitur, non quoad modum quo concipiuntur.

475. *Tertium problema est psychologicum* et investigat quo modo universale fiat; nam cum constet universalia esse

[1] 10 *Metaph.* 1 (1059b26).

fundamentaliter in rebus, sed formaliter considerata esse opus mentis, quaeritur qua operatione intellectus fiat universale. Cui problemati respondetur cum distinctione: *universale directum* formatur operatione intellectus praecisiva, *reflexum* vero seu *logicum* formatur per comparationem reflexivam naturae abstractae cum individuis.

Quartum denique problema est logicum, et agit de usu, divisione, numero, nomine conceptuum universalium.

476. Quamvis ad criticam cognitionis pertineat solummodo primum problema criticum, tamen propter momentum quaestionis, et ad plenam eius intelligentiam trademus nunc eius tractationem completam; agemus consequenter ex ordine de nominalismo et conceptualismo, de realismo moderato et exaggerato, de formatione universalis conceptus per praecisionem et comparationem reflexivam, de usu et divisione universalis.

477. De difficultate speciali huius quaestionis. Affirmare licet nullam fere quaestionem philosophicam maiorem habuisse influxum in omnia systemata philosophica, quam quaestio de universalibus, quae adeo difficilis aliquibus visa est, ut Melchior Canus fateri audeat eam post diuturnum studium et diligentiorem meditationem capere se numquam potuisse [2]. Et ratio huius specialis difficultatis et quaestionis momentum provenit ex omnimoda oppositione, quae viget inter res exsistentes et conceptus universales mentis, quae ab omnibus notatur. De facto enim: *res sunt singulares, ideae vero rerum sunt essentialiter universales; res sunt contingentes, mutabiles, transitoriae; ideae autem sunt necessariae, immutabiles, aeternae; res sunt concretae, et determinatae quoad omnes suas circumstantias, ideae vero sunt abstractae et a circumstantiis praescindunt.* Inde enascitur quaestio: quomodo poterit cum veritate praedicari talis idea de re, cum tam diversas proprietates immo contrarias habere videatur?

478. Bibliographia quaedam generalis pro omnibus quaestionibus et problematibus tractandis.

S. TH., *Opusc.* 44: *De totius logicae summa,* tr.1 c.2; *De natura generis* c.7; *De ente et essentia* c.4; SUÁREZ, DM 6; LOSSADA, *Logica* tr.2 disp.2; URRÁBURU, *Logica* p.640s; MERCIER, *Critériologie gen.* 1.4; NABER, *Theoria cogn. critica* p.210s; GENY, *Critica* n.312ss; DÁVILA, *Critica* n.110s; J. M. ALEJANDRO, *La gnoseología del Doctor Eximio y la acusación nominalista* (1948); ENCICLOPEDIA ESPASA, art. *Universal* vol.65.

[2] *De Locis theologicis* 1.9 c.7.

ARTICULUS II

PROBLEMA CRITICUM. DE NOMINALISMO

Thesis 29. Dantur in mente conceptus universales, unde reiciendus est nominalismus.

479. Notiones. UNIVERSALE etymologice[1] est unum versus alia. Unde generatim loquendo est aliquid unum quod ordinem ad multa dicit; sed quia ordo unius ad multa potest esse multiplex, ideo varia distinguuntur genera universalis:

UNIVERSALE IN CAUSANDO, est illud quod potest causare multa, ut Deus.

UNIVERSALE IN OBLIGANDO est illud unum quod multos obligat, ut lex, quae generalis est.

UNIVERSALE IN SIGNIFICANDO, est illud signum arbitrarium vel naturale, quod plura significare potest, v. c. vox *homo* potest multa significare, nempe omnes homines singillatim significare.

UNIVERSALE IN REPRAESENTANDO est illud quod potest, ut imago repraesentare plurima, sic v. c. conceptus *homo* potest repraesentare singulos homines ut signum naturale, *imago confusa arboris* potest repraesentare plures arbores.

480. UNIVERSALE IN ESSENDO est unum aliquid quod potest esse in multis univoce et divisim et secundum totam sui rationem.

UNIVERSALE IN PRAEDICANDO est unum aliquid quod potest praedicari de multis univoce et divisim et secundum totam sui rationem. Haec duo postrema universalia non realiter inter se differunt; nam si aliquid potest esse in multis univoce et divisim et secundum totam sui rationem, sine dubio potest et eodem modo praedicari seu affirmari de illis. Sufficit igitur explicare primum, et ita et explicatum manet secundum.

481. *Universale igitur in essendo est unum aliquid aptum inesse multis univoce et divisim et secundum totam sui rationem.* Explicemus singula.

---

[1] Tamen adverte etymologice hanc significationem *unum versus alia* esse explicativam, non philologice fundatam. Nam *universalis* procedit ab *universus*, et hoc verbum ab *unum* et *verto*, id nempe quod respicit plura aliquo modo coniuncta, sub ratione qua sunt coniuncta, sic v. c. dicitur *civitas universa*. Hodierni potius loquuntur de *Ideis generalibus*.

Unum aliquid, seu natura indivisa in se, quia suas notas constitutivas non habet actu divisas; et divisa a qualibet alia, quia v. c. natura leonis non est natura canis aut lapidis; et est divisa ab individuatione, quia in tali universali nec apparet multitudo individuorum, nec etiam unum individuum. De hac unitate propria universalis statim.

Aptum inesse multis per identitatem; quia illa natura, cum sit una in se, tamen potest reperiri in multis et de illis praedicari per identitatem.

Univoce, i. e. secundum eundem sensum, et non sensu diverso sicut *aequivoca,* ut cum taurus dicitur de monte, de animali et de constellatione, nec sensu partim eodem partim diverso, sicut *analoga,* quae in inferioribus verificantur modo simili simul et dissimili. Quare ens, unum, verum, bonum non sunt universalia stricte loquendo, sed simpliciter nomina et conceptus communes [2].

Divisim, quia illud unum debet vere multiplicari vel aptum esse ad multiplicationem in tot entia diversa numero, quot sunt individua de quibus praedicatur. Unde non est idem universale et commune; nam communitas dari potest etiam si id quod est commune non multiplicetur in individuis, et etiam si non univoce participetur a pluribus. Omne igitur universale est commune, sed non e contra [3].

Secundum totam sui rationem; quia illa natura unica non debet multiplicari in multa per partes integrantes, sicut unus panis dividitur inter plures pauperes; sed tota illa natura integra et una debet reperiri multiplicata in multis.

482. Hinc iam patet qualis debeat esse 1) *unitas illa* quae convenit naturae universali, et qualis b) *aptitudo* ut de multis praedicetur. Non est enim unitas individualis, formalis, ficticia, similitudinis; sed simpliciter *unitas praecisionis* ab omni individuatione et multiplicatione individuorum [4].

1) *Non est unitas individui,* quia individuum est aliquid unum quod est indivisibile in plura talia quale ipsum est per identitatem; e contra unitas universalis.

Neque est unitas formalis, quia unitas formalis est indivisio alicuius essentiae in se ipsa et in plures essentias, quia nec

---

[2] Cf. TOLEDO, *Logica,* In prooemium Porphyrii q.1.
[3] Ita S. THOMAS, 1 *Dist.* 19 q.4 a.2 ad 2, dicit: "Commune quantum est de se non determinat rei communitatem, vel rationis, sicut universale; et ideo essentia (divina) potest dici communis, non autem universalis".
[4] Cf. URRÁBURU, *Inst. Phil.* 1 p.649s.703s; SUÁREZ, DM 6 s.1 et 2.

habet notas separatas, nec identificatur cum qualibet essentia specifice distincta. Haec unitas non dicit positivam aptitudinem ut per identitatem reperiatur in multis, siquidem unumquodque individuum habet hanc unitatem, quae proinde est incommunicabilis alii individuo.

Neque est unitas ficticia, quasi necesse esset cogitare omnia individua esse unam rem, quod est falsum; haec autem unitas universalis non dicit falsum, ut patet.

Neque est unitas similitudinis, quia similitudo dicit diversitatem individuorum convenientium in aliqua nota; haec autem non est propria unitas, sed potius multiplicitas.

483. Sed *unitas propria universalis* est illa, quae dicit indivisionem notarum in ipsa natura et divisionem a qualibet alia essentia et ab omni individuo, seu *unitas praecisionis.* Non vero est contra hanc unitatem, quod appareant diversae notae constitutivae, dummodo sint actu componentes unum aliquid, et non exhibeatur unum aliquod individuum rei significatae per nomen, et ab omni alia essentia sit distinctum. Sic *homo* est aliquid universale; pariter universale est: animal rationale, homo albus, homo europaeus, filius Petri, etc. Item exercitus, civitas et alia nomina collectiva; quia exercitus (et nomina collectiva) est complexio notarum, quae ab omni individuo exercitu praescindit, et aptus est reperiri in multis exercitibus univoce et divisim et secundum totam sui definitionem.

484. 2) *Aptitudo rei ut sit in pluribus; non est aptitudo mere negativa,* per quam non repugnet dari multa alia sibi similia; haec enim aptitudo reperitur etiam in individuis, et non ideo sunt universalia; sed necessaria est alia *aptitudo positiva,* per quam natura illa una habeat capacitatem ut sit in multis [5].

485. Divisio universalis. Universale potest esse fundamentale, formale directum, et formale reflexum.

UNIVERSALE FUNDAMENTALE sunt ipsa singularia similia in aliqua nota, quae ob hanc similitudinem invitant intellectum, qui non cognoscit res uno ictu et comprehensive, sed per notas et connotationes ad plures effectus et manifestationes, ut concipiat notas similes et communes omnibus, omissis notis individuantibus.

[5] Cf. SUÁREZ, DM 6 s.4.

UNIVERSALE FORMALE DIRECTUM est natura praecisa a notis individuantibus, non tamen cognita ut praecisa a notis individuantibus, neque ut in individuis, sed secundum notas comprehensionis quibus constat; v. c. equus consideratus ut animal hinniens, quadrupedum etc., calidum ut est corpus affectum calore, etc.

UNIVERSALE FORMALE REFLEXUM est natura praecisa a notis individuantibus, considerata ut una unitate praecisionis et praedicabilis de multis; et sunt quinque, quae vocantur *praedicabilia.*

486. De habitudine inter naturam quae dicitur universalis et formam universalitatis. Universale est concretum, quod constat ex natura, quae dicitur universalis et ex forma universalitatis. Examinemus nunc habitudinem, quae est inter diversa universalia et formam universalitatis.

487. a) *In universali fundamentali* habetur quidem natura quae potest denominari universalis sed forma universalitatis nondum adest; nam universale fundamentale ipsa sunt individua, et individua in se nullam habent praecisionem a notis individuantibus.

b) *In universali formali directo* adest natura, quae dicitur universalis, v. c. equus, et forma universalitatis, quae est unitas et praedicabilitas. *Unitas,* quia per praecisionem disparuit multitudo individuorum; *praedicabilitas,* quia unicum impedimentum praedicabilitatis est individuatio, quae per praecisionem omissa est. Sed tamen illa unitas et praedicabilitas nondum cognoscitur, nec intrinsece affixa in natura ponitur, quia universale directum tendit ad rem, non ad modum quo res est in intellectu praescindente.

c) *In universali reflexo* habetur natura quae dicitur universalis et forma universalitatis, et haec cognoscitur et veluti intrinsece affigitur naturae praecisae. Talia sunt quinque praedicabilia, quae definiuntur ut natura praedicabilis de multis, ut genus, species, etc.

488. Status quaestionis. Cum quaerimus obiectivitatem conceptuum universalium, doctrina generalis scholastico-thomistica haec est: Affirmatur a parte rei exsistere universale fundamentale, quae sunt individua similia in aliquibus notis; affirmatur etiam universale directum esse realissimum

quoad id quod repraesentatur, quod est natura absolute spectata, sed non quoad modum quo repraesentatur, qui est praecisio ab individuatione. Demum universale reflexum esse ens rationis, sed habere fundamentum in rebus, tum remotum, quod est individua similia, tum proximum, quod est natura absolute spectata prout apparet in conceptu praecisivo mentis.

Sed antequam haec omnia tractentur, oportet prius quaerere de exsistentia ipsorum conceptuum universalium, et haec est, omissa nunc quaestione de obiectivitate conceptuum universalium, quaestio quae nunc agitatur.

489. Sententiae. 1. *Prima* est *nominalistarum,* quae est sententia eorum qui dicunt nihil esse universale neque in rebus neque in conceptibus. Non dantur conceptus universales, sed omnes operationes cognoscitivae hominis sunt sensationes externae vel internae praesentes vel reproductae, sive sine ulla modificacione, sive cum aliqua elaboratione; nam aliae reproducuntur combinatae cum aliis, aliae divisae per analysim, et cetera.

2. Ad summum dantur imagines genericae vel communes [6]. Imago generica sensitiva est imago valde determinata, sed terminationibus evanescentibus, ad eum modum quo fiunt photographiae compositae alicuius familiae, ut appareat typus communis illius. Si photographia indiget decem momentis expositionis et in familia sunt decem membra, unumquodque exhibebit faciem suam per unum momentum; characteres communes valde bene exarati apparent, et contra differentiae valde evanescentes; unde illa photographia est typus illius familiae. Similiter postquam vidimus multas arbores, v. c. unius classis, remanet in nostra imaginatione imago quaedam communis et generica, quae valde clare exhibet characteres communes, et contra differentias arborum valde evanescentes, et ideo potest esse quasi repraesentatio communis arborum illius classis.

490. 3. Si igitur non dantur conceptus universales, debent explicare cur vocabula dicantur universalia et communia. Ratio, iuxta illos, cur voces dicantur universales non est quia suscitent conceptum universalem, sed quia suscitant imaginem vel unius individui, v. c. pini, vel totius collectionis, vel imaginem genericam; et contra imago cuiuslibet individui suscitat nobis nomen genericum Pinus. Cum igitur dico haec

[6] Dicuntur etiam *imagines galtonianae;* huius nominis originem et explicationem vide apud E. HUIDOBRO, *Problemas filosóficos fundamentales* [3] p.57.

arbor est Pinus, nolo dicere me concipere aliquam essentiam pini, quae verificetur in hac arbore; sed sensus est: hoc individuum quod video suscitat mihi nomen genericum Pinus; et contra nomen Pinus suscitat mihi imaginem arboris cuiusdam classis et non cuiuslibet alius.

491. 4. Sequelae huius theoriae sunt valde perniciosae, nempe positivismus et scepticismus scientificus. Iudicia enim scientifica fundata in experientia non enuntiant proprietates, quae valent de oxygenio v. c. ut sic, et in quantum est oxygenium, sed de factis quae evenerunt hucusque in individuis experimento subiectis; de eventibus futuris in his individuis aut in aliis similibus idem eventurum suspicantur, sed scientiam certam non habent. Iudicia vero universalia, quae non fundantur in experientia, et habentur ut absolute necessaria et invincibilia per quamlibet potentiam, ut sunt: "totum est maius sua parte, duo et tria sunt quinque", non fundantur in analysi terminorum, siquidem non cognoscimus totum ut totum, et quod ei conveniat quia est totum, nec duo et tria in quantum sunt talia; sed fundantur in associatione psychologica, haereditate transmissa, aut in formis aprioristicis nostrae stirpis. Unde dicunt: fortasse si sunt homines in alio astro reputent haec principia ut falsa, quia habent alias associationes et alias formas aprioristicas.

492. Unde evidenter apparet nominalistas non posse formare iudicia certa de ulla re; non per experientiam, quia haec non potest se extendere ad omnia individua nec ad omnes casus possibiles uniuscuiusque individui; nec ob connexionem necessariam alicuius proprietatis cum aliqua ratione essentiali et communi omnibus individuis, quia dicunt non posse nos cognoscere ullam rationem communem pluribus.

Consequenter sunt etiam *positivistae;* non enim possunt admittere nisi quod per experientiam didicerunt; ea enim quae experientiam transcendunt non possunt sciri per experientiam, ut patet, neque per connexionem necessariam alicuius proprietatis cum aliqua ratione communi cognita, siquidem illi dicunt non dari conceptum ullius rationis communis.

493. Brevis historia nominalismi[7]. a) *In antiquitate* fuerunt nominalistae HERACLITUS (s.500), CRATYLUS, PROTAGORAS, STOICI (s.3) et EPICUREI.

[7] Cf. JANET ET SÉAILLES, *Histoire de la Philosophie. Les problèmes et les Ecoles* 3 c.1-2 p.473-554.

b) *Medio aevo:* ROSCELLINUS (s.XII). Ceteri qui nominari solent, ut ABAELARDUS et OCKAM sunt potius conceptualistae; immo ABAELARDUS videtur fuisse potius realista mitigatus, sicut nos.

c) *Recentius.* Nominalismus strictus excultus est praesertim temporibus recentioribus, et deductae sunt omnes consequentiae sensualistae, materialistae, positivistae, agnosticae, scepticae, etc.

In *Anglia* dicitur empirismus seu nominalismus empiricus. Praeparatur a LOCKE (1704) excolitur dein a BERKELEY (1763), HUME (1776), HOBBES (1679) et a STUART MILL (1873). HUME ita argumentatus est: "triangulus sine ulla individuatione, positione determinata, etc. est triangulus chimaericus; *atqui* quod nos possumus concipere non est chimaericum; *ergo* non possumus concipere triangulum in communi, neque ullum unversale". Huic vero argumento facile respondetur iuxta doctrinam postea dandam: *dist. mai.*: est chimaericus quoad id quod, *nego;* quoad modum quo, *conc. Contradist. min.*: quoad modum quo, *nego;* quoad id quod, *subdist.*: si agatur de ideis primitivis, *conc.*; si derivatis, *nego*.

In *Gallia* nominatur sensualismus, vel nominalismus sensualisticus. Praeparatur a CONDILLAC (1780), excolitur a COMTE (1857) a TAINE (1894) et a schola psychologiae experimentalis, v.c. RIBOT (1916).

In *Germania* dicitur nominalismus psychologisticus; sunt praecipui FRIES (1843), H. HELMHOLTZ (1894), WUNDT (1920), HOFFDING, ZIEHEN.

In *Hispania* aliquae huiusmodi tendentiae dantur ita v.c. UNAMUNO (1936), ORTEGA[8].

494. *Secunda sententia,* quae est nostra et omnino certa, tenet dari in mente ideas universales, seu quae repraesentant res sine ulla individuatione, qua restringantur ad hic et nunc, praescindendo nunc a valore earum obiectivo. Hanc sententiam nostram sequuntur etiam moderni aliqui non scholastici, ut E. HUSSERL, B. RUSSEL, O. KÜLPE, A. BINET, etc.

495. Probatur thesis. 1. (*Ex significatione nominum communium.*) Nomina communia, ut arbor, canis, homo, etc. aliquid significant; *atqui* non significant solam vocem, nec singulare aliquod determinatum, nec totam collectionem, nec individuum vagum, nec imaginem genericam; *ergo* necessario debent significare aliquid non individuale.

Maior est evidens ex ipsa natura locutionis seu philosophia linguae, et ex nostra experientia; nam cum dicimus pecuniam intelligimus bene eius significatum, et bene etiam distinguimus ab omni alio significato, v. c. a pulvere, et a vovabulis non significantibus[9].

---

[8] Ita JULIÁN MARÍAS proponit eius doctrinam in suo opere *Introducción a la Filosofía* p.187-207.219.220 etc. Cf. art. M. OROMÍ: VerVid 37 (1951) p.88.

[9] Tentamina plurium auctorum ad explicandas voces generales, conceptibus universalibus non admissis, vide apud GÉNY *Critica* n324. HUME v. c., *Enquiry*

Minor. Non significat meram vocem, nam cum dico Petrus est homo, nolo dicere Petrum esse vocem *homo.*

Nec significat unum individuum determinatum, v. c. Homo A; quia secus non possem praedicare nisi de A.

Nec totam collectionem; quia secus cum dico Petrus est homo, vellem dicerem Petrus est tota collectio hominum, quod et falsum est et contra conscientiae testimonium.

Nec est individuum vagum, seu indeterminatum, v. c. aliquis homo; "quamvis tale individuum, ut bene notat S. Thomas [10], cum sit praedicabile de pluribus, proprie non sit individuum, licet ita vocetur eo quod ex parte actus hecceitatem exprimit, licet indeterminate; quo ex capite deficit a rigore et proprietate universalis; itaque medium servat inter universale et individuum". Sed non praedicari aliquod individuum indeterminatum apparet evidenter cum terminus universalis est subiectum propositionis; cum enim dico v. c.; triangulum aequivalere duobus rectis, ille terminus *triangulus* est vere conceptus universalis. Non enim assero de aliquo triangulo, sed de omnibus; nec de tota collectione, sed de singulis distributive sumptis, etiam si de illis non habeam ullam imaginem, nec genericam, nec experientiam, *sed de ipso triangulo, quia triangulus est.*

Nec est imago generica, quia imago generica etiam habet determinatam magnitudinem, inclinationem, colorem, materiam, etc.; *ergo* nequit praedicari de aliis rebus, quae non habeant identice illas notas individuales.

496. 2. (*Nominatim nequit reduci ad imaginem genericam.*) Conceptus universalis nequit reduci ad imaginem genericam si inter ipsum et imaginem talem dantur magna et irreductibilia discrimina; *atqui* ita est; *ergo.*

---

concerning the human understanding s.12 p.2, invocat *associationem,* qua vox non unam tantum imaginem evocet. sed alias etiam quae cum prima connexae sint. Pariter WUNDT loquitur de *elemento praedominante,* quod percipimus in pluribus imaginibus, quod designamus per vocabulum universale (*Logik* t.1 p.53). Haec enim *associatio* et *elementum praedominans* supponit nos percipere aliquam similitudinem, quia non fortuito eveniunt. TAINE dicit vocabulo universali nihil correspondere nisi *tendentiam aliquam, quae* enascitur in nobis ex visione plurium obiectorum inter se similium (*De l'intelligence* t.1 l.1 c.2 § 2). RIBOT facit experimentum de imaginibus quas quis habet, dum audit vocem aliquam generalem: multi responderunt se nullam imaginem habere, praeter imaginem vocis ipsius; nequit autem admitti nullam prorsus cognitionem adesse; nam aliam impressionem faciunt voces idiomatis nobis cognitì, aliam voces idiomatis incogniti; ergo recurrendum est ad aliquam cognitionem *potentialem,* subconsciam: "Sous les termes généraux ou abstraits est emmagasiné un savoir potentiel" (*L'evolution des idées générales* c.4 p.145s).

[10] 1 q.30 a.4.

Maior patet.

Minor probatur: *a*) Imago semper repraesentat res cum aliqua determinatione extensiva, locali, situali, etc.; e contra conceptus ab his omnibus abstrahit; sic triangulus indifferenter se habet ad infinite parvum et ad infinite magnum, ad hanc inclinationem vel ad quamlibet aliam.

b) Conceptus est fixus ac nitidus, cum tamen imago generica est fluctuans, obscura et incompleta, v. c. myriagonus, cuius conceptus est omnino clarissimus et completus ac fixus, dum imago generica non potest repraesentare clare nisi paucas lineas et angulos.

c) Imagines sunt diversissimae pro diversis subiectis et pro eodem subiecto diversis temporibus, v. c. lapis, pictura, angulus, pentagonus, etc., e contra conceptus vel semel habitus semper idem manet nisi e memoria dispareat.

d) Conceptus statim habetur, cum tamen imago sit tarda.

e) Imago saepe est aliquid symbolicum, quod non repraesentat rem significatam, e contra conceptus, v. c. iustitiae conceptus optime repraesentat quod significare volumus; dum eius imago, v. c. aliqua mulier non ipsam repraesentat, sed est eius merum symbolum.

497. 3. (*Ex discrimine inter individuationem et notas similes.*) Nos discernimus clare inter notas similes et pluribus communes et individuationem; *atqui* hoc esset impossibile, si non haberemus conceptus repraesentantes notas communes seorsim ab individuatione; *ergo* habemus conceptus quibus repraesentamus notas communes seorsim ab individuatione, quod est habere conceptus universales.

Maior patet ex experientia; si enim *homo* v. c. identificarem cum individuatione A, iam illum terminum non possem applicare nisi individuo A, quia illud solum significat ex hypothesi; et quoniam applico terminum *homo* multis aliis, *ergo* non identificabam hunc terminum cum individuo A.

Minor: nam hoc est habere conceptus universales; habere conceptus quibus repraesentantur notae communes distinctim ab omni individuatione.

498. 4. (*Ex absurdis sequelis nominalismi.*) Si nulli essent conceptus universales, omnes voces essent aequivocae, sicut vox taurus dicta de animali, de constellatione, de mon-

te; *atqui* hoc est contra experientiam; *ergo* dantur conceptus universales.

Maior: si enim nulli essent conceptus universales, nulla ratio esset ex parte rei, aut ex parte conceptus cur vox *homo* applicata singulis hominibus significet semper animal rationale, et non res diversissimas, sicut vox taurus dicitur de rebus diversissimis; ex parte enim rei nulla esset ratio, quia nulla daretur similitudo interna rebus; ex parte intellectus, quia neque adest conceptus significans semper et in omnibus eandem rem, sed modo hoc individuum, modo aliud.

Minor: conscientia enim nobis testatur nos, cum dicimus *homo* significare unum in multis, quod simili modo se habet in omnibus.

499. 5. (*Iterum ex absurdis sequelis.*) Si non darentur conceptus universales qui repraesentent res secundum se, et non praecise in individuo, esset impossibilis omnis scientia, seu complexus propositionum universalium et necessariarum, et contra posita cognitione universalium, est possibilis scientia; *atqui* est absurdum dicere quod propositiones universales simul et necessariae non dantur; *ergo* admittenda est cognitio universalium, seu dantur conceptus universales.

Minor est clara; nam in omnibus scientiis fiunt conclusiones, quae evidenter necessario valent de omnibus individuis, v. c. oxygenium constituit aquam cum hydrogenio; anguli trianguli aequivalent duobus rectis; totum est maius sua parte; aeriformia comprimuntur secundum legem Mariotte, et cetera. Et haec omnia valent non solum de individuis experientia subiectis, sed de omnibus omnino, etiam de illis quae experientiae non sunt subiecta; atque ita necessario, ut si hae leges non adimpleantur, miraculum accidisse credamus, et in aliquibus videmus nullam exceptionem possibilem esse.

Maior: si non dantur conceptus universales, non valent universaliter propositiones praedictae, sed solum de individuis experientiae subiectis; non enim cognosco oxygenium in quantum tale, sed solum hoc oxygenium, ideoque non possum dicere hanc vel illam proprietatem convenire oxygenio ut tali, et ideo non novi utrum conveniat omnibus individuis etiam non subiectis experientiae. Similiter neque sciam totum esse maius sua parte; non ex experientia, quia non omnia individua experimento subieci; et praeterea non novi quid conve-

niat toti in quantum totum est, quia non habeo conceptus totius ut talis.

E contra, admissis conceptibus universalibus, salvatur necessitas et universalitas propositionum universalium scientificarum. Cognosco enim oxygenium ut tale, et per inductionem possum cognoscere quid conveniat oxygenio ut tali, et non praecise quia est tale individuum oxygenium; ergo cognoscam omni oxygenio, etiam non subiecto experimento, convenire semper et necessario illas proprietates. Vel si non inductione, saltem analysi terminorum partis et totius possum scire quid conveniat toti ut tali; ideoque sciam, ubicumque reperiatur totum aliquod, illud fore maius sua parte.

500. Obiectiones. 1. Non potest esse disconformitas inter rem et intellectum, secus adesset cognitio falsa; *atqui* omnis res est singularis; *ergo* etiam omnis conceptus est singularis.

Dist. mai.: In conceptu vero non potest esse disconformitas positiva, per quam aliquid addatur quod non est, vel aliquid negetur, quod est, *conc.*; disconformitas negativa, consistens in eo quod conceptus non repraesentet totum quod est in obiecto, sicut est individuatio, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons.*: si non posset dari nec disconformitas negativa, *conc.*; si vero dari potest, *nego.*

2. Universale definitur id quod natum est pluribus inesse; *atqui* nihil quod unum sit potest pluribus inesse per identitatem; *ergo* tale universale non datur.

Dist. mai.: Est unum reale quod potest inesse multis, *nego;* unum per mentis considerationem, quod realiter sit multiplex, quia in multis inveniri potest secundum eandem rationem, *conc. Contradist min.*

501. 3. Deus et angeli non cognoscunt nisi singularia; *atqui* tamen habent cognitiones scientificas, quae vere valent necessario de omnibus individuis; *ergo* cognitio universalium et formatio conceptus universalis non est necessaria ad habendas cognitiones scientificas universaliter validas et necessarias.

Dist. mai.: Non habent nisi conceptus singulares, comprehensivos tamen, qui eminenter sunt universales, quia cognoscunt proprietates quasdam convenire subiectis, non quia talia sunt individua, sed quia sunt canis, aut homo, aut angelus, aut talis natura, *conc.*; singulares et non eminenter universales, per quos modo stupido individua cognoscant, *nego. Conc. min.* et *pariter dist. cons.*: non est necessaria formatio conceptuum universalium eminenter vel formaliter talium, *nego;* formaliter talium, per abstractionem a singularitate, *subdist.*: in entibus, quae possint habere conceptus singularium, qui sint eminenter universales, *conc.*; in entibus, quae non possint habere conceptus universales eminenter tales, *nego.*

502. 4. Ad faciendos conceptus universales requiritur abstractio a singularitate; *atqui* talis abstractio repugnat; *ergo* conceptus universalis, cum non possit formari, non datur.

Huic difficultati melius respondetur post visum problema psycho-

logicum. Interea sic possumus respondere: *Conc. mai.* et *nego min.*

Probo min.: Nam individuatio identificatur cum natura; *ergo* cum retines naturam, retines etiam individuationem, et cum omittis individuationem omittis etiam naturam; unde non datur nisi conceptus rei singularis aut nullus.

Dist. antec.: Individuatio identificatur cum natura realiter, *conc.*; etiam secundum rationem, ita ut cognitio conscia naturae sit etiam cognitio conscia individuationis, *nego.* Et *pariter dist. cons.*: realiter retineo in hoc sensu, quod non facio separationem realem inter naturam et individuationem, *conc.*; secundum rationem, ita ut cum cognosco conscie naturam, cognoscam etiam conscie individuationem, *nego.*

5. Ex experientia constat nos semper ac adhibemus vocabulum commune, v.c. *homo,* habere repraesentationem typicam illius classis; *atqui* talis repraesentatio est una et de multis praedicari potest; *ergo* illa sufficit ad explicanda omnia, nec requiritur conceptus universalis.

Dist. mai.: Ex experientia constat excitari etiam imaginem aliquam, *conc.*; solum illam, *nego. Contradist. min.*: illa sola est una et potest praedicari de multis, *nego*; conceptus qui simul cum illa habetur est unus et potest praedicari de multis, *conc.*

503. 6. Illae imagines possunt repraesentare plura, sicut v.c. photographia composita; *atqui* tunc possunt praedicari de multis per identitatem; *ergo* illae solae sufficiunt.

Dist. mai.: Illae imagines possunt exhibere indeterminate aliquas notas evanescentes et characteristicas alicuius typi seu familiae, *conc.*; possunt repraesentare unum quid quod possit inesse multis per identitatem, *nego. Contradist. min.*

7. In illis imaginibus relucent plura quae sunt similia; *atqui* illa sunt similia quorum qualitas est una; *ergo* in illis datur qualitas una quae potest praedicari de multis.

Dist. mai.: Relucent plura quae sunt similia, *conc.*; prout sunt similia, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons.*

504. 8. Quidquid exsistit vel exsistere potest est singulare; *atqui* conceptus qui dicuntur universales exsistunt vel exsistere possunt; *ergo* sunt singulares.

Dist. mai.: Quidquid exsistit est singulare in essendo, *conc.*; etiam in repraesentando, *nego. Conc. min. pariter dist. cons.*

9. Sed etiam intentionaliter sunt conceptus singulares. Nam huiusmodi conceptus in tantum sunt in intellectu in quantum prius sunt in sensu, iuxta illud "nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu"; *atqui* in sensu nihil est nisi singulare; *ergo* nec in intellectu.

Dist. mai.: Eodem modo debet esse in intellectu ac in sensu, *nego;* diverso modo nempe per abstractionem, *conc. Conc. min. pariter dist. cons.*

505. 10. Conceptus universalis debet repraesentare v.c. triangulum sine determinata magnitudine, situ, colore, etc.; *atqui* trian-

gulus sine determinata magnitudine, situ, colore, etc. repugnat; *ergo* conceptus universalis repugnat.

Conc. mai. Dist. min.: Repugnat triangulum exsistere vel etiam sensibiliter repraesentari sine determinata magnitudine, situ, colore, *conc.*; repugnat ita concipi, *nego. Pariter dist. cons.*

11. Simile simili cognoscitur; *atqui* res cognoscendae sunt singulares, *ergo* etiam ideis singularibus cognoscuntur.

Dist. mai.: Id quod cognoscitur est simile ei quod est, *conc.*; modus quo cognoscitur etiam similis est ei quod est, *nego, vel subdist.*: in intellectu perfecte intuitivo, *conc.*; in intellectu imperfecto, abstractivo, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons.*

506. 12. Sed debet eodem modo cognosci ac est. Nam cognitio repraesentans res aliter ac sunt iure dicitur falsa; *atqui* conceptus qui repraesentaret res singulares universali modo eas repraesentaret aliter ac sunt; *ergo* talis cognitio iure diceretur falsa.

Dist. mai.: Esset falsa si modus referretur ad rem intellectam, *conc.*; secus, *nego. Contradist. min.* "Est enim absque falsitate, ut alius sit modus intelligentis in intelligendo, quam modus rei in essendo" [11].

13. Si darentur conceptus universales naturam communem repraesentantes, individua quae illam haberent essent identica; *atqui* omnia individua etiam eiusdem speciei sunt inter se diversissima; *ergo* non dantur tales conceptus universales.

Dist. mai.: Si illa natura secundum eandem physicam realitatem multis inesset, *conc.*; si illa natura est id quod de pluribus praedicari potest per praecisionem mentis, *nego*, vel *subd.*: essent identica per identitatem realem physicam, *nego;* per logicam identitatem, *conc.*

507. 14. Si daretur idea universalis, quae unam naturam repraesentaret, vel communicaretur tota singulis, vel una pars uni, alia alii; *atqui* neutrum dici potest; nam si primum transfertur in creaturas mysterium Sanctissimae Trinitatis, sin alterum, Petrus v.c. non esset integer homo, sed pars, et similiter Ioannes; *ergo* non datur illa idea seu natura universalis.

Dist. primum membrum mai.: Vel tota communicatur secundum extensionem, *nego;* secundum comprehensionem, *conc.*; *dist. secundum membrum mai.*: vel communicatur pars extensionis seu totius potentialis, *conc.*; comprehensionis, *nego*. Et *contradist. min.*

15. Repugnat totum quod sit aequale singillatim omnibus suis partibus; *atqui* talis esse conceptus universalis; *ergo* conceptus universalis repugnat.

Dist.: Si sit aequale suis partibus secundum respectum quod est totum, *conc.*; si secundum alium respectum, *nego*. Totalitas enim universalis potest considerari et secundum extensionem et secundum comprehensionem.

[11] 1 q.85 a.1 ad 1.

ARTICULUS III

De conceptualismo

Thesis 30. Conceptus universales habent valorem obiectivum, unde reiciendus est conceptualismus.

508. Nexus et status quaestionis. Vidimus iam dari in mente nostra conceptus universales, qui repraesentent aliquam notam vel naturam praecisam ab omni individuatione. Et nunc quaeritur utrum eis respondeat a parte rei valor obiectivus, seu utrum sint in rebus res repraesentatae per hos conceptus. Haec quaestio quae est etiam ontologica supponit iam solutam quaestionem de individuatione, utrum nempe quidquid exsistat sit individuum, et nihil universale, qua tale, exsistere possit in realitate.

509. Sententiae. *Prima* est *conceptualismi,* qui concedit quidem dari conceptus universales, docet tamen eis non correspondere ullum valorem obiectivum in rebus, sed esse mera figmenta mentis sine fundamento in ipsis rebus.

Si autem non habent valorem obiectivum in rebus nec in rebus fundantur, ulterius quaeritur quaenam sit origo talium conceptuum et quaenam sit eorum utilitas et finalitas. Et ad primum respondet conceptualismus eos originem ducere vel per merum lubitum mentis, vel per formas quasdam aprioristicas. Ad secundum autem dicit eos esse utiles ut signa naturalia rerum, quas indicant et significant; et consequenter utiles sunt ad faciendas classificationes.

Plures conceptualistae cum BERGSON respondent dicendo eos esse valde utiles et necessarios ad dirigenda opera sive externa, sive etiam scientifica, non vero ad aliquid cognoscendum, siquidem nihil repraesentant realitatis.

510. Brevis conceptualismi historia. a) *In antiquitate* quidam *stoici* sunt conceptualistae, reagentes contra realismum exaggeratum Platonis (s.III).

b) ROSCELLINUS (s.XII) qui quamvis soleat citari inter nominalistas fuit potius conceptualista, ut videtur.

c) GUILELMUS OCKAM O. F. M. (1347) fuit dux illius scholae, quae nominalismus dicitur et est potius conceptualismus. Hi auctores solent etiam dici *terministae, conceptistae* et *nominales.* OCKAM concedit quidem dari conceptus universales, ut videtur, at negat eis correspondere ullam realitatem, sed esse mera figmenta mentis; esse

vero utiles ut signa naturalia rerum, quas significant vel indicant, sed non repraesentant, et praeterea ad classificationes faciendas.

Rationes autem cur OCKAM neget valorem obiectivum conceptuum universalium hae sunt:

Res, quae dicuntur similes, sunt similes non secundum partem, sed se totis, etiam quoad individuationem et quoad differentias specificas sic dictas; *atqui* si fundamentum conceptuum universalium est similitudo, haec omnia utpote similia uno conceptu deberent comprehendi, quod ut patet est impossibile; *ergo* fundamentum conceptuum universalium nullum est.

Item: res sunt dissimiles se totis, non solum in individuatione, sed etiam in naturis, quae totaliter identificantur cum individuationibus; *atqui* quae sunt dissimilia non solum secundum partem, sed quoad totum, non possunt uno conceptu comprehendi; *ergo* non datur conceptus universalis, qui repraesentet unum aliquid quod sit pluribus commune.

Item: nulla est essentia in rebus, quae sit lex et norma fixa suae operationis et suae manifestationis; *ergo* non est realis conceptus, quo concipimus essentiam fixam et communem omnibus. *Antecedens* sic ab ipso probatur: extra Deum nihil est necessarium, secus esset Deus, *ergo* omnia sunt contingentia, ideoque nec dantur modi necessarii operandi, nec proprietates immutabiles, sed haec omnia pendent ex sola potentia et lubitu divino.

511. Ex hac theoria sequitur quidam *positivismus et scepticismus*, et has theorias ipse Ockam deduxit et defendit quodammodo, licet non tam rigorose et stricte sicut fit nostris iam temporibus. Consequenter ipse affirmat non esse certum principium causalitatis et finalitatis; argumenta ad probandam exsistentiam Dei non valere, siquidem fundantur in causalitate, quae est pro nobis incerta; non cognoscimus ullas perfectiones Dei distinctas inter se, quia talis attributorum distinctio fundaretur etiam in causalitate quae nos excedit; ideoque in Deo omnia sunt synonima (agnosticismus). Non possumus demonstrare immortalitatem animae et multa alia.

Cum OCKAM sentiunt R. HOLKOT O. P. (1349), GREGORIUS ARIMINENSIS E. S. A. (1358) NICOLAUS DE ULTRICURIA et IOANNES BURIDANUS (s.XIV), PETRUS DE ALLIACO (1420), IO. GERSON (1429), G. BIEL (1495), etc.

512. d) *Recentius* KANT, qui tenet conceptus universales esse fructus categoriarum subiectivarum a priori, sine ullo fundamento in rebus. Quare scientiae non sunt de rebus, sed de phaenomenis, seu de apparentiis nostris. Scimus igitur leges secundum quas debemus ordinare propositiones et conclusiones, de rebus autem nihil scimus.

513. e) *Moderni pragmatistae* sunt etiam conceptualistae; iuxta ipsos enim dantur conceptus universales, qui non sunt utiles ut per eos aliquid sciamus, siquidem non fundantur in rebus; sed sunt utiles sive ad dirigendam actionem nostram externam et ordinandas propositiones in scientiis, sive ad vitam sentimentalem socialem, industrialem fovendam, quia per hos conceptus indicatur directio se-

cundum quam debemus dirigere activitatem intuitionis ad dictos fines obtinendos. Quid simile docent *vitalistae*[1].

Inter pragmatistas numerantur H. BERGSON (1941), W. JAMES (1910), E. LE ROY, S. PIERCE (1914), A. SIDGWICK, F. C. S. SCHILER, J. DEWEY, etc.

Etiam est conceptualista M. BLONDEL (1950), iuxta quem conceptus universales non solum nihil docent de realitate, sed illam omnino transvertunt et defigurant. Fere idem repetunt moderni *exsistentialistae*.

514. *Secunda sententia,* quae est nostra et omnino certa, reicit omnem conceptualismum et docet conceptus universales habere valorem obiectivum, quoad notas, id quod, repraesentant, licet non quoad modum quo ipsas repraesentant; sunt itaque veri veritate inadaequata. Hic igitur realismus moderatus affirmat res significatas et repraesentatas per conceptus universales reperiri in rebus individualibus, licet individuatio non repraesentetur; conceptus non negat individuationem, nec eam affirmat, sed mere eam non cognoscit. Ideo vere praedicatur de rebus, et cum est subiectum propositionis, vere cognoscimus proprietates quae ei conveniunt, non quia tale individuum est, sed quia talis natura est; unde eo ipso eae proprietates reperientur ubicumque talis natura reperiatur.

515. Probatur thesis. 1. (*Ex notione veritatis inadaequatae.*) Conceptus universales verificantur in rebus, si dantur a parte rei illae notae, quae exhibentur per conceptum, licet conceptus non exhibeat omnia quae continentur in re; *atqui* ita re vera est; *ergo* conceptus universales verificantur in rebus.

Maior: ad veritatem conceptus sufficit ut id quod exhibet conceptus reperiatur in rebus, licet non omnia quae reperiuntur in rebus sint etiam in conceptu, dummodo nihil exhibeat positive oppositum rei; datur proinde veritas imperfecta in conceptibus inadaequatis.

Minor: nam conceptus *homo* exhibet notas sensitivi et rationalis, et huiusmodi notae reperiuntur in hominibus. Pariter conceptus *contingens, causa* immediate ut veri apparent ex intima nostra experientia, ut in prima parte visum est.

Obicit Ockam: Natura est totaliter dissimilis in singulis, et individuationes totaliter dissimiles inter se, utpote identificatae cum

[1] Vide, v. c. O. SPENGLER, *La decadencia de Occidente* 1 p.126: "El intelecto, el sistema, el concepto matan cuando *conocen*. Hacen de lo conocido un concepto rígido, que puede medirse y dividirse."

natura; *ergo* est impossibile aliquid retinere in quo sint similes, et omittere aliquid in quo sint dissimiles; *ergo* conceptus non repraesentant aliquid reale, sed aliquid fictum per mentem, secundum leges quasdam mentis [2].

Respondetur: trans. primum antec., et *dist. primum cons.*: ergo est impossibile retinere partem realem similem, omissa dissimili, *conc.;* est impossibile res considerare sub duplici aspectu, ita ut sub uno non appareat dissimilitudo et per alium appareat dissimilitudo, quam omitto, *nego.* Et *dist. pariter secundum cons.*: si res non posset considerari sub duplici aspectu, ita ut per unum appareat similitudo et per alium appareat dissimilitudo, quae omittitur, *conc.;* secus, *nego.*

Ad id quod addit OCKAM, nempe nullam esse essentiam, quae sit norma fixa et necessaria suarum operationum et manifestationum, *nego simpliciter;* quia fundatur in negatione vel dubitatione principii causalitatis, et in dubitatione utrum res creatae sint causae aliquorum effectuum.

516. 2. (*Ex eadem notione ampliori modo sumpta.*) Conceptus universales verificantur in rebus, si proprietates, quas tribuimus naturis repraesentatis per conceptus universales, reperiuntur in rebus; *atqui* sic re vera est; *ergo* conceptus universales verificantur in rebus.

Maior: si enim illae naturae universales quae repraesentantur per conceptus non exsisterent in rebus, neque exsisterent in rebus proprietates quae illis universalibus conveniunt.

Minor: nam oxygenio ut tali conveniunt talis calor specificus, et tale punctum liquefactionis, et tales combinationes in circumstantiis determinatis et non in aliis; et hoc quod convenit oxygenio ut tali reperitur in omnibus oxygeniis, etiam in illis, quae numquam experimento subieceram; *ergo* in rebus inveniuntur proprietates, quae conveniunt oxygenio ut tali, seu naturae absolutae, seu ideae universali oxygenii.

517. 3. (*Ex absurdis conceptualismi sequelis.*) Si conceptus universales non verificantur in rebus, tunc eos non possem applicare iis rebus quibus applico, v. c. conceptum hominis non deberem applicare omnibus individuis hominibus, siquidem ex hypothesi in eis non verificatur; et contra, sicut applico conceptum hominis omnibus individuis hominibus, licet in eis non verificetur, eodem modo talem conceptum poteram applicare cani et arbori, quamvis neque in illis verificetur; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* conceptus universales verificantur in rebus.

[2] Cf. eius verba in 1 *Sent.* 13,1.

Maior: patet ex explicatione data in ipsa enuntiatione maioris.

Minor: nam conscientia nobis testatur nos applicare eos conceptus v. c. hominis, omnibus individuis hominibus, scientes nos significare aliquid quod in illis inest, et non posse applicare canibus, quia in illis individuis non sunt tales notae.

518. 4. (*Contra explicationem Kantii.*) Si conceptus universales non fundantur et verificantur in rebus, nulla esset ratio cum ego praedicem nunc conceptum hominis, vel causae, vel relationis, vel arboris, potius quam aliud quid; *atqui* est absurdum nos facere necessario et universaliter et uniformiter determinatas praedicationes potius quam alias sine ulla ratione; *ergo* conceptus universales verificantur in rebus.

Minor patet. Probatur maior: ratio enim determinatae praedicationis non esset in obiectis, siquidem conceptus non fundantur in rebus, quae sunt penitus incognitae; neque in subiecto, quia subiectum sicut habet has formas a priori ex quibus veniunt hae praedicationes, etiam habet alias formas ex quibus manare possent aliae praedicationes; cur ergo talis praedicatio prae omni alia provenit?

519. *Dices*: Provenit haec praedicatio prae omni alia ob schemata transcendentalia imaginationis, quae exhibent potius occasionem huius prae omni alio conceptu.

Nego explicationem. Nam iterum quaero: cum in imaginatione sint alia schemata transcendentalia, cur hoc potius operatum est quam omne aliud? Nulla dari potest ratio.

Instabis: fundamentum est in obiectis, quae excitarunt talem sensationem externam, et haec sensatio tale schema, et hoc schema tale conceptum.

Nego iterum explicationem. Nam obiectum penitus est amorphum, et non magis determinat ad unam quam ad aliam repraesentationem, iuxta KANT. Item si obiectum esset ratio conceptuum, tunc aliquid saltem sciremus de obiectis, nempe quod tale obiectum suscitet tale conceptum, et tale aliud, talem alium, quod omnino KANT non vult admittere.

520. Obiectiones. Licet hae melius post thesim sequentem intelligantur proponuntur nunc aliquae.

1. Conceptus qui nullo modo in rebus fundatur nullum habet valorem obiectivum; *atqui* conceptus universalis nullo modo fundatur in rebus; *ergo* non habet valorem obiectivum.

Nego minorem.

Probo min.: Nam huiusmodi fundamentum esset vel aliquid singulare vel aliquid universale; *atqui* non singulare, quia est oppositum universali, et oppositum nequit esse fundamentum pro opposito; nec universale, quia in rebus non datur; *ergo* nullum datur fundamentum in rebus pro conceptu universali.

Conc. disiunct. et eligo primum membrum. Ad min. dist. primum membrum: singulare ut singulare, reduplicative sumptum, nequit esse fundamentum universalis, *conc.;* singulare, quod est singulare, specificative sumptum nequit esse fundamentum universalis, *nego.* Et ratio quae affertur eodem modo distinguitur. *Pariter dist. cons.*

521. 2. Quod praedicatur de aliquo singulari per identitatem praedicatur de eo exclusive; *atqui* natura illa quae relucet in idea universali praedicatur de subiecto singulari per identitatem; *ergo* praedicatur de eo exclusive.

Dist. mai.: quod praedicatur de aliquo per identitatem formalem, *conc.;* per identitatem materialem, *nego.* Sic in praedicatione "Petrus est homo" homo materialiter sumptus nempe "hic homo" est idem omnino ac Petrus, sed formaliter conceptus homo nempe "animal rationale" non est idem omnino ac Petrus, qui plures alias notas characteristicas habet.

3. Conceptus exhibens aliquid quod non exsistit nec exsistere potest non est obiectivus; *atqui* talis est conceptus universalis; *ergo* non est obiectivus.

Dist. mai.: conceptus exhibens aliquid quod neque quoad id quod exsistere valet non est obiectivus, *conc.;* quod non quoad modum quo, *nego. Contradist. min.*

522. 4. Idem nequit exsistere in pluribus; *atqui* quod exhibet conceptus universalis est unum aliquid exsistens in pluribus; *ergo* conceptus universalis non habet valorem obiectivum.

Dist. min.: idem numerice nequit exsistere in pluribus, *conc.;* idem formaliter, *subdist.*: cum statu abstracto, *conc.*; post contractionem illius status ad individua, *nego.*

ARTICULUS IV

Problema ontologicum. De realismo

Thesis 31. Universale formale non exsistit formaliter sed tantum fundamentaliter in rebus.

523. Nexus et status quaestionis. Iam demonstravimus conceptus universales in rebus verificari ideoque obiectivos esse; nunc vero quaeritur quomodo verificentur, utrum nempe sint in rebus formaliter et cum sua universalitate, an solum fundamentaliter et quoad id quod repraesentant.

524. Sententiae. *Prima* est *realismi exaggerati*, qui tenet universalia dari in rebus ut naturas distinctas ab individuatione, quia conceptus nostri repraesentant res ut sunt; sed repraesentant naturas communes seorsim ab individuatione; ergo illae naturae debent etiam exsistere seorsim ab individuatione.

525. Historia realismi exaggerati. *a*) PLATO docuit exsistere ideas universales separatas ab omni individuo, quae sunt necessariae, aeternae, immateriales, immo et separatae a mente divina. Relatio vero rerum singularium cum ideis haec est: res materiales non sunt aliquid, v. c. mensa, arbor, canis, per essentiam aut per identitatem, sed solum per quamdam imitationem, aut per quamdam quasi umbram earum idearum. Ideo de his ideis est scientia, de rebus vero materialibus opinio. Nostri conceptus universales formati sunt per immediatam contemplationem idearum aeternarum, dum eramus in vita praemundana (innatismus); et nunc occasione rerum materialium, quae sunt velut umbra earum, suscitantur; unde non datur nova acquisitio idearum, sed mera recordatio[1].

526. b) *Pantheistae,* ut SCOTUS ERIUGENA (810-877), DAVID DE DINANT (c.1200) AMALRICUS DEL BENE (c.1206) docuerunt unam esse naturam communem omnibus, quae est natura divina.

c) GUILELMUS CAMPELENSIS (1070-1121) et alii ut ODO DE TOURNE (1113), defendunt realismum exaggeratum ob rationes praecipue theologicas, v.c. ad explicandam transmissionem peccati originalis, redemptionem humanae naturae a Christo, etc., et quidem GUILELMUS reagens contra ROSCELLINUM; itaque docuerunt omnia individua unius speciei habere unam naturam numerice communem. Convictus vero GUILELMUS ab ABAELARDO de hac absurditate tenuit postea naturam multiplicari in individuis, sed esse realiter distinctam ab individuatione, et indifferentem realiter ad omnem individuationem[2].

527. d) *Scotistae* docuerunt naturam esse formaliter distinctam ex natura rei ab individuatione[3]; talis distinctio formalis ex natura rei, de qua multum in Ontologia, duplici modo adhibetur ad explicandam exsistentiam realitatis formaliter universalis.

---

[1] De stricto sensu sententiae PLATONIS disputatur ab auctoribus historiae philosophiae, quos conferre potes; cf. insuper E. HUIDOBRO, *Problemas filosóficos fundamentales*[3] n..462s; C. FRICK, *Logica* n.356; SUÁREZ, DM 6 s.2.

[2] Vide fusius apud M. DE WULF, *Histoire de la Philosophie Mediévale* n.165.

[3] Cf. ipsum auctorem scotistam B. MASTRIUM, *Philosophia ad mentem Scoti* (Venet. 1708) *Log.* disp.4 q.1 a.1; circa distinctionem scotisticam cf. M. OROMÍ, *Teoría de las distinciones en el sistema escotista:* VerVid 5 (1947) 257-82.

1. *Per indifferentiam.* Essentia in unoquoque individuo est essentialiter una; insuper quia est distincta formaliter ex natura rei ab individuatione, quamvis de facto sit determinata ad hoc ut sit tantum in hoc individuo; tamen de se est indifferens ad hoc ut esset individuata per alias individuationes, ideoque est independenter a mentis consideratione multiplicabilis. Realiter igitur illa essentia habet notas constitutivas universalis, nempe unitatem et multiplicabilitatem; sed multiplicabilitas unice explicatur per illam indifferentiam essentiae ad hoc ut si non esset iam determinata ad hoc individuum, possit determinari ad aliud.

2. *Per inexsistentiam.* Essentia in unoquoque individuo est realiter una, insuper eadem omnino inexsistit in omnibus individuis eiusdem speciei ante omnem mentis operationem, ideoque realiter est multiplicata. Ergo iterum habemus unitatem et multiplicabilitatem in rebus independenter a mentis operatione. Patroni huius explicationis non clare dicunt, an eadem essentia inexsistat in omnibus individuis eiusdem speciei unitate numerica, an tantum essentiali. Si primum teneant, haec explicatio videtur non differre a sententia GUIL. CAMPELLENSIS [4].

528. *e*) PETRUS FONSECA, S. I. [5] (1597) docuit naturam, prius natura quam ad hanc individuationem contraheretur, fuisse realiter independentem ad quamlibet individuationem et realiter ab ea distinctam; sed, facta iam contractione ad unam individuationem, iam nullam habere indifferentiam ad aliam, sed determinatam esse ad hanc numero individuationem [6].

529. *f*) *Phaenomenologi,* quorum systema vocatur *transcendentalismus logicus,* quia non tantum id quod cognoscitur sed etiam forma logica cognitionis humanae ut *transcendens* ponitur. Nam obiectum praecipuum intellectus est regnum quoddam *ideale* independens a subiecto cognoscente, sed etiam diversum ab omni realitate; concipitur proinde fere ut mundus idearum platonicus, sed reali exsistentia sublata. In hoc mundo ideali, ideales sunt essentiae, earumque habitudines essentiales, quae sunt "veritates in se"; sic H. LOTZE (1817-1881), H. HUSSERL (1859-1936), N. HARTMANN (1882-1950).

[4] Cf. C. FRICK, *Logica* n.360; URRÁBURU, *Inst. phil.* 1 p.663-5.
[5] 5 *Metaph.* c.28 q.3
[6] Cf. SUÁREZ, DM 6 s.3; URRÁBURU, *ibid.* p.665.

Alii non tantum veritates necessarias, sed etiam omnes omnino veritates, ut H. RICKERT (1863-1936) vel etiam omnia enuntiabilia, ut B. BOLZANO (1781-1848) tamquam obiecta intellectui transcendentia, sed irrealia, ponunt.

g) *Ontologi* demum docent ideas universales, quas nos cognoscimus et praedicamus de rebus, esse ideas divinas, siquidem nihil creatum potest habere characteres necessitatis, aeternitatis, et immutabilitatis, qui sunt proprii idearum universalium.

530. *Secunda sententia, quae est nostra* et omnino certa, est *realismus mitigatus,* et docet exsistere in rebus individuis similibus fundamentum ut concipiantur naturae seorsim ab omni individuatione, sed nullas res esse distinctas a sua singularitate realiter; quae doctrina ad sequentia reduci potest puncta:

a) Exsistunt individua similia in natura et distincta in individuatione.

b) Licet natura omnino identificetur cum individuatione, tamen individuatio haec aut illa non est de essentia naturae, si enim individuatio, v. c. Petreitas esset de essentia hominis, tunc humanitas esset idem ratione et definitione quam Petreitas; *ergo* sicut Petreitas est omnino incommunicabilis, simili modo et natura esset incommunicabilis, ideoque non essent plura individua, sed unum.

c) Unde natura rerum videtur invitare intellectum, qui non intelligit res uno ictu et comprehensive, sed per partes et connotationes ad plures effectus et manifestationes rerum, ut uno conceptu concipiat naturam praecisive a notis individuantibus, et ex alia parte individuationem, quo facto iam habetur conceptus universalis.

d) Hinc conceptus universalis recte et vere attribuetur rebus quoad comprehensionem notarum, quia re vera in rebus est; sed non attribuetur rebus quoad modum concipiendi praecisivum. Quia nos rebus non attribuimus nisi quod concipimus; sed non concipimus praecisionem, sed rem seu notarum comprehensionem; *ergo* tribuimus rebus rem significatam, minime vero modum.

e) Denique in nostro intellectu verificatur illa imperfectio; quod non possumus cognoscere rem uno ictu et comprehensive, sed solum per connotationes ad plures effectus,

et per gradus similitudinis et differentiarum cum aliis; unde diversis conceptibus poterimus cognoscere notas similes et notas differentiales specificas et individuales; et hinc nascentur diversi conceptus universales generici et specifici.

f) Hinc apparet quomodo universales sint in rebus fundamentaliter ex parte ipsarum rerum (*a, b*) et ex parte intellectus (*c, e*).

Thesis habet duas partes: in prima reicitur realismus exaggeratus, in secunda autem realismus mitigatus probatur.

531. Probatur thesis. I P. REALISMUS EXAGGERATUS REICIENDUS EST.

A. (*Argumento generali contra realismum exaggeratum.*) Universalia formalia vel sunt extra individua, vel intra individua; *atqui* neutrum dici potest; *ergo*.

Minor: Si enim sunt extra individua, tunc singuli, v. c. homines, de quibus idea *homo* praedicatur, non sunt vere homo, quia non habent intra se essentiam hominis, sed sunt separati ab essentia hominis.

Si autem sunt intra individua, tunc vel natura illa universalis, quae dicitur distincta ab individuatione, est numerice eadem in omnibus individuis vel distincta; si eadem numerice, tunc disparet multiplicitas realis individuorum hominum, et eadem ratione disparebit multiplicitas corporum, et viventium, et substantiarum, et entium, quod est purus pantheismus. Si autem multiplicatur natura in individuis, tunc unaquaeque natura se ipsa est distincta ab aliis, et hoc est esse individuum; *ergo* non datur universale distinctum a singulari, contra id quod intendebatur.

532. B. (*Contra Platonem et Phaenomenologos.*) 1. Si darentur universalia separata, illa essent contradictoria; daretur enim substantia, quae nec creata esset nec increata, nec corporea, nec spiritualis; daretur animal, quod nec esset rationale nec irrationale; daretur motus, qui non esset determinatae directionis, qui non haberet velocitatem parvam nec magnam; daretur relatio sine terminis relatis, aequalitas sine terminis aequalibus, modus sine re modificata; quae omnia sunt contradictoria, ut patet. Haec est argumentatio Hume, quae contra realismum exaggeratum valet.

2. Si darentur universalia separata, homo v. c. non esset homo vere, sed per quamdam umbram et similitudinem aut

participationem; *atqui* hoc est absurdum; *ergo* non dantur universalia separata.

Maior patet, siquidem essentia vera hominis non est intra hominem ex hypothesi adversariorum, sed extra hominem; et ipsi concedunt hominem non esse vere hominem, sed eius umbram, vel imitationem, vel similitudinem.

Minor: quia singuli individui homines sunt veri homines, quia verificant notionem essentialem hominis.

3. Quidquid exsistit vel exsistere potest est singulare; *atqui* illa universalia exsistunt iuxta theoriam; *ergo* essent singularia, non universalia.

Minor conceditur ab ipsis.

Maior prob.: si enim aliquid esset exsistens et non esset singulare, tunc esset unum ex hypothesi, et non esset unum, quia multiplicatur vere in singulis, iuxta definitionem universalis. *Seu aliter*: aliquid esset ipsum et non ipsum. Esset ipsum ex hypothesi, et quia secus esset negatio suimetipsius; esset non ipsum, quia illa natura, v. c. A praedicaretur per identitatem de multis individuis B et C; *atqui* B non est C; *ergo* A non esset A.

533. C. (*Contra ontologos.*) Ideae universales, iuxta ontologos, sunt aliquid divinum, sive eas consideremus subiective, ut actus mentis divinae, sive eas consideremus obiective, quia obiective consideratae secundum ipsos habent characteres proprios divinitatis, nempe necessitatem, aeternitatem, immutabilitatem; *atqui* nos praedicamus ideas universales de rebus per identitatem; *ergo* praedicamus de rebus aliquid divinum per identitatem, quod est pantheismus.

534. D. (*Contra Scotistas.*) Illa natura quae est in singulis individuis distincta ab individuatione, vel est una numerice in omnibus, vel est multiplicata in individuis et distincta numerice in illis; si est una numerice in omnibus individuis, tunc disparet multiplicitas individuorum, v. c. hominum, et eadem ratione disparet multiplicitas substantiarum et entium, et inciditur in pantheismum; vel est numerice distincta in singulis, et tunc se ipsa distinguitur una natura ab alia, ideoque nec datur universale distinctum in individuis.

535. E. (*Contra Fonseca.*) Si prius natura quam aliquid contrahatur ad tale individuum est realiter indifferens

ad quamlibet individuationem et consequenter distinctum ab omni individuatione, vel pro illo signo vel consideratione est una natura numerica pro omnibus individuis possibilibus, vel est distincta pro singulis; si est identica non poterit per aliquid superadditum fieri distincta pro singulis individuis, quia quaelibet res, etiam si multa addantur ei supervenientia, est eadem, non distincta ab eo quod erat; et hinc sequeretur pantheismus. Si autem est distincta, tunc se ipsa est individua, ideoque in nullo signo datur universale distinctum ab individuatione.

536. II P. UNIVERSALIA FUNDAMENTALITER SUNT IN REBUS, ET FORMALITER FIUNT PER MENTEM. 1. (*Ex consequentia thesium praecedentium.*) Nam conceptus universales verificantur in rebus quoad id quod repraesentant, et aliunde non sunt formaliter ut cogitantur; *ergo* signum est a parte rei adesse fundamentum, et formalitatem fieri ab intellectu, iuxta explicationem datam.

Antec.: quoad primam partem ex refutatione conceptualismi; quoad alteram ex refutatione realismi exaggerati.

537. 2. Realismus moderatus admittendus est, quia per illum explicantur sufficienter: *a*) et veritas praedicationis, et *b*) proprietates essentiales universalium, qui sunt praecipue fines propter quos introducuntur universalia separata vel distincta ab individuatione.

a) *Salvatur veritas praedicationis.* Nam ad veritatem praedicationis sufficit ut totum quod sit in conceptu sit etiam in rebus, licet non totum quod est in rebus exprimatur in conceptu qui praedicatur. Sic vera est propositio qua affirmatur Sanctum Petrum fuisse piscatorem, etiam si non dicas ea omnia quae fuerunt in S. Petro, ut quod fuerit apostolus, papa, thaumaturgus, etc. Iam vero in praedicatione conceptus universalis de aliquo subiecto hoc verificatur, quia cum dicis "homo est animal", "Petrus est homo", totum quod est in conceptu animalis vel hominis verificatur in subiectis, licet in subiectis sint etiam alia quae non exprimuntur in conceptu.

b) *Salvantur proprietates essentiarum universalium seu abstractarum.* Essentiae enim universales sunt necessariae non absolute et quoad exsistentiam, sed mere praecisive, quia non exhibentur circumstantiae indicantes contingentiam, ut sunt tempus, locus, creatio aut productio earum. Sunt aeternae,

non positive et quoad realem exsistentiam, sed mere praecisive, quia praescinditur ab omni tempore in quo incipiant esse possibiles, vel quo durent. Sunt immutabiles, non secundum physicam realitatem et absolute, sed mere hypothetice, nempe, si velis habere canem, hominem, debent haberi unitae notae quibus constat homo aut canis, et secus non habebitur canis aut homo.

538. Obiectiones. 1. Obiectum scientiarum est quid reale; *atqui* obiectum scientiarum est universale; *ergo* universale est quid reale.

Dist. mai.: Obiectum scientiarum est quid reale quoad id quod dicunt, *conc.;* quoad modum quo, *subd.*: et hoc est obiectum scientiarum realium, *nego;* scientiae logicae seu rationis, *conc.; Contradist. min.*: Obiectum scientiarum est id quod est universale, *conc.;* etiam modus quo, seu universale qua universale, *subdist.*: est obiectum alicuius scientiae logicae seu rationis, *conc.;* omnis scientiae etiam realis, *nego.*

2. Scientia nequit immutare suum obiectum; *atqui* si obiectum etiam quoad modum quo cognoscitur non esset reale scientia immutaret suum obiectum; *ergo* obiectum etiam quoad modum quo est reale et debet tractari a scientiis realibus.

Dist. mai.: scientia nequit immutare suum obiectum importando positivam difformitatem, *conc.;* negativam, i.e. imperfectionem naturalem cognitionis finitae, *nego.*

539. 3. Id quod exhibetur per conceptum universalem est aeternum, necessarium, etc.; *atqui* res huius mundi non sunt huiusmodi; *ergo* id quod per universalem conceptum exhibetur non in rebus mundanis, sed in aliquo mundo ideali datur.

Dist. mai.: id quod exhibetur conceptu universali est aeternum, necessarium etc., praecisive et negative, *conc.;* positive, *nego.*

4. Quod fundat relationes aeternas et ipsum aeternum est; *atqui* essentia rei fundat relationes aeternas, v.c. triangulo competit semper summam angulorum habere duos rectos; *ergo* essentia rei est positive aeterna.

Dist. mai.: quod fundat relationes ab aeterno exsistentes est et ipsum aeternum, *conc.;* quod unice, si exsistit, necessario infert illas relationes, *nego.*

540. 5. Obiectum cognoscendum debet praeexsistere potentiae intellectuali; *atqui* universale est obiectum potentiae intellectualis; *ergo* debet praeexsistere potentiae ideoque non fit ab intellectu.

Dist. mai.: Obiectum cognitionis intellectualis debet praeexsistere saltem quoad id quod concipitur, *conc.;* etiam quoad modum quo concipitur, *nego vel subdist. Contradist. min.*: universale quoad id quod concipitur est obiectum cognitionis intellectualis, *conc;.* quoad modum quo concipitur, *subdist.*: potentiae reflectentis, *conc.*; directe cognoscentis, *nego.*

6. Exsistunt ideae divinae, a quibus individua participant; *ergo* exsistunt universalia subsistentia.

Dist. antec.: in se seorsim subsistentes, *nego;* in mente divina, *subdist.*: quae constituant individua, vel occasione illorum a nobis cognoscantur in ipsis, *nego;* quae sunt et cognoscuntur a nobis esse universalia in repraesentando et causando relate ad individua, *conc.*

ARTICULUS V

PROBLEMA PSYCHOLOGICUM. DE ORIGINE CONCEPTUUM UNIVERSALIUM

Thesis 32. Universale formale fit per operationem intellectus; et quidem universale formale directum per meram praecisionem mentis; formale logicum vel relativum per comparationem reflexivam naturae abstractae cum individuis.

URRÁBURU, *Logica* p.711 n.173ss; FRICK, *Logica* n.362; SUÁREZ, DM 6 s.6; *De anima* l.4 c.3; S. TH., *De ente et essentia* c.4.

541. Nexus. Egimus iam de problemate critico conceptuum universalium, nempe illos esse obiectivos; vidimus praeterea illos esse obiectivos fundamentaliter non formaliter, quod est problema ontologicum; non igitur restat nisi ut investigemus quid sit et quomodo illa formalitas conceptuum universalium procedat, quod nunc praestare debemus.

542. Notiones. Revocari in memoriam oportet notiones *universalis* iam datas et praecipue eius divisionem in *universale fundamentale, formale directum. et formale reflexum.* Et animadvertere oportet universale fundamentale non esse universale nisi in potentia remota; universale autem directum iam esse universale formale, quia in ipso adest forma universalitatis, licet non cognoscatur, nec afficiat intrinsece naturam, propter quod dicitur universale formale in potentia proxima; universale autem reflexum esse universale formale actuale, quia et adest forma universalitatis et cognoscitur et intrinsece afficit naturam.

543. PRAECISIO [1] est cognitio alicuius rei, non cognitis aliis rebus coniunctis vel etiam identificatis cum ea.

---

[1] Dicitur praeterea abstractio; circa ipsam cf. J. HELLÍN, *Abstracción de tercer grado y objeto de la metafísica:* Pens 4 (1948) 433-50, ubi clara datur huius conceptus notitia; praeterea A. DONDEYNE, *L'abstraction:* RevNeoPhil 41 (1938) 5-20, 339-73; G. FAUSTI, *Teoria dell'abstrazione* (Padova 1947); C. OTTAVIANO, *Intorno alla abstrazione:* Sophia (1946) 193-7.

Potest esse *sensitiva et intellectualis*. *Sensitiva* est ea quae necessario fit a sensibus singulis; sic oculus, v. c. percipit albedinem saccharae, et non percipit dulcedinem coniunctam cum albedine. Versatur inter res singulares et realiter distinctas et quae sunt obiectum diversarum sensuum. *Intellectiva* est ea quae versatur circa res intelligibiles ut tales, v. c. inter subiectum et formam, inter partes quaslibet ut tales, inter naturam et individuationem.

544. *Intellectiva* rursus potest esse *totalis* et *partialis* [2].

TOTALIS est ea per quam retinetur forma aliqua in concreto, seu totum logicum, i. e. forma in subiecto aliquo totali, omissa tantum individuatione, v. c. homo, arbor, calidum. In his enim casibus retinetur forma caloris, humanitatis, arboritatis non seorsim a subiecto et in abstracto, sed in subiecto, quod est totum aliquod habens calorem, habens humanitatem, habens arboritatem. Hoc subiectum in quo residere significatur forma est totum suppositum, omissa tantum individuatione. Haec igitur praecisio totalis est propria universalis, quia per eam concretum potest praedicari de alio concreto, sicut exigit definitio universalis.

PARTIALIS vero est ea per quam retinetur una pars totius sive integralis, sive formalis, sive materialis, v. c., si in homine nominas pedem, manum, materiam, formam, animalitatem, rationalitatem, humanitatem.

Potest esse partialis integralis, formalis, materialis, quae omnia patent.

Partes huiusmodi non possunt praedicari invicem in recto, quia inter illas non adest identitas, neque in subiectis, quia omittuntur.

Haec abstractio partialis non est propria universalis; primo, quia non necessario praescindit ab individuatione, sic v. c. hoc bracchium, hic pes, haec humanitas sunt praecisiones partiales, quae non praescindunt ab individuatione; secundo, quia etsi praescindant ab individuatione, ut possunt, tamen non sunt aptae praedicari invicem in recto, quod requiritur ad universale, ut ex eius definitione patet.

545. Haec abstractio totalis et partialis non debet confundi cum divisione abstractionis in adaequatam, perfectam, seu obiectivam, et inadaequatam, formalem, confusam et im-

[2] Cf. *S. Thomam,* in lib. BOETHII, *De Trinit.* q.5 a.3; CAIETANUM, *Comm. in De ente et essentia* q.1.

perfectam, quae v. c. adest inter divinas perfectiones, quae non possunt singulae *adaequate* concipi seorsin ab essentia, vel etiam ab invicem distinctae, propter infinitatem in qua omnes comprehenduntur. Aliqui auctores, ut *nominales,* DURANDUS, LOSADA [3], ARRIAGA defendunt talem praecisionem confusivam ad efformationem universalis; sic revera non effugiunt nominalismum [4].

546. Circa modum quo fit praecisio totalis. Duplex datur opinio: alii dicunt fieri per intellectum agentem, alii autem per intellectum possibilem.

a) INTELLECTUS AGENS est facultas spiritualis activa, quae ad praesentiam phantasmatis producit speciem impressam in intellectu possibili, qui est vere cognoscens; per hanc speciem impressam intellectus possibilis informatur et determinatur ut intelligat id quod per eam speciem repraesentatur. Et dicunt aliqui thomistae hanc speciem esse universalem repraesentative; et ratio est iuxta ipsos quia haec species est immaterialis, *ergo* non habet principium individuationis, quod est materia signata quantitate; *ergo* est universalis. Unde ulterius sequitur intellectum non posse intelligere singulare sensibile directe et primo, sed per conversionem ad phanthasma, et post cognitum universale.

b) SUÁREZ contendit universale fieri per intellectum possibilem. Nam intellectus agens producit ad praesentiam phantasmatis speciem impressam spiritualem in intellectu possibili, sed talis species est singularis, siquidem phantasma a quo determinatur intellectus agens etiam est singulare. Unde haec species praescindit a materialitate, quia est spiritualis, sed non a singularitate. Intellectus igitur possibilis intelligit primo et directe singulare sensibile.

c) Si igitur id quod intellectus primo et directe cognoscit est singulare, quo modo facit praecisionem a singularitate? Respondetur: uno e duobus modis, aliquando comparatione ontologica inter plura similia, aliquando vero sponte seu sine ulla comparatione.

547. COMPARATIO est contemplatio simultanea duorum, et potest esse 1) *ontologica,* 2) *reflexiva.*

---

[3] Cf. LOSSADA, *Logica* tr.2 d.2, c.4 n.7, ubi vult difficultatem seminominalismi vitare, ut ipse fatetur difficulter, et tamen unice respicit ad extensionem, non ad comprehensionem conceptus, quae est via nominalistica.

[4] Cf. P. GENY, *Critica* n.353-55.

1) Ontologica est illa, quae datur, cum comparamus duas entitates secundum se ipsas et per quam universale directum obtinetur, et potest esse:

a) *Comprobativa* quae est contemplatio simultanea duorum per ordinem ad quamdam notam, ut examinetur utrum ambo conveniant in ea nota communi. Haec vero comparatio non est ea per quam fit praecisio; iam enim supponitur praecisa illa nota communis per ordinem ad quam fit comparatio.

b) *Detectiva* est contemplatio simultanea duorum vel mere casualis, vel ut examinetur an detur aliquid commune duobus. Cum autem est aliqua similitudo tunc intellectus naturaliter eam praescindit, et sic facit universale.

Aliquando igitur fit praecisio per hanc comparationem mere detectivam; aliquando autem fit sponte; quia v. c. sensus exhibet aliquid valde confuse, et aliquid se movens, non determinans utrum sit canis, homo, lupus, etc., et tunc intellectus sponte retinet se movens seu animal. Et hoc praecise valet cum agitur de obtinendo conceptu entis ut sic. Viso enim primo ente, statim intellectus retinet ens ut sic, quia et in rebus vere reperitur illa nota, et ille vim habet ut illam deprehendat.

548. 2) Reflexiva est comparatio duarum rerum, quarum una est entitas aliqua non prout est in se ipsa, sed prout est concepta speciali modo per mentem. Sic si comparo canem cum lupo habeo comparationem ontologicam; si autem comparo canem prout apparet in mente cum individuis canibus, tunc habeo comparationem reflexivam.

Dicimus ergo universale directum fieri per meram praecisionem mentis, logicum autem fieri per comparationem reflexivam.

549. Per hanc thesim dicimus *mentem non esse mere passivam* in cognoscendo; nam si esset mere passiva, reproduceret semper id quod per sensus percipit, unde nec faceret praecisionem, nec combinationes, nec divisiones rerum perceptarum in partes et formas et subiectum. Habet igitur etiam activitatem, per quam cognoscit obiectum aliter atque est; quae modificatio obiecti aliquando est mere negativa, quia non reproducit totum quod est in re, licet nihil in ea ponat falsitatis, ut accidit in praecisione a notis individuan-

tibus; aliquando dividit per analysim notas quidditativas coniunctas in perceptione; aliquando coniungit in unam multas notas, quas dispersas videt in multis entibus, et tunc coniunctio illa erit vera si eius possibilitas demonstretur, et erit omnino ficticia si per demonstrationem appareat infundata [5].

550. De fundamento formali universalis [6]. Iam indicatum manet fundamentum universalis esse individua similia, quae, quia similia, in una nota conveniunt, et proinde ab intellectu sub illa nota repraesentari possunt, abstrahendo ab individuis. Sed ulterius quaeri potest quae sit ultima quasi radix ipsius similitudinis in ipsa realitate. Ad quod cum distinctione respondendum est, i. e.: de fundamento 1) ontologico, 2) psychologico.

551. 1) FUNDAMENTUM ONTOLOGICUM est id quod permittit naturam multiplicari in pluribus individuis, ita ut unum individuum non eam adaequet, neque exhauriat, sed alia individua praeter ipsum adhuc maneant possibilia. Omnes scholastici ponunt fundamentum huius multiplicitatis individuorum in *finitudine,* quae tandem *contingentiam* supponit propriam omnis omnino creaturae; quae cum sit finita et contingens non necessario exsistit, et intellectus illam cogitare potest sine exsistentia, quin contradictio detur, sicut daretur, v. c. in cogitando Deum ut mere possibilem. Illa natura proinde non exhaurit totam lineam perfectionis possibilis, quare alia individua adhuc exsistere valent. Pro thomistis hoc esset fundamentum remotum; proximum vero esset receptio in materia signata quantitate, cui adstringuntur formae non purae. De quo fundamento et de eius possibilitate in Metaphysica agendum erit.

552. 2) FUNDAMENTUM AUTEM PSYCHOLOGICUM est natura intellectus nostri, qui ex una parte superat essentialiter in sua activitate omnem operationem sensitivam, proinde cognoscit non solum res singulares, sicut sensus, sed etiam essentias rerum, in quibus omnes eius cognitiones scientificae fundantur; aliunde vero non cognoscit res comprehensive, ut Deus et angeli, qui sua singularium cognitione cognoscunt quidquid perfectionis in nostra cognitione universalium datur

[5] Haec omnia, quae modum cognoscendi intellectus humani respiciunt, melius in tractatu de Anima apparebunt.
[6] Cf. P. GENY, *ibid.* n.359.

mixta pluribus imperfectionibus, nempe per abstractiones, analyses, syntheses, ac diversas comparationes.

553. Status quaestionis. Quaestio est proinde psychologica; et quaeritur cum detur duplex universale, directum et reflexum, qua operatione mentis fiat utrumque, et proinde quibus viribus polleat intellectus, ut tales cognitiones abstractivas facere possit.

554. Sententiae. *Prima* tenet universale formale fieri per meram praecisionem intellectus agentis, ita aliqui thomistae, ut SOTO, ZUMEL [7], etc.

Secunda affirmat fieri universale per meram praecisionem, sed intellectus possibilis, ita DURANDUS, TOLEDO, HURTADO, LOSSADA [8], etc.

Tertia tenet universale fieri per comparationem naturae iam abstractae cum individuis, ita scotistae et plures thomistae [9].

Quarta denique, quae *est nostra* et ut certa proponitur, distinguit duplex universale formale, aliud directum, et aliud relativum seu reflexum. Et docet universale directum fieri per meram praecisionem, et quidem ex parte solius intellectus possibilis seu cognoscentis; relativum vero fieri per comparationem reflexivam naturae iam abstractae cum individuis [10].

555. Probatur thesis. I P. UNIVERSALE FORMALE FIT PER OPERATIONEM INTELLECTUS.

Haec pars est solum corollarium thesium praecedentium. Nam si universale formale est realissimum quoad id quod concipitur, ut ostensum est contra conceptualismum, et ex alia parte, forma universalis, ut est unitas praecisionis et praedicabilitas, non est in rebus, sequitur hanc formalitatem fieri per operationem intellectus.

556. II P. UNIVERSALE FORMALE DIRECTUM FIT PER MERAM PRAECISIONEM MENTIS.

Universale formale directum debet esse unum aptum praedicari de multis, licet haec unitas praecisionis et praedicabilitatis non cognoscatur in cognitione directa; *atqui* posita sola

[7] Vide apud SUÁREZ, DM 6 s.6.
[8] Vide hos auctores eorumque opera citata apud URRÁBURU, *Inst. Phil.* 1 p.713-4.
[9] Cf. MASTRIUM, *In Organum Aristotelis* disp.4 q.3; SUÁREZ, DM 6 s.6 n.5.
[10] Cf. SUÁREZ, DM 6 s.6 n.8; *De anima* l.4 c.3.

praecisione, iam natura remanet una unitate praecisionis, et apta praedicari de multis; *ergo* posita sola praecisione ab individuatione manet constitutum universale directum.

Maior patet ex definitione universalis directi.

Minor; posita sola praecisione, natura iam est una quia non apparet ulla individuatio ex qua provenit multitudo individuorum. Item natura iam est praedicabilis de multis; nam id quod impedit quominus natura multiplicetur in plura talia qualia ipsum est per identitatem, est quod sit individua et restricta ad hic et nunc; *atqui* per praecisionem disparuit individuatio; *ergo* posita praecisione, natura manet praedicabilis de multis per identitatem.

557. *N. B.* Quod autem illa abstractio fiat per intellectum possibilem ostenditur in psychologia sic: intellectus agnes non potest producere speciem repraesentativam universalis, sed singularis. Nam determinatur a phantasmate ad faciendas species impressas; *atqui* phantasma est singulare; *ergo* faciet speciem impressam singularem. Si igitur species facta ab intellectu agente est singularis, intellectus possibilis cognoscet primo singularia; ideoque intellectus possibilis est qui omittit singularitatem, post apprehensam rationem communem.

558. III P. UNIVERSALE FORMALE LOGICUM VEL RELATIVUM CONSTITUITUR PER COMPARATIONEM REFLEXIVAM NATURAE ABSTRACTAE CUM INDIVIDUIS.

Universale formale actuale constituitur per naturam cognitam ut unam, et ut aptam praedicari de multis per identitatem; *atqui* per comparationem reflexivam naturae abstractae cum individuis cognoscitur natura ut una et ut praedicabilis de multis; *ergo* universale formale logicum constituitur comparatione reflexiva.

Maior patet ex definitione universalis formalis logici, sive relativi, sive reflexi.

Minor: cognoscitur natura ut una quia cognosco ut aliquid ab individuis distinctum et quasi separatum, secus non possem comparare cum individuis. Et per hanc comparationem detego eam esse praedicabilem de multis et consequenter naturam veluti induo hac forma ut afficiente ipsam.

N. B. In hac comparatione reflexiva distinguenda sunt haec: ipsa comparatio, seu consideratio simultanea duorum, apprehensio unitatis et praedicabilitatis illius naturae de multis; et denique iudicium, quod revera talis natura est praedicabilis de multis. Universale logicum constituitur per apprehensionem; comparatio autem fuit medium, quo perventum est ad talem apprehensionem; et iudicium affirmavit, non constituit praedicabilitatem.

559. Obiectiones. 1. Reicienda videtur solutio circa efformationem conceptus universalis per abstractionem quia involvit circulum vitiosum. Nam:

Conceptus universalis efformatur abstractione, qua nempe retineo notas communes, omissis differentiis; *atqui* ut abstraham vel retineam notas communes, antea iam debeo scire quae sint notae communes, seu habere universale ante universale, i.e. circulus vitiosus adest; *ergo* nequit per abstractionem haberi idea universalis[11].

Dist. mai.: Omnis conceptus universalis directus abstrahitur abstractione et comparatione comprobativa, *nego;* abstractione simplici et comparativa detectiva, vel spontanea, *conc. Contradist. min.*: ut abstraham abstractione seu comparatione comprobativa, *conc.*; detectiva et spontanea, *nego.* Non enim omnis praecisio et comparatio exigit cognitionem notae communis, qua communis, sed notae, quae est communis.

2. Ubi non sunt plures res non potest cognosci una sine alia; *atqui* in homine exsistenti essentia et individuatio non sunt plures res; *ergo* in ipso nequit cognosci essentia sine individuatione.

Dist. mai.: ubi non sunt plures res saltem ratione, nequit cognosci unum sine alio, *conc.;* ubi non sunt plures res realiter, sed solum ratione, nequit cognosci unum sine alio, *nego.* Ille plenus parallelismus quem adversarius supponit inter cognitionem et rem negandus est.

560. 3. Iuxta distinctionem una ratio formalis potest cognosci non cognita alia ratione cum ipsa identificata; *atqui* talis cognitio repugnat, siquidem idem simul cognosceretur et non cognosceretur; *ergo* repugnat omnis cognitio abstractiva.

Dist. mai.: identificata realiter, *conc.;* etiam ratione, *nego. Contradist. min.*: idem cognosceretur et non cognosceretur si essent idem ratione, *conc.;* si essent idem solum realiter, *nego.* Intellectus enim noster utpote limitatus potest cognoscere res vel eamdem rem diversis gressibus et aspectibus, nempe imperfecto modo.

4. Secundum datam explicationem, materia cognitionis, *id quod,* procedit a realitate per sensationem oblata, forma vero, *id quo,* a facultate ipsa intellectuali; *atqui* haec explicatio videtur concordare cum sententia KANTII; *ergo* explicatio proposita videtur kantiana.

Dist. mai.: Materia cognitionis secundum nos est aliquid obiectivum et noumenale, et forma seu modus cognoscendi non tribuitur ipsi realitati, *conc.;* aliter, *nego. Contradist. min.*: materia cognitionis KANTII est aliquid obiectivum et noumenale, et forma non efformat vel potius construit ipsam rem cognoscendam, *nego;* aliter, *conc.*

---

[11] Ita huismodi difficultatem inter alios H. BERGSON iterum urget: "En serrant d'aussi près que possible les difficultés d'ordre psychologique soulevés autour du problème des idées générales, on arrivera, croyons-nous, a les enfermer dans ce cercle: pour généraliser il faut d'abord abstraire, mais pour abstraire il faut déjà savoir généraliser. C'est autour de ce cercle que gravitent, consciemment ou inconsciemment, nominalisme et conceptualisme, chacune des deux doctrines ayant surtout pour elle l'insuffisance de l'autre... La généralisation ne peut se faire que par une extraction de qualités communes; mais les qualités, pour apparaître communes, ont déjà dû subir un travail de généralisation" (*Matière et mémoire* [Paris 1903[3]] c.3 p.170-72).

Unde apparet omnimoda differentia inter nostram et KANTII sententiam; in ipsis enim contrarium omnino affirmatur.

561. 5. Nullum universale fit per solam praecisionem. Nam omne universale non habet aliud esse quam cognosci; *atqui* totum esse universalis est cognosci esse aptum inesse multis, ad quam cognitionem habendam non sufficit sola praecisio; *ergo* ad universale efficiendum non sufficit sola praecisio, sed requiritur comparatio.

Dist. mai.: universale reflexum, *conc.;* directum, *nego.*

6. Universale formaliter tale importat relationem; *atqui* ad cognoscendam relationem requiritur comparatio; *ergo* universale formaliter tale requirit comparationem, et non meram praecisionem.

Dist. mai.: Universale formaliter tale importat relationem non cognoscendam seu transcendentalem, *conc.;* cognoscendam seu praedicamentalem, *subdist.*: universale logicum, *conc.;* directum seu metaphysicum, *nego. Contradist. min.*: universale logicum, *conc.;* metaphysicum, *subdist.*: requirit comparationem comprobativam, *nego;* ad summum mere detectivam vel spontaneam, *conc.*

562. 7. Ut intellectus posset conficere universale deberet et ipse esse universalis; *atqui* intellectus non est universalis; *ergo* nequit conficere universale.

Dist. mai.: ut intellectus posset conficere universale in essendo deberet esse ipse universalis in essendo, *trans.;* ut conficeret universale in repraesentando deberet ipse esse universalis, *subdist.*: in essendo, *nego;* in repraesentando, nempe pollere vi abstractiva et comparativa, *conc.*

8. Si intellectus apprehenderet universale in re singulari, eam suo actu immutaret; *atqui* intellectus nequit immutare rem; *ergo* intellectus nequit apprehendere universale in re singulari.

Dist. mai.: deberet immutare physice, *nego;* intentionaliter, nempe eam alio modo ac est repraesentare, *subdist.*: per additionem positivam, *nego;* per omissionem individuationis, *conc. Contradist. min.*

ARTICULUS VI

PROBLEMA LOGICUM UNIVERSALIUM

563. *Problema logicum* investigat divisiones universalis, sensum eius et usum, quae omnia nos breviter enuntiabimus.

Prima divisio. Natura quaelibet potest in triplici stadio considerari: secundum quod est in individuis, secundum quod est in mente, et absolute seu secundum notas seu proprietates quas habet, praecisive ab statu individuationis et praecisionis.

a) *Natura secundum quod est in individuis* sunt individua similia, prout reperiuntur in rerum natura; ei tribuun-

tur praedicata, quae ei conveniunt secundum quod est hic et nunc; vocatur *universale fundamentale seu physicum.*

b) *Natura secundum quod est in mente* est natura prout induta sua praecisione et unitate praecisionis, et praedicabilitate; ei tribuuntur praedicata, quae ipsi conveniunt ex actu praecisivo mentis et ex comparatione cum individuis; et sic dicitur genus, species, differentia specifica, proprium et accidens, praedicabilis, praecisa, universalis formaliter, etc. Est ipsum *universale logicum vel reflexum.*

c) *Natura absolute spectata* est nota vel complexus notarum, quibus res constituitur. Ei tribuuntur praedicata quae conveniunt non ob statum realem in individuis, neque ob statum praecisionis mentalis, sed quia est natura talis speciei seu classis, v. c. equus, calidum, etc. Est idem ac *universale formale directum seu formale potentiale*[1].

564. Secunda divisio. Iuxta hanc secundam divisionem universalis, quae tribuitur AVICENNAE, universale potest esse ante rem, in re et post rem[2].

---

[1] Ita praecipue S. THOMAS: "Sciendum est quod aliquando est unitas a parte naturae substratae intentioni universalis praeter istam quam facit intellectus, aliquando autem non. Natura enim quae est substrata intentioni universalitatis, sicut natura animalis, tripliciter considerari potest. Uno modo absolute et secundum se; et sic nihil sibi convenit nisi quod est de intellectu eius: ut puta de intellectu animalis est corpus animatum sensibile; nihil enim aliud sibi attribui potest, nisi falso, ut album vel musicum, vel aliquid huiusmodi. Alio modo potest considerari haec natura prout est recepta in aliquo particulari sui generis; et adhuc inerit sibi ratio, quae de intellectu eius est absolute. Animal enim quod est Socrates, est substantia animata sensibilis. Sed si recipiatur in pluribus individuis, necessario et natura ipsa, et intellectus suus multiplicabitur: Socrates enim et Plato sunt duo animalia, et duae substantiae animatae sensibiles. Unde licet in natura animalis non sit unitas et pluralitas secundum quod est nata recipi in pluribus inferioribus, cum possit in uno recipi et in pluribus; est tamen in ipsa natura absolute accepta, secundum quod non est in inferioribus considerata, quaedam unitas; cum definitio eius sit una, et nomen unum, ut patet. Tertio modo potest considerari haec natura prout est in anima. Et quia omne quod est in anima est abstractum ab omni divisione et diversitate materiali, attribuitur istae naturae, ratione uniformitatis quam habet ad omnia, ratio universalis, quod est unum in multis, unde sic non multiplicatur haec natura in suis inferioribus, imo plures homines sunt unus homo et unum animal, participando genus et speciem; hoc enim modo convenit talibus naturis secundum rationem generis et speciei.

In istis igitur est duplex unitas. Una scilicet in natura absoluta, quae natura convenit singulis suppositis; sed haec unitas non descendit ab ipsa natura ad sua supposita; sicut de natura animalis absoluta est substantia animata sensibilis, ut dictum est; sed hoc non dicit totam naturam eius absolutam, sed aliquid eius. In natura enim absoluta est, quod possit substerni intentioni universalitatis quia solum natura absoluta hoc potest, et etiam omnis natura absoluta. Comprehendendo ergo totam naturam eius absolute, dicendo naturam animalis absolutam esse substantiam animatam sensibilem aptam natam substerni intentioni universalitatis, non est de intellectu eius unitas aliqua, nec etiam pluralitas; quia utrumque potest sibi accidere. Alia est autem unitas naturae quam habet ab intellectu, in quam omnia supposita conveniunt; ideo unitas quam facit intellectus in tali natura, fundatur super unitatem in re inventam, quae una est illa unitate" (*De natura generis* c.7; cf. etiam *De ente et essentia* c.4).

[2] Cf. M. DE WULF, *Histoire de la Philosophie médiévale* p.342.

a) *Universale ante rem* sunt ideae separatae ab individuis, sive ut exemplaria in mente divina exsistentia, quae sunt causae rerum et non praedicantur de rebus per identitatem, quas et nos admittimus cum S. AUGUSTINO omnibusque scholasticis realistis moderatis, sive ut ideae mentis divinae, quae per identitatem praedicantur de rebus, ut volunt ontologi, quae sententia est pantheistica, sive ut ideae subsistentes in se ipsis, seorsim a Deo et creaturis, quas defendit Plato et item sunt reiciendae.

b) *Universale in re* est universale fundamentale, non distinctum ab individuis, quod et nos admittimus; vel est universale formale, exsistens in individuis, sed distinctum realiter ab individuatione, quae est sententia scotistica et P. FONSECA.

c) *Universale post rem* est universale formale, quod formatur per operationem intellectus cum fundamento in rebus, et potest esse directum et reflexum; est theoria realismi moderati.

Quare si interrogetur ab aliquo utrum admittenda sint universalia ante rem, in re, et post rem, ex iam dictis patet quid respondere oporteat.

565. Tertia divisio. Universale potest esse fundamentale, formale directum, formale reflexum.

A. *Universale fundamentale* sunt individua similia, quae invitant intellectum, qui non intelligit uno ictu et comprehensive, sed per partes et connotationes ad plures effectus et manifestationes, ut concipiat notas similes uno conceptu, omissis notis individuantibus. Hoc universale vocatur etiam *universale physicum, remotum et improprie dictum,* quia licet adsit natura, quae potest denominari universalis postquam concipiatur praecisa a notis individuantibus, tamen nondum adest forma universalitatis, per quam accipiat de facto denominationem universalis.

566. B. *Universale directum, formale,* est natura praecisa a notis individuantibus, considerata non secundum quod est praecisa, sed secundum quod est talis natura, constans talibus notis et proprietatibus realibus, v. c. equus consideratus non ut est hic et nunc, nec secundum quod est praecisus ab his condicionibus, sed secundum quod est animal, quadrupedum, hinniens, etc.

1. In hoc universali distinguendum est id quod concipitur, modus quo concipitur, et denominationes extrinsecae, quae ei adveniunt ex cognitione praecisiva, qua apprehenditur.

567. *Id quod concipitur* est natura secundum se, seu secundum notas, quae ei conveniunt, quia est talis natura, et non secundum praedicata, quae ei conveniunt ob statum praecisionis aut individuationis. Itaque non cognoscitur individuatio, quia ab ea praescinditur,

nec cognoscitur praecisio aut universalitas aut unitas orta ex praecisione, quia mens directe tendit ad naturam secundum se, et non ad naturam secundum quod est in statu praecisionis.

Modus quo concipitur est status mentis praecisivus, quo omittuntur notae individuantes; sed hic modus concipiendi non est res cognita in cognitione directa.

568. *Denominationes externae* quae veniunt naturae ex hoc modo cognoscendi, etiam priusquam per reflexionem cognoscatur status abstractionis, sunt hae: quod sit una unitate praecisionis, quod sit praecisa seu abstracta, quod sit praedicabilis. Sed hae denominationes sunt penitus *extrinsecae;* primo quia veniunt naturae singulari ex aliqua re ipsi extrinseca, nempe ex cognitione praecisiva mentis, quae est extra res singulares; deinde, quia etiam si adsit forma denominans, quae est cognitio praecisiva, tamen nemo cogitavit naturam ut denominatam per talem formam et ut affectam tali denominatione; *atqui* denominationes venientes alicui individuo ex forma extrinseca non exsistunt in eo subiecto nisi aliquis cogitet illas; nam sunt entia rationis, quae non dantur donec cogitantur; *ergo* in universali directo non adsunt illae denominationes praedictae intrinsece, sed mere extrinsece.

569. 2. *Hinc cognoscitur quae sit habitudo naturae praecisae ad formam universalitatis,* quae ita enuntiari potest: in universali directo iam adest natura quae denominari potest universalis, sed illa forma universalitatis non cognoscitur actu nec intrinsece afficit naturam.

Adest natura quae denominari potest proxime universalis, et est natura praecisa a notis individuantibus.

Adest forma universalitatis, quae est unitas praecisionis et praedicabilitatis. Nam per praecisionem a notis individuantibus disparet omnis multitudo individuorum, et praeterea disparet etiam unicum impedimentum multiplicabilitatis in plura talia qualia ipsum est, quod est individuatio.

Sed illa forma universalitatis nondum cognoscitur actu, quia intellectus in hoc universali tendit ad res secundum quod sunt in se, seu secundum notas quae conveniunt rei quia est talis natura, et non secundum praedicata quae ei conveniunt ob statum individuationis aut praecisionis.

Item illa forma universalitatis nondum afficit intrinsece naturam: Non enim eam afficit intrinsece realiter, ut patet, quia nulla res potest esse una per praecisionem et simul praedicabilis de multis. Nec eam afficit intrinsece secundum rationem, quia haec unitas et praedicabilitas est ens rationis, et ens rationis non exsistit donec cogitetur; *atqui,* ut iam vidimus, illa unitas et praedicabilitas non cogitatur in universali directo; *ergo* nondum afficit illa forma universalitatis intrinsece naturam, quae denominatur universalis, nec secundum rationem quidem.

570. 3. *Nomina huius universalis directi.* Dicitur:

Universale directum, quia dirigitur ad naturam secundum se, et non secundum statum quem habet in mente.

Universale primae intentionis, quia cognitio directa ten-

dens ad res secundum se ipsas vocatur cognitio, i. e. intentio prima; per oppositionem ad cognitionem rei prout est in mente, quae vocatur cognitio, i. e. intentio secunda.

Natura absolute spectata, quia naturam considerat secundum notas et proprietates reales quae conveniunt ei non ob statum individuationis aut praecisionis, sed quia est talis natura.

Universale metaphysicum, quia est reale et metaphysica agit de rebus, non de denominationibus venientibus ex actibus mentis, ut logica.

Universale absolutum, quia respicit naturam secundum se, et non secundum habitudinem ad individua de quibus praedicari potest.

Universale fundamentale proximum, quia ut denominetur universale (hoc universale directum) iam non est necessaria nova praecisio a notis individuantibus, sed sola reflexio supra modum praecisivum quo cognoscitur.

Universale formale in potentia proxima, formale quia iam adest forma universalitatis, quae est unitas praecisionis et praedicabilitatis; in potentia, quia nondum cognoscitur illa forma universalitatis, nec intrinsece afficit naturam; proxima, quia ut talis natura denominetur de facto universalis, non requiritur nova praecisio a notis individuantibus, sed sola reflexio supra modum praecisivum quo cognoscitur.

571. 4. Hoc universale est realissimum quoad id quod repraesentat, non autem quoad modum quo repraesentatur, qui est praecisio a notis individuantibus.

Haec autem realitas universalis est in individuis, licet per hoc universale non cognoscantur individua.

572. 5 Praedicatur de rebus totum id quod repraesentatur, non autem modus quo repraesentatur; nam praedicatur de rebus totum id quod cognoscimus per praedicatum; *atqui* per universale directum cognoscimus naturam secundum se et secundum quamdam comprehensionem notarum, non autem secundum modum quo concipimus; *ergo* praedicatur de rebus totum id quod repraesentatur.

Praedicatur de rebus eadem comprehensio notarum, sed non eadem extensio, i.e. non idem individuum. Et ratio est eadem: quia praedico totum id quod in directa cognitione cognosco; *atqui* in directa cognitione cognosco eandem comprehensionem notarum in omnibus individuis quibus idem praedicatum attribuimus, non autem extensionem ullam, seu individua ulla in quibus verificetur; *ergo* praedicamus eandem comprehensionem, non vero eandem extensionem. Ideo cum dico: Petrus est homo, Paulus est homo, sequitur

Petrum et Paulum verificare eandem comprehensionem notarum, sed non sequitur Petrum et Paulum esse eundem numero hominem. Tamen ex dialectica scimus ontologice et materialiter, non autem formaliter et secundum conceptum et significationem terminorum, in praedicatione affirmativa praedicatum sumi particulariter, in negativa autem semper universaliter quoad extensionem.

Et praedicatur identitas absoluta materialis inter subiectum et praedicatum, non autem formalis. Quare cum dicimus: Petrus est homo, canis est animal, sensus est: habens Petreitatem est habens humanitatem, et habens canitatem est habens animalitatem. *To habens* est absolute idem in praedicato et in subiecto, formae autem non sunt idem. Seu aliis verbis, praedicatur identitas quoad subiectum, non autem quoad formas; et quoniam subiectum et praedicatum solent exprimi in nominativo, i.e. in casu recto, haec assertio solet etiam exprimi dicendo, quod praedicatur identitas subiecti et praedicati in recto non in obliquo.

573. 6. *Numerus universalium directorum.* Sunt plurima, fere tot quot nomina sunt in lexico; sed ut aliquo ordine redigerentur, divisa sunt in decem genera suprema, quae vocata sunt *praedicamenta,* et *categoriae;* ut substantia, qualitas, quantitas, etc.

Praedicamentum autem est genus supremum primae intentionis, et omnia genera ei subordinata, quae de aliquo individuo praedicantur, v.c. de Petro praedicatur substantia, corpus, vivens, animal; et haec omnia genera sunt praedicamenta Petri. Haec vero praedicamenta sunt decem, iuxta Aristotelem, et semper sunt praedicata realia et primae intentionis.

574. 7. *Utilitas universalis directi et praedicamentorum.* Iuvant ut per ea possimus bene cognoscere realitatem rerum, et ut bene construamus definitiones et descriptiones rerum.

575. 8. *Particularis nonnullorum universalium directorum iustificatio.* Recentiores critici insistunt vel maxime in ostendendo valore obiectivo eorum praesertim conceptuum, qui sunt maioris momenti pro realismo metaphysico stabiliendo. Revocentur v.c. in mentem ea quae in prima parte indicantur de valore conceptus *entis ut sic* et conceptus causae, contingentis, substantiae, ad prima principia ostendenda. Ita apparet inanitas LOCKE, HUME immo et KANT et moderni phaenomenalismi contra hos conceptus.

Pari modo recentius maxime conantur auctores in critica legitimatione proprietatum transcendentalium: *veritas seu intelligibilitas entis* contra omnem idealismum transcendentalem; *bonitas entis* ut fundamentum rationale philosophiae practicae, ethicae, contra illam philosophiam valorum prorsus subiectivisticam, quae ultimatim a KANT suam originem ducit, ex Critica rationis practicae; et similiter contra aliquem obiectivismum valorum exaggeratum, ut profertur ab aliquibus auctoribus scholae phaenomenologiae, qui vellent separare valorem et bonum ab intellectione entis, incidentes in aliquem intuitionismum irrationalem et alogicum. Inde plura problema solvenda.

576. C. *Universale reflexum.* Universale reflexum seu logicum est natura praecisa a notis individuantibus, cognita ut una et praedicabilis de multis.

1. In hoc universali distinguendum est id quod cognoscitur et modus cognoscendi. Id quod cognoscitur est natura una unitate praecisionis ab omni individuo et praedicabilis de multis. Modus quo cognoscitur est per comparationem reflexivam naturae abstractae cum individuis de quibus praedicari potest.

577. 2. Habitudo naturae universalis ad formam universalitatis est haec: in hoc universali adest natura, quae denominatur universalis, et adest forma universalitatis, et cognoscitur actu, et afficit intrinsece naturam per operationem rationis.

Adest natura quae denominatur universalis, et est natura praecisa a notis individuantibus.

Adest forma universalitatis, quae est unitas praecisionis, in qua non apparet ulla multitudo individuorum ob praecisionem, et praedicabilitas, quia unicum quod impediebat praedicationem in plura talia qualia ipsum est erat individuatio, quae omissa est per praecisionem.

Haec forma cognita est actu, quia consideratur natura ut extra individua et ut praedicabilis de multis.

Haec forma universalitatis afficit naturam intrinsece, i.e. ut constitutivum, vel saltem ut proprietas intrinseca naturae secundum rationem, non physice ut patet. Et ratio est, quia dum cogitamus haec universalia, ut speciem, genus, etc., cogitamus naturam veluti indutam hac proprietate unitatis et praedicabilitatis. Illa denominatio universalis, quae in universali directo erat extrinseca, quia nemo illam affigebat naturae, nunc per fictionem mentis cogitatur veluti afficiens et induens intrinsece ipsam naturam.

578. 3. *Nomina huius universalis reflexi.* Dicitur:

Universale logicum, quia utilis est ad usus logicos, scilicet ut cogitantes universale directum comparative ad individua, bene ordinemus praedicata realia secundum maiorem vel minorem extensionem et comprehensionem et ut cognoscamus modum praedicabilitatis illorum praedicatorum realium, et consequenter bene possimus collocare ea in definitionibus et descriptionibus.

Universale reflexum, quia formatur per comparationem reflexivam naturae abstracte conceptae cum individuis.

Universale formale actuale, quia habet formam universalitatis, et cognoscitur actu et afficit intrinsece naturam.

Universale relativum, quia dicit habitudinem praedicabilitatis respectu individuorum.

Universale vel terminus secundae intentionis, quia est cognitio rei, non prout est in se, sed prout est dependenter ab actu praecisivo mentis; et talis cognitio vocatur intentio secun-

da per oppositionem ad cognitionem directam ad rem secundum se ipsam, quae vocatur intentio prima.

Praedicabile, quia in eius definitione ponitur non solum natura, sed modus etiam praedicabilitatis, sic species v. c. definitur: praedicabilis de multis secundum integram eorum essentiam.

579. *Hoc universale est ens rationis,* quia nulla res est quae sit simul una et praedicabilis de multis; hoc venit ex duplici operatione mentis, ex praecisione nempe et ex consideratione naturae sic praecisae comparative ad inferiora. Sed cum fundamento in re: remotum sunt individua similia, proximum vero natura praecisa ab individuatione.

Consequenter non praedicatur de ulla re, quia nulla res est una et praedicabilis de multis; itaque bene dicitur Petrus est homo, sed non dicitur, Petrus est species humana.

580. 4. *Numerus universalium reflexorum.*

Universalia actu formalia sunt quinque et tantum quinque. Nam universale reflexum est modus praedicabilitatis, qui modi sunt tantum quinque ut visum est in Dialectica.

581. 5. Nomina *species, genus, differentia specifica* sunt semper termini secundae intentionis, et ideo numquam praedicantur de rebus. Nomina autem *proprium* et *accidens* saepe sunt termini primae intentionis, et ideo possunt praedicari de rebus. Sic dicitur risibilitas, quantitas est proprietas, nempe physica seu realis, albedo est accidens, nempe physicum.

Si autem *proprium* et *accidens* sumantur ut nomina secundae intentionis, nempe ut praedicabile de multis, sic non potest praedicari de rebus. Quare haec nomina habent duplicem significationem, aliam metaphysicam, aliam vero logicam; ita dicitur accidens metaphysicum et accidens logicum.

CAPUT III

De ratiocinio ut fonte interno legitimo veritatis mediatae.

ARTICULUS I

De ratiocinio deductivo

Thesis 33. Ratiocinium deductivum veram et novam potest gignere certitudinem.

ARISTOTELES, 1 *Posterior.* c. 2 (71b10); S. TH., 1 q.14 a.9; q.58 a.3; q.79 a.8 in c.; *De verit.* q.8 a.15; NABER, *Critica* p.290ss; PESCH-FRICK, *Logica* n.669; URRÁBURU, *Inst. Phil.* 1 n.234; TONQUEDEC, *La Critique de la connaissance* p.247ss et 375ss; MERCIER, *Logica* p.3.ª c.1 a.2 (versión española, Madrid).

582. Nexus. Hucusque egimus de *universali incomplexo,* ut de fonte cognitionis novae et verae. Sed huiusmodi universale, seu conceptus sunt solummodo quasi elementa in nostra cognitione intellectuali; perfecta enim veritas non possidetur nisi in iudicio, perfecto actu in toto cognitionis processu, quod *universale complexum* dicitur. Quare haec iudicia universalia participant et plene complent problemata hucusque circa universale incomplexum proposita.

Iudicium enim potest esse *singulare,* et nititur generatim immediate in ipsa experientia, et *universale* et *necessarium,* quod ex sola experientia non potest iustificari. Undenam igitur suam vim eruit? Estne verum etiam quoad universalitatem et necessitatem quam affirmat? Cumque omnes scientiae tandem his iudiciis universalibus constare debeant, ipsorum iustificatio erit etiam iustificatio scientiae strictae talis.

Illa vero universalia iudicia possunt esse *immediata* et *mediata.* Prima immediate sine ullo nempe discursu vera esse constat. De his igitur sat dictum est in prima parte[1].

Haec vero iudicia immediata solummodo illas relationes maxime simplices et obvias connexiones rerum nobis offerunt. Sed ad conceptus magis determinatos rerum realium, praesertim stricte specificos, et ad leges stricte necessarias eruendas tantummodo longiori processu tum deductivo tum inductivo rationis pervenire possumus. Ita iudicia mediata obtinentur.

Debemus proinde ostendere quo pacto talia iudicia talesque processus scientifici revera sint fontes novae certaeque cognitionis.

[1] Vide n.135; cf. praeterea: FRICK, *Logica* n.272; URRÁBURU, *Inst. Phil.* 1 n.751.772; NABER, *Critica* p.276s, etc.

Duplex vero processus diversus munere ac difficultate, ad cognitionem universalis complexi obtinendam distinguitur: alius vocatur *deductio* ab universali ad minus, vel ad summum ad aeque universale, quod per accidens datur ratione materiae, alius vero *inductio* a particulari ad magis universale. In hac thesi agemus de primo, nempe de deductione, investigando quo sensu sit fons legitimus veritatis ac certitudinis.

583. Notiones. RATIOCINIUM SEU DISCURSUS, seu argumentatio, quae potius signum ratiocinii est habenda, "motum quemdam nominat. Omnis autem motus est de uno priori ad aliud posterius. Unde discursiva cognitio attenditur, secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum [2].

Unde illud quod prius est, est tale non solum tempore, sed etiam vel maxime natura, quia eius causa est. Itaque

584. RATIOCINIUM definitur illa mentis operatio per quam, instituta comparatione duarum idearum cum eadem tertia, cognoscitur illarum inter se identitas vel diversitas. Vel prout definitur ab ARISTOTELE: "Processus quo, positis quibusdam, aliud quid necessario sequitur, eo ipso quo stant priora" [3].

Ratiocinium dicitur *deductivum* si ex praemissis magis universalibus transitur ad consequens minus universale. In hoc vero ratiocinio deductivo triplex ordo apprehensionis distingui potest:

a) Apprehensio sive mediata sive immediata identitatis vel discrepantiae utriusque ideae cum idea termino medio significata.

b) Apprehensio immediata consequentiae; quae ideo debet esse immediata, ne processus in infinitum fiat.

c) Apprehensio immediata consequentis in ipsa apprehensione et propter ipsam apprehensionem consequentiae.

Iam antea egimus satis [4] 1) de elementis tum formalibus, tum materialibus ratiocinii deductivi; 2) de eius divisione, sed ratione potius formae, in categoricum et hypotheticum; 3) de utriusque figuris, cum principiis tum generalibus tum particularibus.

585. Divisio ratiocinii deductivi. Ex diverso fonte ex quo hauritur antecedens, dividitur in:

[2] S. TH. 1 q.58 a.3 ad 1.
[3] *Analyt. prior.* 1,1 (24b17): Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι.
[4] Cf. Tr.2 n.107s.

1. *Purum*, si utraque praemissa est analytica seu per se nota, vel ex per se notis iam deducta. Tale ratiocinium non dependet ab experientia, nisi quoad cognitionem terminorum.

2. *Empiricum*, si utraque praemissa est propositio ab experientia sola desumpta. Cum autem experientia nostra non attingat nisi concreta singularia, deductio autem requirat saltem alterutram praemissam universalem, ratiocinium empiricum non potest esse nisi vel syllogismus expositorius, cuius terminus medius est singularis, vel inductio completa, vel mera distributio propositionis universalis per inductionem completam cognitae. Iudicia autem synthetica universalia acquiruntur per inductionem incompletam, de qua postea. Et in hoc sensu, aliqui, ut Pesch [5], dicunt per hoc ratiocinium novam acquiri posse cognitionem.

3. *Mixtum*, si una praemissa sit experimentalis, alia vero analytica seu ab experientia independens.

586. Status quaestionis. Circa deductionem controversia sic se habet: conclusio certe aliquo modo debet contineri in praemissis; nunc vero, aut conclusio cognoscitur iam cum cognoscuntur praemissae, aut non cognoscitur; si primum nihil novi cognoscitur per talem processum, si vero alterum, quo iure affirmatur aliquid in praemissis, cum in conclusione detur aliquis casus particularis eiusdem rei affirmatae in praemissis? Ergo aut deductio gignit novam cognitionem sed mere probabilem, aut gignit certam, sed non novam. Quomodo igitur potest esse genuinus fons veritatis et certitudinis?

587. Sententiae. *Prima* in genere non negat absolute deductionem et omnem syllogismum esse utilem, vel legitimum; concedit enim aptum esse ad cognitiones iam aliunde acquisitas sive confirmandas, sive illustrandas, sive aliis communicandas; negat vero talem processum esse aptum ad cognitionem nostram extendendam, nisi illegitimus evadat, sola enim inductio ad talem finem praestat. Hanc tenent sententiam:

1. *Antiqui sceptici*, quorum difficultates PLATO in *Menone* exponit, et ut iisdem satisfaciat suum idealismum innatisticum proponit. Easdem difficultates SEXTUS EMPIRICUS repetit fere eadem vi ac postea STUART MILL.

2. BACO DE VERULAMO in suo opere "Instauratio Magna"

[5] Cf. n.681, *Inst. Logicae et Ont.* [2].

contendit syllogismum nullius esse valoris pro scientiis, quamvis ad usum vitae quotidianae sit utilis.

3. CARTESIUS pari modo syllogismo irridetur [6]. Ita etiam PETRUS RAMUS, LUTHERUS, etc.

4. COMTE, STUART MILL, SPENCER, omnesque positivistae atque empiristae non admittunt ratiocinium deductivum, quia falsum habent conceptum de ideis universalibus. "Cognoscere universaliter, iuxta illos, est cognoscere omne individuum in particulari, non secundum comprehensionem, sed secundum extensionem". Negant radicalem differentiam inter intellectum et sensum.

5. KANT cum suis asseclis et affinibus, SCHLEIERMACHER, BENEKE...

6. *Exsistentialismus* etiam negat omnem valorem ratiocinii metaphysici [7]. Et in genere omnes qui valorem mentis ad veritatem assequendam infitiantur, ut *traditionalistae,* etc.

Secunda sententia, quae est omnino certa et in thesi defenditur affirmat ratiocinium esse aptum natura sua ad gignendam novam et certam cognitionem; sed non dicit omnem syllogismum id praestare debere, saltem quoad novitatem cognitionis; quia sunt multi casus, in quibus conclusio formaliter continetur in maiori tum comprehensive, v. c. homo est animal, ergo est substantia; tum extensive, cum nempe maior est totalisatio casuum, quorum unus in conclusione exhibetur. Sed sunt plurimi casus in quibus conclusio solum virtualiter continetur in praemissis, et tunc certe syllogismus nobis novam et certam cognitionem praebet, v. c. effectus in causa virtualiter continetur; sed cum cognoscimus causam non adhuc cognoscimus effectum; at nova operatione cognoscere possumus, i. e. possumus novam et veram habere cognitionem.

588. Probatur thesis. 1. (*Ex refutatione argumenti S.Mill in suo opere "A system of logic..."*) Ita procedit: Omnis homo est mortalis; *atqui* dux Wellington est homo; *ergo* est mortalis. Et obicit ipse: cum profero maiorem, vel scio veritatem conclusionis vel nescio. Si primum inutilis est processus; si alterum illegitime proponitur maior cum illa generalitate; *ergo* processus ad novam et certam cognitionem non valet.

Sed facile respondetur: obiectio in ordine extensionis ha-

[6] Cf. *Règles pour la direction de l'esprit* rég.10 n.65.
[7] Cf. *Encycl. "Humani generis"*: AAS 42 p.574.

bet vim, nempe si illa generalisatio esset mera totalisatio omnium casuum particularium; tunc enim procul dubio non possem affirmare cum plena generalitate omnes homines esse mortales, dum expresse non scirem ducem Wellington esse mortalem; sed in ordine comprehensionis nullam habet vim, nam maior non est mere summa experientiarum, sed pro ipsa natura specifica ponitur.

589. 2. (*Ex experientia scientifica.*) In plurimis scientiis innumerae veritates inventae sunt, in dies vero novae inveniuntur per processum deductivum et quidem cum plena securitate; *ergo* deductio est natura sua apta ad gignendam novam et certam veritatem.

Antecedens illustratur exemplis:

a) *Ex scientiis theoreticis,* v. c.: in mathesi, geometria, ubi semper ex paucis principiis per se notis, vel ex aliquibus postulatis ut validis admissis ingens ambitus propositionum inter se analytice connexarum deducitur, quas certe nondum scio, eo ipso quod ipsa principia perspexi, v. c. qui scit axiomata EUCLIDIS nondum scit totam geometriam euclidianam.

b) *Ex scientiis applicatis,* v. c.: innumerae applicationes principiorum, legum, etc. metaphysicae generalis, actus et potentiae v. c. ad campos cosmologiae, psychologiae, etc. ubi per meram deductionem innumerae novae inveniuntur certae veritates. Habes perspicuum exemplum in tota theodicea.

590. 3. (*Ex notione fontis veritatis.*) Ad fontem novae et certae cognitionis tria requiruntur: nempe ut sit medium cognoscendi veritatem novam; et medium cum veritate necessario connexum; et ut haec connexio necessaria medii cum veritate menti clare appareat; *atqui* haec omnia in ratiocinio dantur; *ergo* rationicium est fons certae et novae cognitionis.

Probatur minor per partes: A. Acquiritur nova cognitio: a) *Ratiocinium purum:* 1. Veritates immediate evidentes subordinat veritatibus altioribus, atque ita novam gignit notitiam, nimirum, dependentiae et ordinis veritatum inter se. 2. Detegit relationes inter veritates illas, quae per se immediate seu sola analysi seu comparatione idearum duarum nobis non patent, v. c. conclusiones metaphysicae purae.

b) *Ratiocinium empiricum;* in hoc ratiocinio solum quatenus applicat principia synthetica, cognita inductione, sive ad individua, sive ad species, et sic, cognita natura cuiusdam

obiecti, deducit eius qualitates, potentias, proprietates, etc., licet harum non fuerit habita cognitio experimentalis.

c) *Ratiocinium mixtum*: 1. Experimentales cognitiones subordinat principiis analyticis. 2. Detegit inter obiecta experientiae eas relationes, quas sola experientia detegere non potest, quatenus applicat obiectis eas relationes, quas inter ideas esse cognoscuntur, v. c. conclusiones mathesis applicatae[3]. Ex experientia rite adhibita colligit leges universales, sive physicas sive morales, v. c. ex effectibus deducit exsistentiam causae.

B. *Ratiocinium est medium cum veritate connexum,* i.e. ex praemissis veris necessario sequitur veritas. Haec pars demonstrari nequit, nam demonstranda esset ope alicuius ratiocinii, ideoque iam infallibilitas ratiocinii supponenda esset, et ita daretur clara petitio principii. Sed neque indiget demonstratione, sed sola declaratione: ex natura enim ratiocinii apparet evidenter non posse nisi veritatem deduci ex praemissis veris; et quoniam conclusio in praemissis iam erat velut clausa, nihil fit postea nisi ipsam quasi manifestare.

C. *Necessaria connexio medii cum veritate certo cognosci potest.* 1. Praemissas esse veras certo cognosci potest ex illis veritatis fontibus unde desumptae sint. Sed si praemissae non immediate, sed mediate tantum evidentes sunt, veritas earum patet per resolutionem ad primas veritates immediate evidentes, in quibus tandem sistendum est.

2. Ratiocinium esse legitimum, i. e. rectum, certo cognosci potest ex sola attentione mentis ad formam ratiocinii, praesertim ad eius principium fundamentale, nempe principium identitatis et discrepantiae cum tertio.

591. Obiectiones[8]. 1. Qui ratiocinio aliquid inquirit vel iam scit illud quod quaerit, vel nescit; *atqui* si scit non opus est ut inquirat, si vero nescit frustra quaerit, nam etiamsi illud inveniat, ignorabit se invenisse quod quaerebat; *ergo* ratiocinium non est fons cognitionis. (Ita dilemma Platonis in Menone[9].)

Ad mai.: Do tertium, aut scio virtualiter, non autem formaliter.

2. Sed conclusio ante ratiocinium cognoscitur formaliter. Nam ab illo cognoscitur formaliter conclusio ante ratiocinium, qui interrogatus ad omnia respondet sine haesitatione; *atqui* etiam puer vel rudis interrogati per seriem convenienter ordinatam de rebus, quas nunquam didicerunt, sine haesitatione et recte respondent; *ergo* conclusio cognoscitur formaliter ante ratiocinium.

[8] Cf. praeterea P. GENY, n.401; NABER, *Critica* p.297.
[9] Vide ARISTOTELEM, *Analyt. post.* 1,1 (71a29).

Dist. mai.: Ab illo conclusio formaliter cognoscitur, qui interrogatus de propositionibus mediatis bene respondet, *conc.*; qui interrogatus de propositionibus immediatis, *subdist.*: videt veritatem statim ac termini proponuntur, *nego;* qui antea videbat, *conc.*

592. 3. Finis debet cognosci ante media; *atqui* conclusio habet rationem finis, ratiocinium autem medii; *ergo* conclusio debet cognosci ante ratiocinium[10].

Dist. mai.: Finis debet cognosci ante media quantum sufficit ad ipsa media eligenda, *conc.*; perfecte debet cognosci, *nego.*

4. Cum profers maiorem, aut scis conclusionem esse veram aut nescis; *atqui* si prius processus est inutilis; si vero posterius, processus est illegitimus; *ergo.* (Ita St. Mill[11].)

Ad mai.: Do tertium aut scio virtualiter non autem formaliter.

593. 5. Sed debet sciri formaliter. Nam scire hominem esse mortalem est scire formaliter Petrum et Ioannem et ducem Wellington esse mortales; *ergo* debet sciri formaliter ante conclusionem ducem Wellington esse mortalem; quare totus processus deductivus est inutilis.

Nego antec., quod supponit totam falsam doctrinam nominalisticam.

6. Ambae praemissae simul sumptae continent formaliter conclusionem; *atqui* ambae praemissae debent cognosci ante conclusionem; *ergo* ante conclusionem cognosco iam ipsam formaliter.

Dist. mai.: Continent et eam manifestant, quando in sua relatione mutua cognoscuntur, *conc.*; antea, *nego. Contradist. min.*: debent antea cognosci in sua relatione mutua, *nego;* separatim debent antea cognosci, *conc.*

594. 7. Ut deductio daret conclusionem certam, omnes regulae dialecticae demonstrandae essent; *atqui* non demonstrarentur nisi per ipsam deductionem; *ergo* sine petitione principii non potest certo constare de veritate conclusionis.

Dist. mai.: Ut deductio det conclusionem certam, regulae deductionis aliquo modo per logicam naturalem et per evidentiam quasi immediatam ut certa cognoscendae sunt, *conc.*; stricta demonstratione omnes demonstrandae sunt, *subdist.*: ita ut valor deductionis in genere non antea cognoscatur, *nego;* ita ut in quibusdam casibus subtilioribus non prius habeatur certitudo scientifica, sed tantum naturalis, attamen formalis, *conc.*

---

[10] Ita SEXTUS EMPIR., *Instit. Pyrrhon.* 2,13.
[11] Cf. *A System of Logic rationative and inductive* 1.2 c.3.

ARTICULUS II

DE RATIOCINIO INDUCTIVO

Thesis 34. Item ratiocinium inductivum seu inductio novae et certae cognitionis pro scientiis, maxime naturalibus, fons est uberrimus.

ARISTOTELES, *Top.* 1,12 (105a13) et alibi; SCOTUS, *In 1 dist.* 3 q.4 n.9; F. BACON, *Novum organum scientiarum* (est versio hispana); J. ST. MILL, *A System of logic rationative and inductive;* S. VANNI-ROVIGHI, *Concezione aristotelico-tomista e concezione moderna dell'induzione:* RivFilNeo (1934) 518-539; P. SIWEK, *La structure logique de l'induction:* Greg (1936) 224-253; ID., *Sulla legittimità dell'induzione:* Sophia 5 (1947) 366-367; MERCIER, *Lógica* p.3.ª c.1 a.2; S. P. GUILLE, *El razonamiento inductivo* (Barcelona); A. LALANDE, *Les theories de l'induction et de l'experimentation* (Paris 1929; est versio hispana a J. FERRATER MORA, Buenos Aires 1945); J. LACHELIER, *Le fondement de l'induction* (Paris 1924); J. ZARAGÜETA, *El proceso de la inducción:* Theoria 2 (1952).

595. Nexus et momentum quaestionis ut in thesi praecedenti.

Notiones. INDUCTIO est ille processus rationis, quo ex veritate minus universali ad veritatem magis universalem ipsa mens devenit; secundum Aristotelem: "a singulis ad universale progressus" [1].

596. Divisio inductionis. Potest esse:

a) *Completa* est illa, qua de subiecto universali infertur id quod de omnibus ac singulis suis inferioribus singillatim per experientiam cognovimus. Cum igitur sit mera totalitas singularum experientiarum non permittit extendere conclusionem ad omnem casum possibilem. Non igitur habet ullam utilitatem scientificam, sed solum paedagogicam.

b) *Incompleta* est illa quae ex aliquibus examinatis seu intellectis concludit universalitatem quoad omnes casus etiam possibiles eiusdem speciei seu classis. Haec iterum potest esse: 1) *perfecta seu sufficiens,* si conclusionem universalem certam gignit, et 2) *imperfecta seu insufficiens,* si solummodo probabilem gignit conclusionem.

Inductio incompleta sufficiens est unica vere scientifica, de qua proinde in thesi.

---

[1] Lib.1 *Topic* c.12 (105a13): Ἐπαγογὴ ἡ ἀπὸ τῶν καθ'ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος.

597. Ad huiusmodi inductionem recte conficiendam duo requiruntur: a) *aliqua adiumenta methodologica;* b) *quaedam principia metaphysica.*

a) *Adiumenta methodologica.* Cum usus inductionis scientificae tanti sit momenti, mirum non est quod etiam multum de quaestione methodologica agatur, maxime recentiori tempore, quo scientiae naturales et positivae tanta alacritate excoluntur.

Haec vero adiumenta methodologica ad duo genera reduci possunt: 1) *ad observationem,* quae in eo est quod investigetur factum aliquod determinatum ubicumque sponte in eventibus naturalibus occurrat, ita ut detur factum in adiunctis quam plurimis et diversissimis. Dein comparat et eliminat accidentalia et fortuita, ut solum retineat ea quae semper et ubique adesse videntur. Hac via multa, sed non omnia discere possumus, eo quod debemus spectare, donec naturae placeat nostris interrogationibus ulterius respondere. Haec methodus maxime viget in Astronomia, ideoque *observatoria* dicuntur loca huic scientiae destinata; 2) *ad experimentum,* quod in eo est, ut propria industria factum producatur, ut pro lubitu possimus variare adiuncta. Nos habemus magis active, ideoque *laboratoria* dicuntur loca ubi haec experimenta perficiuntur. Iam vero ut experimenta rite instituantur, methodi quaedam a Bacone propositae postea a Stuart Mill perpolitae sunt. Hae quattuor numerantur:

598. *Methodus concordantiae*: omnibus antecedentibus alicuius facti variatis, uno excepto, si tamen eventus eodem modo datur, tunc ab hoc uno antecedente invariato illum factum dependere, eruendum est. Hanc methodum vocat Baco "Tabulam praesentiae". Et principium eius est "posita causa, ponitur effectus".

Methodus discrepantiae seu differentiae: si casus in quibus aliquod factum producitur, et casus in quibus non producitur tantum uno antecedente differant, ab hoc unico antecedente illud factum dependet. Quam methodum vocat Baco "Tabulam absentiae" seu processum per exclusiones et reiectiones debitas. Nititur in principio "sublata causa, tollitur effectus".

Methodus residuorum, quae ab anterioribus aliquo modo dependet: si tollitur in aliquo facto illa pars eventus, quae ad determinata antecedentia pertinent, quod restat (seu resi-

dua) ad alia antecedentia tribuenda sunt. Debemus igitur iam scire per antecedentes inductiones illas priores partes determinatis antecedentibus convenire.

Methodus variationum concomitantium: aliquando quaedam antecedentia sunt omnino necessaria et semper dantur; tunc nulla ex anterioribus methodis est possibilis, et haec sola forsitan adhiberi possit: si per gradus variatur aliquod antecedens et per ipsos gradus variatur aliquis eventus tunc possumus affirmare ab illo antecedente causaliter pendere illum eventum. Hanc methodum vocavit Baco "Tabulas graduum, seu comparativas".

Methodus composita denique ex aliquibus praecedentibus maiorem securitatem et certitudinem nobis praebere potest; non enim in scientiis et eius experimentis eadem obtinetur securitas et consequenter certitudo. Haec omnia applicari possunt ad experimenta quibus PASTEUR invenit impossibilem esse generationem spontaneam viventium [2].

599. b) *Principia metaphysica,* quae ad inductionem requiruntur ut iustificetur processus inductivus, sunt haec:

Principium rationis sufficientis: "Nihil est sine ratione sufficienti." *Principium causalitatis*: "Quidquid contingenter exsistit habet causam sui efficientem." Denique *principium constantiae naturae*: "Eadem causa necessaria in iisdem adiunctis eosdem producit effectus." Hoc ultimum principium etiam dicitur *principium causalitatis physicum.* Principia rationis sufficientis et causalitatis satis explicata manent in prima parte criticae, ut immediate vera, certa et absoluta. Relate vero ad principium causalitatis physicum, in determinando eius valore quaedam datur controversia. Ut patet empiristae affirmant aut admittendum esse ex mera necessitate subiectiva, aut esse postulatum aliquod sine demonstratione admissum, aut denique ex alia praecedente inductione necessario hauriri, quare circulum vitiosum continet. Solutio scholasticorum supponit tale principium esse quoddam corollarium principii causalitatis. Tamen DE VRIES [3] distinguit ita: si sumitur principium abstracte, est immediate evidens; si vero concrete ut lex naturae in aliquo particulari casu exsistente de facto, dependet ab aliqua inductione praescientifica, cuius valor tandem a principio causalitatis pendet. Davila [4] denique sic bre-

[2] Vide apud MERCIER, *Logica* p.3.ª c.1 a.2.
[3] *Critica* n.205.
[4] *Critica* n.157.

viter quaestionem solvit: "Immediate evidens est quod si dantur aliqua entia pure materialia ac proinde libertate carentia, eorum activitatem ex natura talium entium determinatam esse ad unum; sed quod de facto huiusmodi entia dentur tantum potest constare a posteriori, ex quadam inductione fundata in principio causalitatis. Unde tandem hoc etiam principium ut lex naturae concrete sumptae fundatur in aliquo principio immediate evidente."

Tandem forsitan dici possit quod de facto talia entia dentur posse constare immediate tum ex experientia externa, tum maxime ex propria interna experientia, in qua patet nos etiam si in aliquibus actibus cuiusdam speciei experiamur nostram libertatem, in multis aliis alius speciei nos videmus determinatos necessario ad unum.

600. De momento inductionis in scientiis. a) *In genere*: in omnibus scientiis realibus-empiricis, partes longe maiores tenet inductio, tum in scientiis stricte *naturalibus*, tum etiam in scientiis *spiritus seu moralibus*. Inde patet magnum momentum iustificationis huius processus fundamentalis ad has omnes scientias.

b) *In specie*: Ope inductionis acquirimus: 1. *Cognitionem legum naturalium universalium*, quae nihil aliud sunt nisi illae formulae, quibus enuntiantur modi constantes sese habendi et agendi rerum naturalium, et ipsarum naturarum ad invicem relationes constantes et regulares experientia cognitae. Quae possunt esse vel mere empiricae, v. c. lex prima Kleperiana de motu siderum; vel stricte causales, v. c. lex gravitationis universalis, quae causam indicat motuum siderum, pendulorum, etc.

2. *Conceptus rerum essentiales*. Mera enim abstractione acquirimus conceptus essentiales vulgares, illas nempe notas plus minusve obvias, quae sufficienter distinguunt unam rem ab alia, quae est essentia lato sensu. Per inductionem vero, efformamus conceptus essentiales stricte tales, illos nempe quibus exprimuntur notae vel stricte constitutivae, et dicitur essentia strictissimo sensu, vel saltem consecutivae essentiarum ipsarum rerum, et est essentia stricto sensu.

601. Status quaestionis. Controversia est de inductione incompleta perfecta, in qua aliqua difficultas non parva latet; videtur enim ex ipsa sua essentia contra aliquam le-

gem generalem syllogismi peccare: "Ne conclusio latius pateat quam praemissae", et quidem sub duplici respectu:

a) *ratione quantitatis,* quia de omnibus dico, quod in aliquibus observavi,

b) *ratione qualitatis seu modi,* quia quod tantum de facto vidi, hoc in conclusione per modum legis seu de iure assero.

Quaeritur proinde quo pacto illa inductio incompleta, quae dicitur perfecta, legitimus fons veritatis et certitudinis esse possit.

602. Sententiae. Cum haec quaestio intime dependeat a quaestione de universalibus, fere hic sententiae ibi propositae repetuntur.

Prima sententia negat inductione certitudinem acquiri, et solam probabilitatem admittit; sunt tendentiae nominalisticae. Ita

a) Puri *empiristae-positivistae,* ut A. COMTE, D. HUME, S. MILL, H. TAINE, etc., qui cum non admittant conceptus universales quoad comprehensionem, tantum e particulari ad particulare concludere licere, affirmare coguntur.

b) Qui inductionem ad calculum probabilitatis revocant, ut F. BRENTANO (1838-1917) et alii theoriam LEIBNIZII et LAPLACE resumentes. Dicunt enim paulatim crescente numero experimentorum nos habituros summam probabilitatem, ita ut practice contrarium negligere possimus.

Secunda sententia tribuit inductioni certitudinem, sed male eius naturam explicat:

a) *Pragmatistae,* qui ut inductionem explicent recurrunt ad aliquem conventionalismum. Observo, inquiunt, tot casus in quibus semper A sequitur post tale antecedens; instituamus igitur vocare S unice ea individua, quae revera illam notam A ostendant. Sed ut patet talis processus est inutilis ad scientiam, quia est quaedam inductio completa.

b) *Conceptualismus* KANTII et asseclarum [5] eius, qui necessitatem legum naturae exaggerant. Huiusmodi enim leges sunt, iuxta ipsos, productum mentis agentis per formas a priori sibi inditas, quae absoluta necessitate et universalitate gaudent, et legibus communicant; quare exceptio in ipsis, i. e. miraculum, est absolute impossibile.

[5] Cf. LACHELIER, *Du fondement de l'induction* (Paris 1871).

c) *Realistae exaggerati,* ut vocari possunt [6], iuxta quos inductio est transitus quidam ad infinitum, mysteriosus, at securus, ita ut ad eum tandem omnis processus vere extensivus cognitionis reduci debeat. Ita A. GRATRY [7] (1802-1872), qui inductionem ad transitum ad limitem, qualis fit in mathesi, reducit; hunc autem transitum putat, licet sit rationi impervius, ex sua tamen foecunditate sese nobis ut validum imponere. Hic etiam nominandi veniunt omnes qui ad instinctum naturae provocant, ut T. REID. In sola experientia hanc certitudinem fundat P. GALLUPPI [8].

Tertia sententia tenet inductionem veram certitudinem, et quidem obiectivam et necessariam seu universalem veritatem gignere. Inter asseclas huius sententiae quaedam datur disparitas; aliqui, ut FRICK, GENY, etc., reducunt illam ad processum deductivum; multi vero moderni scholastici existimant eatenus illam esse novam aliquam et propriam viam inveniendae veritatis, quatenus nova in ipsa datur specialis difficultas, scilicet quo iure logico aliqua proprietas pluries observata dicatur pertinere ad aliquam determinatam naturam. Etenim ex tractatu de universalibus constat tantum in genere dari naturas, scilicet typos fixos in essendo et agendo stabiles, sed nondum scimus concrete utrum haec vel illa proprietas ad talem naturam pertineat. Quare logice explicare oportet quo iure ille transitus fiat.

603. Iuxta hanc explicationem tria quasi stadia distingui possunt in processu inductivo:

1. *Stadium empiricum, seu observationis:* ope methodorum inductionis constans ac regularis connexio inter tale antecedens et tale consequens, vel inter talem notam et talem classem rerum statuitur prout de lege aut de essentia stabilienda agatur.

2. *Stadium intellectivum, seu explicationis:* ope intellectivae reflexionis quaerimus huius observatae constantiae rationem realem sufficientem et ostendimus eam sitam esse in connexione naturali vera huius notae vel modi agendi cum tali natura vel typo fixo essendi.

3. *Stadium extensivum seu generalisationis:* postquam vero constat hanc notam pertinere ad talem essentiam, vi

[6] Vide P. GENY, *Critica* n.407.
[7] Cf. eius opus *Logique* t.2 l.4 c.7 p.194-6 (Paris 1855).
[8] *Lezioni di Logica e di Metafisica* (Neap. 1832-6).

principii constantiae naturarum possumus inferre, quod ubicumque detur talis natura, talis etiam nota dabitur. Quare hoc stadium fere est deductio.

604. Probatur thesis. Regularitas et constantia alicuius processus valet certo pro omni eventu futuro possibili, si certo constat rationem eius sufficientem esse connexionem cum natura seu essentia; *atqui* ita saepissime constat; *ergo* saepe constabit certo de aliquo eventu et futuro processu vi rugularitatis et constantiae.

Maior: nulla in hac maiori difficultas adest, quia quaestio est quomodo logice illam regularitatem et constantiam, quam in paucis observavi, extendo ad omnes casus similes et possibiles; et haec praemissa respondet indicando condicionem sub qua huic quaestioni satisfit. Hoc igitur unice eruendum est, utrum determinata nota vel modus agendi pertineat ad determinatam naturam; postea enim faciliter extenditur ad singularia id quod de natura vel essentia inventum est. Quod ad minorem pertinet.

Minor: probatur triplici gressu:

1. *Ex experientia* per comprobationem factorum, quoad universalitatem (quod semper ita accidat), et quoad uniformitatem (praecise ad hunc unum effectum). Illa igitur experientia debet esse non nuda, sed *qualificata;* unde non multa, sed multum, i. e. casus specifice diversi examinandi sunt. Hic labor et investigatoris sagacitas, quae saepe relucet in processibus longioribus per quos moderni investigatores in legibus stabiliendis procedunt.

2. *Examine et comprobatione factorum*: nam *a*) haec constantia debet habere rationem sufficientem sui, et quidem non in solis adiunctis, quia haec omnia mutata sunt, neque in accidentalibus, quia haec ex sua notione non semper dantur, sed *b*) in ipsa natura fixa, determinata et constante; ita ut quod in aliquibus observavi valeat semper et pro omnibus.

3. *Deductione:* stabilita connexione huius facti cum tali natura facile infertur, quod ubicumque detur talis natura dabitur et ille determinatus effectus.

605. Scholion. *De relatione inter ratiocinium deductivum et inductivum* [9]. Iam primo aspectu ex ipsis notionibus

[9] Cf. NABER, *Critica* p.309; TONQUÉDEC, *La Critique de la Connaissance* p.249 s.264s.

apparet manifesta differentia deductionem inter et inductionem. Sed quaeri potest utrum inductio ad deductionem reduci possit, ut plurimi facere solent. Ad hoc haec prae oculis habenda sunt:

1. *Processus inductivus,* quatenus non est subsumptio alicuius particularis casus vel legis sub aliquo casu vel lege generali videtur essentialiter diversus et ideo irreductibilis ad deductionem.

2. Tamen *intime cum deductione cohaeret,* quatenus tota eius vis in illis principiis immediatis nititur, quae illum processum ad conceptum vel legem generalem efformandam dirigunt; certe illa principia sunt quasi lumina mentis, non vero principia ex quibus illi conceptus vel leges universales hauriantur.

3. Rectius proinde *intima essentia processus inductivi diceretur intuitivo-abstractiva,* nam "lex universalis" non deducitur ex singularibus, sed potius in ipsis legitur et quidem immediate; certe diuturnus labor est necessarius, ut mens viam sibi paratam ad talem intellectionem immediatam inveniat, qui labor pendet et augetur difficultate experientiarum.

606. Obiectiones [10]. 1. Quod faciunt pueri et bruta animalia non habet valorem verae et formalis certitudinis; *atqui* inductionem faciunt, v.c. posteaquam, admoto corpore ad ignem dolorem passa sunt, ab igne cavent; *ergo* inductio non habet valorem verae et formalis certitudinis.

Trans. maior. Dist. min.: Faciunt inductiones stricte tales, *nego;* faciunt processus sensitivos imitantes inductionem, qui processus vocari possunt inductiones instinctivae, *conc. Pariter dist. cons.*

2. Quod constantia observationum in nobis persuasionem firmissimam fundet futurum praeterito simile fore potest per processus mere experimentales explicari; *atqui* hoc solum praestat inductio; *ergo* inductio potest explicari per processus mere experimentales. Ita fere Hume.

Dist. mai.: Potest explicari persuasio mere subiectiva sine valido motivo certitudinis formalis, *conc.*; ob validum motivum, *nego. Contradist. min.*

607. 3. Sed talis persuasio est sine motivo valido. Nam quidquid est contingens et mutabile natura sua nequit dare veram certitudinem; *atqui* leges naturae sunt contingentes et mutabiles natura sua; *ergo* nequeunt dare veram certitudinem.

Dist. mai.: Quidquid est contingens et mutabile tum absolute, tum in ordine praesente, nequit dare veram certitudinem, *conc.*; absolute sed non in ordine praesente, *subdist.*: nequit dare veram certitudi-

[10] Cf. Geny, *Critica* n.415; Dávila, *Critica* n.162; Naber, *Critica* p.313.

nem absolutam, *conc.*; relativam seu physicam, *nego. Contradist. min.*

4. In processu inductionis datur transitus illegitimus a particularibus ad universale. Nam ex ipsa notione inductionis constat esse processum, quo ex propositionibus particularibus enuntiantibus singula experimenta, deducitur lex generalis; *atqui* in hoc datur transitus illegitimus a particularibus ad universale; *ergo* in processu inductivo transitus illegitimus a particularibus ad universale datur.

Dist. mai.: Processus inductivus est transitus ex solis propositionibus enuntiantibus casus particulares ad legem universalem, *nego;* praeterea involvit propositionem enuntiantem regularitatem et constantiam factorum et propositionem enuntiantem rationem sufficientem talis regularitatis et constantiae, *conc. Contradist. min.*

608. 5. In inductione committitur petitio principii; *ergo* est illegitima.

Probo antec.: Ex dictis videtur exsistentia naturarum secundum genera et species hierarchice ordinatarum, ipsa inductione colligi; *atqui* talis processus, uti descriptus est, naturas iam exsistere supponit; *ergo* essentialiter in ipso committitur petitio principii.

Dist. mai.: Ipsa inductione colligitur exsistentia naturae in concreto, i.e. deciditur quaestio, utrum haec determinata nota ad hanc naturam pertineat, *trans.*; naturae in genere, uti dicit merum, fixum et determinatum typum essendi, *nego. Contradist. min.* Diximus *trans.* quia aliqui auctores ut De Vries, Dávila[11], contendunt nos cognoscere determinationem naturae immediate per experientiam, vel per quamdam inductionem praescientificam.

6. Inductio non gignit cognitionem obiective certam. Nam leges inductione cognitae, et idem valet de naturis et classificationibus, postea ut falsae saepius deteguntur; *atqui* hoc factum impedit quominus nos certo aliquid in tali simili processu affirmemus; *ergo* inductio nequit gignere cognitionem obiective certam.

Dist. mai.: Falsae deteguntur forte hypotheses vel theoriae quae ad facta explicanda fuerunt propositae, *conc.*; ipsae leges per legitimam inductionem inventae, *subdist.*; forte inveniuntur minus exactae in sua expositione seu formula, quia aliqua circumstantia non satis notata fuerit, *conc.*; deteguntur ex integro falsae, *nego.*

609. 7. In legibus statisticis casus non potest excludi cum omni certitudine; *atqui* huiusmodi leges obtinentur ope inductionis; *ergo* inductio certitudinem gignere non potest.

Dist. mai.: Et huiusmodi casus immutat valorem medium, sed constantem et consequenter certum legis statisticae, *nego;* facit ut factum concretum aliquando non eveniat, quod est de essentia ipsius legis statisticae, *conc. Conc. min. Pariter dist. cons.*: si ille casus mutaret etiam valorem medium legis, inductio non gigneret certitudinem, *conc.*; ex hoc casu sequitur inductionem nunquam posse gignere certitudinem, *nego.*

---

[11] Vide loca antea citata.

CAPUT IV

De fonte externo veritatis seu de testimonio historico humano.

Thesis 35. Testimonium historicum humanum sive ore prolatum sive litteris consignatum sub quibusdam condicionibus est legitimus fons cognitionis verae et certae.

PESCH-FRICK, *Logica* n.708s; NABER, *Theoria cognitionis critica* p.393; DÁVILA, *Critica* n.164; URRÁBURU, *Inst. phil.* 1 n.123; M. GARCÍA MORENTE, *La idea de la historia*[3] (Madrid 1947). Consulendi praterea sunt auctores methodologiae criticae historicae in scholio citandi.

610. Nexus et momentum quaestionis. Vidimus hucusque hominem ope immediatae suae experientiae, reflexionis intellectualis et rationis circa data experientiae novas certasque veritates invenire posse. Attamen multa dantur praesertim facta historica, quae non ita immediate attingi possunt, cum nostra experientia restringatur ad breve tempus vitae nostrae, et insuper unoquoque momento huius vitae ad ambitum spatialem valde limitatum, quem sensus nostri percipere possunt.

Homo vero, cum essentialiter sociabilis sit et de facto membrum diversarum societatum, inde plurima nova cognoscit, quae si rationabiliter admittere vult non sine reflexione et examine admittere debet; scilicet plenam historiam illorum eventuum, cuius mediatam tantum notitiam habet, cognoscere debet.

Opus igitur est, ut scientifice procedatur, hunc novum fontem veritatis examini subicere, ut appareat an legitimus sit, et sub quibusdam condicionibus intellectui fundamentum rationale ad iudicia certa ponenda praebeat.

611. Notiones. TESTIS in genere dicitur ille qui propriam cognitionem alteri manifestat ut veram. Potest vero esse:

Mediatus, ille nempe qui testatur aliquid, quod non ipse immediate cognovit, sed ab alio teste accepit.

Immediatus ille qui testatur quod ipse suis sensibus vel suo intellectu immediate cognovit. Dicitur oculatus, auritus,

et cetera, ex diversis modis cognoscendi rem, quamvis oculatus saepe ut immediatus, auritus ut mediatus habeatur.

612. TESTIMONIUM est actus quo testis manifestat alteri suam cognitionem ut veram. Potest esse:

a) *ratione testantis* ...	*divinum,* si persona testans est Deus. *humanum,* si persona testans est homo.
b) *ratione obiecti*	*dogmaticum,* cuius obiectum est doctrina. *historicum,* cuius obiectum est factum singulare, in primis externum.
c) *ratione medii*	*orale,* si voce factum communicetur. *scriptum,* si scripto factum communicetur. *signatum,* si monumentis, picturis, signis etc. communicetur.
d) *ratione originis* ...	*formale,* si ex intentione aliquid manifestandi procedit. *virtuale,* si praeter intentionem sui auctoris aliquid manifestandi, procedit, v. c. diarium privatum, residua archeologica.

613. FUNDAMENTUM TESTIMONII HUMANI, in quo huius certitudo innititur, sunt quaedam leges morales, i. e. quaedam dispositiones in ipsa natura fundatae ad agendum modo determinato, constanter et uniformiter, salva libertate humana. Inter has dispositiones praecipue notandae sunt hae:

1. Omnis homo natura sua tendit ad cognoscendam veritatem, praesertim si inde aliquid sperat aut timet. Inde homo posset definiri: "Animal naturaliter curiosum"[1].

2. Mendacium per se et naturaliter turpe habetur, neque homo mentitur, nisi in mendacio aliquam rationem boni apprehenderit. Inde: "Nemo gratis mendax."

614. AUCTORITAS TESTIS, hic sumitur sensu metaphorico, non proprio, et significat illam testis qualitatem, quae cognita nos inducit ad eius testimonium tanquam verum iudicandum, et propter quam testis habet ius ut ipsi credatur, quando aliquid serio affirmat. Haec vero auctoritas duplici elemento constat:

a) *scientia,* quae testis veritatem logicam curat, nempe conformitatem inter id quod in mente habet et obiectivam realitatem;

b) *veracitate,* quae veritatem moralem curat, conformi-

[1] Cf. ARIST., 1 *Metaph.* 1 (980a22); CIC., *De officiis* 1.1 c.6.

tatem nempe inter mentem eius et signa quae ad ipsam manifestandam adhibet. Breviter hae condiciones ita proponerentur: *si testis scit quod dicit, et dicit quod scit.*

615. Fides multiplici sensu hodie accipitur:

In sensu vulgari idem est ac quilibet assensus opinativus. sub influxu liberae voluntatis, v. c. cum dicimus: credo esse horam quartam;

In sensu postkantiano fides vocatur assensus certus, sed unice datus ob motiva ordinis practici, non ordinis theoretici [2];

In sensu nostro fides est actus rationalis, ad cuius positionem rationalem motiva aliqua theoretice sufficientia cognita requiruntur. Inde fides definitur: assensus mentis praestitus in veritatem propter auctoritatem testantis.

616. Divisio fidei. Dividitur vero in:

1. *Fidem simplicis auctoritatis,* in qua motivum assentiendi est ipsa mera auctoritas; et eius cognitio est tantum condicio. In hoc sensu ad assensum praestandum duo requiruntur: *a*) ut de facto testificationis constet; huc etiam pertinet cognoscere sensum testificationis; *b*) ut constet de ipsa auctoritate testis, i. e. quod revera ille habeat scientiam illius rei, quam communicat, et veritatem seu veracitatem, dum ipsam manifestat. Haec omnia iam praecognita, quoniam viam praeparant ad assensum fidei rationabiliter praestandum, dicuntur "praeambula fidei".

2. *Fidem intellectualem* seu *scientiam testimonialem,* quae habetur post propriam inquisitionem et perspicientiam circa ea quae testantur; hac autem de causa ratio logica assensus non est auctoritas testium et proinde *improprie dicitur fides.*

617. Status quaestionis. Thesis habet duas partes, quarum in prima agitur de testimonio ore prolato, in altera vero de testimonio scripto, et quidem in utroque casu de *testimonio humano,* non divino seu revelatione, de qua alibi, *et historico,* non doctrinali, circa facta externa patentia, et quidem *quoad substantiam facti,* non quoad circumstantias minutissimas. Extensio vero argumenti ad reliqua testimonia fa-

---

[2] Circa fidem sensu kantiano cf. Ollé Laprune, *De la certitude morale* c.4 p.2.ª.

citer fieri potest. Et quaeritur quo pacto et sub quibusdam circumstantiis tale testimonium legitimus fons certae cognitionis esse possit.

618. Sententiae. *Prima* est scepticismi historici, qui negat possibilitatem certae cognitionis historicae; ita v. c. AGRIPPA DE NETTESHEIM (1486-1535), LOCKE, HUME, PETRUS BAYLE[3] (1647-1706).

Secunda est idealismi historici, qui affirmat historiam non dare realitatem praeteritam, ut fuit, sed tantum ordinare indigestam molem factorum functionibus aprioristicis mentis. Ita G. SIMMEL (1858-1918), qui more kantiano de aliquo *apriori historico* loquitur, quod historiam per functiones syntheticas a priori explicaret; similiter procedit B. CROCE[4].

Tertia est *relativismi historici*, qui tenet historiam neque posse neque debere esse obiectivam, sed construere imagines temporis praeteriti secundum exigentias temporis praesentis. Ita v. c. W. DILTHEY (1833-1912), O. SPENGLER (1880-1936), F. NIETZSCHE (1844-1900).

Quarta denique *sententia, quae est nostra* et plane certa, dicitur *realismus historicus*, et affirmat historiam appetere debere et inter certos limites ac determinatas condiciones etiam consequi posse cognitionem realitatis historicae, sicut revera fuit.

619. Probatur thesis. I P. DE TESTIMONIO HISTORICO ORE PROLATO.

Ex testimonio historico humano ore prolato hauriri potest vera certitudo, si certo constat:

1. *De exsistentia testimonii*, i. e. *a*) de verbis testis, *b*) de significatione testimonii.

2. *De valore testimonii*, i. e. de eius nexu cum veritate ab alio cognita et cum ipsa re, quod duo includit: *a*) scientiam testis, i. e. illum posse dicere verum, et *b*) veracitatem testis, i. e. illum velle dicere verum; *atqui* de his condicionibus saepenumero certo constare potest; *ergo* per hoc testimonium saepe certitudo erui potest.

Maior: nam si haec omnia certo dantur, sciam etiam cer-

[3] In eius opere *Dictionaire historique et critique*.
[4] Cf. J. L. PINILLOS, *El idealismo histórico de Benedicto Croce:* RevFil 6 (1947) 495-505.

to excludi possibilitatem moralem falsitatis, cum habeam motivum, auctoritatem testis, connexum necessario cum veritate.

Minor prob. per partes:

1. *De exsistentia testimonii: a*) verba testis seu factum externum testificationis cum sit factum experientiae immediatae primitus ex sensuum testimonio nobis constare potest; *b*) significatio verborum per inductionem determinatur; nequit enim casu evenire, quod nos, audito vocabulo, semper et constanter eandem significationem eidem tribuamus. Hoc revera aliter explicari non potest nisi eo quod significatio a nobis supposita coincidat cum significatione a loquente intenta.

2. *De valore testimonii:* a) *scientia testis* pendet a capacitate eiusdem rectae observationis et fidelis retentionis, quae in omnibus hominibus normalibus supponitur, saltem quoad obiecta et facta in quibus nulla est specialis difficultas. Praeterea signa minus sanae mentis sufficienter inductione colliguntur; b) *veracitas vel veriloquium* testis etiam constare potest, quia non obstante libertate physica, veracitas ex inductione constat; omnes enim homines ex habitu acquisito ex una parte, et ex innata inclinatione ex alia in multis rebus constanter eodem modo procedunt; *ergo* datur aliqua lex, secundum quam ex necessitate aliqua agunt, ex necessitate nempe morali; *ergo* talis necessitas moralis etiam quoad verum manifestandum haberi potest.

Praeterea possumus *ex experientia* cognoscere: 1) hunc hominem constanter esse honestum et veracem; 2) testem ex mendacio nullam utilitatem sperare posse, immo maximum damnum temporale, et aliquando mortem, ut accidit apostolis in testificatione evangelii.

Tandem notandum est, cum testes sunt inter se independentes et datur *plena convergentia* in suo testimonio, certo sciri posse hanc convergentiam non ex casu, sed tantum ex veritate rei affirmatae promanare posse. Sed in huiusmodi casu non stricta certitudo moralis ex fide simplicis auctoritatis, sed certitudo reductive metaphysica ex fide simplicis intelligentiae habetur.

620. II P. DE TESTIMONIO SCRIPTO.

Testimonium scriptum veram certitudinem gignit, si constat:

1) *de authentia, integritate et vero sensu testimonii,* scilicet quid quis scripserit;

2) *de scriptoris auctoritate,* i. e. de eius scientia et veracitate; *atqui* de his omnibus constare potest et saepe certissime constat; *ergo* testimonium scriptum saepe certitudinem veram gignit.

Maior patet:

Minor probatur per partes: Integritas constat, si probatur librum non esse nec mutilatum, i. e. demptibus partibus, nec interpolatum, i. e. additis et in textum interpositis partibus, nec mutatum.

Authentia et genuinitas constat, si probatur librum esse illius auctoris cui adscribitur, vel saltem illius aetatis cui attribuitur; *atqui* de multis libris, etsi antiquis, habetur:

1) testimonium vel testimonia quibus liber ad eundem auctorem constanter refertur;

2) series testimoniorum non interrupta, vel usque ad testes graves et tam propinquos auctori ut facillime de authentia constare possit;

3) dantur praeterea versiones plures et inter se independentes.

Quae omnia si congruant sane certitudinem praebent de authentia et integritate testimonii.

Ad sensum testimonii requiritur:

1) cognitio accurata linguae scriptoris;

2) cognitio legum, consuetudinum, morum, etc., illorum temporum ad quae liber pertinet; *atqui* haec omnia iuvamine philologiae, paleographiae, et aliarum scientiarum optime nobis constare possunt; *ergo* certo constare potest de sensu testimonii.

Ad auctoritatem auctoris, quae scientia et veracitate continetur, in genere hic etiam applicari possunt ea quae supra dicta sunt in parte superiori ad cognoscendam scientiam et veracitatem testis oralis.

621. CONFIRMATUR THESIS uberrimo exemplo in theologia fundamentali postea evolvendo, de testimonio Evangeliorum. Nam etiamsi Evangelia non considerentur ut libri inspirati, sed simpliciter ut libri historici, gignunt veram certitudinem; nam certissime constat esse genuina, et incorrupta

usque ad nos pervenisse, denique eorum auctores scientiam et veracitatem habuisse.

622. Scholion 1. In hac secunda parte specialis difficultas provenit ex medio de se non tam perspicuo, per quod ad nos facti enarratio pervenit. Ideo scientiae auxiliares historiae ad hanc solvendam difficultatem plurimae in dies excoluntur. In argumentatione solummodo modi indicantur, quibus generatim illae scientiae procedunt, sed uberiorem tractationem, ut patet, aliis locis amandamus. Tamen conferri possunt cum fructu opera sequentia:

Z. GARCÍA VILLADA, *Metodología y crítica histórica* (Madrid 1921). E. BERNHEIM, *Lehrbuch der historischen Methoden* (1908), opus egregium, licet praeiudiciis positivistis imbutum. Habetur versio hispana huius operis brevioris in *Manuales Labor*. LANGLOIS-SEIGNOBOS, *Introduction aux études historiques* (1899); versio hispana (Madrid 1913). DE SMEDT, *Principes de la critique historique* (1883). L. FONCK, *Wissenschafliches Arbeiten, Beiträge zur Methodik des akademischen Studiums* (Insbruck 1908).

623. Scholion 2. *Argumentum negativum* ex silentio nempe testis vel testium non valet nisi positivo aequivaleat argumento, quo nempe testis declararet rem factam non esse. Quod solum probatur, si ostenditur testem, cum sciret rem et debuisset loqui de ipsa propter fines ab eo intentos, tamen nihil dixisse. Hoc applicari potest illis traditionibus circa facta quorum prima indicia non inveniuntur nisi temporibus omnino separatis a tempore, quo illud factum evenit.

624. Scholion 3. Valde disputata fuit etiam quaestio de charactere stricte scientifico historiae ut scientiae verae. Certe sensu quo antiqui illam tractabant et tradebant non erat vera scientia, sed nuda factorum narratio (ita *cronicones*). Sed hodie omnino certum est illam veram scientiam esse stricto sensu, quamvis utique sui generis [5].

625. Obiectiones. 1. Ut testimonium sit fons legitimae certitudinis, antea debet constare de auctoritate testis; *atqui* haec auctoritas iterum debet constare per auctoritatem, et sic indefinite; *ergo* testimonium nequit esse fons legitimae certitudinis.

---

[5] Circa hanc quaestionem breviter tractatam cf. DE VRIES, *Critica* n.228-9. De diversis tendentiis modernis circa ipsam cf. R. CEÑAL: Pens 9 (1953) chronicam de conventu *"ad Gallarate."*

Conc. mai. Nego min. Auctoritas enim saltem ultima constat tandem vel immediate ex experientia credentis, vel mediate, illis nempe legibus moralibus, indiciis, etc., de quibus iam in thesi sumus locuti.

2. Sed ipsa auctoritas credenda est. Nam auctoritas constat veracitate; *atqui* veracitas, utpote res interna, testimonio affirmantis credenda est; *ergo* auctoritas quoad veracitatem credenda est testimonio testantis.

Conc. mai. Dist. min.: si veracitas esset res interna, quae nullis signis externis proderetur, *conc.;* aliter, *nego. Pariter dist. cons.*

626. 3. Constat iam aliunde evidentiam esse unicum criterium necessarium et sufficiens veritatis et certitudinis; *atqui* in fide non habetur evidentia; *ergo* testimonium nequit gignere legitimam veritatem et certitudinem.

Dist. mai.: evidentia sive mediata sive immediata, sive interna sive externa est criterium certitudinis; *conc.;* tantum evidentia immediata et interna, *nego. Contradist. min.:* in fide non habetur evidentia immediata et interna, *conc.;* non habetur mediata et externa, fundata in alius testimonio, ut explicatum manet, *nego.*

4. Multoties decipimur ex testimonio humano; *atqui* hoc probat huiusmodi testimonium non posse gignere certitudinem legitimam; *ergo* testimonium humanum nequit dare certitudinem legitimam.

Dist. mai.: decipimur per accidens, quando non dantur condiciones requisitae, *conc.;* per se, quando dantur, ita ut testimonium semper et per se sit positive fallax, *nego. Contradist. min.:* si testimonium per se et positive sit fallax, *conc.;* si tantum est fallax per accidens, quando non adsunt condiciones requisitae, *nego.*

627. 5. Illud non est fons cognitionis certae, quod est essentialiter a veritate difforme; *atqui* ex observationibus recenter a psychologis factis elucet omne testimonium esse essentialiter a veritate difforme; *ergo* testimonium nequit esse fons legitimus certitudinis. *Et minor declaratur: a)* eiusdem facti narratio a pluribus facta semper magnas divergentias continet; *b)* ex hominibus, fere omnibus, per interrogationes aptas iudices obtinent fere testimonia, quae obtinere volunt.

Conc. mai. et *nego min.* Facta vero allata explicantur: *a*) divergentiae quoad cirscumstantias minoris momenti facilem obtinent explicationem ex causis ordinariis errorum nostrorum, et non solum non destruunt auctoritatem testimonii quoad substantiam facti, sed potius confirmant ostendendo nullum esse mendacium commune, et praeterea confirmando ut verum illud in quo omnes conveniunt, i. e. substantiam facti; *b)* quod obtinetur ab homine per timorem, vel sub influxu alius violentae passionis nequit ut casus ordinarius et normalis haberi.

6. Testimonium, a quo non possunt removeri omnes causae erroris, non sufficit ad certitudinem; *atqui* a testimonio unius hominis non possunt removeri omnes causae erroris; *ergo* testimonium unius hominis non sufficit ad certitudinem. *Minor ostenditur,* quia potest semper admitti passio quaedam occulta, casus delirii, vel insaniae subitaneae, etc.

Dist. mai.: non sufficit ad dandam per se certitudinem plus quam moralem, *conc.;* certitudinem saltem moralem, *nego. Conc. min. Pariter dist. cons*: Absolute enim possibile est absque miraculo, quod aliquis passione occultissima laboret, quae etiam familiares fugerit, vel subito insaniat, quin ullum signum praebuerit; tamen hi casus constituunt semper exceptiones absolute possibiles legum moralium.

628. 7. Saltem testimonium, quod miracula narrat non est credendum. Nam motivum necessitatis strictioris debet praevalere motivo necessitatis minoris; *atqui* pro negatione miraculi stat lex physica, quae est necessitatis strictioris, pro affirmatione autem solae leges morales circa testimonium, quae sunt necessitatis minus strictae; *ergo* hoc testimonium non est credendum. (Ita Hume et multi cum ipso).

Conc. mai. et nego minoris primam partem. Nam lex physica nullo modo militat contra miraculum. De essentia enim legis physicae est quod eius effectus hypothetice necessarius possit pati exceptionem, quam nos suspicari rationabiliter possumus, quando praecise datur testimonium validum pro huiusmodi exceptione.

CONCLUSIO

629. Ex hucusque probatis vidimus hominem ad veritatem cognoscendam et ad certitudinem acquirendam potentia ac facultate pollere debilioribus quidem, sed sufficientibus, cum ad vitam practicam gerendam, tum etiam ad speculativam, immo et ad ultimas et profundiores scientias investigandas. Sed quia homo non est in se divisus, nec solo intellectu, sed multiplici facultate praeditus, totus homo in veritatem tendere oportet. Frequenter autem, ut tristis confirmat experientia, in aliquibus, quantumvis essentialibus errat tum ad moralitatem tum ad religionem et Dei cognitionem pertinentibus. Quare homo a *Divina Providentia ac Bonitate* in sua cognitione per *Revelationem Divinam* tanquam uberrimum fontem est adiutus, ut vitam habeat et abundantius habeat [6]. Sed de hoc ulteriori fonte in theologia sacra, cui paedagogus est philosophia [7] alibi erit agendum.

[6] Io. 10,10.
[7] Leo XIII, Encyclica *Aeterni Patris*.

... tentia ac facultate pollens debilioribus quidem, sed sufficientibus, cum ad vitam practicam gerendam tum etiam ad speculativam, immo et ad ultimas et profundiores ... Sed quia homo non est mere divinus, ... intel... sed multiplici facultate praeditus, ... veritatem pendere oportet. Frequenter autem, ut ... experientia, in aliquibus, quantumvis essentiali... tam ad moralitatem tum ad religionem et Dei ... pertinentibus. Quare ... in sua cognitione per ... primum fontem est adiutus.

... habeat. Sed de hoc ulterius ... in the... est philosophia ... sibi erit agen...

[illegible]

TRACTATUS IV

Metaphysica generalis

AUCTORE

P. IESU ITURRIOZ, S. I.

BIBLIOGRAPHIA GENERALIS

Auctores classici

ARISTOTELES (*Bekkeri* Berlin 1830-1870).
CAIETANUS (TH. DE VIO), O. P.: *Commentaria in Summam et opuscula* (Venetiis 1588); *S. Thomae Aquinatis opusculum de Ente et Essentia* (Romae 1907); *Opuscula omnia* (Turin 1582).
FERRARIENSIS, SILVESTER, O. P.: *Commentaria in S. Thomae "Contra gentes"* (Romae 1898-1902).
FONSECA, P., S. I.:*Commentarium in libros Metaphysicorum Aristotelis* (Lyon 1601-1612).
IOANNES A S. THOMA, O. P.: *Cursus philosophicus thomisticus* (Paris 1883).
KLEUTGEN, J., S. I.: *Philosophie der Vorzeit* (Innsbruck 1878); *La philosophie scolastique exposée et défendue* (Paris 1868-1870).
SUÁREZ, FRANC., S. I.: *Disputationes metaphysicae* (1861).
S. THOMAS, O. P.: *In libros Metaphysicorum Aristotelis* (Turin 1915); *Quaestiones disputatae; Opusculum de Ente et Essentia* (Paris 1914); *Summa contra Gentiles* (Paris 1858); *Summa Theologica.*

Reliqui auctores

ALCORTA, JOSÉ IG.: *La teoría de los modos en Suárez* (Madrid 1949).
ARNOU, R.: *Metaphysica generalis* (Romae 1939).
BALMES, J.: *Curso de Filosofía elemental: Metafísica* (Barcelona 1899); *Filosofía fundamental.*
BAUR, L.: *Metaphysik* (München 1935).
BENEDICTIS, J.-B. DE, S. I.: *Philosophia peripatetica* (Venetiis 1723).
BOYER, C.: *Cursus philosophiae* (Parisiis 1936).
CAPREOLUS, J., O. P.: *Defensiones theologicae Divi Thomae* (Tours 1900-1908).
COMPLUTENSES: *Disputationes in Aristotelem* (Lugduni 1651).
CUESTA, SALVADOR, S. I.: *Ontologia* (Santander 1948).
DÁVILA, JULIO, S. I.: *Metaphysica generalis* (Mexico 1950).
DE BACKER, S. I.: *Disputationes metaphysicae: de Ente communi; de Actu et Potentia; de Causis* (Paris 1919-1922); *Disputationes metaphysicae specialis* (Paris 1899-1908).
DELMAS, C., S. I.: *Ontologia* (Paris 1896).
DE RAEYMAEKER, LOUIS: *Philosophie de l'être* (Louvain 1946); *Metaphysica generalis* (Louvain 1935).
DESCOQS, S. I.: *Institutiones Metaphysicae generalis* 1 (Paris 1925).
DEZZA, S. I.: *Metaphysica generalis* (Roma 1946).
DONAT, S. I.: *Ontologia* (Barcelona 1947).

Duns Scot, J., O. F. M.: *In XII libros Metaphysicorum Aristotelis expositio, conclusiones et quaestiones* (Lyon 1639).
Franzelin, S. I.: *Quaestiones selectae ex philosophia fundamentali* (Innsbruck 1921).
Frassen, Cl., O. F. M.: *Philosophia academica* (Toulouse 1686).
Foulquié: *Traité de philosophie* t.3: *Métaphysique* (Paris 1948).
Fuetscher, S. I., Lorenz, S. I.: *Ackt und Potenz* (Innsbruck 1933).
Gevers: *Metaphysica* (Tilburg 1951).
González Alvarez, A.: *Introducción a la Metafísica* (Mendoza 1951).
Gorge, M. M., O. P.: *Traité de Philosophie* (Paris 1938).
Gredt, J., O. S. B.: *Elementa philosophiae aristotelico-thomisticae* (Fribourg 1922).
Hartmann, Nicolai: *Zur Grundlegung der Ontologie* (1948).
Hugon, F., O. P.: *Cursus philosophiae thomisticae* (Paris 1907); *Les vingt-quatre thèses thomistes* (Paris 1922).
Iturrioz, J.: *Estudios sobre la metafísica de F. Suárez* (Madrid 1949).
Izquierdo, Sebastián, S. I.: *Pharus scientiarum* (Lyon 1659).
Joliver, Régis: *Traité de philosophie* (Paris 1946).
Lahousse, G., S. I.: *Praelectiones logicae et ontologiae* (Louvain 1898).
Lavelle, Louis: *Introduction à l'ontologie* (Paris 1951).
Lehmen, A., S. I.: *Lehrbuch der Philosophie* (Fribourg 1927).
Lepidi, A., O. P.: *Elementa philosophiae christianae* (Paris 1877); *Opuscules philosophiques* (Paris 1900).
Leroy, C.: *Elements de métaphysique et de théologie* (Paris 1934).
Liberatore, M., S. I.: *Institutiones philosophicae* (Prati 1881).
Limburg, M., S. I.: *Quaestionum metaphysicarum libri quinque* (Innsbruck 1893).
Manser, G. M.: *Das Wesen des Thomismus* (Fribourg 1935); *Edic. española* (Madrid 1947).
Maquart, F. X.: *Elementa philosophiae.* III *Metaphysica* (Paris).
Mastrius, Bartolom., O. F. M.: *Cursus philosophicus* (Venetiis 1727).
Mercier, Card.: *Métaphysique ou Ontologie* (Louvain 1919).
Monaco, N., S. I.: *Praelectiones Metaphysicae generalis* (Prati 1913).
Palmieri, S. I.: *Institutiones philosophicae I* (Romae 1875).
Pesch-Frick, S. I.: *Institutiones logicae et ontologicae* (Fribourg 1919).
Prado, Norbertus del: *De veritate fundamentali philosophiae christianae* (Friburgi Helvet. 1911).
Regnon, Th. de, S. I.: *Métaphysique de causes* (Paris 1906).
Rickert, H.: *Grundprobleme der Philosophie* (Tubingen 1934).
Roselli, O. P.: *Summa philosophica* (Bononiae 1857).
Schiffini, S., S. I.: *Principia philosophica ad mentem Aquinatis* (Turin 1892).
Urráburu, S. I.: *Institutiones philosophicae* (Valladolid 1891).
Van de Woestyne, O. F. M.: *Scholae franciscanae aptatus cursus philosophicus in breve collectus* (Malines 1921).
Van Steenberghen, Fernand: *Ontologie* (Louvain 1946).
Willems, C.: *Institutiones philosophicae* (Trèves 1915).

Plura alia opera sive generalia sive particularia postea citantur.

INTRODUCTIO GENERALIS

1. Aristoteles, *Metaphysicorum* l.1.2.4.6; St. Thomas, *Comment. in libr. Metaph.*; Suárez DM 1 (Versio hispana: *Introducción a la Metafísica*, Madrid); González Alvarez, *Introducción a la Metafísica* (Mendoza 1951); Bergson, *Introduction à la Métaphysique* (1903); Heidegger, *Was ist Metaphysique* (Versio hispana primae editionis: *Qué es Metafísica*); B. Jansen, *Aufstiege zur Metaphysik heute und ehedem* (Freiburg 1933); Hessen, *Die Methode der Metaphysik* (1932); Heimsoeth, *La Metafísica moderna; Los seis grandes temas de la Metafísica occidental;* Conze, *Der Begriff der Metaphysik bei Fr. Suarez;* M. Grabmann, *Die Disputationes Metaphysicae des Franz Suarez in ihrer methodischen Eigenart und Fortwirkung;* J. Iriarte, *La proyección sobre Europa de una gran Metafísica, o Suárez en la Filosofía de los días del Barroco:* Razón y Fe (1948 número extraordinario) p.229-263; Iturrioz, *Origen histórico de la Metafísica de Suárez* (*Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez*, c.1); Marechal, *Le point de départ de la Métaphysique;* N. J. J. Baltasar, *Mon moi dans l'être* (Louvain 1946); Ottaviano, *Metafisica del'essere parziale*, l.1 (Padova 1947); Vanna Rovighi, *Introducción al estudio de Kant* (Madrid 1948); Descoqs, *Institutiones Metaphysicae Generalis* Prolegomena 9-106; Soenghen, *Die Neubegründung der Metaphysik und die Gotteserkenntnis:* Albertus Magnus Akademie, II,H.3,p.1-55; I. Quiles, *Filosofar y vivir* (Madrid 1948); Rubert Candau, *¿Qué es filosofía?;* Roig Gironella, *Filosofía y Razón* (Madrid 1948);De Vries, *Pensar y ser.*

I. **Prima communis pervulgata Metaphysicae notitia.**

2. Metaphysicae initium sumentibus ignotum quidem non est hoc nomen, eius vero significatio tam confusa eis forte devenit, usumque tam indeterminatum ac varium observabunt, ut plurimis praeiudiciis imbuti ad hanc accedant scientiam, quam et obscurissimam et inutilem, imo et impossibilem omnique valore destitutam, inde a limine aperto animo proclament.

Abusus quidem nostris temporibus in litteras irrepsit; in quibus hoc nomen in sensibus recurrit variis, saepe contrariis ac contradictoriis, ita ut nomen, tam diversis ac differentibus applicatum, videatur tandem aequivocum et amphibologicum; quod si ad initiale hoc dubium solvendum ad *Vocabularia philosophica* accesseris, ipsa philosophorum dicta argumentum praebere tibi sufficiens videbuntur, quo hanc scientiam, primam sic dictam philosophiam, prorsus inutilem et absurdam proclames, animum ab eius studio retrahas, aut saltem non eis viribus ipsam aggrediaris, eaque deditione quae ad successum in re difficili necessaria foret.

3. Non tamen est tantus hic abusus aestimandus, ut ex eo quoddam initium ad intellectionem ipsius Metaphysicae haberi non possit. Adhibetur quidem haec denominatio in *operibus artisticis* interpretandis, cum critici in suis studiis "metaphysicam" in pictura, in sculptura, in pöesi, in musica exquirant et adumbrent; praebent enim *sensum ultimum, interpretationem* processus technici, *unde ultima et plena* operis artistici *comprehensio* hauriri possit. Et *scientifici,* ipsi etiam qui Metaphysicam reiicere conantur, quandam in suis scriptis metaphysicam adumbrant: meritissima enim opera processus chimicos, physicos, mathematicos... accuratissime observantes, unde leges cuiuscumque scientiae novae detegantur, cognitae corrigantur et perficiantur, fundamentales confirmentur; tunc tandem ad Metaphysicam adsurrexisse iudicant, cum *ultra ipsas scientiae proprias leges* ad alias recurrunt, quarum cognitio supremam rationem ipsarum legum scientificarum reddat. Qui *experientiis psychologicis* operam navant, tunc ad Metaphysicam recursum instituisse iudicant, cum ultra phaenomena empirica realitatem ultrasensibilem ponunt, quae radix sit explicativa phaenomenorum empiricorum. Sunt et alii qui Metaphysicam *nationum* proponunt, *partium politicarum, belli, ludorum, asceticae et religionis...* Imo et ipsa Metaphysica metaphysicae exquisita aliquando et ellaborata fuit.

4. Quod si infinita fere philosophorum haec varietas consideretur, et ipsa ad rectam comprehensionem Metaphysicae iuvare poterit. Relicta illa quasi infinita serie definitionum, et quidem non completa, ab EISLER in suo *Vocabulario philosophicorum conceptuum* collecta, quae ultra tredecim stipatissimas pagellas protrahitur [1], ecce in duas series conceptiones praecipuae circa Metaphysicam fere congeri possunt.

1) *Metaphysica consignatur ut cognitio realitatum certi ordinis;* ex diversitate ergo obiecti huic scientiae assignati definitiones classificari poterunt:

a) Metaphysica ab aliis dicitur *cognitio entium quae sensu percipi nequeunt.*

b) Ab aliis vero, *cognitio entium prout in se sunt,* hoc est, prout a meris apparentiis distinguuntur.

c) Ab aliis, *cognitio ordinis moralis,* quatenus hic ordinem factorum superat eiusque explicationem confert.

[1] EISLER, *Wörterbuch der phil. Begriffe.* II, sub voce *Metaphysik.*

d) Ab aliis, tandem, *cognitio ipsius cognitionis et conditionum* ultimarum in quibus vera cognitio possibilis evadat.

Quibus omnibus conceptionibus quoddam commune subest, quod, apud Auctores sic Metaphysicam concipientes, sat frequenter apparet: Metaphysica concipitur ut *cognitio,* aut saltem ut investigatio, *absoluti cuiusdam,* quod existimatur ultra sensibilia et phaenomenica in ordine supremo omnia dirigente et tenente requirendum et reperiendum esse. Quodsi aliquando ipsa possibilitas metaphysicae negata videatur, tunc etiam illud ultimum quaerebatur, quod quidem in ipso complexu sensibilium, in immanentia, repositum fuit.

2) Altera series *Metaphysicam ex genere cognitionis qua illa exstrui debet definit.*

a) Metaphysica dicitur *cognitio absoluta intuitionem rei directam intendens,* per oppositionem ad cognitionem discursivam.

b) Ab aliis, autem, *cognitio per rationem acquisita, quae vi primorum principiorum realitatem ultimam transcendentem detegit.*

c) Imo, et *complexus cognitionum quae a pura ratione a priori per conceptus sine relatione ad experientiam obtinentur.*

d) Tandem, *cognitio realitatis per analysim* reflexivam et criticam *et per synthesim* experientiae speciatim interioris acquisita.

5. Varietas quidem conceptionum longissime protrahi posset, sed ex praestito exemplari, etiam concesso et damnato abusu qui in omnes fere litteras invasit, Metaphysica inde a primo accessu dici poterit, formula quidem confusa et impraecisa, *illa philosophica scientia cuius est explicationem ultimam alicuius realitatis praebere.* Imo, brevissima formula, et quidem uberrima, quae processum culturalem, non modo philosophicum, versus Metaphysicam includere fere poterit, dicatur haec SCIENTIA ULTIMI.

II. **De variis huius scientiae nominibus.**

6. *Nomina,* quae in historia Philosophiae praecipue valuerunt pro hac scientia designanda, haec fere enumerari poterunt.

1) Ecce quod primum invaluit nomen: *Prima Philosophia.* Plura quidem *Philosophia* apud ARISTOTELEM (cuius est hoc nomen) significat: investigationem quidem, et scientiam, et cognitionem, et virtutem intellectualem, imo et ipsam quae hodie Philosophia simpliciter dicitur; etiam philosophorum

doctrinas eorumve opiniones designare potest. Ut est scientia seu cognitio veritatis, triplex potest esse Philosophia: *theoretica, practica, poëtica; theoretica* vero et ipsa triplex est: *mathematica,* nempe, *physica* et *theologica. Philosophia* vero *theoretica theologica,* seu de divinis philosophia, ea est quae *Prima Philosophia* apud ARISTOTELEM dicitur. Non raro, tandem, *Philosophia,* apud ARISTOTELEM simpliciter dicta, hanc primam designat.

Ex his nominibus inde *primatus* huius philosophiae apparet, quod scientia theoretica tam practicae quam poëticae praeferenda sit; inter theoreticas vero, tam mathematica quam physica "secunda philosophia" dicantur. Iterum, ideo *prima* dicitur, quia huius scientiae est, ultimam rationem et definitivam explicationem totius ordinis scientifici praebere scientiasque omnes regere et gubernare (inde etiam *méthodos peri tes arches tes prótes* vocatur).

7. 2) Alterum nomen *Metaphysica* est cuius originem sensu topologico explicatum saepissime apud auctores invenies. Post plures vicissitudines bibliothecae ARISTOTELIS [2] exstitit ANDRONIKUS RHODENSIS, qui novam transcriptionem operum ARISTOTELIS Romae saeculo I a. Chr. curavit, inter quae tractatus quidam aderant, quibus optimus in collectione locus post opera physica est inventus. Sic titulus generalis ipsis inscriptus sensu topologico *Metá tá physiká.* Exinde ANDRONIKUS RHODENSIS huius primus nominis adinventor fuisse dicebatur; nominis ergo valor, pure bibliographicus, nihil de transcendentia huius scientiae innueret.

Illud praecipuum huius explicationis fundamentum erat, nomen hoc apud NICOLAUM A DAMASCO repertum, numquam ante, saepe vero post ipsum; Nicolaus autem Androniko erat contemporaneus eoque iunior; Androniko ergo certo nomen tribuendum est visum. Sic ZELLER et plurimi [3].

Non tamen omnes, fundamentum enim incertum est; constat exstitisse HERMIPUS, *qui independenter ab* ANDRONIKO in serie operum aristotelicorum enumeranda hoc nomine usus fuerat, quod non iam mere topologice, saltem ut ab Androniko conferebatur, interpretandum erit [4].

Certo quidem in scriptis aristotelicis nobis traditis nomen Metaphysicae reperiri non potest. Forte vero apud Auctorem

[2] De quibus STRABO, *Geographicorum* 1.13 c.1 et etiam PLUTARCHUS.
[3] ZELLER, *Geschichte der griechischen Philosophie.*
[4] GÓMEZ NOGALES, S I., *Génesis y sentido transcendental de la palabra "Metafísica"*: Pens 7 (1951) 223-224.

in suis primitivis scriptis, partialiter et summatim nobis transmissis, nomen aderat, aut etiam traditioni orali commissum fuerat.

Latinum nomen *Metaphysica* primo apud Boëthium invenitur [5].

8. 3) *Ontologia* tertium est nomen quo saepissime nunc Auctores utuntur. Pluribus paternitas huius vocis tribuitur; tam WOLFF (1679-1754), quam cartesianus CLAUBERG († 1665), quam DU HAMEL auctores nominis sunt pronuntiati. Sed ante eos R. GOCLENEUS in suo *Lexikon Philosophicum* [6] hoc nomen *Ontologia* consignaverat sic interpretatus: "philosophia de ente", "abstractio a materia... cum singulari, tum universali, etiam secundum rationem tantum". Usus huius nominis apud recentiores invaluit pro tota Metaphysica designanda, indeque graves sunt consequentiae subortae de quibus posterius.

9. Quod si haec tria nomina comparentur, *Prima Philosophia* potius gradum scientificum huius doctrinae relate ad reliquas scientias, etiam philosophicas, indicat, quibus ultimum fundamentum praebet unde *esse* et *cognosci* explicari ultimatim possint. Alterum nomen *Metaphysica* conatum potius ipsi philosophanti proprium innuit, qui in ulteriora totis viribus tendit, unde ex supremis physica et sensibilia explicentur; inde valor potissimus intellectui inhaerens supra reliquum cognitionis ordinem significatur, cuius est cognitionem sensibilem superare et perficere. *Ontologia* ad obiectum potius huius scientiae attendit quo haec a reliquis Philosophiae partibus distinguatur.

Inde haec tria nomina nedum mutuo opponantur, at ita in unum conferunt, ut ex eorum congerie natura et celsitudo huius philosophiae iam fere adumbrari possit.

10. Imo, et alia his nominibus includuntur quae annotare hic placet, quibus valor Metaphysicae clarior reddatur.

Designatio enim *Primae Philosophiae* inde a limine significat, persuasos fuisse qui hoc nomen imposuerunt aut receperunt, talem primam scientiam possibilem esse et expetibilem; hoc vero ulterius ostendit, illos existimasse diversarum scientiarum talem ordinem dari, ut inter eas quaedam hierarchia adumbranda sit, qua aliae aliis fundamentum praebent, aliae alias illustrant et complent, omnesque in unam primam supremam scientiam ascendentes coëunt, cuius sit et ordinem imponere et fundamenta stabilire et rationes ultimas di-

---

[5] ML 64,515b.

[6] *Lexikon Philosophicum* (Francofurti 1613).

rectrices delineare quibus omnes scientiae consistant. Imo vero, hic ipse hierarchicus scientiarum ordo tunc solum praesumi poterit, cum ipsa quoque realitas, quam sub diversis aspectibus scientiae attingunt, etiam hierarchice constituta et ordinata aestimetur. Inde ipsum solum hoc nomen, *prima philosophia,* quo apex philosophiae ultra scientias insinuatur, supremam quandam iam constitutam metaphysicam, ex ipso multiplici entitatum ordine dimanantem, insinuat ac simul exquirit.

11. Nec minus foecunda significatio nominis *Metaphysica* dici poterit. Curiosus quidem philosophus, alia et alia continuo expetens et ab una in aliam transiens, ab inferiore ad altiorem ascendit scientiam, ingenitam curiositatem intellectus explere cupiens. Ipsa enim intrinseca intellectus humani natura talis est, qui non nisi in ultimis fundamentis quiescere valet, unde totum scientiarum ordinem explicare valeat. Ambitus proinde sensibilium scientiarum, quae ens mobile ut mobile considerant, necessario superandus est, ut tandem ipsa ratio motus huiusque mobilitatis in altiori immobili inveniri possit. Imo, contingens homo suimetipsius rationem supremam in se invenire nequit, nec in mundo ipsum circumdante, qui, contingens cum sit, etiam sui rationem alibi absolute exigit. Ex ipsamet ergo natura hominis, non iam ex mera intellectuali curiositate, tenetur homo ad totum ordinem contingentem, sensibilem, physicum superandum, ut in ordine necessario, suprasensibili, *meta-physico* rationem et fundamentum habeat unde ordo contingens explicabilis et constans reddatur. Illa tandem intellectualis vis, ordinem contingentem superando metaphysicum exstruere conata, non nisi manifestatio ipsius naturae contingentis est, cum natura hominis ratio sit omnium eius proprietatum et qualitatum, inde etiam ipsius intellectus huiusque activitatis.

12. Nomen vero *Ontologiae* Metaphysicae attributum, plurima determinat quae in historia Philosophiae incerta habita fuere. Quod enim conatus metaphysicus in ordine entis sistat, ut ex eo functio metaphysica expleatur, significat ordinem scientiarum supremum in ente quiescere, imo et intra ambitum entis rationem supremam hominis contingentis inveniri; quo quidem aliae Philosophiae, ex vita, ex idea, ex valore... supremam explicationem requirentes, aut falsae apparent, aut partiales, ideoque insufficientes. Hoc ergo nomen sub ratione entis omnia colligit, sub eius intellectione omnia interpretatur, in ente omnia consistere docet, inde omnia procedere, ad ipsum omnia contendere et ab eo imperfecta recedere. Character tandem *logicus* huius scientiae insinuatur, quae nec in instinctu, nec in voluntate, nec in mera intuitione, sed in plena evolutione virium *tou lógou* sui evolutionem et terminum inveniet.

13. Quae quidem omnia in his nominibus non quidem data, sed promissa aut exquisita tantum consideres. Utrum autem haec scientia talem hominum exspectationem plene perficere valeat, id ipse post expletum curriculum respondere audebis.

Ex his considerationibus, primus ille vagus et confusus

circa Metaphysicam conceptus distinctior et clarior ita evasit, ut iam Metaphysica ex exspectatione hominum illa SCIENTIA dici possit A QUA HOMINES PRIMAM RATIONEM TOTIUS ORDINIS ENTITATIVI ET COGNOSCITIVI EXPETUNT, quae ratio, e supremo culmine entis dimanata, ibidem investiganda praesumitur.

III. **De scopo et obiecto Metaphysicae.**

14. Ex consideratis erui iam fere potest, Metaphysicam ab ipsa natura hominis, saltem excultioris, quasi sponte expostulari, munusque concretum ipsi commissum illud praecipue intendere, quod ultimum quid adinveniat, unde *mysterium* exsistentiae clarum tandem reddatur.

15. *Mysterium quidem multiplex.* Mysteriosus, quidem, ipse sibi homo, *qui sibi,* ut verbis AUGUSTINI utar, *factus est magna quaestio*[7], et *a cuius ignorantia omnes quidem errores deveniunt*[8]. Aenigma quidem *humanae exsistentiae;* per totum historicum culturarum processum constanter adumbratum, quod his fere quaestionibus, etsi subobscure saepius enuntiatum fuit, quas DILTHEY, notissimus historici processus excultor, ut synthesim supremarum humanitatis problematum redegit: "In hoc aenigmate (exsistentiae) radicaliter connexa semper exstiterunt et mysterium circa naturam huius mundi et quaestio quid mihi in ipso sit agendum, quorsum hic sim, quisve meus sit futurus finis. *Unde venio, quorsum hic sum, quid ipse ero.* Haec inter omnes universalissima quaestio in qua maximum mihi momentum, cui communiter genium poëticum, propheta et philosophus (Denker) responsum quaesierunt"[9]. His vero gravissimis Diltheyanis verbis haec alia Bergsoniana perfectissime accommodantur: "Quod maximam hominum partem conturbat, angustiam in ipsis et passionem suscitat, non semper primum inter metaphysicorum speculationes invenit locum. *Unde venimus, Quid sumus, Quorsum tendimus,* hae sunt vitales illae quaestiones, quas directe solvendas assumeremus, nisi systematibus mediatizati philosophiam exstrueremus"[10]. Quibus quaestionibus iterum enun-

[7] "Quis homo est quilibet homo", "Factus eram ipse mihi magna quaestio", "Grande profundum est ipse homo" (S. AUGUSTINUS, *Confess.* 4,1,9,22).

[8] "Cuius erroris maxima causa est, quod homo sibi ipse est incognitus" (S. AUGUSTINUS, *De ord.* 13).

[9] DIETHEY, *Teoría de la concepción del mundo.* Versio hispana a E. IMAZ, cf. p.111-112.

[10] BERGSON, *Life and Consciousness. L'énergie spirituelle* (Paris 1919) 2.

tiatis, addidit post annum, *philosophiam ne horam quidem laboris sibi mereri si ipsis responsum invenire nequeat*[11].

Imo vero, KANT, in *Introductione ad praelectiones logicas*, philosophiae ambitum his quaestionibus reduci posse dixit: 1. *Quid scire possim*, 2. *Quid agere possim*, 3. *Quid sperare possim*, 4. *Quid homo sit*. Primis quaestionibus Metaphysica, Moralis et Religio respondent; quartae vero Anthropologia; addit autem Kant *tres primas quaestiones ad quartam tamdem reduci*[12].

Metaphysicam ergo intendens homo ipse semetipsum clarum reddere conatur, ita ut tandem sui naturam, originem, finem clare perspiciat; quo obtento, supremum *mysterium exsistentiae humanae*, ideoque supremum hominis quaesitum, dillucidatum et solutum habebit.

16. Sed non illud solum. Nequit enim homo suam exsistentiam ab exsistentia mundi separatam ducere; unde mysterium proprium hominis cum *mysterio mundi* intime connexum adinvenit, propriasque sortes scit cum sortibus mundi esse gerendas. Responsum ergo de homine non plenum erit dum responsum de mundo, de huius origine, natura et fine non possideat perspectum; tunc denique cognitus mundus clariorem ipsius hominis *sensum reddet*.

17. Quae quidem omnia, cum homo peculiari scientiae perpendenda tradat, eo vult significare, conclusiones ab aliis scientiis repertas, insufficientes aestimasse. Multa de mundo eiusque natura scientiae physicae, chimicae, astronomicae, cosmographicae, zoologicae, botanicae, biologicae aliaeque similes mirabili inventu perspecta habuerunt, aliaque nova ininterrupto progressu non sine spe perquirunt; quibus si philosophia *cosmologica* adiungatur, alia etiam de natura legis, corporis... deteguntur, quibus intrinseca mundi visibilis natura satis clara, quantum humano intellectui liquet, apparebit. Multa quidem de homine scientiae anatomicae, physiologicae, medicae; multa etam historiographicae, characteriologicae, psychiatricae et psychologicae dixerunt; multa iterum ipsa philosophia tam critica, quam ethica et psychologica, quarum luce activitas humana vitalis, cognoscitiva, moralis hominisque dichotomica natura, corporea et spiritualis, cum suis proprietatibus claruerunt.

[11] BERGSON, *L'âme et le corps. L'énergie spirituelle* p.61-62.
[12] KANT, *Logik*, Einleitung; similiter prius loquutus fuerat LICHTENBERG, *Bemerkungen verm. Inhalts I.*

18. Ea tamen omnia homo sibi aenigmaticus in nimia dispertita inveniens, ideoque proposito problemati inadaequata iudicans, supremam quandam omnium unitatem expostulat, in quo uno omnia, non quidem cumulata, sed adintegrata adsint, omniumque aenigmatum supremorum tensiones confluant, cuius perfecta cognitione interrogata illa suprema ultimum habeant responsum, quo aenigma et mysterium hominis et mundi in splendidum tranquillumque ordinem convertantur, unde et intima inquieto homini pax imperturbabilis redundet.

19. Hoc ergo supremum *unum* huiusque ultima interpretatio, hoc erit intentum, hic Metaphysicae scopus. Unum, in quo adintegrentur omnia, cuiusque interpretatione omnium ultimus sensus reddetur, hoc unum est *ens*: *ens* quidem non hoc vel illud, sed ipsum qua ens est: ens enim sub se et mundum et hominem amplectitur, ens etiam quaestiones de sui origine, natura et fine ponit, quae si solvantur tunc et mundus et homo sui solutionem tandem habebunt.

Sic ergo, *intentum Metaphysicae,* prout ab homine expostulatur, *ens est eiusque sensus* [13].

IV. **Historia Metaphysicae.**

20. Cum Metaphysica verum humanae naturae sit postulatum, inde eam in tota fere humana historia nobis cognita ab hominibus excultam invenimus, cuius signum est Orientalis philosophia, ubi in formis poëticis et religiosis, non quidem scientifice propositis, vera includebatur Metaphysica.

Apud Graecos vero, invalescente humaniori cultu, etiam ipsa philosophica Metaphysica in lucem prodit. Floruit apud ipsos primo *Philosophia naturalis* de mundo, ubi problema cosmogonicum praecipue fuit consideratum; hac in prima periodo post *Ionios* THALEM, ANAXIMANDRUM et ANAXIMENEM *Pythagorei* floruerunt et *Eleatici,* quibus HERACLITUS, ANAXAGORAS et DEMOCRITUS sunt addendi (saec. VI-V a. Chr.). Nova succedit periodus philosophiae anthropologicae potius inter *Sophistas* et *Socraticos* dedita (saec. V), quos inter ad magna classica PLATONIS et ARISTOTELIS systemata iter paratur.

[13] Cf. HEIDEGGER, *Sein und Zeit* ubi in primis lineolis intense exponitur interna tensio huius quaestionis inde a primordiis Philosophiae spec. graecae apud Platonem et Aristotelem.

21. I. Platonis (427-347 a. Chr.) Metaphysica in scriptis maturitatis apparet, eaque tota fere in doctrinam *idearum* resumitur; *Idea* enim, praecipue boni, origo est omnis entis, ideoque ontologicum principium; simul, origo omnis scientiae et cognoscitivum principium, imo et principium supremum rector et normativum, quamvis in posteriore aetate in Pythagoreismum declinans, numeris et logicae magnas tribuerit partes. Sic character theologicus Metaphysicae platonicae sat clare manifestatur.

Stoicismus videtur divisionem trichotomicam philosophiae introduxisse, quae inter posteriores Platonicos fere unanimiter praevaluit: *Physica, Logica, Ethica;* etsi Metaphysicae nomen in hac enumeraticne non appareat, tamen in Physica problemata Metaphysica frequenter ponuntur et solvuntur; doctrina platonica, in Neoplatonismum progrediens, fructum habuit praeclarissimum Sanctum Augustinum, qui splendidam versionem christianam Idearum proposuit; platonismus augustinianus, etiam post suppressam Academiam anno 523, usque in medium aevum floruit, eiusque heres praecipuus in posterum, fere in nostros dies, Scholasticismus Scotisticus dicendus videtur.

22. II. Aristoteles (384/3-322/1 a.Chr.) discipulus Platonis, cuius Academiae nomen per viginti annos dederat, post plura itinera Athenas regressus, et a spiritu platonico longe diggressus, propriam Scholam, *Peripateticam* dictam, in Lycaeo anno 335 instituit. Processus evolutivus in philosophia aristotelica est agnoscendus: *prima periodus* in Academia sub Platonis magisterio progreditur; *altera* ab itinere versus Assos usque ad institutionem propriae scholae, quae potius critica est; *tertia* vero post institutionem Lycaei, quo tempore plenus et verus Aristoteles est inveniendus. Libri Metaphysici non uno tempore sunt scripti (forte nec ab ipso Aristotele nisi summatim redacti), sunt enim collectio scriptorum nec eiusdem indolis nec constantis conceptionis, prout ostendit Jaeger [14]. Iam vero, in Metaphysica triplex fere conceptio Metaphysicae ostenditur: "Adest enim scientia, quae ens in quantum ens considerat (*tó ón he ón*) et quidquid ipsi essentialiter convenit" [15]; qui liber ad tertiam periodum pertinere dicitur; Metaphysica ergo his ut *Ontologia* proponitur, scientia de ente. Etiam definitur Metaphysica ut "scientia de

---

[14] Jaeger, *Aristoteles* p.200-236; cf. E. v. Ivanka, *Die Behandlung der Metaphysik in Jägers Aristoteles:* Schol 7 (1932) 1-29.
[15] *Gamma Metaphysicorum* libro primo (1003 a 21).

primis et causis"[16]; tertio etiam ut "scientia circa ultima et immobilia", unde etiam *Theologia, Philosophia de divinis* appellatur[17]. Inde dictum est conceptionem theologicam potius ad periodum secundam, sub influxu adhuc platonico, pertinere; conceptionem vero pure ontologicam ad plenum ARISTOTELEM consignandam esse. Quaestio critica sat difficilis; forte dici potest conceptio theologica non contradicere conceptioni ontologicae, etiam potius complere. Saltem, quod quidem maximi momenti est, traditio aristotelica posterior per plurima saecula nullam in his definitionibus oppositionem opinata, Metaphysicam intellexit scientiam de ente in plenissimo sensu, tam ens creatum quam increatum comprehendente, ubi ratio plena entis finiti totiusque ordinis entitativi et cognoscitivi in ente perfectissimo redditur. *Historicus* ergo ARISTOTELES *Primam philosophiam* intellexit *Theologiam,* etsi forte *criticus sententiam* paulatim in meram ontologiam mutaverit.

23. Primus inter Aristotelicos STUS. THOMAS (1225-1274) est habendus, et ipse non omnino ab influxu platonico destitutus, cum semper S. AUGUSTINI discipulus profiteretur, et sub influxu DAMASCENI, BOETHII et Arabicorum aristotelismum intelligere eumque in christianam doctrinam traducere conaretur. STUS. THOMAS primatum ARISTOTELIS, fere inde ab initio amissum (cum posteritas eum tantum ut Logicum fere cognosceret), in Ecclesia, imo in cultura Occidentali, praevalere fecit. Tria nomina a STO. THOMA Metaphysicae tribuuntur: *scientia divina sive theologia; metaphysica,* in quantum considerat ens et ea quae consequuntur ipsum; *prima philosophia,* in quantum primas rerum causas considerat[18]. Iam vero ab initio notare liceat potissimas partes quas Aquinas *tractatui de causis* in Metaphysica tribuit[19]; subiectum quidem Metaphysicae ens est commune, sed etiam entis causae, et entia etiam separata, sive positive sive praecisive inmaterialia.

24. Ens cum suo plenissimo sensu, qui in causis et intrinseca ratione apparet, obiectum est Metaphysicae iuxta continuam traditionem Aristotelico-Thomisticam. Non quidem haec pura semper profluxit; immixta enim aliquando elementis dialecticis, in Nominalismum deflexit verumque metaphy-

[16] *Alpha Met.* 1.2 (liber ad primordialem Metaphysicam pertinens).
[17] *Epsilon Metaph.* 1.
[18] Prooem. *in Arist. Metaph.* in fine.
[19] *Ibid.*

sicum characterem fere amisit. Eminuerunt CAPREOLUS (1380-1444), FERRARIENSIS (1474-1526), CAIETANUS (1469-1534) aliique, qui in suis thomisticis commentariis, sive etiam aristotelicis, metaphysicam Stagiritae constanter proposuerunt. Novus gressus in Metaphysica a SUAREZIO (1548-1617) est datus, qui non iam in forma commentarii, sed in logico ordine, et quidem ab elementis dialecticis purificato, *Disputationes Metaphysicas* scripsit, optimam renovatam synthesim totius traditionis aristotelico-thomisticae, cuius in posterum influxus maximus est agnoscendus. Saeculo XVI nova periodus renovatae philosophiae scholasticae floruit post FRANCISCUM DE VITORIA (1483-1546), cuius fructus in Metaphysica signandi sunt SUÁREZ, IOANNES a STO. THOMA (1589-1644), MASTRIUS, COMPLUTENSES, CONIMBRICENSES et alii.

25. Paulatim vero separatio Ontologiae a Theologia naturali est effecta; cuius ratio partim *doctrinalis* est, ex influxu nempe Dialecticae in conceptiones metaphysicas, unde doctrina de ente communi structura dialectica proponebatur; partim *paedagogica,* Theologia enim naturalis initio Philosophiae, sicut separata Ontologia, proponi non poterat. Ex his fere rationibus iam HURTADO DE MENDOZA in *Disputationes de Universa Philosophia* (1617) separationem quamdam proposuerat, non vero perfecerat; perfecit vero AVERSA, Fratrum Minorum, in opere *Philosophia Metaphysicam Physicamque complectens* (1625); anno vero 1652 Fr. EMMANUEL MAIGNAN *Cursum* scripsit *philosophicum* in quo, post *Logicam,* tractatus ponitur sub nomine *Philosophia entis.* Sic paulatim nomen *Ontologia* invaluit per CLAUBERG (qui potius *Ontosophiam* in prima editione dixerat) et DU HAMEL.

26. Qui vero primus scisionem hanc inter Ontologiam et Theologiam naturalem introduxerat FRANCISCUS BACON VERULAMIUS (1561-1626) est dicendus; qui novam scientiarum ordinationem instituit. Quae ab ipso *Philosophia prima* seu *Scientia universalis* vocatur, de fundamentis agit omnibus scientiis communibus, de Axiomatibus scientiarum communibus, ubi etiam de fundamento entis, de conditionibus entium transcendentibus. Per rationem constituitur *Philosophia,* quae, ut vera scientia proposita, de Deo, de Natura et de Homine agit. *Doctrina* vero philosophica *de Deo* Theologiam tantum naturalem amplectitur, inspirata relicta. *Doctrina de Natura* partem habet theoricam et partem activam; *theorica,* in Meta-

physicam et Physicam dividitur; Physica de principiis, de fabrica, de varietate rerum agit; Metaphysica vero, de formis rerum et causis. *Doctrina de homine,* duas partes habet: prima est "Philosophia humanitatis", altera "Philosophia socialis".

27. Tandem CHRISTIANUS WOLFF (1679-1754) hanc scisionem definitive fixit. Philosophia iuxta ipsum in Speculativam et Practicam dividitur; illa prima, cuius nomen *Metaphysica,* varias sub se partes includit, quarum prima *Ontologia* est, quae de ente communi agit et sic est scientia communis, Metaphysica generalis; aliae vero tres partes, Metaphysicae speciales, sunt *Cosmologia, Psychologia* et *Theodicaea.* Haec divisio in *Metaphysicam generalem et specialem,* ubi etiam Cosmologia et Psychologia tamquam Metaphysica considerantur, maximum favorem in posterum invenit, ita ut plurimi Auctores eam ut fundamentum ad divisionem et denominationem tractatuum etiam nunc considerent.

28. Saeculo XIX, post periodum gravis decadentiae, novam vitam Philosophia et Metaphysica Aristotelico-Thomistica ope Summi Pontificis LEONIS XIII, quem meritissimus Doctor BALMES in philosophia scholastica restauranda praecesserat, recuperavit; ita tamen fere unanimiter cursus philosophici ordinantur ut Ontologia tamquam Metaphysica Generalis statim post Logicam et Criticam legatur; Theologia vero Naturalis, ut Metaphysica Specialis, ad finem cursus explicanda destinetur.

29. III. *Tertia linea fundamentalis in Historia Metaphysicae* a novo scientiarum stadio originem sumit, quae saeculo XVI ope Humanismi et Renascentiae maximos effecerunt progressus. Inde, primo, fundamentale problema pro tota philosophia moderna originem ducit, relationes nempe inter experientiam et speculationem. DESCARTES (1596-1650), ex una parte, viam interioritatis in philosophia aperuit (quam vivide S. AUGUSTINUS aperuerat percurrens, imo etiam hispanus VIVES suo modo excoluit), primum omnium punctum illud significans "*Cogito ergo sum*"; praeterea, cum ex tali prima experientia totam Philosophiam more mathematico et geometrico deducere vellet, valide influxit ut methodus deductiva stricte in philosophia etiam scholastica vigeret; tandem distantiam inter spiritum et materiam talem in philosophia effecit, ut inde plurima orta sint problemata et plurimae sententiae falsae. Unitatem illam systematicam et deductivam in

summum SPINOZA duxit (1632-1677) omnia in unitatem pantheisticam resumendo. LEIBNIZ (1646-1716), novam quidem conciliationem inter recentiorem et classicam philosophiam intendens [20] tamen, propter suum scientificum rationalismum quo speculationem et experientiam in unum redigere nescivit, ampliorem viam ad crisim Idealismi kantiani aperuit. Floruit *Sensismus antimetaphysicus* in Anglia ubi experientia sola pro speculatione invaluit, ut tandem crisis KANTII (1724-1804) in philosophia oriretur, praecipuum problema constitutura iustificationem Metaphysicae speculativae, scientiae universalis; ita ut tandem proprie dictam speculationem in experientia fundare nesciret, sicque Metaphysica speculativa omni valore obiectivo destitueretur. Positivus Metaphysicae idealisticae constructor, consequentias novae philosophicae habitudinis in extremum ducens, HEGEL (1770-1831) exstitit, *qui per dialecticum* processum omnium originem et rationem in Idea sese infinite evolvente invenit. Saeculum XIX plurimas et extremas reactiones contemplatum est, in extremum *materialismum* (MARX, SPENCER), in *voluntarismum* (SCHOPENHAUER), in *positivismum* (COMTE), in Neokantianismum... Fine vero saeculi XIX *vitalismus* apparuit cuius maximus expositor BERGSON (1859-1941) fuit, sub forma vero *historicismi*, DILTHEY (1833-1911), cuius aliquo modo continuator SPENGLER (1880-1936) fuit.

Nostris vero temporibus Metaphysica extrascholastica plurimis scholis et theoriis evolvitur, ubi praevalent idealismus (GENTILE, CROCE), philosophia *valoris* et *spiritus* (LOTZE, WINDELBAND, BRENTANO, LAVELLE, LE SENNE), *Vitalismus* (UNAMUNO, ORTEGA, SCHELLER...), *Exsistentialismus* (HEIDEGGER, JASPERS, G. MARCEL, SARTRE...).

V. **De methodo in Metaphysica.**

30. Ut scientiae suum terminum recte et certo obtineant, processu cognoscitivo indigent, quo, si recte peragatur, ad praepositum terminum perveniant. Processus quidem cognoscitivus, cognitione enim scientiae perficiuntur; imo, verus processus, scientiae enim non una intuitione constituuntur, sed ex principiis certis certo evolvendae sunt; talisque processus ad terminum non per accidens, sed certo et per se ducere

[20] Cf. ITURRIOZ, *Leibniz en la bifurcación cartesiana:* Pensamiento 6 (1950) 207-215.

debet, ex sua natura, et quidem infallibiliter. Totus talis praevie determinatus processus denominatur *methodus,* hoc est, *iter ad terminum,* sed iter *certo,* et ut tale cognitum, ad terminum ducens.

In determinanda methodo pro unaquaque scientia plurimae interveniunt conditiones, quae fere signum uniuscuiusque philosophiae praesupponunt, involvunt, aut requirunt; unde magna ex parte in praerequisitis uniuscuiusque methodi, principia fundamentalia philosophica iacta sunt; methodus, proinde, frequentissime quasi germine conclusionem ultimam fere includit. Sic ergo quaestio methodi in scientiis, praecipue vero in philosophia, summum acquirit momentum. Methodus autem magna ex parte ex habitudine spirituali ipsius philosophiam conantis dependet; unde dici fere potest, in hac initiali et fundamentali philosophantis habitudine—nucleari modo—iam philosophiam adumbrari posse, dein debita methodo enucleandam, complendam, perficiendam aut forte corrigendam.

31. Initio metaphysici processus etiam nos methodum determinandam suscipiemus, nostram enim investigationem non fortuitis, vagis, errantibus itineribus, sed recta, saltem tuta, et certa via ducere debemus. Ad cuius constitutionem haec iam praesupponimus:

a) Nostra cognitio *vere et certo* obiectum suum attingit; indeque certo res extra nos plures exsistunt, legesque primae et fundamentales nostrae cognitionis rectae et obiectivae sunt.

b) Peculiari modo valor obiectivus nostrae *cognitionis abstractivae* asseritur, tam in ratiocinio inductivo quam in deductivo, admisso quidem cognitionem nostram intellectualem a sensibus initium sumere.

c) Quodammodo etiam praesumimus *obiectum nostrae investigationis ens esse,* quasi quid comprobandum in processu metaphysico; sed inde ab initio nostram viam, qua Metaphysica suo officio fungi possit, ad ens dirigimus, cuius erit et naturam totius realitatis eiusque sensum ultimatim explicare. Haec praesumptio tunc tandem vera invenietur cum in fine itineris in ratione entis intentum plene obtentum invenerimus.

d) Imo, post historicum Metaphysicae eventum consideratum, scholam Aristotelico-Thomisticam ut magis nostro scopo, nostrisque praesuppositis accommodatam iudicamus, unde eius doctrinam quasi ducem, nondum ut inventum terminum, sumimus.

32. Quibus praesuppositis declaratis, sic nostram viam percurrendam praevidemus.

a) Initium quidem ab experientia sumemus, quae nobis plurima entia realia prae oculis proponet; experientia quidem tam interna quam externa.

b) Supra obiectum, experientia propositum, reflexio intellectualis adhibenda; quae non modo sensibilia transcendet, sed etiam quidquid in entibus sit obiectum scientiarum proprium, imo et caeterarum philosophicarum partium; nostrum enim intentum ultra ambitum scientiarum et singularium partium Philosophiae progreditur ex proposito scopo. Unde reflexio haec intellectualis eo usque in via abstractionis pervenire debebit, quo rationem ipsam entis, ut ens est, inveniat omnibus entibus communem, de qua supremas illas quaestiones Metaphysicae proprias ponat, quibus solutis tandem sensus ultimus entis, omniumque entium in clarum procedat.

In qua quidem adinventione entis ut sic intellectuales vires omnes adhibendae sunt, tam discursivae quam intuitivae, si forte his sit locus; nam, ut ait Stus. Thomas, "est rationis proprium circa multa diffundi et ex eis unam simplicem rationem colligere... Intellectus autem e converso per prius unam et simplicem veritatem considerat et in illa totius multitudinis cognitionem capit; sicut Deus intelligendo suam essentiam omnia cognoscit... Sic igitur patet quod rationalis consideratio ad intellectualem terminatur secundum viam resolutionis, in quantum ex multis ratio colligit unam et simplicem veritatem: et rursus intellectualis consideratio est principium rationale secundum viam compositionis et inventionis in quantum intellectus in uno multa comprehendit" [21].

33. *c*) Haec prima et profundissima ratio entis accuratissime evolvenda erit, ut eius proprietates agnoscantur omnibus entibus communes, et ex quibus ipsius entis profundiorem cognitionem hauriemus; imo, forte et principia quaedam entis deducentur, quae in toto entis ambitu hierarchicum ordinem statuant. Qua in evolutione perficienda intellectus adhibebitur discursivus, tam via analytica, quam via synthetica; a priori quidem; utilis tamen etiam discursus a posteriori, quo possint experimentaliter, si forte sit locus, deductiones aprioristicae comprobari.

[21] In *De Trinitate Boëthii* q.6 a.1 ad 3; cf. *S. Th.* 1 q.58 a.3; 2-2 q.49 a.5 ad 3; I *C. Gentes* 57,8; *De ver.* q.15 a.1.

34. *d*) Interna ipsa entis inspectio primas ipsius divisiones ratiocinio deductivo ostendet, ex quibus supremae variorum entium classificationes obtinebuntur.

35. *e*) Evoluta haec entis cognitio locum tandem praebebit optimum ut ultimam entium cognitionem per abstractissimos discurrendi modos intendamus et omnia entia, in illa ratione suprema communicata, contemplemur; sensus ultimus omnium prorsus entium in suprema hac et realissima realitate apparebit, quo tandem nostrum scopum plenissime attingemus.

36. Specialem vero dein tractatum de entibus finitis statuemus, ut ea iterum sub rationibus generalibus considerata penitus quoad suam constitutionem constituantur; reliquum erit ut haec omnia *tractatu* brevi *de causis* compleamus, quo leges mutui entium influxus supremis principiis enuntientur, sicque intima entium natura clarior reddatur.

37. Scholion 1. *De triplici gradu abstractionis.* Metaphysicae natura magna ex parte ex habitudine intellectus dependet, quatenus intellectus sua operatione suum proprium obiectum formale peculiari modo considerandum praeparat. Iam vero, triplex gradus abstractionis dari potest. *a*) Qua obiectum abstrahitur *a mera singularitate;* sic obtinentur corpora cum omnibus suis proprietatibus, excepta singularitate; corpora, quidem, cognitio enim a sensibus initium habet, qui tantum materialia percipere possunt. *b*) Qua obiectum abstrahitur *a singularitate et a proprietatibus sensibilibus;* tunc retinetur tantum materia intelligibilis in quantum habet extensionem sive continuam sive discretam. *c*) Qua obiectum abstrahitur ab omni materia *singulari et sensibili et intelligibili,* et sic obtinetur ens immateriale, sive praecisive sive positive.

Prima illa abstractio fundat *physicam* tam scientificam quam philosophicam; altera abstractio fundat *Mathesim,* tertia vero *Metaphysicam,* quae agit de ente immateriali seu abstracto a materia secundum esse ut investiget essentiam eius per causas absolute ultimas et per eius proprietates.

38. Scholion 2. *De diversis Metaphysicae methodis in Philosophia contemporanea.* In maxima diversitate qua Philosophia contemporanea procedit per diversissimas methodos, quaedam breviter innui possunt, quae in Historia Philosophiae ulterius compleri et perfici poterunt. Inter contemporaneos Auctores hae praecipuae methodi vigent:

a) *Methodus axiologica,* cuius fundamentum cognoscitivum est quaedam intuitio emotionalis qua tendimus in obiectum proprium non ad ens sed ad valorem; unde ordo huic cognitioni correspondens non *est* sed *valet.* De hac philosophia axiologica quaedam ulterius in textu dicentur.

b) *Methodus intuitiva* cuius fundamentum est intuitio. Haec methodus non agnoscit valorem primarium methodo discursivae, intellectuali; ad summum intellectus valorem habet tantum practicum et utilitarium, forte etiam ad analysim instituendam circa intuitiones habitas. Hac methodo procedit metaphysica vitalistica, eiusque praecipui fautores etsi peculiaribus notis sunt BERGSON et BLONDEL (1861-1949). Tendentia haec intuitionistica magnum favorem in hodierna philosophia invenit.

c) *Methodus aporetica seu problematica.* Intellectus noster capacitatem non habet directe et proprie problemata philosophica, praecipue, metaphysica solvenda; ideoque nostrum non est nisi problemata suscitare, eaque ellaborare quin tamen ultimo ad eorum solutionem pervenire conemur. Sic aliquando N. HARTMANN (1882-1950), etiam UNAMUNO (1864-1936).

d) *Methodus historica.* Historia dicitur fons omnium cognitionum. Nostra ergo mens proprie non habet capacitatem problemata authentica ponendi, sed tantum ea inveniendi in historia; cum enim historia sit evolutio vitae eiusque manifestatio, ea in sua evolutione problemata posuit eorumque relativam solutionem descripsit. Methodus haec praecipue proposita a DILTHEY maxime hodie excolitur, cuius fundamentum in quodam scepticismo arrationali ponendum est.

e) *Mehodus deductiva* minus hodie excolitur; praedominium vero habuit in rationalismo cartesiano, leibniziano... et in idealismo praecipue hegeliano. Etiam ipsa philosophia Scholastica ad hanc methodum quodammodo pertinet.

f) *Methodus phaenomenologica* a HUSSERL (1859-1938) proposita et a HEIDEGGER (1889) adaptata fundamentum est recentissimae Metaphysicae; quae directam experientiam ipsius entis in quantum ens est intendit per comprehensionem intuitivam phaenomenorum, quae non sunt falsae apparentiae entis, sed ipsa eius *patentia* et directa manifestatio. Sic tandem sperat posse pervenire ad revelandum mysterium entis.

VI. **Conclusiones.**

39. *Metaphysicae ergo obiectum* proprie dictum, *ens* est *reale, ut ens est et ut reale.* Non vero ens ad modum *ontologiae fundamentalis,* quae dicitur, detegendum via fere experimentali aut phaenomenologica, sed ens cum suo plenissimo sensu (*el ser y su sentido*).

40. Unde Metaphysica *definiri* potest *Scientia* (*philosophica*) *quae ens in quantum ens contemplatur.*

41. *Methodum* suscipimus *aristotelico-thomisticam* in valore cognitionis intellectualis etiam discursivae fundatam.

42. Metaphysicam intelligimus, ad modum aristotelico-thomisticum, non in generalem et particularem dividi, sed unam tantum esse quae definitum obiectum sibi proponit, sub se tam sic dictam Ontologiam, seu Philosophiam de ente, quam Theologiam, seu Philosophiam de Deo, amplectens. Cosmologiae vero et Psychologiae verum metaphysicum characterem non agnoscimus; quod quidem, cum (nostro iudicio) certum verumque sit, tamen, ex rationibus potius paedagogicis, tractatum de Deo et de ente finito quodammodo a considerationibus de ente generalibus secernimus.

43. Huius ergo Metaphysicae partes, etsi proprie non dentur, tamen ex paedagogia sic annumerari possunt: *Liber primus,* tractatus de ente, qui **Ontologia,** sensu proprio nuncupari potest; *alter liber* tractatum de ente finito amplectetur in duas partes divisum; quarum prima erit tractatus *de praedicamentis* qui **Categoriologia** nuncupari potest; altera, vero, complementaris, etsi vere a prioribus requisita, tractatus *de causis,* qui **Aetiologia** appellabitur.

LIBER I

Ontologia

Quod olim et nunc et semper quaesitum est et semper dubitatum, quid sit ens (ARISTOTELES, *Metaph.* VII,1; 1028b2-4).

44. "Quid est ens, hoc nihil aliud est quaerere et dubitare, quam quid est substantia rerum" commentatur STUS. THOMAS, cuius hae sunt historicae explicationes: "'hoc enim ens', scilicet, substantiam, quidam dixerunt esse unum et immobile, sicut PARMENIDES et MELISSUS; vel mobile, sicut antiqui naturales ponentes unum tantum materiale principium rerum. Solam autem materiam putabant ens esse substantiam. Et sic patet, quod cum ponerent unum ens propter unum materiale principium, per unum ens intelligebant unam substantiam. Quidam vero posuerunt plura entia quam unum, qui scilicet posuerunt plura principia materialia, et per consequens plures rerum substantias. Quorum quidam posuerunt ea finita, ut EMPEDOCLES quatuor elementa; quidam vero infinita, ut ANAXAGORAS infinitas partes consimiles et DEMOCRITUS infinita indivisibilia corpora" [1].

45. Quodsi magna de ente quaestio antiquitatem philosophicam in varia traxit, nostra moderna aetas mentem metaphysicorum in contraria et extrema devenientem contemplata est, cum inde ab initiis ipsis modernae philosophiae problema de ente, in contrarias fuerit et inconciliabiles sententias solutum.

46. Ens finitum "compositio entis et non-entis" a CAMPANELLA est dictum [2]; infinitum vero, Deum, NICOLAUS CUSANUS "omnium complicationem etiam contradictoriorum" [3] scripsit: "Sic contrapositiones in pluralitate entium inventas CAMPANELLA in favorem entis finiti, CUSANUS vero in favo-

---

[1] S. TH., in VII *Metaph.* l.1.
[2] CAMPANELLA, *Univ. Philosophia*, II,6.
[3] NIC. CUSANUS, *Docta ignorantia*, I,22.

rem entis infiniti resolvit. Posterior Philosophia moderna alterutram sententiam elegit, Pantheisticam quidem post CUSANUM GIORDANO BRUNO, post quem SPINOZA, SHAFTESBURY, ROBINET, DIDEROT, DESCHAMPS, BUFFON, HEMSTERHYS, HERDER, GOETHE, HEGEL, SCHELLING, NIETZSCHE et fere moderni vitalistae annumerandi sunt. Finitismum autem nostris diebus post materialismum sic *Exsistentialistae* quidam in extremum duxerunt, ut ipsum nihilum rationem entis ultimam dixerint [4].

47. Ecce historia ipsa internam entis tensionem profundissimumque in eo involutum problema paulatim evolvit. Quid ergo sit hoc ens, quod cum nullum sit entium, omnia tamen est, cuiusque comprehensio minima quidem apparet, cuicumque intelligentiam habenti proxima et prima; ac simul ditissima et ubertate infinita plena, cuius perfecta comprehensio intellectui creato dabitur numquam? Hoc est quod ARISTOTELES olim et nunc semper quaesitum et semper dubitatum dixit.

[4] Cf. J. ITURRIOZ, *Lo finito y la nada:* Actas del Primer Congreso Nacional de Filosofía (Mendoza, Argentina) vol.2 p.792s.

PARS I

DE ENTE IN SE SPECTATO

CAPUT I

Inventio et descriptio entis

48. ARISTOTELES, *Metaph.* XII et X; S. THOMAS, *Comm. in Metaph., De ente et essentia, De veritate* q.1; CAIETANUS, *Enarrat. in De ente et essentia. De conceptu entis;* SUÁREZ, DM d.2 s.1-4; SLADECZEK, *Die verschiedenen Bedeutungen des Seins nach dem hl. Thomas von Aquin:* Schol 5 (1930) 192-209; BLONDEL, *L'être et les êtres.* Essai d'ontologie concréte et intégrale (Paris 1935); LAVELLE, *De l'être* (Paris 1948); MARITAIN, *Sept leçons sur l'être.*

N. B. Generatim in his notis bibliographicis non citabuntur manualia scholastica, quae, si ad manus alumnorum praesto sint, facile ab his consuli poterunt. Commendari possunt inter alios hi auctores: DE MARIA, SCHIFFINI, PALMIERI, URRABURU, MENDIVE, Z. GONZALEZ, ZIGLIARA, MERCIER, BALMES, MONACO, HUGON, GREDT, MAQUART, DONAT, Van WOESTIJNE, CUESTA, ARNOU, DEZZA, DELMAS, QUILES, DÁVILA, DE RAYMAEKER, REMER, PESCH, FRICK, WILLEMS et alii.

Possunt etiam generatim varia Dictionaria philosophica consuli. Inter plura, haec commendari possunt: EISLER, *Wörterbuch der philosophischen Begriffe;* BRUGGER, *Wörterbuch der Philosophie;* LALANDE, *Vocabulaire technique et critique de la Philosophie* (Paris 1951); SCHUETZ, *Thomaslexikon;* FERNANDEZ GARCIA, *Lexicon scholasticum philosophico-theologicum;* RUBERT CANDAU, *Diccionario de filosofía.*

49. Metaphysicum iter aggressuri, illud nobis primum omnium erit, ut obiectum ipsius prae oculis habeamus, nam etsi "quod primo intellectus concipit quasi notissimum et in quod conceptiones omnes resolvit, est ens"[5], et "quod primo cadit in apprehensione est ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit"[6], tamen ipsa historica aporiarum circa ens relatio, et problematum, circa illud positorum, gravissimum momentum, validissime eius accuratissimam ellucidationem curandam monet. Caeterum, iam exinde liceat animadvertere plenam entis ideam nonnisi in fine integri tractatus metaphysici adeptum iri, imo eam ininterrupta investigatione per integram vitam esse clarificandam, donec tandem lumine gloriae —sic Deus velit— clara, quantum humano intellectui pervium est, reddatur.

[5] S. TH., *De ver.* q.1 a.1.
[6] S. TH., *S. Theol.,* 1-2 q.94 a.2.

ARTICULUS I

DE METAPHYSICO EX IDEA ENTIS EXORDIO

Thesis 1. Entis ut sic idea ab experientia sive interna sive externa ope rationis abstrahentis sumenda est.

50. Ex introductione definitum est, obiectum Metaphysicae *ens ut sic* esse [7]. Nostrum nunc est, quod tunc fere historice et quasi per praesumptionem habebamus, illud methodice sic prae oculis constituere ut iam vere obiectum scientiae haberi possit. In qua investigatione quae de methodo metaphysica in introductione dicta sunt [8] plenum habent locum, ita ut ex praesuppositis philosophicis principiis iam ex ipso hoc ortu iter metaphysicum decidatur. Ex realitate plena quaerimus obiectum proprium Metaphysicae de facto iam habendum; eius intellectualis possessio erit primus metaphysicus gressus.

51. Sententiae. a) *Theoria idearum innatarum,* varie proposita, rem facile solvit. Noster enim animus ideam entis ante unionem cum materia contemplatus est, quam nunc, entia plura expertus, recordatur: sic PLATO. Idea entis, sicut et plures aliae, nostro intellectui a natura indita est, qui ante omnem experientiam eam possidet: sic alii plures.

b) *Ontologismus,* vero, ideam entis, imo ipsius Dei, intuitione directa et immediata in omnibus entibus percipit sine ulla rationali elaboratione.

c) *Kantianismus* ideam entis, sicut et omnium universalium, a priori, independenter ab experientia, ab intellectu efformatam dixit.

d) *Arrationalismus modernorum* ens pluribus viis obtinet, si obtineat; illud commune et ut praecipuum axioma dictitans, omnem rationalem discursum esse a philosophia excludendum: sic, ergo, ens alii per intuitionem, alii per voluntariam appetitionem... obtinent.

e) *Aristotelismus thomisticus,* imo et tota philosophia perennis et christiana, exordium cognitionis entis reposuit in experientia; quae, quidem, per discursum mentis perficienda est ut tandem abstractissima entis immaterialis et communis-

[7] Cf. supra, n.19.
[8] Cf. supra, n.30ss.

simi idea haberi possit. Haec adinventio, quatenus platonicas ideas excludens, fere initium historicum systematis est; quatenus problema criticum et psychologicum de origine et valore idearum solvens, principem fere aristotelicam doctrinam, huic casui applicatam, enuntiat.

52. *Nos vero,* huic systemati Aristotelico-thomistico adhaerentes, ex principiis criteriologicis et psychologicis hac schola firmis, ideam entis ut sic in experientia, tam externa quam interna, ortum habere dicimus, quae per rationem abstrahentem exculta, obiectum Metaphysicae proprium tandem obtinet.

53. Ostenditur. 1) *ex experientia externa simul cum ratione abstrahente*:

a) Pluralitas fere infinita variae realitatis experientiae externae plurimorum hominum in decursu historico sese offert; singuli quoque homines pluralitatem illam aliquo gradu experiuntur, et circa illam pluralitas quoque scientiarum constituta est.

b) Inde, materialia omnia in unum redacta obiectum scientiarum Physicarum constituunt, quarum est descriptio factorum et legum tam circa corpora non viventia (Scientiae physicochimicae), quam circa viventia (Scientiae biologicae plurium artium, et Scientiae, quae dicuntur, spiritus). Haec vero corpora ulteriori gressu, philosophice iterum considerantur, ut eorum natura et activitas in multiplici ordine, tam materiali, sive vivente sive non vivente, quam spirituali examinentur.

c) Imo, haec ipsa corpora possunt subtiliori etiam considerationi ex experientia ortae submitti; nam, a materia singulari et sensibili exuta, possunt materiam intelligibilem scientificae investigationi praebere, cuius erit relationes aequalitatis et inaequalitatis investigare, quod est Scientiarum mathematicarum proprium.

d) Imo vero, entia, tam corporalia ab omni materia, etiam intelligibili, exuta, quam spiritualia, sive in corpore esse possint sive ab ipso essentialiter pura, possunt communi ultimae considerationi submitti, in qua, et a singularitate et a materiali omni determinatione libera, unam omnibus communem immaterialem ideam praebeant.

e) Mens per abstractionem ab omni materia, ut ipsi pervium est, hunc ultimum gradum obtinere potest: tunc com-

munis una ratio elucescet immaterialis, sive praecisive sive positive, quae dicetur *ens ut sic.*

Mens, ergo, ope rationis abstrahentis, ab experientia externa exordiens ideam *entis ut sic* immaterialem et omnibus communem obtinet.

54. Ostenditur.2) *ex experientia interna simul cum ratione abstrahente.*

a) Pluralitas uberrima in experientia interna invenitur: invenio memetipsum, activitatem internam: sentio enim, volo, recordor, intelligo; activitatem ordinis inferioris: experior enim vitam meam vegetativam, imo et phaenomena ordinis pure anorganici, impulsu moveor, pondere premor, etc.

b) Si intellectualis comparatio inter haec interiora phaenomena instituitur, quaedam invenio permanentia, alia transeuntia; alia superioris ordinis etiam spiritualis, alia inferioris; alia necessario adveniunt, alia libertate mea procedunt...; et tamen omnia sunt, experior enim. Inveni, ergo, *esse* independens et a permanentia et a transitu; et a spiritu et a materia, et a vita et a non vita... Hoc tamen *esse* ut *meum* esse possideo.

c) Interna vero experientia etiam aliorum entium realitatem exprimit: agunt enim vere in me, nam sentio et calorem et pondus...; imo, video, audio, tango... Activitas interna, v. gr. intellectus et voluntatis, in obiectum tendit quod saepe ipse non sum. Praeterea, ipsa mea intellectualis vis eo usque in reflexione pervenit ut quid aliud supremum admittendum certissime concludat, quod mei ratio sit, quod ipsum ego non sum. Ea vero omnia *sunt.* Unde *esse* potest *meum* esse et *non meum.*

d) Ultima abstractione *esse* invenio intellectualiter quod omnibus commune est; nullum vero eorum est, sed quodcumque eorum esse potest. Hoc est quod *ens ut sic* dicitur.

Mens, ergo ope rationis abstrahentis ideam entis ab experientia interna habere potest quae omnibus communis sit.

55. *Confirmatur.* Validitas argumenti ex interna experientia etiam argumento extrinseco confirmari potest. Contra Scepticos S. AUGUSTINUS deduxit: "si enim fallor, sum"[9]; DESCARTES initium philosophiae in experientia interna invenit: "Cogito ergo sum"[10]. STUS. THOMAS reflexionem supra actus ipsius intellectus agnoscit, imo et ipse KANT ab experientia interna initium sumit. Quod

[9] S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei* 11,26.
[10] DESCARTES, *Discours de la Méthode.*

vero Philosophi, tantopere inter se differentes, investigationem ad experientiam internam dirigant, huius valorem initialem aliquomodo indicare et confirmare sine dubio videtur.

56. Scholion. *Maior ellucidatio obiecti Metaphysicae. Ens ut sic,* quod obiectum Metaphysicae constituit, ens est immateriale; hoc vero tam praecisive: quatenus ens ut sic a materia abstrahi potest et in ea etiam verificari, quam positive: quatenus *ens ut sic* ab ente immateriali abstrahi et in ipso verificari potest. Expressio ergo *ens ut sic* ens dicit mere quatenus ens, quatenus non est hoc vel illud ens, potens tamen hoc vel illud esse. Imo, vere notandum est, obiectum metaphysicae non esse puram rationem entis, sine ulla relatione ad ea quae talia entia sunt, sed ea omnia et singula respicere, non vero ut talia sed tantum quatenus unumquodque eorum ens est. Sic vere Metaphysica scientia universalissima et suprema dici potest; quod si eius obiectum ipsa tantum formalis ratio esset, tunc scientia nec universalissima esset, nec ullius fere momenti, imo nec scientia quidem, cum unam tantum rationem in se considerandam ut obiectum haberet.

ARTICULUS II

De ratione entis

Thesis 2. Ens est aptum esse

57. *Consideratio grammaticalis.* Vox haec, barbara in latinitate, translatio est verbi *on* graecorum, specialiter Aristotelis, quae a Flavio, iuxta Quintillianum[1] perfecta est. Philologice *ens* participium praesens est verbi *esse*. Ut terminus verbalis tria includit: a) *subiectum* aliquod de quo forma praedicatur; b) *formam* quae de subiecto praedicatur; c) *tempus* quo forma subiecto convenit. Sic *ens* grammaticaliter significat *subiecto*—hic indeterminato—formam *esse nunc* convenire. *Esse* autem, ut explicat Stus. Thomas, multiplex est: "Uno modo dicitur *esse* ipsa quidditas vel natura rei, sicut dicitur quod definitio est oratio significans quid est esse: definitio enim quidditatem rei significat. Alio modo dicitur *esse* ipse actus essentiae, sicut vivere, quod est esse viventibus; est animae actus, non actus secundus qui est operatio, sed actus primus. Tertio modo dicitur *esse* quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod est dicitur copula"[2]. Similiter interpretatio grammaticalis verbi ens multiplex erit iuxta multiplicem significationem formae *esse*

[1] Quintillianus, *Institut.* 8,3,33.
[2] S. Th., I *Dist.* 33 q.1 a.1 ad 1.

58. *Consideratio psychologica.* Intellectus nostri obiectum est ens; sub quo omnia apprehendit, est primum et obvium in obiecti apprehensione. "Illud autem quod primo intellectus concipit, quasi notissimum et in quo omnes conceptiones resolvit, est ens...; unde oportet quod omnes aliae conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens" [3]. Idea vero *ens* terminus est processus abstractivi, quem in articulo praecedenti innuimus. Inde imago quaedam intentionalis et spiritualis menti relucet, qua mens simul omnia uno unico actu quodammodo cognoscit, non vero ut singularia individuantibus notis alia ab aliis distincta, sed prout in omnibus obiectiva et vera adest similitudo communis, etsi imperfecta, quam mens per abstractionem cognovit a dissimilibus separatam; sic in mente imago omnium omnibus similis relucet, quae *ens* dicitur. Etiam hoc aspectu *ens,* tandem, ordinem obiectivum a mente independentem dicit, in quo plurima adsunt quae ante mentis operationem inter se similia sunt; hanc unitatem mens cognovit, ex qua idea concepta est *ens* prout a mente expresse agnita fuit.

59. *Consideratio logica.* Verbum *esse* in ordine logico valorem habet copulativum, eo enim aliqua forma de subiecto in iudicio praedicatur; *esse* ergo in eo ordine praesupponit et exprimit iudicium mentis affirmantis aut negantis de subiecto, pro hoc vel illo tempore, formam aliquam in praedicato expressam. Valor ipse copulativus verbi *esse* tandem in ordinem ontologicum reducitur, cum praedicatio vera non mere statum mentis sed ordinem potius realitatis designet [4].

60. *Consideratio metaphysica.* Ens sub consideratione metaphysica ipsam realitatem, a qua abstracta est, respicit; illud minimum exprimit quo omnia inter se similia sunt. Illa autem minima et fundamentalis similitudo in eo est quod omnia *sint,* praeter quam quod hoc vel illud sunt; omnibus ergo *esse* convenit. Iam vero: cum illa mutua similitudo etiam inter ea adsit *quae* quidem *fuerunt* etsi iam non sunt; et inter ea quae *nondum sunt* sed erunt aut esse poterunt, hoc enim ipsum *posse esse* aliquid supponit omnibus vere commune (idque ex comparatione cum impossibilibus apparet), inde *ens,* sub consideratione metaphysica, terminus est qui a tempore praescindit quo *esse* subiecto convenit; non ergo sensu verbali *participiali* sumitur, sed *nominali,* quo tantum hoc

[3] S. TH., *De ver.* q.1 a.1. Cf. *De ente et essentia,* prooem.
[4] Cf. S. TH., *In V Metaph.* 1.9.

dicit: formam illam *esse* subiecto convenire, quin expresse affirmetur quando aut quo ordine talis convenientia detur. *Ens* ergo, metaphysice consideratum, *aptum quid ad esse* dicit.

61. Ostenditur thesis. Ens *participialiter* sumptum significat ens *habens actu esse; nominaliter* vero ens *aptum esse.* A. Ens, ut in Metaphysica adhibetur, nominaliter est sumendum, E. *ens,* ut in Mtaphysica adhibetur, significat *aptum esse.*

Maior: *Participialiter* enim tempus significat quo *esse* subiecto convenit; *nominaliter* vero, a tempore praescindens, aptitudinem tantum dicit ut subiecto forma convenire possit.

Minor: *Ens,* ut considerationi metaphysicae subest, omnia et quae sunt, et quae fuerunt, erunt aut esse poterunt, sub eo minimo aspectu continet in quo convéniunt. A. non sunt similia in tempore quo forma *esse* subiecto conveniat, ergo *ens* a tempore praescindit, hoc est, *nominaliter* sumitur.

62. Corollaria.

1) Ens ergo est conceptus simplicissimus, indeterminatissimus, in comprehensione minimus, in extensione vero maximus.

2) Ens ergo est conceptus universalissimus et communissimus, sub quo et maxima et minima, perfectissima et imperfectissima, actualia, futura, praeterita et possibilia dicuntur. Inde vero nondum conceptus universalis, sensu logico, dici poterit.

3) Notio entis proprie indefinibilis est sensu dialectico, siquidem irresolubilis in genus proximum et differentiam, aut in partes physicas essentiales.

4) Notio entis *nominaliter* sumpta de omnibus essentialiter praedicatur (quod dein clarius patebit); *participialiter* vero soli Deo essentialiter convenit, reliquis non nisi accidentaliter (sensu dialectico).

63. Scholion 1. In hac, quae videtur simplicissima, expositione problemata implicantur difficillima, quae ulterius exponenda et solvenda erunt: siquidem illa communis similitudo omnium in analysim redigenda erit ut appareat utrum perfecta an imperfecta sit, inde sequetur quaestio, utrum omnia sub uno entis conceptu perfecte repraesententur; ideoque utrum conceptus entis unus sit; inde alia erit quaestio utrum ratio entis entibus analogice an univoce conveniat; acclaranda erit abstractio qua ratio entis ab entibus obtenta fuit, imo et contractio qua ex abstractione ad status inferiores descendit... Quae omnia paulatim

explicabuntur, omnia enim haec unum unicum problema ponunt etsi sub diversis aspectibus diversisque gressibus institutum

64. Scholion 2. Imo hic etiam radix diversificativa discipulorum SANCTI THOMAE invenitur. Formula enim *aptum esse* diversimode intelligi potest; *esse* enim formam exsistentiae significare potest, quae a re seu suo subiecto distincta sit; tunc formula *ens est aptum esse* dicet: *ens est res seu essentia apta per exsistentiam actuari;* ibi includetur schola sic dicta Thomistica; aut etiam *esse* ipsam essentiam significare potest, et tunc *ens* dicet *habens essentiam realem,* ubi realis essentia dicitur quae ad exsistentiam venire potest; sic schola suareziana. De quibus posterius agendum erit. Valeat nunc omnibus communis definitio, ens est *aptum esse.*

ARTICULUS III

DE ESSENTIA

Thesis 3. Essentiae sunt cognoscibiles.

65. Nexus. Vi saltem considerationis grammaticalis duplicitas quaedam in ratione ipsa entis aliquomodo apparere dici potest; terminus enim verbalis subiectum designat in determinato tempore formam habens. Sic ergo etiam in ipsa ratione *entis* quasi subiectum invenimus quod dicitur *aptum esse.* Hoc vero subiectum *essentia* est.

66. Notiones. ESSENTIA est translatio verbi graeci *ousia,* etiam a FLAVIO peracta [1]. Et est *id quo ens est ens illud quod est,* et quo ab omnibus aliis distinguitur. Cum illa aptitudo ad *esse* omnibus entibus uno vel alio modo communis sit, illud quo ens ab alio ente differt est illud quasi subiectum quod aptum esse concipitur. Sed *aptitudo ad esse* haec vel illa erit dependenter ab ipso subiecto quod aptum dicitur; imo, ipsum *esse,* ad quod subiectum aptum dicitur, tale erit quod subiecto convenire debeat; sed, iterum, subiectum illud, in tantum verum erit subiectum, in quantum *esse* convenire ipsi potest.

Sic tandem apparet essentia esse re vera entis cuiuscumque constitutiva, eiusque in linea entis et in eius participatione et gradu determinativa. Ex quibus essentia etiam dici potest

[1] QUINTILLIANUS, *Institut.* 2,14,2.

quod aptum est esse, ubi ipsa aptitudo ad *esse*, ut essentiae ipsius constitutiva ponitur, ita ut essentia dici possit *aptitudo ad esse;* erit enim haec vel illa essentia prout haec vel illa aptitudo ad *esse* sit, et viceversa. Inde, in tantum essentia in quantum apta *esse;* in tantum apta *esse*, in quantum essentia [2].

67. Breviter ergo essentia definiri potest *id quo ens est id quod est.* Sic, ens nominaliter sumptum et essentia inter se sicut concretum et forma eiusdem constitutiva considerari possunt, seu tamquam *id quod* aptum est ad *esse* et *id quo* aptum est ad *esse*.

68. *Alia nomina essentiae.* Essentia in usu philosophico etiam dicitur:

a) *Quidditas*, quia essentia est quod includitur in definitione; per definitionem respondetur quaerenti *quid* res sit.

b) *Natura*, natura enim est principium radicale operationum entis (ut posterius exponetur); essentia vero est radix proprietatum et operationum.

c) *Forma*, formae enim est specificare et determinare; essentia vero determinat aliquid ut hoc tale, in hoc tali entitatis gradu constitutum sit.

d) *Substantia* (etsi raro), essentia enim est quod rei consistentiam dicit [3].

69. *Proprietates essentiae.* Essentiae si absolute et secundum statum metaphysicum considerentur, has habent proprietates:

N. B. Essentiae in triplici statu considerari possunt:

a) *In statu physico*, tunc essentia intelligitur prout in statu physico et reali iam habetur: sic essentia huius hominis Pauli hic et nunc realiter viventis; Paulus enim, ut homo realis et physicus, propriam habet essentiam, hanc nempe animam et hoc corpus in unione physica.

b) *In statu metaphysico seu absoluto*, tunc ea tantum dicit, quae ut constitutiva elementa talis essentiae in sua prima et radicali ratione includuntur. *Absolutus* dicitur hic status quia a nulla conditione dependet, quae vero in illo includuntur omnibus statibus conveniunt. *Metaphysicus* vero, quia independens est a conditione physica et a considerationibus ordinis physici. Sic, essentia hominis, in statu metaphysico considerata, haec duo elementa includit: *animal et rationale*, quin dicatur utrum haec elementa ut physica an ut universalia considerentur.

---

[2] Cf. S. Th., *In Periherm.* 1.5.
[3] Cf. S. Th., *De ente et essentia* c.1.

c) *In statu abstracto sive logico,* tunc essentiam dicit prout in pluribus multiplicabilem, seu universalem; haec enim universalitas seu multiplicabilitas a consideratione logica per abstractionem dependet, etsi fundamentum in ipsa natura habeat.

a) Sunt *necessariae, indivisibiles et immutabiles.* Quoniam essentia est id quo res quaevis est id quod est, numquam talis res habebitur quin haec talia eius elementa constitutiva habeantur, ita ut si eorum aliquod desit (contra necessitatem), aut aliud novum addatur (contra indivisibilitatem), aut in aliud mutetur (contra immutabilitatem), nova essentia, non illa primordialis, habeatur.

b) Sunt *aeternae,* in quantum earum natura et constitutio non huic vel alteri tempori sit alligata, sed independenter a conditione temporali datur (aeternitate quae dicitur *negativa*); imo, essentiae omnes ab aeterno ut Dei imitationes finitae possibiles sunt, Deus enim infinite imitabilis est, et essentiae possibiles ab eius divina mente ab aeterno cognoscuntur (aeternitate *positiva*).

70. *Divisiones essentiae.* Essentia potest esse:

physica, et est essentia secundum quod est in re independenter a mentis consideratione. Sic essentia hominis physica constituitur unione corporis (materiae) et animae spiritualis; sic enim homo in ordine reali dari potest. Haec essentia physica potest esse actualis et possibilis, ut dicetur;

metaphysica est essentia secundum notas puras et absolutas quibus in proprio entis gradu constituitur. Haec vero metaphysica, *proprie dicta,* si *stricte* sumatur, notas implicat communem cum aliis essentiis et differentialem ab illis, et quidem distinctas secundum rationem distinctione perfecta. Haec essentia in definitione metaphysica proprie dicta exprimitur. Si *minus stricte* sumatur, tunc essentia notas implicat communem et differentialem, non tamen perfecte inter se ratione distinctas. Metaphysica *improprie dicta* est quae proprietates designat quibus ens aliquod, ita describitur ut a reliquis distingui consequenter possit.

71. Potest etiam esse

actualis, quae actu exsistit (sive physica sive metaphysica);

possibilis quae actu exsistere potest (sive physica sive metaphysica). Erit vero *pure* possibilis, quae actu non exsistit sed exsistere potest; *mere* sive *praecisive* possibilis quae exsistere potest quin actualem exsistentiam neget aut affirmet.

72. Potest etiam esse

simplex si uno tantum elemento constituitur (sive in ordine physico sive metaphysico actualis vel possibilis);

composita si pluribus elementis constituitur (sive physicis sive metaphysicis; sive actualibus sive possibilibus).

73. Tandem dicitur *essentia realis* quae realiter esse potest; haec vero non est cum physica confundenda, nam etiam metaphysica essentia realis est; nec cum actuali, nam et possibilis realis est, cum essentia realis non nisi aptitudinem implicet ad vere esse. Ipsi contraponitur unice *non-ens* de quo posterius agetur.

74. *De essentiarum cognoscibilitate.*

Status quaestionis. Intimus adest nexus inter ens et essentiam ita ut convertantur; etsi psychologia ut obiectum intellectus ens habeat, tamen, propter difficultatem nobis inhaerentem res ultra sensus cognoscendi, quam breviter quaestionem instituere debemus valde generalem, utrum nobis via adsit ad veram cognitionem essentiarum.

75. Sententiae.

a) PLATO possibilitatem eo usque affirmavit ut essentias separatas, seu ideas, obiectum dixerit proprium et immediatum nostrarum cognitionum.

b) *Materialismus,* sub pluribus formis Empirismi et Positivismi possibilitatem essentias cognoscendi negavit: valeant haec nomina: LOCKE († 1704) ut sensista, HUME († 1776) ut empirista, COMTE († 1857) ut positivista.

c) *Relativismus* sub forma *Historicismi,* cum mechanicismum physico-chimicum ex philosophia omnino reiiciendum decreverit, essentias et naturas tenuit proprie non dari, speciatim si de homine agatur; historia enim est quae quid homo sit enuntiat, eiusque est determinare quid homo valeat.

d) *Vitalismus intuitionisticus,* et omnis forma philosophiae *arrationalis,* omnino essentiarum cognitionem reiicit, essentiae enim conceptus tantum *intellectus* sunt, minoris aut nullius valoris scientifici. Valeat nomen Henrici BERGSON (†1941).

e) HUSSERL essentiarum cognoscibilitatem immediatam via *phaenomenologiae* ab ipso explicatae docuit.

f) *Exsistentialismus* hodiernus essentias—speciatim cum

de homine agat—negat, saltem sensu consueto; tantum enim exsistentia datur, quae libera actione tandem et ultimo quid homo sit statuit.

g) *Doctrina classica* semper et immutabiliter ut fundamentalem doctrinam philosophiae essentiarum cognitionem habuit; ita ut tota philosophia in eo fere versetur, quod viam ad cognitionem essentiarum in *Critica* aperiat, operationes intellectuales designet quibus mens in via procedat, essentias corporum, hominis investiget, earumque supremam naturam et sensum in Metaphysica proponat.

76. Nos quoque, iuxta doctrinam classicam, tenemus essentias quidem esse cognoscibiles, quin nunc concreto dicamus qualesnam tales sint. Doctrinam summi momenti ducimus, quasi punctum cardinale nostrae philosophiae, in quod tandem omnes philosophicae doctrinae refluunt, speciatim quae de valore cognitionis pertractant. Hic speciali modo recolantur quae de methodo metaphysica superius sunt dicta. Res vero ex nostris praesuppositis breviter dillucidari potest.

77. Ostenditur *ex experientia.* Essentiam intelligimus id quo res quaevis est id quod est. A. de nonnullis saltem, quo id sint quod sunt cognosci potest. E. essentiae cognoscibiles sunt.

Maior. Ex definitione superius proposita.

Minor. Essentias directe et immediate intueri non quidem possumus; sed ex effectibus et proprietatibus ad primam earum radicem obtinendam assurgendo, per sensibiles qualitates ad intimam rei constitutionem penetrando ope vis abstractivae intellectus, nonnumquam, saltem, nobis licet scire, quaenam radix sit prima omnium entis activitatum, et proprietatum, et quasi fundamentale sustentaculum omnium qualitatum. Sic, exempli gratia, quid homo sit scimus, tam ordine physico—materia spiritu informata—, tam ordine metaphysico, animal rationale. Hoc vero essentiam esse inde scimus, quia eo ita hoc ens in se constituitur ut ab omnibus aliis radicaliter distinguatur; eoque posito iam tunc omnia in homine explicanda recte explicantur, secus autem eo non posito.

78 Scholion 1. *Evolvitur definitio essentiae.* Saepe in definitione essentiae alterum membrum additur: quo *ens ab omni alio distinguitur.* Proprie et formaliter, id quod essentia obtinet hoc est, quod illud ens tale ens sit; sed, eo posito, iam

inde immediate consequitur illud ens iam nullum aliud esse, ideoque ab omni alio distingui; nam si ens illud, per essentiam constitutum, adhuc non sufficienter a reliquis entibus distingueretur, id supponeret talem essentiam nondum esse id quod est, cum adhuc etiam possit esse id quod non est. Elementum vero distinctivum non parvi momenti est, non enim raro inde definiri potest utrum omnia elementa talem essentiam constituentia re vera inventa fuerint necne; imo non raro utilius est elementum distinctivum essentiae quam elementum constitutivum.

79. Scholion 2. *Quinque transcendentalia.* Res, aliquid... Simul cum nomine entis et essentiae alia etiam nomina veniunt, quae, ut *transcendentalia,* omnibus aliquo modo applicari possunt. De quibus sic STUS. THOMAS: "... modus generaliter consequens omne ens; et hic modus dupliciter accipi potest; uno modo, secundum quod consequitur omne ens in se: alio modo secundum quod consequitur unumquodque ens in ordine ad aliud. Si primo modo, hoc dicitur quia exprimit in ente aliquid affirmative vel negative. Non autem invenitur aliquid affirmative dictum absolute quod possit accipi in omni ente, nisi essentia eius, secundum quam esse dicitur; et sic imponitur hoc nomen *res,* quod in hoc differt ab *ente,* secundum Avicennam quod *ens* sumitur ab actu essendi, sed nomen *rei* exprimit quidditatem sive essentiam entis... Si autem modus entis accipiatur secundo modo, scilicet secundum ordinem unius ad alterum; hoc potest esse dupliciter. Uno modo secundum divisionem unius ab altero; et hoc exprimit hoc nomen *aliquid;* dicitur enim aliquid quasi aliud quid; unde sicut ens dicitur unum, inquantum est indivisum in se; ita dicitur aliquid, inquantum est ab aliis divisum..." [4]. Hoc eodem textu deducuntur etiam alia attributa entis *unum, verum, bonum.* Haec transcendentalia uno verbo enuntiantur; *reubav* ex initialibus confecto, nempe, res, unum, bonum, aliquid, verum [5].

80. Obiectiones. 1. Cognitio fundatur in sensu. Sed sensus non potest essentias cognoscere; *ergo* essentiae incognoscibiles sunt.

Dist. mai: fundatur in sensu, hoc est, habet originem in sensu, *conc.*; fit et perficitur ab ipso sensu, *nego. Conc. min.* Et *dist. pariter cons.*: incognoscibiles sunt sensibus, *conc.*, omni cognitioni etiam superiori, *nego.*

---

[4] S. TH., *De ver.* q.1 a.1.
[5] Cf. ELORDUY, *To ti en einai en Aristóteles.*

2. Essentiae rerum non sunt nisi collectiones accidentium; *atqui* impossibile est cognoscere omnia accidentia; *ergo*.

Nego mai. ut ostendetur in demonstratione obiectivitatis conceptus substantiae. Praeterea, ad cognitionem essentiae non est necessaria cognitio omnium accidentium, cum saepe quaedam accidentia, speciatim propria, sufficiant ad statuendam naturam entis.

3. Essentiae rerum ideis divinis respondent. Sed ideae divinae sunt incognoscibiles. *Ergo* et essentiae rerum.

Dist. mai.: respondent ideis divinis tamquam exemplaribus, *conc.*; tamquam causis intrinsece constituentibus, *nego*.

ARTICULUS IV

DE EXSISTENTIA

81. Nexus. Si verbum *ens* iterum sub grammaticali consideratione ponimus, subiectum inveniemus *aptum esse*. Hoc vero *esse*, ex triplici sensu superius [1] descripto, non est essentia, quam ut subiectum ad *esse* aptum interpretati sumus; sed illud quo aptitudo illa subiecti ad actum reducitur. Essentia ergo tunc plenitudinem suscipit cum esse ad quod aptum erat in se habet.

82. Notiones. EXSISTENTIA est terminus abstractus a verbo *exsistere* desumptus. *Exsistere*, vero, ante omnem cuiuscumque scholae considerationem systematicam, communi sensu percipitur tamquam si aliquid, aliunde susceptum aut proveniens, hic intra ordinem rerum visibilium... perceptibilium... vere agibilium... physice sisteretur; mente enim statum quendam, tamquam obscurum possibilitatis regnum, hoc est, ipsum nihilum fingimus, ubi essentiae sic erant ut non essent; ex quo statu in lucem realitatis per exsistentiam essentias venire concipimus. Exsistere, ergo, communi sensu intelligitur ex non-esse ad esse venire, ex nihilo ad aliquod vere et physice reale, ex possibili ad actuale. Essentiae in se, iuxta definitionem entis nominaliter sumpti, concipiuntur ut aptae quidem ad exsistendum, capaces ut ex nihilo et possibilitate ad sphaeram actualitatis veniant; illud vero, quo, illa capacitas et aptitudo ad veram actualitatem reducitur, *exsistentia* dicitur, ut nomen indicare videtur.

83. Notionem vero *exsistentiae* primo et clarissime ex interna nostra experientia haurimus, siquidem continua nos-

[1] Cf. supra n.57.

trum experientia nos ut exsistentes percipit et intuetur; haec nostri experientia est prima et omnium notissima exsistentiae idea. Imo, in ipsa continua nostri interna mutatione ubi tot affectus, sensationes, status animi... successivae mutationi subiiciuntur, quasi clarior ratio exsistentiae nobis redditur, cum nobis in ambitu nostro interno experientiam exsistentiae et non-exsistentiae comparare liceat; haec experientia fundamentum est, quod illa non-exsistentia ex nihilo et ex possibilitate ad exsistentiam, hoc est, ad experientiam venisse dicatur. Quod etiam ex experientia externa confirmatur, iuxta quam exsistentia *apparent*, "in lucem veniunt", experientiae sensibili tactus, visus, auditus... subiiciuntur; inexsistentia vero disparent et iam sub experientia non sunt.

84. *Exsistentia* ergo iam definiri potest: *id quo ens* (*formaliter*) *extra nihilum constituitur,* ubi vox 'formaliter' significat, exsistentiam non esse causam effectivam; sed ad modum formae concipi, qua, subiectum aptum *esse* actu iam *ens* (sensu participiali) constituitur. Exsistentia inde dici etiam potest: *actus quo ens nominale ut ens participiale constituitur,* aut simplicius, *actus essentiae,* nam essentia non exsistens ut ad exsistendum potentialis concipitur.

85. Corollarium 1. Ergo in termino complexo *subiectum aptum esse* non debent quasi tres partes *ens* constituentes concipi, quae, inter se independentes, artificiose in unum sint collectae; una idea latet quae triplici termino evolvitur: subiectum enim illud totum quantum ad *esse* ordinatum est, quod involvit in eo ipso ordine quo subiectum est. Nam essentia in ordine *metaphysico* concepta, exsistentiam habere metaphysicam seu possibilem intelligitur; in *logico,* exsistentiam habere etiam multiplicabilem pluribus per identitatem; in *physico,* exsistentiam habere physicam, ad quam tota quanta tanquam potentia ad actum ordinabatur.

86. Corollarium 2. Exinde iam ab initio etiam perfectio apparet quam maxima exsistentiae; essentiae enim sine exsistentia tandem nihil sunt, earumque possibilitas perfectionis tunc tandem in actum reducitur, cum exsistentes redduntur; unde, re vera, exsistentia dici potest fons totius perfectionis in ordine physico exsistentis. Sine ipsa totus ordo essentialis tantum potentialis est ideoque imperfectissimus. Valeant hoc loco expressiones Sancti Thomae: "Ipsum esse est perfectissimum omnium, comparatur enim ad omnia ut actus; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est. Unde ipsum esse est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum

sed magis sicut receptum ad recipiens"[2]. Et alibi: "Esse est illud quod est magis intimum cuilibet et quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quae in se sunt"[3]. "Esse quemdam actum denotat: non enim dicitur esse aliquid ex hoc quod est in potentia, sed ex hoc quod est in actu"[4].

87. Scholion 1. Cum quaestio inter essentiam et exsistentiam inter discipulos STI. THOMAE agitatissima sit, eaque magna ex parte ex ipsis notionibus pendeat, sic notionem exsistentiae exponendam curavimus ut communis omnibus scholis dici possit, hausta quidem ex ipsis primis experientiae datis, quae in definitionem expositam coalescere videntur. Sic definitio nostra, prout nostris explicationibus subest, omne scholarum praeiudicium antevertere conatur. Quaestio autem ulterius aperta restat ut definiatur quaenam illa potentialitas essentiae respectu actus essendi sit, utrumne talis quae necessario ut potentialitas physica intelligenda sit, an potius ut potentialitas quae dicitur *obiectiva;* indeque etiam intelligetur, utrum hic actus ut actus physicus an ut actus metaphysicus essentiae sit dicendus, et quo sensu summa illa perfectio, a STO. THOMA exsistentiali actui tributa, intelligenda sit. Sed de his uberius.

88. Scholion 2. *Exsistentia in Exsistentialismo* hodierno sensum habet proprissimum cum ipsa sit novae huius philosophiae fundamentum. Conceptio Exsistentialismi hic propositae conceptioni contraposita est. Nos enim essentias ex ordine possibilitatis in ordinem exsistentiae venire concipimus, quod ipsi omni conatu reiiciunt. Nam si essentiae ut praehabitae ullo modo concipiuntur, tunc obiectivizatio subiecti humani necessario sequitur; praedeterminatum enim erit *quid* homo futurum sit, eiusque productio productioni cuiusque obiecti assimilanda erit. Homo vero est *subiectum,* hoc est, nihil in ipso est *obiecti* praeconcepti; sed eius esse totum quantum absolute liberrimum est ut hoc vel illud esse possit, prout ab ipso subiecto humano, quid ipse futurus sit sibi proiiciente (*proyectar*), decisum fuerit. Exsistere ergo non est essentiam quasi praehabitam aut praeconceptam in ordine physico constitui, sed potius est merum in ordine physico apparere cum dynamicitate indefinita, ut possibilitates in exsistentia inclusae reales fieri possint; homo *subiectivus* ex his possibilitatibus eas seligit, quibus semetipsum in exsistentiam producere vult, seque producet ope propriae actionis liberae. In termino actionis vitalis, tunc tandem homo hoc vel illud erit, prout ipse liberrime voluerit. Hoc ergo

[2] S. TH., 1 q.4 a.1 ad 3.
[3] S. TH., 1 q.8 a.1.
[4] S. TH., I. *C. Gentes* 22,4.

sensu principium fundamentale Exsistentialismi intelligitur, exsistentiam nempe essentiae praecedere, quod est *principium subiectivitatis* in Exsistentialismo. Sic fere J. P. SARTRE, qui, in his hac extrema radicalitate exponendis, antesignanus est. Pari aut simili modo etiam M. HEIDEGGER et alii, quorum aliqui tamen hanc radicalem *praecedentiam* exsistentiae affirmare non volunt. Inde nomen huius philosophice, quae prae primis *antiessentialismus* est, explicatur ex rationibus hodiernae philosophiae fere communibus; omnem enim rationalismum, discursum abstractivum... et consequenter *essentialismum* a philosophia penitus excludere volunt [5].

ARTICULUS V

DE NON-ENTE

89. Nexus. Ens, ut essentia conceptum, id dicit quo quaevis res in se constituitur; hoc autem *in se constitui* illud implicat quo simul ab omnibus aliis distinguatur. Sic ex. gr., eo ipso quo ens ut *homo* constituitur, ab omni alio ente distinguitur quod homo non sit. Quodsi de unaquaque essentia id valeat, pari etiam modo de *ente ut sic* affirmandum erit; unde eo ipso quo ens ut *ens* constituitur, eo etiam ens a *non-ente* distinguitur. Conceptum ergo *entis* conceptus *non-entis* consequitur.

90. *Ens* vero dupliciter sumitur, participialiter et nominaliter. Pari etiam modo, *non-ens* dupliciter intelligi potest: *a*) ut enti *participiali* contraponitur, et id significat quod actu non est; *b*) ut enti *nominali* contraponitur, et id significat quod aptum non est ad esse.

In primo casu meram actualis exsistentiae negationem dicit, in altero etiam ipsam impossibilitatem dicit independentem ab hoc vel illo tempore.

91. Notiones. NIHILUM, ut contrapositum enti, est carentia entis. Nihilum, sub phantasmate, ut *aliquid* repraesentatur, quod quasi potentia esset entis destructiva, e qua violenter ens raptum fuisset, quod ipsa iterum in nihilum reducere conaretur. Haec nihili dynamica conceptio, etsi non paucis modernioribus philosophis familiaris, re vera falsa est,

[5] Haec in opusculo meo *Cuatro lecciones sobre Existencialismo* uberiori verbo exposui. In his lectionibus synthesim historico-systematicam huius philosophiae delineare conatus sum brevi adiecta critica.

etsi quoddam fundamentum subest quod posterius de ente contingente tractantes indicabimus; nihilum vere nihilum est nihilque valet. E contra, dynamicitas illa ab ente provenit, ens enim non-ens tanta virtualitate reiicit quanta perfectione gaudet. Si vero impossibilitas ut dynamica enti oppositio concipiatur, iterum falsa conceptio est dicenda, ens enim potius est quod impossibile admittere non potest [1]. Adest ergo vera inter *ens* et *non-ens* oppositio, cuius origo ipsa natura et perfectio entis est.

92. *Nihilum* intelligi potest a) *absolutum,* et est omnis entis negatio; et *relativum* et est cuiusdam tantum entis negatio. b) *Negativum,* dicit merum non esse entis; et *positivum,* dicit impossibilitatem entis.

93. Notiones quasdam affines nunc annumeramus:

CARENTIA, formaliter considerata, est *non esse rei.*

Potest multiplex esse: *impossibilis,* cum res non esse non potest; sic *rationalitas* respectu *hominis; necessaria,* cum res esse non potest; sic *materia* respectu *spiritus puri; contingens,* cum res esse et non esse possit, sic *scientia* respectu *hominis.*

PURA NEGATIO est carentia perfectionis in subiecto non apto; sic visio respectu mineralium.

PRIVATIO est carentia perfectionis in subiecto apto; sic *visio* respectu *hominis.*

94. ENS RATIONIS, opponitur enti reali, et est, ut nomen dicit, *ens aliquo modo a mente dependens.* Dependere autem tripliciter potest:

effective, tamquam effectus a causa; et sic omnis *idea* est ens rationis;

subiective, tamquam forma a subiecto cui inhaereat, sic *intellectio;*

obiective, tamquam obiectum a potentia. Hoc autem dupliciter: *a*) ita ut obiectum, a mente in cognitione dependens, extra mentem etiam esse possit; *b*) ita ut obiectum, a mente in cognitione dependens, extra mentem esse non possit.

95. ENS RATIONIS proprie dictum illud est *quod tantum in mente esse habere potest.* Adhuc autem duplex esse potest: *fundatum* in ordine reali (absolute) quod nempe speciali mo-

[1] Cf. ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* p.188ss.

tivo, fundamento vel occasione a mente conflatur; v. gr. *humanitas* ut abstracta; *non fundatum* quod nullum tale motivum habet: sic, circulus quadratus.

96. Corollarium. Inde apparet nihilum et non-ens sub ratione entis includi non posse, ideoque nec obiectum Metaphysicae esse, etsi indirecte et ad complementum considerari possunt. Saepe quidem negationes et entia rationis a mente tamquam entia ex quadam lege psychologica configurantur. Dicendum est, negationes re vera dari, aut quia ens datur cui aliud ens deest, aut simpliciter quia totum ens in ordine realitatis deest; sic *caecitas* re vera datur in homine, tenebrae dantur. Si quis vero non-enti mente esse tribuat, ita ut, exempli gratia, tenebras quid nigrum esse quod res cooperiat opinetur, is errare dicendus est. Saepe vero non ita fit, sed per analogiam quamdam, extrinsecam quidem aut metaphoricam, non-ens ut ens consideratur; simul vero cognoscendo tale non-ens in realitate exsistere non posse, quo in casu error in mente non datur.

97. Scholion 1. *De nihilismo.* Sicut enti nihilium, sic philosophiae realistae, in ente fundatae, contraponitur *nihilismus,* in nihilo fundatus. Multiplex nihilismus datur, sicut multiplex in ente aspectus. Nihilismus *metaphysicus* in negatione absoluta entis fundatus; in antiquitate repraesentatus a Gorgia (483-375 a. Chr.) qui 1) nullum ens dari tenuit; 2) si detur, incognoscibile esse; 3) si detur et cognoscatur, incommunicabile esse. Usque ad nostros Exsistentialistas fere non est in historia Philosophiae nihilum agnitum ut explicatio totius. Nihilismus *noëticus,* contrapositus veritati transcendentali entis, tenet ens extra subiectum incognoscibile esse. Nihilismus *ethicus,* contra bonitatem transcendentalem entis, tenet nullum verum valorem pro moralitate dari; sub hac forma praecipue datus est nihilismus. Sunt etiam alii nihilismi modi, sicut *religiosus* et *politicus,* qui in Sociologia aliquantulum momentum etiam theoricum habuit.

98. Scholion 2. *De nihilo apud Hegel.* Hegel ut obiectum philosophiae *Absolutum* assignat, quod non staticum est sed dynamicum et vitale, in differentias procedens et ex eis in unitatem progrediens; est ergo subiectum sese per evolutionem evolvens. *Absolutum* in se est processus evolutivus; realitas vero manifestatio ipsius. Scientia, ergo, pari modo processus erit, et ita Philosophia est Dialectica, motus idearum, systema conceptuum, quorum alter in alterum procedit illum ex se in lucem prodiens. Contradictio et oppositio sunt quae evolutionem provocant; omnis realitas contradictionibus plena est, tamen rationalis, contradictio enim non

quid alogicum, sed nisus est ad evolutionem, qui non debet nec tolli nec conservari, sed superari; inde hoc obtinetur, quod sibi contradicentes conceptus in tertium superiorem et uberiorem concipi debent, in quo non iam sibi contradicant. Haec vero synthesis novi processus inchoatio est et ita porro.

Initium systematicum Hegelianismi, in ipsius Logica expositum, ab Idea Absoluti originem habet; idea vero absoluta ab omni contentu et praesupposito pura est, generalissima idea entis, quae, eo ipso quod indeterminatissima, nihil est; sic dum *ens* cogitabamus, nihilum cogitavimus, quod tamen dum cogitatur exsistit ut cogitatum; sic habetur processus, ex ente ad nihilum, synthesis vero huius processus est ipsum fieri, ipse processus (*Werden*). Ex *fieri* autem nova entis determinatio oritur, *Da-sein* seu *exsistere* et ita porro. Sic aliquo modo intelligitur dictum hegelianum, *purum ens et purum nihilum idipsum esse* [2], et ens esse quod *dum ipsum est iam non est, dum vero ipsum non est* tunc est.

Haec fere intelligi possent, quia ens, in indeterminatione absoluta, nihil est determinatum, et, dum tale manet, nihil est nec esse potest; ratio (*Verstand*) thesim et antithesim ponit; ea est quae ex positione in contradictionem procedit; intellectus, vero, qui in synthesim progreditur. Sic oppositiones in certo tantum gradu inveniuntur, in ordine relativo rationis; oppositio vigens non est absoluta, nec statica in destructionem, sed dynamica ad tertii constructionem, ea enim ab intellectu (*Vernunft*) absoluto superatur et in unitatem redigitur. Inde, revera, *quod est non est ens* sed ipsum fieri ut synthesis entis et nihili.

In obscura hac hegeliana philosophia ipsa haec oppositio etiam obscura manet. Nihilum apud HEGEL non videtur esse negatio absoluta entis, sed tantum negatio omnium entis determinationum. Tamen ens et nihilum in unum *coëunt*—non in uno *stant*—et mutuo in fieri sunt.

99. Scholion 3. *De nihilo apud Heidegger et J. P. Sartre.* HEIDEGGER in primo stadio suae philosophiae ens ipsum quaerebat, illudque per angustiam conatus est investigare. Angustia vero ipsi nihilum dedit, et ex nihilo interpretationem entis quaesivit. In hoc primo stadio, ubi Heidegger asseruit *ex nihilo ens fit,* eius philosophia ut nihilistica fere unanimi criticorum consensu habita fuit [3]. In posterioribus

[2] HEGEL, *Wissenschaft der Logik* I,67.

[3] Cf. ITURRIOZ, *El hombre y su Metafísica* p.172ss.227ss, ubi prima interpretatio philosophiae heideggerianae consideratur.

vero scriptis sic Heidegger illud nihilum, per angustiam datum, interpretatus est, ut potius iam de philosophia positiva —contra nihilismum—loqui debeamus. Eo fere modo quo HEGEL, illud in angustia repertum nihilum interpretatus est ut ens ipsum, sed indeterminatissimum, ideoque velamen ipsius entis, quod superandum est, ut tandem ens in se habere possimus. Nihilum ergo in angustia apparuit ut absentia omnis entis, sicut enim timor est de concreto obiecto cuius absentiam aut praesentiam timemus, angustia non de hoc vel illo ente est, sed de toto ente; experientia angustiae ens quasi in longissimum a nobis retrahit, ubi omnes entis differentiae pro nostra conscientia amittuntur, ubi ens non hoc nec illud, sed *nihil* est. Conatus ergo philosophiae heideggerianae in id nunc tendunt, ut ens sub velamine nihili occultum aperiatur, idque, in experientia altiori, characteris fere mystici seu poëtici, intendere videtur.

J. P. SARTRE vero primum stadium heideggerianum nedum superavit sed potius in extremum evolvit; sic nihilum ponit intra ens, ita ut *exsistens* sit actualis coniunctio entis et nihili (contra HEGEL), ubi nihilum ipsum aliquid in se esse videtur. Inde continua absurditas in philosophia sartriana quam ipse expresse recognoscit, admittit imo et in supremam *pseudoveritatem,* potius *contraveritatem,* proclamat.

CAPUT II

De primis principiis

100. Scopus Metaphysicae non in mera entis contemplatione perficitur; sed normas fundamentales exinde deducere intendit, quibus ordo entis hierarchice constitutus appareat, qui simul etiam ordinem cognoscendi, mentem nostram alligantem, dirigat. Ratio entis non est mere statica; sed quasi dynamica, ex qua entis et mentis leges dimanant, quibus entis et mentis principia deducuntur. Ea nunc sub aspectu ontologico deducere, formulari et ostendere conabimur, cum aspectus logicus et criticus, ab ontologico quidem dependens obiectum sit tertii huius Summae Tractatus [1]. Deductis et explicatis principiis, nostrum erit quodnam eorum in Metaphysica primum habendum sit declarare.

[1] Quoad aspectum criticum cf. SALCEDO, in superiore *Tractatu Critico* huius voluminis, III n.135-159.

ARTICULUS I

DE PRIMIS PRINCIPIIS IN SE IPSIS

101. ARISTOTELES, I *Anal. Post.* c.2 et 3; *Metaph.* 1.4 c.3; S. TH., *In IV Metaph. Lect.* 2.6.9.10; *De ver.* q.1 a.9 c; q.10 a.12; 1-2 q.94 a.2; 2-2 q.1 a.7; *De quattuor oppositis;* SUÁREZ, DM d.3 s.3; FUETSCHER, *Die ersten Seins-und Denkprinzipien* (Innsbruck 1930); DESCOQS, *Instit. Metaph. Gener.* p.431ss; DE VRIES, *Pensar y ser,* p.1.ª c.4; MANSER, *La esencia del tomismo,* p.311-337.

§ 1. **Ens est ens**

102. Exposita ratione entis—ens est aptum esse—, illud cui primo haec ratio applicabilis concipitur est ipsum ens; siquidem, si ens est id quod aptum est esse, ipsum ens re vera est ens, quia aptum est esse. Unde ex applicatione definitionis definito habemus definitum esse definitum. Hoc quidem ludus est verborum, cui tamen in ordine metaphysico profunda veritas correspondet, ut nunc explicabimus.

103. Ens quidem illo exactissimo dynamismo praeditum est, qui ad ipsius perfectionem in linea entis pertinet; ita ut, si perfectissimum sit ens, plenitudo entis perfectissima ab ipso exigitur et habetur, quod simul infinite a nihilo abest; si, contra, imperfectius sit, tunc nec perfectione entis absoluta gaudet nec absolute a nihilo recedit; eo enim magis perfectioni absolutae accedit, vel ab ea recedit; eoque magis a nihilo recedit vel ad ipsum accedit, quo maiori vel minori entis perfectione constituatur. Constituto vero entis gradu inter extrema, quae sunt ens infinitum et nihilum, stabilitur etiam gradus tendentiae in perfectionem entis et gradus tendentiae in imperfectionem nihili. Nunc vero: gradus entis determinatur et constituitur per essentiam, essentia ergo est quae uniuscuiusque entis distantiam ab infinito et a nihilo determinat, quam dein exsistentia actu in ordine rerum constituit; intrinsecam vero illam distantiam ens sua propria entitate in essentialibus retinet, etsi in accidentalibus modificari potest. Sic ergo, a parte rei—praescindendo nunc ab ordine causarum—, omne ens, iuxta ipsius intrinsecam constitutionem, est suimetipsius constitutio, positio et conservatio. Quae ontologica lex hac formula exprimi potest: *ens est ens,* quae, modo magis explicito significat, ens in linea entis eo gradu perfectionis constitui et conservari qui a proprio gradu essentiae requiritur. Omne ens est, hoc sensu, ipsum.

104. Et quidem necessario, ita ut seipsum non esse non possit. Ens ergo *necessario* est ens; quo significatur absoluta indistinctio entis a se ipso; imo et aliquo modo etiam ipsa permanentia entis in ente iuxta gradum perfectionis ipsius entis. *Ens* ergo *est ens* non tantum significat *factum* identitatis; sed etiam *necessitatem* absolutam talis identitatis entis cum se ipso.

105. Sed formula *ens est ens* iudicium implicat, ubi praedicatum *ens* subiecto *ens* conveniens enuntiatur. Ens, ut *subiectum,* simplicem apprehensionem supponit qua *aliquid* perceptum est; ut *praedicatum* vero significat illud aliquid *aptum ad esse* inventum fuisse, unde mens ipsi praedicatum *ens* applicat, quod ipsa ex prima et ingenua realitatis sensibilis experientia abstraxerat. Quo gradu determinationis et perfectionis illud *aliquid* invenimus, eo etiam ipsi ideam entis applicamus. Unde apparet intima mutua correlatio inter ordinem essendi et ordinem cogitandi, inter ordinem essendi ut in se ipso est et ut a nobis cognoscitur; ita quidem, ut ordo essendi norma sit cogitandi; unde, si quando mens subiecto applicat per copulam praedicatum *ens* in gradu perfectiori aut imperfectiori quam ipso, ut in se est, correspondeat, tunc iudicium falsum resultabit.

106. Ordo *entitativus* per *convenientiam* vel inconvenientiam alicuius formae subiecto exprimitur; ordo vero logicus per *affirmationem* et *negationem* praedicati de subiecto. Quodsi ordo entitativus et logicus sibi mutuo perfecte correspondent, formulae metaphysicae *ens est ens* alia logica correspondens dabitur. Nempe: *Quod est, affirmandum est esse;* vel etiam, *Quod convenit rei, affirmandum est de ea.*

107. Scholion 1. *Natura principii identitatis.* Multum inter Auctores disputatum est de natura huius formulae: *ens est ens,* utrum tautologica dicenda sit necne[2]. Si formula, ut sub n.102 explicata, sumitur in sensu pure *dialectico,* tunc clare apparet tautologia. Si in sensu *metaphysico,* ut sub n.103, sumitur, tunc quidem ex explicatione apparere forte posset ut uberior sensus totius formulae quatenus per praedicatum aliquid clarius, ne dicam uberius, de natura entis enuntiatur; eo magis, si praeter factum etiam necessitas identitatis exprimitur. Tamen, tota explicatio sub formula inclusa nihil est nisi evolutio ipsius subiecti; omni enim casu, vi ipsius formulae idem prorsus dicit ens ut est in subiecto et ut est in praedicato, secus formula non esset vera; explicatio vero illa uberior in tantum sub praedicato includitur affirmata in quantum in subiecto inventa fuit.

[2] Cf. Descoqs, *Instit. Metaph. Gener.* I p.443-444.462-465.

Etiam ipsa necessitas identitatis nihil exprimit quod in subiecto dictum non fuerit. Itaque hoc etiam sensu metaphysico formula videtur etiam tautologica. In sensu vero *critico-psychologico* sub n.105 explicato, forte progressum quemdam implicat, quatenus lex enuntiatur correspondentiae inter ordinem essendi et ordinem cogitandi. Sed tamen, haec lex non vi formulae nec vi analysis subiecti invenitur, sed potius aliunde cognita huic casui applicatur. Iterum tautologia non videtur superata nec, ut apparet, in formula sub n.106 inventa.

108. Scholion 2. *Enuntiationes variae.* Multipliciter enuntiatur ab Auctoribus formula haec identitatis ut eius metaphysicus valor clarior appareat: *Quod est est; omne ens est id quod est; Quod non est, non est; Non ens non est; Omne ens est habens essentiam; Essentia realis est essentia realis; Omne ens est et per se habet naturam determinatam quae id in se constituit. Ens est ens necessario hypothetice dum est ens.*

§ 2. **Ens non est non-ens**

109. Si iterum definitio entis sumatur: *ens est aptum esse,* inveniemus illud quod non est aptum *esse* non esse ens; unde non aptum *esse* non poterit de ente praedicari, quod sic enuntiari valet: *ens non est non aptum esse,* hoc est, *ens non est non-ens.*

110. Sed validior analysis metaphysica huic formulae subest. Se ipso formaliter *ens est ens,* et in se ut omnino determinatum iuxta gradum et perfectionem propriae essentiae constituitur; quod si de hac vel illa essentia concreta agatur, tunc illa interna entis in se constitutio significat hanc essentiam A non illam B esse; B enim eo quod sit B iam non est A; si vero de ente ut sic agatur, quod sub se omne ens includit, tunc per internam sui constitutionem, hoc est, per aptitudinem ad *esse,* ab eo distinguitur quod aptum non est *esse,* hoc est, a non ente. Quod dici breviter poterit, *ens non est non-ens.*

111. Ellucidatio huius formulae:

a) Si haec attente perspiciuntur, observabitur illud non-ens, a quo ens distinguitur negationem esse illius praecise entis quod in subiecto ponitur, negationem nempe perfectionis entitativae quoad gradum perfectionis et determinationis qui in positione subiecti affirmatur. Sic si subiectum est *ens-homo,* illud *non-ens,* a quo distinguitur, est praecise *non-ens-*

homo; et in tantum ab aliis entibus positivis distinguetur, in quantum haec per suam essentiam sunt illud praecise quod sunt, et ab eo quod non sunt—in casu, homo—distinguuntur.

b) Inde simili modo consequitur in tantum ens reiicere non-ens, in quantum ipsum ens ut ens maneat; nam si ens quod in subiecto ponitur mutabile sit, facta mutatione, non iam negationem entis quod erat reiiciet, sed ens quod est nunc negationem entis quod post mutationem habet reiicit; sic *ens participialiter* sumptum in tantum se ut non-exsistens negat, in quantum ipsum ut ens participiale permanet.

c) Imo, illa distinctio a non-ente non est quasi indifferens et simpliciter negativa, sed est positiva et violenta non-entis a se reiectio; cuius violentiae gradus mensurandus erit per gradum perfectionis ipsius entis; quo perfectius, eo maiori impetu a se sui negationem seu suum non-ens reiicit. Ens infinite perfectum, infinite et absolute suum non-ens reiicit; finitum, finite et imperfecte; quo magis ad infimum gradum entis descendit, eo etiam propinquius est non-enti.

112. Tunc ergo praedicta formula exactissime et plenissime suam internam veritatem exprimet, si illud ens, cuius negatio est in praedicato, ipsissimum illud est ens quod est in subiecto, et in eodem prorsus respectu in quo in subiecto ponitur; compati ergo potest *hoc* ens non-esse *alterius* entis, imo et negationem suimetipsius in conditionibus in quibus *hoc* ens iam *hoc ipsum* non sit. Plena ergo exprimitur veritas si negatio "*non est*" valorem habeat non pure negativum; sed etiam dynamicam vim exprimat qua non-ens ab ente reiicitur; imo etiam mensura huius vis expressa reddenda in formula erit.

113. Inde evolutior formulae enuntiatio haec erit: *Ens, in quantum ens, non potest esse non-ens.* Ubi *in quantum ens* haec tria dicit quae virtualiter iam prius includebantur: *a*) Ens suimetipsius negationem reiicere, et quidem; *b*) dum idem ens sit quod nunc est, et sub iisdem conditionibus sit in quibus nunc est; *c*) imo, tanta violentia suum *non-ens* a se repellit, quanta perfectione in linea entis gaudet. Violentia vero per *non potest esse* exprimitur.

114. *Applicatio formulae ad casus particulares.* Cum summi momenti formula haec sit, ut difficultates praeveniantur, ad quosdam casus particulares applicanda venit.

a) Si subiectum *ens* implicet infinite perfectum ens, tunc necessarium non est ut expresse conditio ponatur "dum iisdem conditionibus sit", nam tale ens immutabile est. Impossibilitas vero ut cum non-ente identificetur absoluta et inseparabilis erit, quod insinuatur etiam hic per "in quantum ens".

b) Si de essentiis integre sumptis agitur, tunc iterum, exprimendum non est "dum iisdem conditionibus sit"; essentiae enim, ut dictum est, aeternae et immutabiles sunt: sic *homo non potest esse non animal rationale* omni prorsus conditione valebit, nam omnibus conditionibus subiectum *homo* animalitatem et rationalitatem implicabit.

c) Si tantum aliquod praedicatum essentiale exprimitur, tunc contradictio formaliter inter hoc praedicatum et eius negationem intercedit: sic homo non est non-rationalis; formaliter contradicuntur homo *rationalis* et *non-rationalis,* materialiter vero totum subiectum, in casu *totus homo,* reiicit negationem, in casu *rationalitatis.*

d) Si in praedicato negatio formarum accidentalium ponatur, tunc attente sensus formulae examinandus est. Ponamus propositionem: *album non potest esse non-album.* Haec formula huic alteri aequivalet: *Subiectum habens albedinem non potest esse subiectum non habens albedinem,* quae formula potest falsa esse. Nam subiectum habens nunc albedinem potest aliquando subiectum esse non habens albedinem. Si formula completior reddatur: *Album in quantum album non potest non esse album,* tunc iterum attente examinandus sensus reduplicationis; dupliciter enim intelligi potest: *Subiectum habens albedinem, in quantum subiectum, non potest non esse album;* quod falsum est, quia ut subiectum tam albedinem quam non-albedinem aliumve colorem habere potest. Sensus ergo proprie verus est hic: *Subiectum habens albedinem in quantum habens albedinem non potest non esse album.* Admittitur ergo in subiecto simultanea possibilitas tam praedicati quam huius negationis; non vero possibilitas simultaneitatis et praedicati et huius negationis.

e) Si de exsistentia agatur, tunc iterum sensus formulae recte interpretandus: Ponamus propositionem *ens non potest esse non-ens,* ubi *ens* sensu *participiali* intelligatur: *Aliquid habens exsistentiam non potest esse non habens exsistentiam;* quod solum de Deo valet, non vero de reliquis, quia reliqua habentia exsistentiam eam amittere absolute possunt; quod si ad rectiorem intelligentiam reduplicatio addatur etiam hic

duplex sensus possibilis est; prout reduplicatio supra subiectum cadat aut supra concretum ut concretum. Ex superius explicatis, reduplicatio in concretum in quantum concretum cadit.

115. Haec formula, *in ordine logico* proposita, enuntiat impossibilitatem mentis dicendi simul idem esse et non esse, hoc est affirmandi et negandi idem de eodem in iisdem conditionibus. Sic enuntiari solet: *Impossibile est idem simul affirmari et negari de eodem.*

116. Scholion 1. *Principium contradictionis apud Parmenidem.* PARMENIDES plures formulas proposuit quae principio contradictionis similes quidem sunt, non vero illud proprie efferunt. Expressiones illae, in pugna adversus HERACLITUM pronuntiatae, omne *fieri* reiicere intendunt. Sic dicit: "Quod est est, et non esse non est" [3], et etiam: "Necesse est dicere et cogitare quia esse est; nihilum, contra, non est" [4]. "Impossibile dictu aut cogitatu quod *'non'* sit". Quae quidem expressiones, si in extremum, ut a PARMENIDE fieri videtur, ducantur, tunc omnis motus denegatur, nam *esse* ita est, ut numquam *esse* desit, et non *esse* ita non est, ut numquam non *esse* desit. Consequenter, ex exaggerata interna et inamissibili unitate entis facile via aperitur in Pantheismum. Clarior vero idea entis apparet in dialogis platonicis ubi ipsum fieri etiam ut reale apparet. Nostra vero formula "ens non est non-ens" ex explicatis clare extremum PARMENIDIS vitat, in tantum enim ens excludit non-ens in quantum ens est, non absolute, nisi etiam ens absolutum sit.

117. Scholion 2. *Formulae classicae* sic generatim annuntiari solent: "Idem enim simul inesse et non inesse eidem et secundum idem impossibile est" [5]. "Impossibile est idem simul esse et non esse" [6]; "Non contingit idem esse et non esse secundum unum et idem tempus, et aliis conditionibus servatis quae consueverunt contradictione apponi, secundum idem, simpliciter, et alia huiusmodi" [7]. Ut formulam recentissimi Auctoris transcribam: "Impossibile est aliquid esse simul et non esse sub eodem respectu" [8]. In quibus et aliis enuntiationibus plures determinationes exprimi consueverunt ut sensus formulae clarior appareret. Ea omnia in nostra formula etiam resumpta sunt in illa determinatione "in quantum ens", ex explicatis [9].

---

[3] PARMENIDES, *Fragm.* 2.
[4] *Fragm.* 6.
[5] ARISTOTELES, *In Gamma Metaph.*
[6] S. TH., *In III Metaph.* l.5.
[7] S. THOMAS, *In XI Metaph.* l.5.
[8] HELLIN, *Theologia Naturalis* p.142 n.157.
[9] Videas plurimas alias formulas in transcursu historiae propositas in opere ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* c.3 p.165ss.

118. Scholion 3. *Kant circa principium contradictionis.* KANT plurimas difficultates contra consuetam formulam proposuit. Imprimis, supervacaneum duxit terminum modalem "Impossibile..."; deinde referentiam ad tempus "simul" valorem universalem formulae demere; saepe enim possunt successive contradictoria praedicata subiecto inesse in diverso signo temporis; exinde valor analyticus formulae amittitur. Ipse aliter formulam pronuntiavit: "Nulli rei convenit praedicatum quod ipsi contradicat"[10]. Sed per orationem modalem non certitudinem mentis designamus, ut KANT indicat, sed potius ipsam impossibilitatem componendi ens et non ens. Per particulam "simul", formula, quae proprie de essentialibus valet in quibus nota temporis necessaria non est, etiam ad accidentalia extenditur. Formula contradictionis, praeterea, ad praedicata contradictoria applicatur, non ad contraria quae ipse indicat, sicut iuvenis et senex. Imo, simultaneitas illa potius quam temporalis, est ipsa coincidentia obiectiva per particulam graecam *hama,* latine *una,* indicata. Obiectiones ergo kantianae validae non sunt, et formula ab ipso proposita potius ad praedicata accidentalia quam ad ipsa entis constitutiva applicanda videtur. Critica vero kantiana id effecit, ut scholastici posteriores non raro breviorem formulam quaesierint in qua relatio identitatis et temporis non enuntiaretur.

§ 3. **Quodcumque est aut ens aut non-ens.**

119. Hucusque duplicem praedicationem de subiecto invenimus, nam de eo dici potest aut quod sit aptum *esse* aut quod sit non aptum *esse.* Nec aliud adinveniri iam potest quod sub hac duplici praedicatione non cadat; nam si tertium datur, tunc utraque illa praedicatio simul vera et simul falsa est; simul vera, quia si datur tertium negatur utrumque; quod absurdum resultat nam altero negato, aliud affirmatur; tertium ergo quid est absurdum et implicat negationem principii contradictionis.

120. Eo ipso quod aliquid ex ambitu entis exeat, eo ipso in nihilum redigitur; et contra, eo ipso quod aliquid ex ambitu nihili quocumque modo exeat, eo ipso aliquo modo in regnum entis ingreditur, utriusque enim regnum indivisibili

[10] KANT, *Kritik der reinen Vernunft, Elementallehre* II Abt. 2, Buch, 2 Hauptst., 1 Abschn.

limite distinguitur. Quod si novum regnum ultra nihilum fingatur, illud iterum eo ipso quod nihilum iam non sit aliquid erit, ergo ens. Intermedium vero quid statui non potest, quia illud consideraretur partes habere et entis et nihili, quod est contra principium contradictionis quod aliquid simul ens et non-ens sit.

121. Quod idem sub *aspectu logico* sic enuntiari valet: *Quodlibet de quolibet aut affirmandum aut negandum est.*

ARTICULUS II

De primo principio

Thesis 4. Primum principium est principium (non) contradictionis.

122. Praeter initio notata: C. Nink, *De principiis contradictionis, sufficientis, causalitatis eorumque inter se connexione:* EstEcls 7 (1928) 24-41; Iturrioz, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* (Madrid 1948) c.3; Sladeczek, *Das Widerspruchsprinzip und der Satz vom hinreichenden Grunde:* Scholastik 2 (1927) 1-37; Descoqs, *Instit. Metaph. Gener.* p.442-475.

123. Nexus. Enuntiata prolata in articulo praecedente directe ab ipsa notione entis, etsi non vera deductione, procedunt; ita ut vere dici possint principia immediate ex ratione entis derivata. Sed etiam inter illa ordo quidam hierarchicus statuendus est, ita ut aliquod primum statuatur quod maxime cum ente coniunctum et a quo omnia dependere debeant.

124. Notiones. Principium est id unde aliquid procedit quocumque modo. Principium ergo rationem originis semper includit, saepissime etiam rationem causae, ut videbimus. Modus vero quo procedit in triplici ordine dari potest: quoad esse, quoad fieri, quoad cognosci [1].

125. Principia possunt esse:

logica, ex quibus procedit *cognitio* alicuius, et sunt notiones vel propositiones ex quibus per discursum (sive ostensivum sive ad impossibile) alia possunt inferri; et *metaphysica,* ex quibus *esse fieri* alicuius procedit. Duplicis ordinis possunt haec esse:

a) *Principia rei,* ex quibus procedit quod res sit hoc quod est, talia ergo sunt principia *essendi,* hoc est, tam con-

[1] Aristoteles, *Metaph.* I c.1.

stitutiva intrinseca (tum in ordine physico, tum in ordine metaphysico) simul ac causa finalis et exemplaris; quam etiam principia *exsistendi,* seu causae efficientes rei exsistentis.

b) *Leges essendi,* quae sunt asserta condicionum necessariarum ut res esse vel operari possint tam respectu sui quam respectu aliarum.

126. Possunt etiam esse:

explicativa, quae rei *intelligibilitatem* perficiunt, tam quoad elementa constitutiva, sive generica sive specifica sive individualia, quam quoad ipsam exsistentiam, imo et quae ipsas leges supremas continent quibus veritates inter se connectuntur; et *constitutiva* quae realitatem ut elementa *constituunt.* Constitutiva vero sunt sive *physica,* quibus realitas *physica* constat tum quoad essentialia, tum quoad proprietates physicas imo et quoad accidentia saltem propria; sive *metaphysica,* quibus essentia metaphysica plene constituitur.

127. Possunt etiam esse *incomplexa,* quae natura simplici sunt; *sive rei,* quae sunt elementa ex quibus res constat et in quae haec resolvitur; sive *cognitionis,* et sunt signa quae in cognitionem ducunt, ut termini propositionum...; *complexa* vero sunt quorum natura simplex non est.

128. Status quaestionis. *Primatus* primi principii quadruplex intelligi potest:

Psychologicus, in eo consistens quod principium illud sit *genetice* primum quod a mente pronuntiatur.

Ontologicus, in eo consistens quod in sua intrinseca constitutione talem exhibeat *legem ontologicam,* ut haec valorem non ab altiore principio sumat.

Logicus, cuius est, ut omne ratiocinium vere demonstrativum in tantum tandem valeat in quantum principium illud stet, secus omne ratiocinium valore destitutum sit.

Criteriologicus, sit principium notissimum in se, absoluta veritate et universalitate praeditum, et tale ut eius applicatio sit etiam signum veritatis consistentis.

129. Non quidem nunc *primatum psychologicum* quaerimus; qua in re Auctores non coincidunt; sed forte concedi, sine absoluta difficultate, potest, principio identitatis primatum psychologicum esse assignandum, implicite enim venit affirmatum iam in ipsa prima apprehensione mentis ens percipientis. Tres vero alios primatus quaerimus, qui re vera mutuo fere inseparabiles sunt.

130. Quaerimus ergo, hoc sensu, primum principium; ad quod *requiritur*:

a) Sit *principium,* hoc est, tale enuntiatum ut ex eo aliae veritates procedere possint, cum haec processio sit ratio peculiaris principium constituens.

b) Sit *primum; a'* hoc est, tale, ut ipsum non in priori et altiori principio fundamentum habeat, sed sit quasi lex primaria ipsius ordinis entitativi. Ad quod confert quod in ipsa enuntiatione elementa habeantur simplicissima et primaria; *b'* tale, ut sit fundamentum et basis totius ordinis veritatis et certitudinis obiectivae, sitque omnis ratiocinii ultimum fundamentum, sive virtuale sive resolutivum, quo opportune adducto ad nullum ulterius recursus sit necessarius. Inde tamen non exigitur tale principium expresse et formaliter omne fulciri argumentum; *c'* tale ut in se notissimum sit ac sua propria luce immediate evidentissimum; ita vero ut etiam usus eius universalissimum omnem veritatis ordinem amplectatur.

131. *Non vero requiritur*: *a*) Ut sit principium in quo reliqua omnia cognoscantur aut cognosci possint. Tale principium unice Deus est et quidem intuitive cognitus; *b*) ut sit principium quod primo in ordine chronologico a nobis cognoscatur aut quod natura sua reliqua omnia antecedat; *c*) ut sit principium unicum, indemonstrabile ex quo solo omnia alia demonstrentur: ad demonstrationem enim plura principia requiruntur.

132. Sententiae: 1) ARISTOTELES clarissime declaravit tale primum principium esse principium contradictionis: ipsum enim "primum omnium caeterorum axiomatum" [2].

2) STUS. THOMAS etiam clarissime primum ponit principium contradictionis. "Quaedam vero propositiones sunt per se notae solis sapientibus, qui terminos propositionum intelligunt quid significent... In his quae in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur: nam illud quod primo cadit in apprehensione est ens, cuius intellectus includitur in omnibus, quaecumque quis apprehendit; et ideo primum principium indemonstrabile est, quod *non est simul affirmare et negare,* quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principium omnia alia fundantur" [3]. Et etiam: "Necesse est enim quod sicut omnia entia reducuntur ad ali-

[2] Ibid. III c.3.
[3] S. TH., 1-2 q.94 a.2 c.

quod primum, ita oportet quod principia demonstrationis reducantur ad aliquod principium, quod principalius cadit in consideratione huius philosophiae. Hoc autem est, quod *non contingit idem simul esse et non esse.* Quod quidem in ea ratione primum est, quia termini eius sunt ens et non ens, qui primo in consideratione intellectus cadunt" [4].

3) Antonius Andreas ponit ut primum *ens est ens;* concedit quidem principium contradictionis esse primum et notissimum, et etiam primum in serie eorum, quae tamquam generalia et universalissima circumferri solent; at principium simpliciter et absolute primum est istud: *ens est ens,* quod tali ratione probat, quia primum principium debet constare ex terminis omnium primis, ut termini quoque proportionentur principio; at illud principium, *impossibile est idem simul esse et non esse,* non constat ex terminis omnium primis et irresolubilibus; at vero cum dicitur *ens est ens* termini sunt omnino primi, quia nihil simplicius ente dari potest; tum quia nulla propositio modalis est primo prima [5].

4) Alii dicunt primum principium simpliciter esse pronuntiatum illud: *De quolibet est affirmatio aut negatio vera.* Ratio huius sententiae est, quia vel hoc pronuntiatum vel illud: *Impossibile est idem simul esse et non esse* dicendum est primum principium simpliciter. Neque enim aliud generalius reperiri potest, ad quod omnes demonstrationes revocentur; at illud non potest esse primum simpliciter, cum sit negativum; hoc ergo potius dicendum est simpliciter primum. Sic haec sententia, non citatis eius fautoribus, refertur a Fonseca [6].

5) Suárez tenet quidem principium contradictionis esse simpliciter primum in humana scientia, et praesertim in Metaphysica. Sed quoad primatum *logicum,* distinguit, affirmans pro *argumento ostensivo* primum principium esse illud "in quo ratio vel essentia entis distincte concepta de ipso ente praedicatur", hoc est principium identitatis; pro argumento *reprehensivo* vero per deductionem ad impossibile, primum principium in quo totus ille modus demonstrandi nititur, esse *impossibile est idem esse et non esse* [7].

6) Philosophi *moderni,* qui dicuntur, quam plures, cum

[4] S. Th., *In XI Metaph.* l.5.
[5] A. Andreas, *In IV Metaph.* q.4 et 5. Sententia haec refertur a Mastrio, *Metaph.* d.3 q.4 n.48.
[6] Fonseca, *In IV Metaph.* c.3 q.1 1.2.
[7] Suárez, DM d.3 s.3 n.6.9.

ex uno principio unico, sicut in scientiis mathematicis, omnia deducere conentur, frequenter ut primum principium identitatis, variis sub formis, habuerunt. Sic ipse DESCARTES: "Cogito ergo sum". FICHTE: "Ego est ego". SCHELLING: "Esse est esse". HEGEL: "Idea est idea".

7) Inter *moderniores Scholasticos* cuiuscumque Scholae tendentia notatur ut principium identitatis ponatur ut primum. Nomina citari possunt varia: Card. ZIGLIARA, O. P., Card. MERCIER, GRIMMICH, O. S. B., GARRIGOU-LAGRANGE, O. P. (saltem aliquando), LEHMEN-BECK, S. I., N. KAUFMANN, GUBERLET, Fr. UEBERWEG, WILLEMS, MARITAIN, WILLMANN, HUGON, O. P., etc. Similiter etiam TRENDELENBURG.

133. Nos, iuxta sententiam ARISTOTELIS et STI. THOMAE primatum tribuimus principio contradictionis tan *ontologicum, logicum quam criteriologicum,* admittendo primatum *psychologicum* esse potius principio identitatis assignandum.

134. Probatur, per partes. a) *Principium identitatis* (si a principio contradictionis distinguatur) *non est primum principium.*

Principium identitatis aut fere inutile est aut non est primo notissimum et evidentissimum. Ergo non est primum principium.

Prob. antec.: Nam sumitur *aut sensu tautologico,* et tunc deficit a ratione principii; *aut sensu evoluto intelligibilitatis,* quatenus per hoc principium indicatur mutua correspondentia perfecta ordinis cognoscitivi et obiectivi; et tunc sensus non primo notissimus per se et evidentissimus est, qualis pro primo principio requiritur. Sic ergo deficit a ratione aut *principii* aut *primi* principii.

N. B. Si quis autem hoc principium a principio contradictionis non differre tenet, respondendum erit, adhuc formulam principii non contradictionis utilitate praevalere, utpote quod tali forma enuntiatum, quae aptissima est functioni propriae primi principii.

135. b) *Principium exclusi medii non est primum principium.*

Principium exclusi medii in alio fundatur et non est primo evidentissimum. Ergo non est primum principium.

Prob. antec.: 1) *In alio fundatur,* nam ratio cur aut hoc aut illud subiecto convenire debeat, cum utrumque simul sub-

iecto convenire non possit, nec simul ei disconvenire, est quia ens est ens et non potest esse non-ens. 2) *Non est primo evidentissimum* illaque perspicuitate gaudens quae in casu requiritur; quia non dari medium, seu *mediationem* inter ens et non ens esse absolute excludendam, non est immediate et sine ulla reflexione evidentissimum.

Confirmatur: natura principii exclusi medii ea est ut excludat medium, hoc est *directe* negat absurdum. Iam vero principium negativum, esse, posterius est quam principium veritatis assertivum.

136. c) *Principium contradictionis* est verum principium, in nullo alio fundatum, quod est fundamentum ordinis entitativi et cognoscitivi, tandem primo evidentissimum et per se notissimum. Atqui hae sunt conditiones primi principii. Ergo principium (non) contradictionis est primum principium.

Maior: Imprimis enim assignatur vera natura *principii* a quo aliquid procedat; assignatur quidam primatus, quatenus hoc principium non in alio fundatur; assignatur *primatus ontologicus*, quatenus est fundamentum ordinis ontologici; primatus *logicus* quatenus fundamentum ordinis cognoscitivi; primatus *criteriologicus* quatenus primo notissimum et evidentissimum.

Minor: a) *Est verum principium*, ex quo veritas cognitionis, ut ostendetur, elucescit et confirmatur; b) in *nullo alio fundatum*, nam immediate ex ipsa prima entis notione obtinetur, et ad aliud reduci non potest, cum elementis constet simplicissimis (ens, non-ens), nec ulla maior contradictio et impossibilitas enuntiari possit; c) *fundamentum ordinis entitativi*, qui totus sus deque verteretur si ens posset simul non-ens esse, si bonum posset malum, etc., esse; totus ordo confusissimus resultaret, nihilque realiter certum, permanens, nulla lex ontologica valida, etc.; d) *fundamentum ordinis cognoscitivi*, qui totus periret si ens posset non-ens esse; nullum enim argumentum quidquam probaret, cum simul contradictorium verum esse posset. Hoc principium est ex quo ultimo valor conclusionum in argumentatione stat; nam omnis argumentatio sive directa sive indirecta, sive per deductionem ad absurdum conformata, tandem inde valet, quod stantibus talibus praemissis simul cum contradictoria stare conclusio non potest; e) *Primo notissimum et evidentissimum;* immediate

enim a mente percipitur sine ulla deductione ex sola spontanea terminorum inspectione, ita ut nullum iudicium (excepto iudicio de facto propriae exsistentiae) firmius et securius a mente proponatur, nulloque alio veritates aliorum iudiciorum validius quam adhibito hoc criterio confirmet.

137. *Argumentum complexivum.* Quo principium aliquod primum sit, requiritur et sufficit illud vere et utiliter applicabile esse, nullo alio priori fundatum, ipsum vero fundamentum et ordinis entitativi et cognoscitivi, primo notissimum et per se evidentissimum. Atqui solum principium (non) contradictionis has omnes conditiones habet. E. principium (non) contradictionis est primum principium.

138. Obiectiones. 1. Affirmativa priora sunt negativis, itemque universalissima et simplicissima illis, quae terminis complexis vel non admodum notis nec communissimis, vel relativis, constant, nam relativa absolutis posteriora sunt: *atqui* principium contradictionis negativum est, itemque constat terminis non adeo notis nec communissimis, ut sunt *idem, simul,* quae relationem implicant; *ergo* principium contradictionis non potest primum esse.

Dist. mai.: priora sunt in ordine logico seu psychologico, *conc.* in ordine entitativo, *subdist.*: si aliquid vere negativum dicitur, *conc.;* si positive ipsa rei natura exprimitur etsi forma negativa, *nego.* Nota praeterea principium contradictionis forma simplicissima exprimi posse.

2. Principium contradictionis fundatur in principio identitatis, ideo enim quod est non potest simul esse quod non est quia est quod est. E. principium contradictionis non est primum.

Dist. antec.; fundatur in ordine logico seu psychologico, *concedo;* in ordine metaphysico, *subdist.;* ita ut principium identitatis sit verum principium ex quo aliquid deducatur, *nego;* ita ut principium contradictionis sit primum verum principium ex quo aliquid deducatur, *conc.*

3. Principium contradictionis demonstrari potest, ut patet ex Aristotele qui multas rationes affert quibus principium probat; *ergo* non est primum.

Dist. ant. Aristoteles ostendit multipliciter cohaerentiam huius principii cum lege cogitandi, *conc.;* stricte demonstrat, *nego,* eo vel magis quod ipse hoc neget.

4. Non potest dari unum primum principium, nam ad demonstrationem plura principia requiruntur; *ergo.*

Dist. antec.; unum solum ad demonstrationem, *conc.;* unum in quo omnia fundentur, etsi plura adhibeantur, *nego.*

5. Saltem principium identitatis non fundatur sed supponitur; *ergo.*

Dist. ant.: supponitur quoad originem, *conc.;* quoad necessitatem et firmitatem, *nego.*

6. Ens purum est indeterminatio pura; *atqui* indeterminatio pura est purum non-ens; *ergo* ens purum est non-ens, ideoque principium contradictionis falsum.

Dist. mai.: est indeterminatio pura quatenus non dicit hoc vel illud ens, *conc.;* quatenus non dicit intrinsecam differentiam a non-ente, *nego.*

7. Res sunt in continuo fieri. Sed fieri est coniunctio entis et non-entis; *ergo* datur in rebus contradictio.

Dist. min.: est coniunctio entis et non entis eiusdem, *nego;* entis et non entis alius et alius, seu transitus ex uno ad aliud, *conc.*

ARTICULUS III

DE RATIONE SUFFICIENTE

Thesis 5. Principium rationis sufficientis est universalissimum et absolute necessarium.

139. Praeter initio notata: QUILES, *La esencia de la fil. tomista* p.107ss; FRANZELIN, *Der Satz vom Zureichenden Grund vertheidigt gegen Isenkrahe:* ZkathTh (1923) p.329-369; DESCOQS, *Instit. Metaph. Gener.* p.476-578; HEIDEGGER, *Vom Wesen des Grundes.*

140. Nexus. Intime cum principio identitatis et contradictionis coniunctum est hoc quod denominatur *rationis sufficientis principium,* quo ens tam ad se quam ad intellectum respiciens constituitur, cuiusque usus frequentissimus saepissime in ordine tam logico quam ontologico investigationem dirigit circa naturam entis eiusque intelligentiam, indeque ut unum ex primis principiis habetur et proxime ab ipso ente derivatum. Hinc nunc exponendum, examinandum, comprobandum sumimus.

141. Notiones. RATIO plura significare potest:

a) facultatem intellectivam discursivam;

b) causam motivam alicuius actus;

c) computationem;

d) aliquid simplex a multis abstractum, sicut dicitur *ratio* hominis, ad naturam pertinens[1].

142. *Ratio,* prout hic sumitur, *est id unde ens est id quod est.* Illa omnia *quibus* aliquo modo *debetur* quod ens quodcumque, in quocumque ordine sit, sit quod est, illa rationem talis entis constituunt; hoc vero valet tam pro ordine *essentiae* (etiam sensu ampliori intellectae), quam pro ordine *existentiae,* quam pro ordine *intelligibilitatis* seu *veritatis.*

[1] Cf. S. TH., *In lib. De div. nomin.* c.7,5.

143. *Ratio* potest esse *sufficiens,* illa ultra quam nulla alia requiritur ut res sit id quod est in eo ordine in quo est; et *insufficiens,* illa ultra quam adhuc aliquid requiritur ut res sit id quod est in quo ordine est.

144. Et haec sufficientia vel insufficientia potest esse *absoluta* si ad ens plene sumptum attendit; *relativa* si ad ens tantum sub quodam respectu attendit.

145. *Ratio,* ulterius, potest esse *intrinseca,* quae est complexus notarum vel elementorum quibus intrinsece debetur res in eo ordine in quo est; *extrinseca,* quae est complexus causarum extrinsecarum quae requiruntur ut ens sit quod est; tales possunt esse *efficiens, finalis* et *exemplaris.*

146. Principium rationis sufficientis est effatum enuntians absolutam necessitatem rationis sufficientis pro ente in quocumque ordine. Enuntiationes habentur plures, haec autem ut generalis formula haberi potest: *Omne ens debet habere rationem sufficientem sui;* aut formula negativa: *Nihil potest esse sine ratione sufficiente sui.*

Sed quoniam ens in triplici ordine considerari potest: *essentiae, exsistentiae, intelligibilitatis,* pro unoquoque ordine sic valet principium enuntiari:

a) *Pro ordine essentiae*: *Essentia* hic intelligitur quidquid hoc ens determinatum ut sic concreto determinatum constituit; essentia includit, proinde, tam notas essentiales, quam proprietates, quam etiam accidentia; imo et exsistentiam in quantum est forma actu iam essentiam ut exsistentem (si talis sit) constituens. Formula enuntiari potest: *Quidquid essentiam determinatam habet debet habere rationem sufficientem talis determinatae essentiae.*

b) *Pro ordine exsistentiae*: *Exsistentia* hic intelligitur in fieri, hoc est, non ut forma nunc iam essentiam actualem reddens, sed ut id unde provenit quod hoc formam vel quasiformam exsistentiae habeat. Et enuntiatur: *Quidquid exsistit habet rationem sufficientem suae exsistentiae.*

c) *Pro ordine intelligibilitatis*: Sub duplici aspectu ordo hic considerari potest; aut ex parte *obiecti,* in quantum quodcumque ens intelligibile est; aut ex parte *subiecti* quod actu iudicium verum habet. Pro primo casu sic valeat enuntiari: *Quidquid cognoscitur habet rationem sufficientem unde cognosci possit.* Pro altero casu: *Omne iudicium verum habet rationem sufficientem suae veritatis.*

147. Formula vero uberior recitari potest in qua omnia expressius contineantur: *Quidquid est, exsistit aut intelligi potest debet habere sive intra sive extra, sive partim intra partim extra, rationem sufficientem suae essentiae, exsistentiae aut intelligibilitatis.*

148. Status quaestionis. *a*) Plura apud philosophos circa principium rationis sufficientis proponi solent. Sed quae ad valorem criteriologicum, naturam analyticam sive syntheticam... attinent, ea ad Criticam amandamus investiganda. Nostrum hic est principium *metaphysice statuere.*

b) Ac in primis quaeritur *circa necessitatem* huius principii; nempe, utrum *absoluta necessitate* in omni entitatis ordine ratio sufficiens requiratur, quin ulla conditio necessitatem restringens implicetur.

c) Dein quaeritur utrum principium *in omni ordine entis* valeat. Quod si de *ordine essentiae* agatur, quaeritur utrum re vera constitutio determinata entis rationem sufficientem intrinsecam necessario habeat; de intrinseca quaeritur, quia hic ordo est staticus et quodammodo formalis, ubi subiectum concipitur determinatum ut hoc vel illud sit, per susceptionem formarum determinantium; quod etiam de ordine accidentali intelligitur. Si *de ordine exsistentiae* in sensu dynamico quaeritur, tunc tantum quaestio generalis hoc loco statuitur, quin ulterius determinetur quaenam talis ratio sufficiens sit. Pariter, *circa veritatem* quaeritur utrum necessario intelligibilitas obiectiva rei et veritas subiectiva iudicii rationem sufficientem requirant.

d) Quaeritur ulterius utrum principium *pro omni ente* validum sit habendum, tam pro Deo quam pro creatis, tam pro substantialibus quam pro accidentalibus, tam pro necessariis quam pro contingentibus.

149. Sententiae. a) *Philosophia graeca* non explicite principium enuntiavit, quod tamen in omni investigatione supposuit verissimum.

b) *Philosophia scholastica,* similiter, principium non formaliter enuntiavit; continuo tamen illud ut praesuppositum habuit, et implicite sub diversis expressionibus proposuit.

c) Qui primus habetur enuntiator principii est LEIBNIZ, qui illud simul cum principio contradictionis ut fundamentale in metaphysica adhibet; ita vero, ut principium *contradictionis* ad veritates *necessarias,* principium *rationis sufficientis* ad veritates *contingentes* restrixerit.

d) KANT et idealistae principio valorem mere subiectivum attribuunt, omnem eius necessitatem obiectivam et ontologicam negantes.

e) *Empiristae et positivistae* principium ad ordinem experimentalem reducunt, quatenus generatim in ordine legum naturae explicatio omnium phaenomenorum inveniri potest. Ratio autem metaphysica sufficiens positive cognosci non potest.

150. Nos tenemus ut metaphysice certum valorem absolutum et universalem principii rationis sufficientis tam de necessariis quam de contingentibus; tam pro ordine essentiae et exsistentiae, quam pro ordine intelligibilitatis. Nota vero, pro ordine genetico exsistentiae non hic determinatur *quaenam* ratio sufficiens illa sit qua ens exsistentiam habens reddatur sive ab intrinseco sive ab extrinseco; sed tantum hoc, nihil posse reddi exsistens sine ratione sufficiente.

151. Probatur. Principium de subiecto universalissimo praedicatum enuntians, quod illi in tota eius universalitate conveniat necessitate obiectiva absoluta, est dicendum universalissimum et absolute necessarium. Atqui sic de omni ente necessitas rationis sufficientis enuntiatur. Ergo principium rationis sufficientis universalissimum et absolute necessarium dicendum est.

Maior: Evidens est: in ea enim conditiones pro universalitate et necessitate enuntiati includuntur.

Minor: Nam principium rationis sufficientis:

a) Habet *subiectum universalissimum*, nempe *omne ens*, sub quo tam ens necessarium quam contingens, tam ordo essentiae quam exsistentiae quam veritatis intelligitur.

b) *Praedicatum* enuntiatur—*habens rationem sufficientem;*

c) Quod subiecto *in tota universalitate absoluta necessitate* convenit; nam omne ens: sive Deus sive creatum, sive substantia sive accidens, tam quoad eius essentiam, eius exsistentiam etiam genetice intellectam, quam circa eius intelligibilitatem seu veritatem, non potest esse illud quod est, quidquid sit, sine illis quae intrinsece et extrinsece requiruntur et sufficiunt ut sit illud quod est.

Nam si quae *requiruntur* non dantur, tunc illud ad quod requiruntur esse non potest; unde si sine requisitis datur, est quin possit esse, quod est contradictorium.

Singillatim *quoad triplicem ordinem*:

a) Ratio sufficiens *pro ordine essentiae* est complexus notarum etiam accidentalium unde hoc ens est hoc ens determinatum et concretum; si notae dantur tunc hoc ens est; si notae non dantur, hoc ens non est. Esse ergo hanc essentiam sine notis requisitis est contradictorium.

b) Ratio sufficiens *pro ordine exsistentiae* sensu genetico est illud unde haec essentia redditur potens actu et immediate exsistere et iam exsistens. Si illud non adest et tamen redditur sic potens exsistere, tunc simul est et potens exsistere et non potens exsistere, quod repugnat. Nota bene non nunc determinari quaenam sit illa ratio sufficiens pro unoquoque ordine, hoc erit opportune argumento proprio demonstrandum.

c) Ratio sufficiens *pro ordine intelligibilitatis et pro veritate* est illud unde hoc ens redditur intelligibile et hoc iudicium redditur verum. Ens vero redditur intelligibile ex consociabilitate et perspicuitate notarum quibus constituitur; si notae insociabiles aut incognoscibiles sint et ens illud intelligibile tamen sit, tunc erit simul et inintelligibile et intelligibile. Pari modo, iudicium verum significat ordini obiectivo esse conforme; quod si non conforme, adhuc verum sit, simul erit et verum et non verum.

152. Confirmatur. 1. *Ex sensu communi* omnium hominum, qui dum non plenam uniuscuiusque facti aut obiecti rationem cognoscunt, non contenti ulterius eam investigant, ea persuasione ducti qua, forte inscii, veritatem principii rationis suficientis affirmant.

2. *Ad hominem* argui potest; ideo enim huius principii absolutum et universalem valorem reiiciunt, quia pro illo tenendo rationes sufficientes non dari arbitrantur.

153. Scholion 1. *De reductione principii rationis sufficientis ad principium contradictionis,* de qua plurimum inter moderniores scholasticos actum est, valet hoc innuere: principium *rationis sufficientis,* intellectum de ordine statico-formali, vere ad principium contradictionis reducibile est; quod si applicetur ad ordinem geneticum, ubi iam concreto ad principium causalitatis gressus est faciendus, tunc videtur verum et primum principium constituere, quod quidem ultimo aliquomodo in principio contradictionis quiescit, non tamen ad ipsum reducitur nec ab ipso derivatur.

154. Scholion 2. *Inintelligibilitas obiectiva absoluta* rei cum eius absoluta impossibilitate coincidit; in tantum enim inintelligibile, in quantum ratio sufficiens unde intelligatur

deficit; deficit vero quia res in se contradictoria. Proinde, clausula hypothetica a SAWICKI principio rationis sufficientis superaddita supervacanea est, nempe: *Omne ens debet habere rationem sufficientem, nisi inexplicabile habendum sit*[2]. Si ens rationem sufficientem non habeat, inexplicabile quidem erit, sed ideo quia prius impossibile est.

155. Scholion 3. *Conspectus quidam metaphysicae.* Quo ab initio conspectus metaphysicae paulatim clarior reddatur valeat hoc observare: *Ratio quidem sufficiens ordinis exsistentiae* ipse Deus est, aut in quantum ipse sua essentia exsistens est, aut in quantum ipse tandem est *causa suprema efficiens* rebus contingentibus exsistentiam concedens et conservans; imo etiam ratio sufficiens exsistentiae in ordine finalitatis ipse Deus est, quia omnia creavit ut se ipsum diversimode etiam aliis communicaret. *Ratio sufficiens ultima intelligibilitatis* rei etiam a Deo procedit, tam quia intellectus creatus lumen proprium ab intellectu divino recipit, quam quia ipse ordo obiectivus in tantum est cognoscibilis in quantum a Deo lumen obiectivum, sicut splendide explicavit S. AUGUSTINUS, recipit, ex quo res illuminatae per admirabilem speciem a Verbo impressam, capaces sunt ut a lumine intellectuali, etiam a Verbo communicato, percipiantur. *Ordo vero essentiarum* etiam a Deo *rationem sufficientem* habet; in tantum enim essentiae in unitatem ex pluribus elementis coalescere possunt, imo in tantum etiam ipsae notae possibiles sunt, in quantum aliquo modo a Deo habent ut Eius infinite perfectam essentiam imperfectissimo modo imitentur. Sic Deus tandem est ratio sufficiens ultima totius ordinis entis; qui ita per supremas leges non-contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis et finalitatis regitur, ut aliquo modo per hanc hierarchicam coordinationem essentiae, exsistentiae, actionis et veritatis illa mirabilis Species divina etiam hic a nobis adumbrari possit.

156. Obiectiones. 1. Principium rationis sufficientis detrahit libertati divinae et eius immutabilitati; ergo admitti non potest.

Dist. ant.: detraheret si ratio sufficiens esset vere motiva, *conc.;* si non est motiva, *subdist.*: si permanente ratione adhuc Deus potest agere ut velit, *nego;* secus, *conc.*

2. Saltem detrahit libertati humanae. Nam voluntas ad quamcumque determinationem requirit rationem sufficientem, et movetur iuxta sufficientiam rationis. Ideoque necessario, cum aliter determinari non possit.

[2] SAWICKI, *Die Gottesbeweise* 29.

Nego assertum. Ad probationem: voluntas requirit rationem sufficientem ad suam determinationem, *conc.;* necessario iuxta rationem sufficientem agere debet, *nego,* ipsius enim est attendere ad hanc vel illam rationem et dein libere hanc vel illam acceptare.

ARTICULUS IV

DE PRINCIPIO IDENTITATIS COMPARATAE

157. Praeter opera initio citada cf. DALMAU, *El principio de identidad comparada según Suárez:* EstEcls (1926) 91ss; J. A. DE ALDAMA, *Ruiz de Montoya y el problema trinitario de identidad comparada:* EstEcls (1931) 554-559; J. M. ALEJANDRO, *La gnoseología del Doctor Eximio* (Comillas 1948) p.166-178; M. CUERVO, O. P., *La Suma de Santo Tomás* (Madrid, BAC) II,90-92; HELLÍN, *El principio de identidad comparada según Suárez:* Pensamiento 6 (1950) 435-463; 7 (1951) 169-192 (in hoc studio invenies omnes praecipuos auctores Scholasticos qui de hac re agunt).

158. Nexus. Etsi principium identitatis comparatae non ad prima principia pertineat, sed potius ut derivatum considerari debeat, tamen, quoniam eius applicatio frequentissima est tam expresse quam implicite in ratiocinio, quaedam breviter de ipso dicemus.

159. FORMULA ET SENSUS PRINCIPII. In forma consueta et magis simplici principium enuntiari solet: *Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Ut primo visu apparet, formula, si ab ulterioribus determinationibus praescindamus, est applicatio, potius quam derivatio, principii identitatis; adhibito enim medio, tandem identitas affirmatur. Sed investigatio accurata principii eius intrinsecam difficultatem ostendet.

a) Principium frequenter enuntiatur potius de aequalitate inter duo quam de identitate; quantitates ergo comparantur: et tunc significatur, quando duo sint tertio aequalia, esse inter se aequalia; quo tamen non dicuntur inter se *identica*: ut si ager A cum alio distantissimo B mediante C comparatur, tunc resultare poterit quod ager A, cuius longitudo est aequalis superficiei agri C, sit *aequalis* agro B qui etiam superficie commensuratur cum agro C, non tamen inde deducitur quod ager et A et ager B sint unus idemque ager.

b) Frequenter etiam de similitudine enuntiatur, nam duo tertio similia sunt inter se similia in eo in quo tertio assimilantur; non tamen deducitur quod illa duo tertio similia sint in re unum idemque: duo filii, qui matri in oculis assimilantur, habent oculos similes, non tamen *eosdem* oculos.

c) Sensus vero quem proprie, et maxime in Metaphysica,

dicit, est sensus *identitatis* realis: ut cum in syllogismo ostenditur identitas realis subiecti et praedicati consequentis mediante identitate cum medio syllogismi.

160. *Duplex tamen adhuc sensus* formulae dari potest etiam in ipso ordine identitatis.

a) *Sensus formalis.* Formula in sensu formali indicat medium comparationis debere sumi saltem semel in comparatione in tota sua extensione. Tunc enuntiari potest explicite hoc modo: *Quae sunt eadem uni tertio, saltem semel in tota sua extensione seu adaequate intellecto, sunt eadem inter se.* Ubi bene notandum est, non requiri ut medium comparationis sit necessario singulare aut universale, sit communicabile vel incommunicabile, sed hoc solum: illud medium debere in comparatione saltem semel in tota sua extensione sumi, ita ut omnia quibus applicari potest amplectatur.

b) *Sensus materialis.* In hoc sensu medium comparationis debet esse singulare et unicum, et tunc principium enuntiatur formula sine ulla restrictione: *Quae sunt eadem uni tertio singulari et unico sunt eadem inter se.*

161. *De valore principii. Si formula in sensu formali,* quem diximus, sumitur, tunc est *formula* vere *analytica,* eiusque valor est universalissimus absoluta necessitate, ita ut nullam exceptionem patiatur. Si *formula in sensu materiali* sumatur, tunc philosophice nulla ei exceptio assignari potest, et affirmare valet principium etiam esse validissimum.

162. *Difficultas* vero principii apparet in eius applicatione ad *mysterium Smae. Trinitatis,* ubi tres Personae divinae realiter identificantur essentiae divinae, singulari et unicae et tamen non realiter inter se identificantur. In Trinitatis mysterio servatur quidem hoc principium in sensu formali. Nam si Pater et Filius identificantur cum essentia, et non identificantur inter se quoad relationes, ideo est quia relationes identificantur cum essentia, sed singulae non identificantur cum essentia sumpta semel in tota sua extensione, sed semper in extensione particulari, nempe prout identificata cum una sola relatione, non cum omnibus; sed si hoc principium non sumatur in sensu formali, sed in sensu materiali, tunc, iuxta aliquos, non servatur, sed est ponenda in tali principio exceptio: nam in Trinitate, plures relationes identificantur realiter cum una essentia unica et singulari, et tamen non identificantur inter se.

Ad hoc explicandum plures solutiones a Theologis proponuntur, qui et principium salvare et veritatem Trinitatis componere conantur. Unus fere SUAREZ est qui in hac re exceptionem principii, et quidem unicam, clare admittat, cuius

solutionis scandalum non pauci Scholastici patiuntur. Iam vero, qui conatus reliquorum theologorum sincere examinet, tandem inveniet, in forma abstracta, plus minusve occulta, exceptionem pro hoc solo casu distinctionibus et subdistinctionibus pluribus, et non raro complicatissimis, statui.

CAPUT III

De proprietatibus entis

163. Ad considerationem entis in se spectati etiam de his agere pertinet, quae necessario ens sequuntur, ex quibus et ipsa ratio formalis entis penitus cognoscetur, et eius intima ubertas, etsi forte in hoc abstractissimo momento ad minimum reducta, paulatim elucescet. Tractatum vero de proprietatibus proponentes, quaedam ad earum potius consectaria pertinentia addemus, quae metaphysicum momentum historice et realiter involvunt, necnon rationem entis, in proprietatibus involutam, collustrant et perficiunt.

ARTICULUS I

DE PROPRIETATIBUS ENTIS IN GENERE

164. ARISTOTELES, *Metaph.* IV c.2; S. TH., in hunc locum; *De verit.* q.1 a.1; q.21 a.1-3; SUÁREZ, DM d.3 a.1-2; DESCOQS, *Instit. Metaph. Gener.* p.317ss; A. B WOLTER, *The Transcendentals and their Function in the Metaphysics of Duns Scotus* (Washington 1946); MAHIEU, *François Suarez* 2ªp.

165. Nexus. Considerationem generalem circa proprietates praemittimus, sic enim facilius singulas in specie explicabimus, remotis ab exordio difficultatibus ex ratione generali potius quam ex specifica subortis.

166. Notiones. PROPRIETAS est *praedicatum non essentiale, necessario tamen conveniens suo subiecti omni, soli et semper,* et quod conversim de subiecto praedicatur. Unde proprietas essentiam aliquomodo constitutam supponit; ideoque *proprium* non est quasi merum novum synonimum, sed aliquid in aliquo ordine supra essentiam additum, sed tam intime est cum tali essentia coniunctum, ut neque essentia a proprietate neque proprietas ab essentia separari possint umquam; proprium enim necessario ab essentialibus specificis principiis fluit. Definiri etiam solet: *id quod de pluribus praedicatur in quale accidentaliter necessario;* et etiam, *quod de pluribus*

praedicatur tamquam quiddam necessario ab eorum essentia fluens.

167. Proprietas potest esse *metaphysica,* si ab essentia non realiter sed ratione tantum distinguatur; et *physica,* si ab essentia realiter distinguatur [1].

168. ATTRIBUTUM, vi vocis, dici potest omne illud quod rei tribuitur seu de re praedicatur; opponitur conceptui essentiali, et significat omnem perfectionem rei, quae non praecise ad quidditatem seu notas constitutivas pertinet; et ideo non respondet quaestioni, *quid res sit,* sed quaestioni ulteriori, *qualis res sit.*

169. Attributum sumi potest *late,* et est quodlibet praedicatum essentiam determinans eamque a reliquis separans. Sic aliquando etiam ipsae notae essentiales attributa dicuntur; et *stricte,* praedicatum essentiam ita designans et ab aliis separans, ut concipiatur tamquam aliquid ab ea fluens et cum ea necessario et exclusive coniunctum [2].

170. PASSIONES dicuntur illae reales determinationes essentiae quae, hac iam constituta, recipiuntur, easque quasi patitur. Ea de causa etiam *affectiones* non raro denominantur.

171. Si proprietas, attributum et passio inter se *comparentur,* proprietas et attributum ad ordinem potius logicum pertinent, passio vero ad ordinem obiectivum. *Proprietas* potius ad exclusivitatem alicuius praedicati attendit et eius ab essentia fluxum et dimanationem; ideoque potius tendit ad realem distinctionem inter essentiam et proprietatem assignandam. *Attributum,* vero, potius ad determinationem essentiae attendit, quin speciali modo ad exclusivitatem talis determinationis vel ad eius distinctionem ab essentia attendat. *Passio,* tandem tantum realem affectionem dicit quin ulteriora determinet.

172. Post ARISTOTELEM et PORPHYRIUM docuerunt peripatetici omnes proprium *quatuor modis* dici. *Primo,* quod soli speciei inest, sed non omni; ut homini geometram esse. *Secundo,* quod omni quidem speciei inest, sed non soli; ut bipedem esse. *Tertio,* quod omni quidem et soli, sed non semper; quemadmodum homini canescere. *Quarto,* denique, quod,

[1] De modo quo dimanatio seu fluxus proprietatum physicarum ab essentia explicari debeat, cf. URRABURU, *Ontologia* p.922ss.
[2] Alias divisiones videas apud HELLIN, *Theologia naturalis* p.399ss.

tribus primis in unum coëuntibus, exsurgit, hoc est, quod omni, soli et semper convenit, quod item convertitur. Et *hoc tantum* quod solum a PORPHYRIO inter praedicabilia est collocatum, *vere proprium est*. Ad rem dicit ALBERTUS MAGNUS: "Attendendum est quod vere proprium est quod convenit omni et soli et semper, et conversim praedicatur de illis; et per respectum ad illud accipiuntur alia propria, scilicet illud, quod soli sed non omni, aut omni sed non soli, aut omni et soli sed non semper"[3]. ARISTOTELES vero dicit: "Proprium est, quod non declarat quidditatem, sed soli inest et cum re reciprocatur"[4].

173. *Doctrina generalis Scholasticorum* circa proprietates entis:

a) Fuerunt *Scholastici* qui enti proprietates *negarent,* ut AUREOLUS et PETRUS NIGER; quorum fundamentum hoc est, iuxta MASTRIUM[5], quod Metaphysicam dicerent sapientiam esse, non scientiam; si ens proprietates haberet, demonstraret eas Metaphysica eoque iam scientia esset. Haec vero positio fere nullum habuit in historia momentum.

b) "*Scotistae* passim, praeter passiones simplices et incomplexas scl. unum, verum, bonum, quae tales denominantur quia unico et incomplexo termino significantur, alias addunt, quas *disiunctas* appellant, et *complexas;* quarum multae enumerantur, sed praecipuae et insigniores sunt, *actus vel potentia, idem vel diversum, contingens vel necessarium;* talesque dicuntur, quia termino complexo significantur, et sub disiunctione quadam enti conveniunt"[6]. Imo Scotistae generatim has proprietates ex natura rei formaliter ab ente distinctas dicunt.

c) STUS. THOMAS: "Illud autem quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quod omnes conceptiones resolvit, est ens... Unde oportet, quod omnes aliae conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens. Sed enti non potest addi aliquid quasi extranea natura, per modum quod differentia additur generi, vel accidens subiecto; quia quaelibet natura essentialiter est ens...; sed secundum hoc aliqua addere supra ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Quod *dupliciter* contingit: uno modo ut modus expressus sit aliquis specialis mo-

[3] S. ALBERTUS MAGNUS, *De praedic.* tr. 6 c.1.
[4] ARISTOTELES, *Top.* 1,5.
[5] MASTRIUS, *Metaph.* d.4 q.1.
[6] Ibid., q.2 n.20.

dus entis; sunt enim diversi gradus entitatis, secundum quos accipiuntur diversi modi essendi; et iuxta hos modos accipiuntur diversa rerum genera ...Alio modo, ita quod modus expressus sit modus generaliter consequens omne ens; et hic modus dupliciter accipi potest; uno modo secundum quod consequitur omne ens in se, alio modo secundum quod consequitur unumquodque ens in ordine ad aliud. *Si primo modo,* hoc dicitur quia exprimit in ente aliquid affirmative vel negative. Non autem invenitur aliquid affirmative dictum absolute quod possit accipi in omni ente, nisi essentia eius, secundum quam esse dicitur; et sic imponitur hoc nomen *res,* quod in hoc differt ab ente, secundum Avicennam in principio Metaphysicae, quod ens sumitur ab actu essendi, sed nomen rei exprimit quidditatem sive essentiam entis. Negatio autem quae est consequens omne ens absolute, est indivisio; et hanc exprimit hoc nomen *unum*: nihil enim est aliud unum quam ens indivisum. Si autem modus entis accipiatur secundo modo scilicet *secundum ordinem unius ad alterum,* hoc autem potest esse dupliciter. Uno modo secundum divisionem unius ab altero, et hoc exprimit hoc nomen *aliquid;* dicitur enim aliquid, quasi aliud quid; unde sicut ens dicitur unum, inquantum est indivisum in se, ita dicitur aliquid, inquantum est ab aliis divisum. Alio modo, secundum convenientiam unius entis ad aliud; et hoc quidem non potest esse nisi accipiatur aliquid quod natum sit convenire cum omni ente. Hoc autem est anima, quae quodammodo est omnia, sicut dicitur in 3 de anima (text. 37). In anima autem est vis cognitiva et appetitiva. Convenientiam ergo entis ad appetitum exprimit hoc nomen bonum; ut in principio Ethicorum dicitur: Bonum est quod omnia appetunt. Convenientiam vero entis ad intellectum exprimit hoc nomen verum" [7].

d) SUÁREZ rationem dubitandi in eo invenit quod "ut aliqua sit vera et realis proprietas alterius, *quatuor conditiones* ut minimum requirit. *Prima* est, ut ipsa proprietas sit aliqua res... *Secunda,* ut distinguatur aliquo modo ex natura rei ab illo cuius est proprietas... *Tertia,* ut adaequate illi conveniat, seu cum illo convertatur... *Quarta* denique est, ut subiectum, seu id cuius est proprietas, non sit de intrinseca ratione et essentia talis proprietatis... Sed fieri non potest ut respectu entis sit aliqua proprietas quae has omnes conditiones habeat... Repugnat ergo esse proprietatem realem entis

[7] S. TH., *De ver.* q.1 a.1.

realis ut sic"[8]. Ipse vero SUÁREZ tenet "ens ut ens non posse habere veras et omnino reales passiones positivas ex natura rei ab ipso distinctas"[9]; "ens in quantum ens habere aliquas proprietates seu attributa, quae non sunt per rationem conficta, sed vere et in re ipsa de illo praedicantur"[10]; "haec attributa entis de formali addunt vel negationem vel denominationem sumptam per habitudinem ad aliquid extrinsecum; per ea tamen explicatur realis positiva perfectio entis, non secundum aliquid reale superadditum ipsi, sed secundum ipsammet formalem seu essentialem rationem entis"[11].

174. Iuxta doctrinam ergo praecipuorum Scholasticorum, haec generaliter de proprietatibus entis tenemus, quae in articulis sequentibus quoad particularia explicabuntur et probabuntur, dum opus fuerit:

a) Inter illa quinque a STO. THOMA enumerata, quae sunt: *res, unum, aliquid, verum, bonum* ut proprietates tenemus tantum has tres denominationes: *unum, verum, bonum.* Unde a ratione proprietatis ea etiam excludimus quae a Scotistis in forma complexa disiunctiva proponuntur.

b) Denominationem vero proprietatis non sensu strictiori adhibemus, qui realem distinctionem a suo subiecto importat; sed sensu latiori, hoc est, proprietates intelligimus metaphysicas. Attributa vero, e contra, sensu strictiori intelligimus, quatenus essentiam entis constitutam praesupponunt, a qua vero necessario et inseparabiliter proveniunt. Pariter etiam passiones seu affectiones intelligimus non realiter distinctas.

c) Has vero tres dicimus proprietates respectu entis in quantum ens est; nam in quantum *tale* ens concretum aut specificum potest et alias proprietates habere, et quidem etiam realiter distinctas.

d) Proprietates, iuxta explicationem STI. THOMAE, aliquid supra rationem entis addunt, quod explicite per ipsam rationem formalem entis non exprimitur; unde verae et reales proprietates dicendae sunt, etsi non aliquid realiter distinctum addant, sed ratione tantum per modum connotati extrinseci; ideo formaliter in ipso ente consistunt, prout est fundamentum istius connotationis.

[8] SUÁREZ, DM 3,1,1.
[9] Ibid., n.8.
[10] Ibid., n.10.
[11] Ibid., n.11.

e) Omnis haec attributorum ratio eo tendit, ut perfectius a nobis cognoscatur et explicetur entis natura; nam, quia nos simplicia non perfecte cognoscimus prout in se sunt, ideo partim negationibus, partim comparationibus ad res alias utimur ad ea distincte explicanda. Sic igitur, quamvis haec attributa de formali addant negationes vel alias habitudines, tamen per illas omnes explicatur entis natura, vel quoad perfectionem, vel quoad integritatem, aut aliquid simile.

175. Obiectiones. 1. Proprietas est extra conceptum vel essentiam rei cuius attributum est; atqui nihil est extra conceptum entis; *ergo* ens non potest proprietates habere.

Dist. mai.: est extra conceptum rei tamquam aliquid re distinctum, *nego;* tamquam aliquid ratione distinctum, *subdist.,* ita ut quod proprietas importet nullo modo in re contineri possit, *nego;* ita ut non contineatur in re tamquam implicitum nondum expresse dictum, *conc.*

2. Nihil potest esse proprietas sui ipsius; *atqui* entis proprietates essent entia et proinde proprietates ipsarum proprietatum; *ergo* ens non potest proprietates habere.

Dist. mai.: proprietas sensu physico, *conc.,* sensu metaphysico, *subdist.* identitate reali et conceptuali, *conc.;* identitate reali non vero conceptuali saltem plena et perfecta, *nego.*

3. Proprietates entis, ut sunt proprietates, sunt extra essentiam et aliquid superaddunt. Sed ut sunt proprietates, sunt reales; *ergo* sunt reales prout sunt extra essentiam entis et prout aliquid superaddunt.

Dist. mai.: sunt aliquid re extra essentiam et realiter superadditum, *nego;* aliquid per modum privationis vel denominationis realis cum habitudine ad aliquid extrinsecum, *conc. Dist. etiam min.:* reales in quantum sunt praedicata convenientia enti ante mentis operationem quae in se rationem entis includunt, *conc.;* reales quatenus aliquid reale important ab ente distinctum realiter, *nego.*

4. In ratione simplicissima non possunt dari plura realia qualia sunt attributa; *atqui* ens ut ens est ratio simplicissima; *ergo.*

Dist. mai.: plura realiter distincta, absoluta et positiva, *conc.,* plures determinationes sive negativae sive relativae, *nego.*

5. Si passiones entis sola ratione distinguerentur ab illo, non essent affectiones entis a parte rei, sed tantum per considerationem intellectus; *atqui* hoc est prorsus absurdum; *ergo.*

Dist. mai.: non essent affectiones a parte rei distinctae ab ente, *conc.;* non essent affectiones quae enti a parte rei conveniunt etsi ratione tantum cum fundamento distinctae, *nego.*

ARTICULUS II

De unitate entis

Thesis 6. Unitas est proprietas entis

176. ARISTOTELES, *Metaph.* V,7-12; S. TH., *In V Metaph.* 1.7 et 8; *In X Metaph.* 1.4; 1 q.11; I *Dist.* 24; *C. Gent.* c.53;*De ver.* q.8; SUÁREZ, DM d.4; SERTILLANGES, *S. Thomas d'Aquin* t.1 p.27-39; DESCOQS, *Instit. Metaph. Gener.* p.322ss.

177. Nexus. Iuxta ordinem a STO. THOMA designatum, primum inter entis proprietates unitas consideranda est; cum enim absoluta sit, entique ex se conveniat non per denominationem ab alio extrinseco, neque proprie per relationem ad illud, ab hac proprietate initium sumendum videtur. Ac primum erit demonstrandum, unitatem re vera proprietatem esse entis; dein vero, in articulis subsequentibus, quaedam quaestiones circa varias unitatis species proponentur.

178. Notiones. UNUM *in genere* est quod multitudinem negat, quae nihil aliud est quam aggregatio entium vel unitatum. Sed hoc ipso sensu unum etiam dici potest principium multitudinis, multitudo enim unitatibus constat, quae numerum constituunt. Numerus enim est multitudo ex unitatibus aggregata, vel, multitudo per unum mensurata.

Haec prima consideratio unitatis valde extrinseca est, per relationem ad alias unitates, cum quibus coexsistit ad multitudinem constituendam. Haec *unitas* dicitur *praedicamentalis* seu *numerica,* cuius tractatio non huius loci est.

179. *Unum,* ontologice seu intrinsece et *transcendentaliter* dictum, est *quod est indivisum in se.* Haec autem indivisio in se *excludit* quodcumque elementum extraneum ad entitatem non pertinens, aut ipsi contrarium vel contradictorium, eoque magis quo maior contrarietas cum entitate adsit; *includit* vero in ente omnia huius constitutiva; unde unitas non est conceptus pure negativus sed quid positivum praesupponens.

Inde sequitur unitatem supra ens nonnisi negationem addere, cum novum nullum afferat elementum sed potius extraneum excludat. Haec autem negatio solet ad modum privationis intelligi, et non ad modum purae negationis sicut FONSECA et alii opinati sunt; unitas enim praesupponit iam subiectum cui quasi adhaerens considerari potest, cum unitas negationem divisionis in ente dicat.

180. Hanc intrinsecam indivisionem entis sequitur *divisio entis a quolibet alio;* nam si ens in se indivisum plene constituatur, tunc consequenter ab omni alio ente dividitur seu contradistinguitur. Haec divisio entis a quolibet alio non ut quid formaliter unitatem constituens, sed eam potius subsequens dicenda est; eo fere modo quo in ratione ipsa essentiae formaliter includitur ipsa constitutio entis in se, et consequenter eius ab omni alio distinctio [1].

181. Unum potest esse *per se,* cuius esse est unum vere et indivisum simpliciter, hoc est, non habens actu plures entitates non unitas. *Unum* vero *per se* potest esse *simplex,* quod simul ac indivisum est etiam indivisibile in plures partes, eis enim non constat; et *compositum,* quod pluribus partibus unitis constat in quas dividi potest; actu, ergo, indivisum, potentia vero divisum. Uni per se opponitur unum *per accidens,* cuius esse actu quidem divisum est, sub aliquo tamen aspectu ut indivisum considerari potest. Hoc unum potest esse *per aggregationem,* et est eorum proprium quae acervatim in unum congesta sunt; *per ordinem,* et est eorum proprium quae ordine et morali unione copulantur; *per compositionem,* propria substantiae et accidentis.

182. Quoad hanc divisionem notandum est rationem *unius per se* et *unius per accidens* cum ratione *entis per se* et *entis per accidens* intime uniri, sicut omnis consideratio circa unitatem. *Ens per se* illud dicitur quod nihil continet in se quod ad essentiam, integritatem vel complementum talis entis in suo genere et secundum intrinsecam rationem suae speciei non pertineat. *Ens* vero *per accidens* est quod habet admixtam extraneam aliquam naturam, quae ad essentiam, integritatem et consummationem talis entis secundum intrinsecam rationem suae speciei non pertineat; extranea vero haec natura quodammodo cum ente unita supponitur, et sic unitatem quandam, etsi extrinsecam, constituit, quae dicitur *per accidens.* Patet exinde ens per se *magis vel minus stricte* sumi posse, sicut et ens per accidens. Consequenter etiam unitas per se et unitas per accidens strictiori aut largiori sensu sumi poterunt.

183. Unum, rursus, potest esse *logicum,* cuius indivisio a modo concipiendi intellectus provenit, qui plura uno con-

[1] Cf. supra, n.78.

ceptu repraesentat; et *reale,* cuius indivisio antecedenter ad mentis considerationem datur.

184. Iterum potest esse *universale,* quod est actu indivisum sed aptum multiplicari in plura quale ipsum est. Est *unitas logica* quae iterum potest esse *generica,* si praescindens a differentiis specificis pluribus speciebus immutata communicari potest; *specifica,* si praescindens a differentiis individuantibus pluribus individuis communicari potest immutata; uni universali opponitur unum *singulare,* quod est actu indivisum et in plura immultiplicabile. Hoc singulare etiam *individuale* dicitur, quod proprie est illud quod ulterius per additas differentias ad inferiora communicari non potest.

185. Hic etiam plena correspondentia inter essentiam et unitatem comprobatur. Nam sicut essentia in statu physico, metaphysico et abstracto considerari potest, correspondenter etiam triplex unitatis consideratio datur. Essentiae enim metaphysicae unitas correspondet essentialis seu formalis et transcendentalis quae tantum ipsam intrinsecam entis indivisionem dicit. Essentiae in statu abstracto unitas correspondet logica quae est universalis tam generica quam specifica. Essentiae in statu physico unitas correspondet singularis vel individualis prout unitati universali vel genericae et specificae contraposita consideretur. Essentia absoluta seu metaphysica tam statui physico quam abstracto communicari potest; pariter etiam unitas formalis seu essentialis unitati universali et singulari communicari etiam potest; unitas enim formalis tantum ipsam intrinsecam indivisionem entis dicit nec affirmans nec negans ulteriorem huius in plura multiplicabilitatem.

Caeterum hae correspondentiae inter essentiam et unitatem eo ipso dari quidem debent quod unitas proprietas sit entis, et ab hoc ita dimanans ut etiam huius conditiones necessario subsequatur.

186. Status quaestionis. *a*) *Ex ratione peculiari tam entis quam proprietatis* praecipua difficultas oritur ad admittendas entis proprietates. Intima enim coniunctio inter subiectum eiusque proprietatem exsistens hoc in casu tanta est, ut ratio entis rationem proprietatis excludere videatur; proprietas enim, si realis, et ipsa *ens* erit, suique proprietas; imo, distinctio conveniens inter ens et proprietatem difficulter explicabitur; dimanatio proprietatis a ratione entis videtur impossibilis nihil enim a se distinctum fluere poterit.

b) Quodsi generalis haec difficultas ex dictis in superiore articulo soluta videatur, ea, cum *de unitate* agitur, peculiari modo augetur. Cum enim unitas non nisi negationem addat, nullo modo eius realitas a realitate entis distingui videtur; nec intelligitur quomodo ex ratione entis dimanare

possit. Si unitas vera proprietas est a realitate entis vere dimanans, tunc aliquid positivum dicet; secus nihil afferret, ideoque nec vera proprietas dicenda erit.

c) Quo ergo unitas ut vera proprietas entis affirmari valeat, haec *requirit*: sit cum ente *convertibilis* et cum eo intime *coniuncta;* sit pertinens ad *secundarium* conceptum entis, tunc enim aliquo modo ipsum perficiet et complebit.

187. Sententiae. *a*) AUREOLUS et PETER NIGER, ex generali ratione, omnem proprietatem entis negant, consequenter etiam unitatem quatenus proprietas est.

b) Inter eos qui unitatem entis proprietatem affirmant hae dantur variationes:

a') AVICENNA, unitatem trascendentalem cum numerali confundens, *unum* dixit esse accidens quoddam entis re ab illo distinctum, per se tamen consequens omne ens [2].

b') SCOTUS et *Scotistae,* iuxta communem interpretationem, unitatem tenent ex natura rei ab ente distingui.

c') S. BONAVENTURA et ALEXANDER HALENSIS, quos posterius VAZQUEZ, HURTADO, OVIEDO et alii sunt sequuti, unitatem dicunt aliquid positivum enti addere, etsi non realiter distinctum.

d') STUS. THOMAS, et cum eo *Thomistae* fere omnes, saepissime unitatem ut proprietatem entis explicat, et quidem quae tantum negationem ad modum privationis addit. Praeter textum supra adductum, legas: "Respondeo dicendum quod unum non addit supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis. Unum enim nihil aliud significat quam ens indivisum. Ex hoc ipso apparet, quod unum convertitur cum ente. Nam omne ens aut est simplex aut compositum. Quod autem simplex est, est indivisum et actu et potentia. Quod autem est compositum, non habet esse, quamdiu partes eius sunt divisae, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quod esse cuiuslibet rei consistit in indivisione; et inde est, quod unumquodque, sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem" [3].

e') FONSECA [4] tenet unum non importare rationem perfectionis, sed indivisionis tantum, unum enim in suo formali conceptu non dicit ens, sed tantum connotat illud, et consequenter de formali dicit tantum indivisionem seu negationem.

---

[2] AVICENNA, *Metaph.* l.3 c.2; l.7 c.1.
[3] S. TH., 1 q.11 a.1.
[4] FONSECA, *Metaph.* q.5 s.5.

f') Moderni *Exsistentialistae* plures, iuxta HEIDEGGER et alios, unitatem entis formaliter negant, cum ens—realitatem humanam—simul ens esse et non-ens dicant.

188. Nostra sententia. Iuxta communissimam et certam Scholasticorum doctrinam tenemus unitatem esse *vere* entis proprietatem seu attributum, cui tantum negationem ad modum privationis addit, etsi in toto et adaequato suo significato nihil aliud dicit quam ens indivisum; dicitur vero proprietas seu passio entis in quantum divisionem negat.

Hic vero tantum sumemus probandum unitatem esse entis proprietatem.

189. Probatur (*Ex conceptu proprietatis*).

Quod rei omni, soli et semper convenit et ad secundarium eius conceptum pertinet, ipsius proprietas est. Atqui enti omni, soli et semper unitas convenit, et ad secundarium eius conceptum pertinet. Ergo unitas entis proprietas est.

Prob. mai.: Conditiones generales proprietatis proponuntur; haec enim cum subiecto converti debet, quod intimam inter subiectum et praedicatum coniunctionem supponit, et debet ultra eius essentiam aliquid addere in aliquo ordine. Nihil vero de reali distinctione et reali additione dicimus, cum de proprietate in sensu largiore, hoc est de attributo in sensu strictiore, agamus.

Prob. min.: Unitas convenit.

a) *Omni* enti; ens enim aut est simplex aut compositum; si simplex, ita ens est indivisum, ut et indivisibile sit; si compositum ex partibus unum quid effectum fuit.

b) *Soli* enti; nam conceptus unius etiam conceptum entis involvit, secus unum non poterit indivisum quid esse.

c) *Semper*, tandem, quia ex natura intrinseca ipsius entis immediate haec intrinseca indivisio necessario oritur.

d) Unitas ad *secundarium* entis conceptum pertinet; nam in primario, nihil expresse de eius interna indivisione dicitur, indeque unitas aliquam determinationem entis conceptui addit, quatenus interna entis indivisio positive affirmata, rationem entis magis expressam reddit.

190. Scholion 1. *Philosophia absurdi. Exsistentialismus*, praecipue prout a J. P. SARTRE expositus est, Philosophia absurdi dicitur, cuius prima ratio in ipsa realitatis primaria interpretatione residet. Ipse HEIDEGGER primo suo stadio reali-

tatem humanam in nihilo involutam interpretatus erat, ita tamen ut et ipsum nihilum ad realitatem humanam ut constitutivum ipsius pertineret. Sententiam, quam HEIDEGGER correxisse videtur, ita SARTRE in extremum duxit, ut iam ipsum nihilum intra ens inhabitare dicatur; realitas humana tam ex ente quam ex non-ente constituta est. In his tendentiis exsistentialisticis hodiernis interna haec extrema divisio realitatis primariae constitutiva est, ex qua divisione plurima in hac philosophia aguntur, sicut angustia, inquietudo, hominis destinatio, actio, desperatio... aliaque similia. Quantum huic internae realitatis divisioni concedendum sit momentum etiam ex ipsis librorum praecipuorum titulis colligi potest: HEIDEGGER enim primitivam suam investigationem *Sein und Zeit* intitulavit, hoc est, *Esse et tempus,* quo significatur *esse cum tempore* identificari, tempus vero est continuus ex esse ad non esse transitus; SARTRE librum scripsit *L'être et le Néant,* hoc est, *Esse et nihilum,* quo ipso titulo doctrinae heideggerianae in extremas conclusiones traductae insinuantur.

191. Scholion 2. *De unitate singulari.* Recentior philosophia maximum tribuit momentum imo et exclusivum, enti singulari, ita ut ne ideam conficere de ente universali velit nec valeat omnemque conceptualismum intellectualisticum extra sphaeram proprie dictae philosophiae excludit. Haec sententia maxime ope *Vitalismi* invaluit, cuius praecipuus fautor HENRICUS BERGSON dici debet, quamvis eius in hoc positiones similiter actualis Exsistentialismus sustinet. Iuxta BERGSON, exempli gratia, realitas profunda, quae sola ad considerationem metaphysicam venit, continuus dicitur impetus vitalis, vi cuius tota realitas ininterrupta nova creatio ascensionalis est, irreproducibilis, absolute singularis et unica, concretissima. Ad cognitionem talis profundae realitatis ope intuitionis pervenire licet, cuius est quasi per quamdam sympathiam spiritualem, quasi per contactum immediatum vitam experiri. Intellectus vero finem practicum habet, eiusque utilitaristicus processus sufficienter per conficta schemata realitatis, per conceptus universales staticos, omnino factos et pro omnibus validos, expletur. Sic omnis philosophia intellectualistica, cum necessario conceptualis sit, et non nisi universalia cognoscat, philosophia imperfectissima dicenda est, imo et falsa, cum realitas tota quanta singularis, irreproducibilis in continuo fieri perficiatur. *Exsistentialismus* etiam hanc positio-

nem fere participat. Indeque hae omnes recentiores tendentiae philosophicae in diametrum philosophiae scholasticae contraponuntur, quam intellectualisticam, conceptualem realitatis ignaram despiciunt.

Iam vero, praeterquam quod hae philosophiae vitalisticae ambitum entis ad ens vitale reducunt, id ignorare videntur, philosophiae scholasticae realitatem singularem non esse ignotam. Philosophia enim scholastica fere unanimiter sustinuit et sustinet quidquid exsistit singulare esse, ideoque universale non esse quid realiter in ordine rerum positum, sed a mente debito reali fundamento effectum, quo tandem ipsa realitas singularis perfectior cognoscatur; imo, in ratione ipsa singularitatis philosophia aristotelicoscholastica immultiplicabilitatem semper constitutivam dixit, ita ut singulare, ideoque omne realiter exsistens, absolute irreproducibile sit et concretum quid. In eo vero hae philosophiae differunt, quod *Vitalismus* ordinem singularitatis superare non valet, dum *scholastica* philosophia ordinem realitatis per intuitionem sive experientiam inventam, per rationem superiorem ulterius evolvit, ut essentiae in suis rationibus cognitae, veriorem et profundiorem realitatis singularis cognitionem praebeant. Imo etsi philosophiae vitalisticae sic a conceptibus universalibus abhorreant, et ipsae necessario eos adhibent: BERGSON enim conceptum universalem *intuitionis* explicat eo ipso quod hanc definiat; sic etiam de *vita,* de *creatione,* etc., etc. Imo tota structura primitiva operis heideggeriani *Sein und Zeit* in abstractione prefectissima obtenta sustinetur [5].

192. Scholion 3. *Multitudo.* Uni multa, unitati opponitur *multitudo,* quae est aggregatio unitatum vel entium. Multa et multitudo bifariam sumi possunt: *Transcendentaliter* et opponuntur uni transcendentali, et significant entia in se indivisa et invicem divisa seu distincta. Duas negationes enti addunt, indivisionem singulorum entium et divisionem aliorum ab aliis. *Praedicamentaliter* seu quantitative, opponuntur uni praedicamentali, et importat entia quanta. Si multitudo per unitatem mensurata habeatur, tunc dicitur numerus. Unum et multa contraponuntur contrarie et quodammodo privative. Cum multitudo distinctionem importet unitas vero identitatem, de unitate et distinctione hic agendum esset, posterius vero eis locus invenitur.

[5] Cf. ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de F. Suárez* c.6.

193. Obiectiones. 1. Quod nihil addit supra ens est merum nihil; sed unum formaliter nihil addit supra ens; *ergo* unum formaliter est nihil.

Dist. mai.: Quod nihil addit et non involvit ipsum ens est nihil, *conc.;* quod nihil addit, sed involvit ens, est nihil, *nego.*

2. Id dicit unum de formali per quod distinguitur ab ente; *atqui* distinguitur ab ente tantum per negationem, quam eidem superaddit; *ergo* solum dicit negationem ideoque non est realis proprietas.

Dist. min.: distinguitur ab ente radicaliter per negationem, *conc.;* formaliter, *nego.* Formaliter distinguitur ab ente per entitatem indivisam quatenus indivisam, cum ens de formali tantum dicat ens.

3. Proprietas identificata cum ente dicit totam perfectionem entis; *atqui* unitas est proprietas ut dicitur, sed de formali dicit tantum negationem; *ergo* negatio dicit totam perfectionem entis.

Dist. mai.: quoad rem ipsam, *conc.;* sub eodem conceptu seu ratione formali, *nego. Dist. min. etiam:* unitas de formali dicit negationem quoad expressionem, *conc.;* quoad rem ipsam, *nego.*

ARTICULUS III

DE UNITATE INDIVIDUALI

Thesis 7. Principium individuationis radicale est ipsa individuae rei entitas.

194. ARISTOTELES, *Metaph.* V.5,6; VIII.8,10: S. TH., *De principio individuationis; De ente et essentia,* c.2 et 4; *De natura materiae;* CAIETANUS, *Comm. in De ente et essentia;* SALMANTICENSES, t.1 tr.1, *De principio individuationis;* I. a STO. THOMA, *Logica* c.9; *Phil. Naturalis* II pars q.9; LEIBNIZ, *Disputatio metaphysica de principio individuationis;* SUÁREZ DM d.5; URRÁBURU, *Ontologia* disp.2 c.2 a.3 et 4; ROLAND-GOSSELIN, *Le principe de l'individualité* in opere *Le "De ente et essentia"* p.49-134; MESSNER, *Das Individuationsprinzip in Scholastischer Schau* (*Wissenschaft und Weisheit* I Jahrg); GLOSSNER, *Das Prinzip der Individuation nach der Lehre des hl. Th. v. Aquin und seiner Schule* (Paderborn (1888); ASSENMACHER, *Die Geschichte des Individuations prinzips* (1926); MANSER, *La esencia del tomismo* p.738-749; FUETSCHER, *Acto y potencia* c.13-15 p.167-249; HUGON, *Les vingt-quatre thèses Thomistes* p.71-75; *Cursus phil. Thom.* t.2 tr.2 q.4; QUILES, *La esencia de la filosofía tomista* p.1.ª c.6 a.3; H. MEYER, *Thomas von Aquin* p.82-93; M. FEBRER, O. P., *El concepto de persona y la unión hipostática* p.125-132.

195. Nexus. Ut complementum doctrinae circa unitatem transcendentalem, de unitate individuali tractabimus, ubi de agitatissima quaestione circa principium individuationis peculiariter agemus. Iam vero: quaestio de principio individuationis a schola *Thomistica* intra quaestionem generalem de actu et potentia proponitur, ut eius solutio ex principiis systematicis praehabitis expostuletur; schola enim *Thomistica* tamquam fulcimentum totius doctrinae metaphysicae actum et potentiam proponit, ita ut omnes quaestiones earumque solu-

tiones sub luce systematica proponantur et resolvantur. Nos vero schema illud de actu et potentia non absolute necessarium ducimus ad metaphysicam exstruendam, etsi eius valorem non ideo necessario negemus aut despiciamus; sed cum exsistimemus magis philosophicum esse ex veritatibus systema construere quam ex systemate veritates dillucidare, quaestionem de principio individuationis independenter a praesuppositis systematicis fundamentis proponemus.

Rem vero sic pertractabimus ut prius quaedam de individuatione et individuo breviter explicemus, et dein quaestionem de principio individuationis ampliori tractatione proponamus, discutiamur et, in quantum possibile, solvamus.

196. Notiones. INDIVIDUUM dicitur concretum aliquod cuius forma est individuatio. Haec forma, etiam differentia numerica dicta, naturae constitutae addi concipitur, ut natura sit haec et non alia, hoc unum ens non potens esse aliud quod sit idem atque hoc.

Individuum, proinde, dici potest *quod in plura eiusdem rationis dividi non potest;* unum numero, seu singulare; etiam, individuum ita est unum ens ut secundum eam entis rationem qua unum dicitur non sit communicabile multis ut inferioribus et sibi subiectis.

Unitas individualis aliquam peculiarem negationem divisionis dicit, eam qua entitas talis redditur ut tota ratio eius non sit communicabilis multis similibus entitatibus; hoc est, non sit divisibilis in plures entitates qualis ipsa est.

197. Individuum intelligi potest *primo intentionaliter;* tunc dicit ipsam singularitatem prout a parte rei invenitur; quae singularitas seu individuatio a parte rei non est aliud physice quam ipsa unitas numerica qua aliquid ita est unum quod est indivisum in se et divisum a quolibet alio. Et *secundo intentionaliter;* et tunc constat duplici connotatione: *subiicibilitatis* ad praedicata superiora, et *praedicabilitatis* qua individuum praedicatur non de aliquo inferiori sed de se ipso.

198. Ut individuationis natura penitius dignoscatur, haec notare valeat:

a) Individuum dicitur *incommunicabile,* quatenus negat communicationem superioris ad inferiora, quae est propria rationis genericae et specificae.

b) Indivisibile, non quatenus ipsum in partes dividi nequeat, sed quatenus negat divisibilitatem distributionis, qua

natura universali tota in singulis inferioribus multiplicatur.

c) *Divisum* a quolibet alio, quatenus non est aliud a se ipso, neque reperitur in alio tale quale ipsum est.

d) Conceptus individui non est proprie compositus et resolubilis in conceptum speciei et conceptum alterius modi seu differentiae individualis, sed est solum expressior conceptus ipsius naturae specificae, prout in re exsistit in tali entitate, in qua nec concipi potest talis entitas, neque aliquid talis entitatis quin talem specificam rationem includat; conceptus enim individuationis est quasi transcendens et imbibitus in ipsis differentiis; differentiae ergo individuales sunt primo diversae et non resolubiles in duos conceptus, quorum unus abstrahat ab alio et includatur in ipso. Sic Petrus quoad totum est Petrus quin aliquid in ipso sit quod Petrus non sit; sed ipsa ratio qua Petrus est Petrus tota quanta imbibitur ratione Petrum individuante, quin haec ratio individuans ulterius determinanda sit ut individuum Petrum constituat.

199. Individuatio potest esse *absoluta,* qua res constituitur haec divisa seu distincta ab aliis et incommunicabilis pluribus ut ipsa est; et *relativa,* qua res distinguitur ab aliis perfecte similibus; haec individuatio est propria eorum quae constituta sunt sub specie, quoad speciem enim perfecta similitudo intra omnia eius inferiora datur.

200. Potest ulterius tripliciter considerari:

a) *logice,* et tunc importat subiicibilitatem in ordine ad praedicationem, de individuo enim praedicantur naturaliter in propositione rationes specificae et genericae;

b) *metaphysice,* et tunc continet infimum gradum in linea praedicamentali, in qua supremus gradus metaphysicus est genus supremum, infimus vero individuum;

c) *physice,* et tunc est ipsa unitas numeralis tanquam id quod constituit in ordine reali unum numero vel singulare.

201. Individuum potest esse *determinatum* (demonstratum), illud nempe quod rem unicam distincte significat; et *vagum,* quod confuse aliquod singulare significat. Individuum *vagum* significat naturam cum individuatione in communi accepta. Individuatio vero *communis* non determinatur per additas differentias quibus ad hoc vel illud individuum contrahatur; individuum vagum, ut "aliquis homo" significat naturam communem cum determinato modo essendi qui competit singularibus.

202. NOTAE INDIVIDUANTES sunt illae quasi uniuscuiusque individui proprietates, quarum congeries numquam in alio eadem erit, ex quibus consequenter hoc individuum ab omnibus aliis distinguitur. Hoc versiculo tales notae individuantes recitantur:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen:
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

203. *Asserta* quaedam circa individuationem hic congeruntur, quibus doctrina de ha re completior, in quantum licet, reddatur.

a) Quidquid *immediate exsistit vel exsistere potest* singulare est atque individuum; habet enim certam et determinatam entitatem, distinctam ab omni alia et immultiplicabilem in plures quales ipsa est.

b) *Differentia individualis,* saltem in rebus materialibus, aliquid positivum addit supra naturam communem, ratione cuius res in esse individui constituitur et negationem habet divisionis in plura, quale ipsum est. Sententia haec est omnibus Scholis communis, exceptis Nominalistis. Quoad immateriales substantias plures Thomistae tenent individuationem nihil addere.

c) Quaeritur inter auctores utrum individua eiusdem speciei infimae habeant aequalem perfectionem substantialem, nam de perfectione accidentali quaestio nulla potest esse. Sed tam pro solutione affirmativa quam pro negativa plures et graves Auctores recensentur, qui pro sua parte et ARISTOTELEM et STUM. THOMAM habere intendunt.

204. Status quaestionis. *a*) Ut in re agitatissima inter Scholas lux, in quantum fieri possit, habeatur, omnino necessarium est quaestionem clare et praecise proponere, ne in hoc deficientes, videamur tandem in ignorantia elenchi versati fuisse. Disputatio praecipue inter discipulos STI. THOMAE agitatur, inter scholam Thomisticam et scholam Suarezianam.

b) Utraque schola in hoc convenit, quod quidquid exsistit individuum sit; etiam in hoc quod individuatio, saltem in substantiis materialibus, aliquid positivum addat, illudque non realiter distinguatur sed ratione tantum, etsi conceptus individui proprie non sit compositus; tamen individuatio ad modum formae concipitur qua natura specifica haec et non alia redditur.

c) Si quaeratur unde *formaliter* individuum sit indivi-

duum, tunc responsio clara est et unanimis: individuum est *formaliter* tale ex differentia numerica seu indviduatione. Inde ergo ab initio in hoc convenit utraque schola, quod *principium formale* individuationis sit individuatio seu differentia numerica.

d) Si ulterius, unde individua *dignoscantur,* in hoc etiam fere concordes sunt Auctores utriusque scholae; individua quidem spiritualia a nobis nonnisi ex effectibus ad summum dignosci possunt; non vero de iis hic quaeritur sed de materialibus: haec autem ex notis individuantibus dignoscuntur, quorum fundamentum in materia est. Sic ergo etiam in hoc omnes conveniunt quod *principium manifestativum* individuationis sit materia quoad materialia.

e) Si ulterius quaeratur unde *multiplicatio individuorum* naturaliter proveniat, tunc etiam, si de materialibus agatur, omnes unanimiter dicunt, principium talis multiplicationis, uno vel alio modo, materiam esse; nam ex divisione, generatione... individua multiplicantur.

f) *Quaestio* vero est *de principio individuationis radicali,* hoc est: quaeritur aliquod elementum *intrinsecum* ipsi rei individuae, a quo proveniat, tamquam a principio interno quod illa individua res debeat esse individua; non tamen tamquam a principio formali, seu a principio quod sua ipsa praesentia et unione aut identificatione faciat formaliter ut illa individua res individua sit; sed tamquam a principio *radicali,* quod sit *fundamentum aut ratio cur* illa individua res *debeat* esse hoc individuum determinatum et singulare; aliter dictum, quaenam sit realitas intra individuum exsistens, ex qua tamquam a radice proveniat ens esse hoc singulare, praedicabile de uno tantum. Hoc significatur quando quaestio de principio individuationis radicali proponitur.

g) Quaestio vero tam de *individuatione absoluta quam de relativa* proponi valet.

Si de *absoluta* proponatur, quaerit: Sicut nota corporeitatis in homine a materia sumitur, quin proprie materia corpus sit; nota rationalitatis vero ab anima spirituali, quin proprie anima spiritualis sola sit tota rationalitas prout haec a parte rei invenitur; sic illa nota individuationis qua formaliter hoc individuum habetur, aliquod dari fundamentum supponit unde individuum haberi debet, quin proprie sit ipsa propria differentia individualis. Quaeritur quaenam haec intrinseca radix individuationis sit.

Si de *relativa* proponatur, quaerit: Unde id proveniat quod intra eandem speciem plura esse possint individua quae eodem modo et gradu illa specifica perfectione participent, ideoque quoad hanc sint perfecte similia; cum tamen ab invicem perfecte distinguantur ita ut hoc non sit illud. Quaestio ergo est de radice multiplicabilitatis individuorum participantium perfecte eadem specie.

Uterque aspectus correspondet duplici aspectui ipsius individuationis, cuius est quod haec res sit haec ipsa et quod res distinguatur ab omnibus aliis.

h) Ex his tandem apparet hic non inquiri *principium extrinsecum* individuationis seu potius individuorum; quaenam nempe causae sint finales et efficientes individuorum, et in his causandis quid primae quid secundae causae tribuendum sit.

205. Sententiae. De re obscurissima sententiae plurimae sunt ortae, et ita quidem ut fere inter omnes auctores quaedam peculiaris variatio inveniatur. Praecipua capita et lineamenta sententiarum erunt exponenda.

a) Principium individuationis tam absolutae quam relativae est ipsa *forma substantialis*. Haec sententia tribuitur DURANDO, et etiam saltem ab aliquibus, AVERROI et AVICENNAE.

b) Principium individuationis est *exsistentia*. Cum possibilia sint universalia, addita illis reali exsistentia, individua et singularia deveniunt. Antiqui quidam referuntur huius sententiae auctores; inter recentiores vero etiam ipse ROSMINI annumeratur.

c) Principium individuationis provenit *a materia et quantitate* aliquo modo. Haec est sententia inter *Thomistas* classica, systematice a doctrina de actu et potentia dependens, in cuius vero expositione varietates reperiuntur quae valent annotari.

FERRARIENSIS principium designat *materiam signatam quantitate*, hoc est, materiam sub quantitate. Individuo enim duo conveniunt; per materiam est incommunicabile excludendo communicationem qua universale communicatur particulari; per quantitatem est distinctum a quolibet alio individuo eiusdem speciei distinctione quantitativa et materiali [1].

CAIETANUS dupliciter suam sententiam proprosuit. In com-

[1] *In I C. Gentes* c.21.

mentariis ad *De ente et essentia*[2] conclusit: *Materia signata* est per se intrinsecum individuationis principium, non autem quippiam aggregatum ex materia et quantitate. Materia vero signata quantitate nihil aliud est quam materia capax huius quantitatis ita quod non illius. Capacitas vero materiae respectu huius quantitatis nihil aliud est quam potentia receptiva huius quantitatis, ita quod non illius; potentia autem receptiva nihil realiter distinctum in recto dicit, sed addit aliquid reale distinctum secundum rationem tantum a materia. Hanc quidem sententiam CAIETANUS expresse reformavit, quia haec materia est merum subiectum quantitatis, et illa potentia ad quantitatem est in genere quantitatis et sic individuum non esset unum. Consequenter, aliter suam sententiam in *Commentariis ad Summam Theol.*[3] exposuit: Substantia materialis individuatur *per materiam sub certis dimensionibus;* per hanc vero intelligitur materia distincta numero ut prius natura quantitatis fundamentum, radix et causa ita quod ipsa materia in se sit prius distincta quam quanta. Sic materia est quasi praehabens quantitatis naturam; haec autem praehabentia dare potest quidquid actualis participatio dare potest.

SONCINAS: Quantitas est principium individuationis quoad esse distinctum et significatum et demonstrabile, sed quantitas cum dimensionibus interminatis dat materiei divisibilitatem, et sic dimensiones interminatae sunt principium individuationis originative et praesuppositive; *quantitas cum dimensionibus terminatis* est principium individuationis quantum ad id quod ultimo est de ratione individui, scl. quantum ad esse actu distinctum, et quantum ad esse actu signatum et demonstrabile[4].

CAPREOLUS: *Quantitas interminata* est principium plurificationis individuorum sub eadem specie; *quantitas terminata* est principium individuationis quantum ad hoc quod reddit materiam incommunicabilem pluribus formis secundum idem esse et secundum eamdem unitatem de genere quantitatis[5].

BAÑEZ: "*Materia quantitate signata* est completum et totale principium individuationis... In hac itaque conclusione, ut iacet, omnes Thomistae... convenire debent. Sed explicare quid per materiam signatam intelligat. D. Thomas hic opus, hic labor. Est enim in hoc maxima dissensio inter omnes

[2] *In De ente et essentia* c.2 q.5.
[3] In *Summam Theol.* 1 q.29 a.1.
[4] *Acutissimae quaestiones metaphysicales* l.7 q.24-5.
[5] II *Dist.* 3 q.1 a.1 concl.2 in fine.

discipulos D. Thomae." Ipse Bañez sic rem explicat: "Itaque materia cum quantitate constituit principium individui, ita quod materia sola determinata per formam est principium radicale et substantiale a quo differentia individualis sumitur, caeterum quantitas est conditio sine qua non posset individuare" [6].

IOANNES A ST. THOMA. Principium individuationis est *materia signata quantitate.* Signatio materiae non fit formaliter per ipsam quantitatem tamquam per formam inhaerentem materiae et afficientem ipsam; sed per intrinsecum ordinem materiae ad quantitatem ut ad formam dividentem et separantem; et ita quantitas potius est terminus signationis materiae ad quam dicit ordinem, quam forma intrinsece signans, et hoc modo dicitur se habere ut conditio et connotatio individuationis, et in isto genere solo, ut conditio, quantitas est primum, licet materia sit primum et radicale individuandi principium. Quantitas quidem respicit materiam ut dividens unam portionem materiae ab alia, qua divisione posita tamquam conditione, resultat non ex ipsa quantitate formaliter, sed ex ipsa materia incommunicabilitas et divisio substantialis respectu materiae sic divisae, et haec est individuatio substantialis. Et sic intelligit materiam signari radicaliter quantitate, non quia materia sola sit radix quantitatis, cum radix illius sit corpus; sed quia per ordinem ad quantitatem ut determinantem et dividentem materiam nascitur ex ipsa materia incommunicabilitas determinata substantialis et substantialiter individuans, posita tamen illa divisione quantitatis ut conditione praerequisita [7].

Ut etiam quaedam de recentioribus dicamus: Pro HUGON materia signata quantitate est ipsa materia prima ut praehabens per modum radicis hanc potius quantitatem quam illam, seu materia capax huius quantitatis ita ut non sit illius capax. Materia individuatur intrinsece per connotationem talis quantitatis, extrinsece per ipsam quantitatem connotatam; a materia sic individuata individuatur forma, a forma demum individuatur tota rei entitas [8] GREDT vero sic thesim suam enuntiat: Principium individuationis substantiarum corporearum est materia signata quantitate, i.e. materia connotans quantitatem interminatam [9]. BOYER, exposita sententia eorum qui cum FERRARIENSI intelligunt materiam signatam quantitate

[6] *In I De gen. et corr.* c.5 q.3 a.8.
[7] *Phil. Nat.* p.2.ª q.9 a.3.4
[8] *Phil. Nat.* p.1.ª tr.2 q.4,9.
[9] *Elem. Phil.* vol.1 *Phil. nat. spec.* p.2 c.1 n.342.

principium individuationis esse quatenus in actu habet quantitatem, vel actu subest dimensionibus non tamen terminatis sed interminatis, ait: "Haec altera interpretatio conformior textibus Sti. Thomae nobis esse videtur" [10].

Sententia Thomistarum sic breviter exponi potest:

a' Omnes tenent materiam (et aliquo modo etiam quantitatem) esse principium individuationis.

b' Aliqui distinguunt inter individuationem absolutam et relativam, et materiam dicunt principium individuationis absolutae, quantitatem vero individuationis relativae.

c' Alii, duce CAIETANO, hanc distinctionem relinquentes, dicunt materiam cum quantitate principium esse individuationis tam relativae quam absolutae.

d' Relatio quae adest inter hanc materiam et hanc quantitatem vocatur signatio materiae, et sic dicitur principium materia signata quantitate. Signatio determinationem significat; requiritur, proinde, ut illa materia aliquem ordinem ad quantitatem habeat; quo in explicando multum inter se Thomistae differunt. Inter hodiernos hae duae tendentiae praecipuae observantur: 1') Materia signata quantitate intelligitur materia actu informata quantitate non terminata, hoc est, non habens dimensiones terminatas; 2') Materia signata quantitate intelligitur non actu informata quantitate, sed quatenus capax, aut receptiva, aut exigitiva huius quantitatis.

e' Communius materia sola dicitur principium individuationis, cum quantitas solum ut conditio praevia requiratur.

d) Principium individuationis (absolutae) est ipsa rei entitas. Sic communius *Scotistae*, sic SUAREZ et post hunc multi alii. Hanc sententiam referens dicit FONSECA eam esse omnium implicatissimam [11], cum tamen SUAREZIO omnium videatur clarissima. Sic a SUAREZ explicatur: Sicut unitas individua pro formali non potest addere aliquid positivum reale supra entitatem individuam, quia quoad hoc eadem est ratio de illa et de omni unitate, ita positivum fundamentum huius unitatis quoad negationem, quam dicit, nihil positivum addere potest, physice loquendo, illi entitati, quae una et individua nominatur; ergo illa entitas per se ipsam est fundamentum huius negationis, et hoc sensu dicitur ab illa opinione

[10] *Cursus Phil.* vol.1 Coam. q.6 a.4 p.483.

[11] "Itaque etsi haec sententia primo aspectu quibusdam videtur facillima, est tamen omnium implicatissima, et quae, si tandem ad verum sensum reducatur, quaestionem insolutam relinquit" (*In Metaph.* l.5 c.6 q.3 s.2).

seipsa esse principium individuationis. Non enim negat haec opinio in illa individua entitate posse ratione distingui naturam communem ab entitate singulari, et hoc individuum addere supra speciem aliquid ratione distinctum, quod, secundum metaphysicam considerationem habet rationem differentiae individualis... Sed tamen addit, illam differentiam individualem non habere in substantia individua speciale aliquod principium vel fundamentum quod sit in re distinctum ab eius entitate; ideoque in hoc sensu dicit unamquamque entitatem per seipsam esse suae individuationis principium [12].

206. Positio quam iudicamus tenendam. *a*) In primis, praecipuae Scholasticorum sententiae in hoc conveniunt quod *aliquid essentiale* intrinsecum habeatur ut principium radicale individuationis, sive sit forma substantialis, sive sit materia, sive sit tota rei entitas. Etiam nos tenemus aliquid essentiale esse principium radicale individuationis.

b) Admittimus maximas partes quas materia habet in multiplicatione individuorum materialium, quatenus ex conditionibus ex parte materiae praehabitis pendet corruptio et generatio formarum substantialium materialium, et in sensu aliquo etiam creatio spiritualium; inde etiam ipsae conditiones formae substantialis pendent, unde dici potest entitatem individui materialis ex non parva parte pendere ex materia huiusque conditionibus.

c) Admittimus etiam maximas partes quas forma substantialis habet in specificatione et constitutione individui.

d) In quaestione vere difficili et agitata modeste audemus sententiam nostram ut probabilem exponere in eo sensu quod, admittentes partes et materiei et formae in constitutione et specificatione radicali individui, dicamus tandem principium radicale individuationis totam esse rei individuae entitatem.

207. Probatur nostra positio. *a*) Unde res intrinsece habet suum esse, inde habet suam individuationem; sed quaelibet res constituitur in suo esse per totam suam entitatem a parte rei, ergo ab ea accipit suam individuationem, ergo principium radicale individuationis absolutae est tota rei entitas.

Ad maiorem: Nam unde entitas inde unitas, unde talis entitas inde talis unitas. Unitas quidem quae primo ab entitate, in suis essentialibus constituta, provenit illa est unitas

[12] DM d.5 s.6 n.1ss.

essentialis seu transcendentalis; si vero illa entitas non iam absolute concipiatur sed prout immediate ordinata ad ordinem physicum tunc illam radicalem pluribus communicabilitatem amittit, ita ut secum incommunicabiliter identificata ab omnibus aliis distinguatur et separetur; ex hac ergo talitate essentiae quae ex ordine absoluto ordinem realitatis immediate respicit, aut in eo constituitur, etiam illa restrictio communicabilitatis essentiae absolutae, proinde unitatis mere transcendentalis ad unitatem singularitatis et individuationis obtinetur.

208. Scholion 1. *De principio radicali individuationis relativae.* Concorditer ad sententias propositas etiam hic sententiae diversificantur. Nam Thomistae individuationem relativam entium materialium a quantitate et materia explicant; quoad entia vero pure spiritualia negant haec intra eandem speciem multiplicari posse, cum materia desit quae est radix talis multiplicabilitatis, unde unumquodque individuum totam speciem implicat. Re quidem vera, quoad materialia indubius est influxus materiae pro multiplicatione individuorum intra speciem, ita ut saepe radix inmmediata multiplicationis individuorum materia et quantitas dici possint. Ultima vero radix in ipsa natura entis contingentis reponenda est; principium enim multiplicabilitatis videtur in eo praecise reponendum quod radici immultiplicabilitatis seu unicitatis in Deo opponitur; cum vero Deus propter suam essentiam infinite perfectam per se subsistentem unicus sit et esse debeat, creaturae videntur multiplicabiles ex defectu talis infinitae perfectionis, hoc est, ex contingentia earum. Quo posito, nulla adesse videtur difficultas quominus etiam inter spiritus puros creatos plura individua eadem specie participantia dari possint [13].

209. Scholion 2. *De mente* STI. THOMAE. In hac re specialis difficultas invenitur ad mentem STI. THOMAE exacte interpretandam, quod ex eo solo affirmari potest quod interpretes STI. THOMAE non parum hac in re inter se differant, ut in sententiis exponendis apparuit. Re quidem vera evolutio quaedam in ipso Angelico Doctore admittenda videtur; loquitur quidem saepissime de materia ut principio individuationis, eius vero expressiones non raro possunt de individuatione relativa tantum intelligi; aliunde, nec desunt locutiones quae sententiae superius propugnatae favere eamque confirmare vi-

[13] Cf. LOSSADA, *Metaph.* d.1 n.153; DELMAS, *Ontologia* n.200; FRICK, *Ontologia* n.165.

dentur, ut cum dicit "substantia individuatur per seipsam"[14] cuius interpretationem a CAIETANO datam minime nostrae sententiae contrariam dicerem, cui etiam accedere videtur doctrina hac de re a BAÑEZ proposita. Imo nostris his diebus P. M. FEBRER O. P. sententiam STI. THOMAE intellexit sic ut diceret materiam esse principium individuationis quoad nos, hoc est, principium manifestativum individuationis[15].

210. Scholion 3. *De individuatione accidentis.* Consequenter ad doctrinam propositam, de accidentibus est dicendum ea quoque per propriam entitatem concretam individuari; non quidem ex subiecto, cum hoc non sit intrinsecum accidentis constitutivum, neque ut terminus est, siquidem ad idem subiectum plura accidentia terminari possunt. Dici tamen potest, in aliquo sensu subiectum esse principium individuationis accidentium, quasi occasionaliter in ordine ad productionem illorum quatenus eorum entitatem causat.

211. Scholion 4. Contra *sententiam Thomistarum* haec solent generatim opponi: *a)* Remanet explicanda individuatio ipsius materiae; si autem haec a quantitate explicatur, explicanda erit individuatio quantitatis; hoc est, tandem aliquando ad aliquid est perveniendum quod se ipso individuum est. *b)* Non potest admitti quod radix individuationis ab aliquo extrinseco proveniat, et extrinsece individuatio proveniret ad formam in hac sententia. *c)* Multo minus admitti posse videtur quod illud extrinsecum sit aliquid accidentale; etsi ordinatio sit intrinseca ad quantitatem in materia, est tamen ad accidentale extrinsecum. *d)* Obiici etiam solet quod haec sententia non unam doctrinam pro omni ordine entium proferat, qua de causa eam LEIBNIZ dereliquit. Caeterum notandum est hanc sententiam thomisticam vera probabilitate gaudere, et ut talem haberi a Doctore Eximio qui eam aliquando tamquam veram et certam habuit.

212. Scholion 5. Inde ab antiquioribus temporibus effatum profertur: ***Individuum est ineffabile;*** quocum relationem habet doctri-

---

[14] 1 q.29 a.1. Et etiam: "Unumquodque secundum idem habet esse et individuationem" (*De anima* a.1).

[15] *El concepto de persona y la unión hipostática.* P. M. FEBRER pro sua interpretatione plures locos STI. THOMAE adducit, inter quos: "Non quod dimensiones causent individuum, cum accidens non causet suum subiectum; sed quia per dimensiones certas demonstratur individuum hic et nunc sicut per signum proprium individui et inseparabile" (*De natura materiae* c.3). "Aliud est in quo salvetur ratio individui apud nos, determinatio scilicet eius ad certas particulas temporis et loci, quia proprium est esse sibi hic et nunc, et haec determinatio debetur sibi ratione quantitatis determinatae. Et ideo materia sub quantitate determinata est principium individuationis; materia enim sola est principium individuationis; quoad illud in quo salvatur ratio primi in genere substantiae, quod tamen impossibile est reperiri sine corpore et quantitate. Et ideo quantitas determinata dicitur principium individuationis, non quod aliquo modo causet subiectum suum quod est prima substantia, sed concomitatur eam inseparabiliter, et terminet eam hic et nunc" (*De principio individuationis* p.259). Pro sua interpretatione affert etiam auctoritatem I. A STO. THOMA loco citato a.4. SUAREZ hanc interpretationem mentis Sti. Thomae admittere noluit, cf. ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de F. Suárez,* c.2 p.109 ss. De historia huius doctrinae conferas ROLAND-GOSSELIN loco citato et MENSEFI loco citato, qui evolutionem quandam in doctrina STI. THOMAE admittere videntur, quibus plures opponuntur inter quos BOYER loco citato.

na *logica* iuxta quam de singularibus non est scientia, et alia *psychologica* illa quae cognitionem intellectualem singularium sensibilium negat. Re vera, sicut in individuo etiam rationes specificae et genericae individuatae sunt, sic omnis realitas individualis totaliter individuata est, ut de ea, ut tali, cognitio universalis haberi non possit; nec proprie aliqua experientia cum aliis communis nec cuius plena explicatio alteri tribui possit, cum huic illa interna individualitas ipsius quoque experientiae imperceptibilis sit. Quae quidem philosophiae scholasticae iamdudum plene agnita erant; nostris vero temporibus sic inter recentiores philosophos invaluerunt ut sint quasi doctrinale nucleum philosophiae, praebeantque maximum fundamentum irrationalismo, pro quo individuum est plenitudo quaedam mysteriosa cuius expressio in historia et cultura reperienda sit (WINDELBAND et RICKERT). Modernus *Vitalismus* etiam in extremum hanc incommunicabilitatem experientiae (intuitionis) duxit; nostris diebus *Exsistentialismus* hic habet fundamentum cum singularitatem irreproducibilem exsistentiae individualis urget ad doctrinam fundandam subiectivitatis contra obiectivitatem *Idealismi;* immo, exageratus hic invidualismus eo usque in *Exsistentialismo* pervenit ut communitatem specificam inter homines negaret; sic tendit in philosophiam a conceptibus communibus exutam—non parva affinitate ad *Nominalismum* si res stricte intelligantur—et ad solipsismum quemdam; unde philosophia socialis, et etiam ipsa simplex philosophia, impossibilis reddit videtur.

213. Obiectiones. 1. "Illud per quod radicaliter constituitur substantia prima (nempe individua) in ratione substantiae primae est radix individuationis. Sed substantia prima constituitur radicaliter in ratione substantiae primae per materiam primam ut signatam quantitate"; ergo. Probatur *minor*: "Quia materiae primae sigillatae primo et per se convenit quod convenit formaliter substantiae primae ut sic, cum materia prima ut signata quantitate neque sit neque possit esse in subiecto aut de eo praedicari."

Nego min., et ad probationem pariter nego antecedens; quod enim non possit de subiecto praedicari, omni entitati individuali convenit nec minus formae quam materiae; quod non sit in subiecto, proprium est omnis entitatis substantialis.

2. "Forma non est principium individuationis: *ergo* materia prima; *atqui* materia prima simpliciter et praecise considerata non potest esse completum principium individuationis; *ergo* materia prima ut signata quantitate."

Dist. primum antecedens: forma non est adaequatum principium individuationis, *conc.;* inadaequatum, *nego.* Similiter *dist. primum cons.* Nec sola forma nec sola materia etiam ut signata est principium adaequatum, sed compositum ex utraque, tota entitas: hoc si de materialibus agatur, nam in spiritualibus sola forma subsistens est principium adaequatum individuationis.

3. "Illud cuius negatio est causa cur intra eamdem speciem atomam non detur multiplicatio individuorum est causa multiplicationis eorum intra illam speciem, intra quam multiplicantur; *atqui* negatio materiae in angelis est causa cur intra eamdem speciem atomam angelicam non possint dari plura individua."

Nego min., nam etiam intra speciem angelicam atomam possunt individua multiplicari ex intrinseca contingentia talis naturae.

4. Unitas ac distinctio numerica dicitur *materialis,* specifica vero *formalis; ergo* illa a materia, haec sumenda est a forma.

Dist. anteced.: dicitur *materialis* quatenus non est qualitativa *conc.,* quatenus nullo modo possit procedere nisi a materia *nego.*

5. In substantiis compositis forma est communicabilis et indifferens ad plura individua; *atqui* individuum est incommunicabile, *ergo* principium individuationis non a forma sed ab altero elemento procedit, nempe a materia.

Dist. mai.: forma abstracte considerata, *conc.;* forma realiter exsistens in composito, *nego.*

6. Substantia corporea dividi nequit nisi per quantitatem formalem; *atqui,* individuum essentialiter importat divisionem ab altero individuo; *ergo* formalis quantitas actu materiam afficiens est illud unde individuatio petenda est. Probatur *maior,* siquidem quantitatis effectus formalis est dividere, ac proinde divisio requirit formalem quantitatem.

Dist. mai.: Substantia corporea dividi seu *distingui* ab alia non potest, nisi per quantitatem formalem, *nego;* dividi in plures partes si continua sit, *subdist.;* naturaliter, *conc.; absolute,* nego aut transmitto. Ratio addita tantum divisibilitatem in partes attingit.

7. "Principium individuationis numericae intra speciem est simul principium limitationis et multiplicationis in ordine essentiae: eo autem multiplicari possunt, quia imperfecta sunt, siquidem non exhauriunt speciem; *atqui* forma non potest esse principium limitationis et multiplicationis, cum sit actus et hic non potest limitari nisi recipiatur in potentia subiectiva; *ergo* individuatio advenit ratione materiae."

Dist. mai.: principium individuationis relativae inde provenit quod habeatur imperfectio, *conc.;* individuatonis absolutae semper et necessario, *nego.* Caeterum tota argumentatio supponit doctrinam de potentia ut principio limitationis actus, de qua posterius agemus.

ARTICULUS IV

DE UNITATE GRADUUM METAPHYSICORUM

Thesis 8. Inter gradus metaphysicos non datur in eodem individuo distinctio realis, nec formalis scotistica, sed sola rationis ratiocinatae.

214 SCOTUS, *Opus oxoniense* I d.2 q.7: VIII,507b-647b (spec.602-605), I d.8 q.3: IX,580a-636b; I d.8 q.4: IX,636b-735b; I d.10 q.unica: IX. 787a-821b etc... *Reportata parisiensia* I d.33 q.2: XXII,399b-406b; d.35 q.1: XXII,415a-425b; d.45 q.2: XXII,500a-507b; *Quaestiones miscellaneae de Formalitatibus* (quod videtur authenticum esse); MASTRIUS, *Disputationes in XII arist. libros Metaphys.* d.6 q.6-8; PONTIUS, *Integer Philosophiae cursus ad mentem Scoti, Logica* disp.20; FABER FAVENTINUS, *Phil natur. I. D. Scoti..., Tractatus Formalitatum;* FRASSEN, *Scotus Academicus* I tr.1 disp.2 a.2; M. P. MINGES, *I. D. Scoti doctrina phil. et theol.* I p.62-69; II p.56-77; *Die Distinctio formalis des Duns Scotus:* ThQschr

(Tübingen) 90 (1908) 409-436; VAN DE WOESTIJNE, *Cursus philosophicus* II *Ontologia* (1933) p.257ss.; JANSEN B., *Beitrage zur geschichtlichen Entwicklung der Distinctio formalis*: ZkathTh 53 (1929) 317-344. 517-544; GRAJEWSKI, J. O. F. M., *The Formal Distinction of Duns Scotus* (Washington 1944); SUAREZ, DM d.7 s.2-3; URRÁBURU, *Ontologia* d.2 c.2 a.5-9; OROMI, O. F. M., *Teoría de las distinciones en el sistema escotista:* VerVid 5 (1947) 257-282; J. I. ALCORTA, *La teoría de los modos en Suárez* (Madrid 1949).

215. Nexus. Affirmata et probata unitas transcendentalis in eo videtur offendere quod ens concretum diversis essentiae gradibus constitutum videatur, inter quos plena distinctio a ratione affirmatur quae unitati intrinsecae essentiali parum consentanea apparet. Quod ut clarius appareat hanc instituimus thesim, in qua simul notiones quaedam unitati contrapositae proponentur.

216. Notiones. IDENTITAS est conceptus simplex et primitivus qui proprie definiri non potest. Ad rem saepe illud AUGUSTINI adduci solet: "Quid est id ipsum? Fratres, si potestis, intelligite id ipsum. Nam et ego, quidquid aliud dixero, non dico id ipsum" [1]. Aliquomodo describi potest *convenientia rei secum ipsa,* et per effectus aut consequentias etiam dicitur: *affirmabilitas unius de alio in recto,* vel, *capacitas verificandi propositionem affirmativam unius de alio.*

Conceptus identitatis in suo processu psychologico praevium supponit processum aliquem separationis mentalis, quo, illud quod unum est, aliquo modo quasi in duo separatum concipitur; per identitatem affirmatam invenimus, quod, quae plura apparebant, non plura sed unum esse. Conceptus ergo identitatis in unitate fundatur, psychologice tamen cum conceptu unitatis non coincidit, propter separationem dictam. Inde a multis identitas definitur *unitas in entitate.*

217. *Identitas* potest esse *realis,* quae in re independenter a mentis operatione datur; *rationis* seu *logica,* conveniens rebus dependenter a mentis consideratione, qua, nempe plura secundum rem unum secundum conceptum fiunt. Haec vero logica identitas potest esse:

Specifica, quatenus re plura in unitatem speciei per mentem rediguntur, et *generica,* quatenus re plura in unitatem generis per mentem rediguntur.

In identitate reali et logica processus mentalis inversus est: in unitate reali praevie habentur conceptus qui differunt, qui tamen, in realitatem per mentem proiecti, in unica realitate verificari inveniuntur. In unitate vero logica praevie plu-

[1] *In Psalmum* 121 n.5.

ralitas habetur, quam mens per suam operationem ad unitatem conceptus reducit. Haec praevia pluralitas realis non debet necessario pluralitas rerum esse, nam etiam ipsa pluralitas conceptuum inter se divergentium ad unitatem logicam per mentem reduci potest: *conceptus* hominis, canis et avis in unitatem conceptus animalis reduci possunt.

218. Identitas potest etiam esse *adaequata,* nempe, identitas totius cum toto; et *inadaequata* quae est convenientia inter totum et partem quoad partem totius, aut inter partem et partem sine identificatione totius.

Identitas potest etiam esse *physica,* quae est perseverantia realis continua rei in sua physica realitate; *moralis,* quae est rei, in realitate physica mutatae, permanentia in hominum existimatione ut eadem res considerata.

219. DISTINCTIO, ex contrapositione ad identitatem, datur inter ea quorum unum non est aliud; describi potest *negatio identitatis inter plura,* et etiam, *negabilitas unius de alio in recto,* seu *capacitas verificandi propositionem negativam unius de alio.*

Non est confundenda distinctio cum differentia vel diversitate; *distinctio* enim simpliciter negationem unius de alio dicit; *differentia* vero addit illa distincta nec in specie convenire; *diversitas* autem, nec in genere convenire.

220. Distinctio potest esse *realis,* ea nempe quae datur independenter a mentis consideratione; et *rationis,* quae datur tantum dependenter a mentis consideratione, quando intellectus ut distincta considerat quae a parte rei identica sunt.

221. *Distinctio realis* potest intelligi *positiva,* quae datur inter entia realia et physica existentia; *negativa,* quae datur inter carentias aut entia ficta; *mixta,* quae datur inter extremum positivum et negativum.

222. *Distinctio realis positiva* potest adhuc triplex esse: *absoluta* seu maior quae datur inter entia absoluta; *formalis,* quae datur inter rem et formalitatem eius, aut inter formalitates; *modalis,* quae datur inter rem et modum eius, aut inter modos.

223. *Signa distinctionis realis* tria sunt:

a) *realis productio,* hoc est: inter causam et eius effectum necessario distinctionem realem agnoscemus, nihil enim sibi ut causa realitatem dare potest;

b) *realis separabilitas* in eodem individuo, ea enim, etiam arctissima in eodem individuo coniuncta, si inter se vere separari possint, ita ut utrumque elementum vere exsistere possint etiam post separationem, tunc necessario distinctio realis intercedit. Nota bene "in eodem individuo" nam, ut ait URRABURU[2] "ex eo quod aliqua ratio sit separabilis ab alia in uno individuo non sequitur distingui etiam in alio individuo, in quo utraque ratio unita reperiatur, verbi gratia, ex eo quod ratio animalitatis separetur a rationalitate in leone, et ratio viventis a ratione sensitivi in planta, non sequitur haec in homine distingui realiter";

c) *realis relatio,* relatio enim est ens *ad aliud;* unde si realis intercedat relatio, alietas etiam realis, saltem mixta, requiritur.

224. *Distinctio* vero *rationis* potest etiam duplex esse: *ratiocinantis,* si pro consideratione mentis distinguentis nullum in re fundamentum est; distinctio ergo procedit mere a ratione; *ratiocinatae,* si pro consideratione mentis distinguentis radix et fundamentum ipsis rebus inest. Est quidem *rationis,* quia actu in re non datur: *ratiocinatae,* quia non est ex mera operatione mentis, sed ex praesupposito fundamento vel occasione quae, a re ipsa quam cognoscit et repraesentat, praebetur.

225. *Fundamentum* vero pro distinctione rationis ratiocinatae triplex esse potest:

a) *eminentia perfectionis,* quam noster intellectus uno intuitu cognoscere non valet; sic Deus simplicissimus et infinite perfectus sub distinctis attributis a nostra mente aliquatenus cognoscitur;

b) *separabilitas realis* in diversis subiectis perfectionum quae in una entitate continentur; sic, ad distinguendas ratione perfectiones essentiales hominis—sensationis, vitae, substantiae—, inter se re identificatas, illud habetur fundamentum, quod hae perfectiones in aliis subiectis realiter separatae inveniuntur; nam in planta vita adest sine sensatione; in minerali substantia adest sine vita, etc.;

c) *diversa rei intelligibilitas* per ordinem et respectum ad varia connotata: sic Antonius, unus idemque, respectu suorum filiorum est *pater;* respectu discipulorum, *magister;* respectu aegrotantium, *medicus;* sic Antonius, per hunc respectum ad diversos, fundamentum praebet ut in eo rationes patris et magistri et medici ratione distinguantur.

Nota vero, ad veram distinctionem rationis habendam, requiri ut conceptus, per rationem distincti, rationes formales exprimant diversas, vel praedicata diversimode definibilia.

226. *Distinctio* adhuc potest esse *actualis,* nempe antecedens omnem operationem intellectus (fere sicut *realis,* cf. infra n.227, nota 6), et *virtualis,* quae, potius quam distinctio, est aequivalentia distinctionis; et tunc obtinet, quando una

[2] URRABURU, *Ontologia* n.105 p.320.

et eadem realitas aequivalet multis actu distinctis. Est ergo intrinseca rei eminentia, quae, in se eadem, per simplicem continentiam perfectionum praebet intellectui fundamentum distinguendi unam ab alia. Est ergo fere distinctio rationis cum fundamento sub *a*) superius indicato.

Haec autem *virtualis* adhuc ab aliquibus subdividitur in *extrinsecam et intrinsecam*. *Extrinseca* in eo consistit quod detur a parte rei virtus, in quantum una eademque res, perfectione et virtute pluribus aequivalens, pluribus conceptibus efformandis praebeat fundamentum. *Intrinseca* vero a suis patronis sic definiri solet: Capacitas intrinseca unius rei antevertens operationem intellectus ad suscipienda sine contradictione praedicata intrinseca ex se contradictoria. Haec distinctio generatim inter philosophos non admittitur.

227. DISTINCTIO FORMALIS SCOTISTICA iam accuratius describenda venit[3]. Haec distinctio est imprimis *ex natura rei,* hoc est, "non est per actum intellectus negotiantis, nec per actum voluntatis comparantis, et universaliter, quod est in alio non per actum alicuius potentiae comparantis" ut ait SCOTUS.

Nunc vero, ad mentem Scotistarum *triplex genus positivorum,* quae a parte rei independenter a mentis consideratione dantur, distinguendum est:

a) Quaedam sunt quae per se sine aliis ullis rebus seorsim exsistere possunt, ut Petrus, Paulus;

b) quaedam alia quae non possunt per se seorsum exsistere, possunt tamen de novo advenire aliis quae per se seorsum exsistere possunt;

c) quaedam alia quae nec seorsum esse per se possunt, nec de novo alicui advenire, quia talis sunt naturae, ut nec illa res in qua semel exsistunt umquam possit esse sine ipsis, nec e contra ipsa sine ea, possunt vero seorsim concipi.

Positiva primi et secundi generis a Scotistis vocantur *res*

[3] Multiplici nomine haec distinctio a Scoto denominatur. "Praecedens intellectum omni modo" (*Oxon.* I d.8 q.4 n.17: IX,664); "ex natura rei ante omnem actum intellectus negotiativi" (ibid., 652-653); "simpliciter ante omne opus intellectus" (ibid., 653); "ex natura rei" (ibid.); "et intelligo sic realiter, quod nullo modo per actum intellectus considerantis, imo quod talis entitas esset ibi si nullus intellectus consideraret, et sic esse ibi, si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus" (*Oxon.* I d.2 q.7 m.41: VIII, 597). "Quod secundum aliquid differt realiter ab (aliquo), habet in se aliqua distincta ex natura rei... Quoniam illud per quod aliquid convenit realiter cum alio, est principium convenientiae realis, et ideo per quod aliquid differt ab activo ex natura rei, est principium distinctionis realis (*Report.* I d.33 q.1 n.11 t.22,396). Cf. OROMÍ, l. c. p.265-266.

proprie tales; positiva vero tertii generis vocantur *realitates* aut etiam *formalitates*:

Formalitates, iuxta DUPASQUIER, definiri possunt: "praedicata vel entitates prorsus inseparabiles tum a se invicem, tum a re in qua sunt, et quae sunt seorsum quidditative conceptibiles vel definibiles".

His positis, dupliciter Scotistae distinctionem realem intelligunt:

a) Distinctio stricte *realis,* quae admittit plures *res* atque viget independenter ab intellectu inter rem et rem, quarum una nec potentialiter, nec virtualiter, nec confuse est in alia, ita ut inter eas habeatur non-identitas, quae est diversitas.

b) Distinctio *realis secundum quid,* admittit plures *realitates,* atque viget inter ea quorum unum nec potentialiter nec virtualiter nec confuse est aliud; ita tamen ut unitive sint res et inter unum et aliud non sit non-identitas, quae est diversitas [4].

Ad hanc distinctionem *secundum quid,* quae etiam *minor* dicitur et minima, pertinet distinctio *formalis*: quae illa est quae intercedit inter plures formalitates rei realiter identificatas inter se, quarum una ante opus intellectus est conceptibilis sine alia [5].

Viget inter unius rei *realitatem* et *realitatem,* quae, si adaequate quoad se seu formalitatem ipsam considerentur, non se includunt; si vero considerentur inadaequate quoad rem, unitive se includunt, et ipsa res sunt.

Haec distinctio est quidem *realis* sed tantum *secundum*

---

[4] GRAJEWSKI, o. c., hoc paradigma pro distinctione scotistica proponit:

Distinctio	*ex natura rei*	*realis simpliciter*	*non-identitas adaequata*
		realis secundum quid	*non-identitas formalis*
	per opus intellectus	*rationis ratiocinantis*	
		rationis ratiocinatae	

Aliud paradigma amplius videri potest apud OROMÍ, l.c., p.265.

[5] GRAJEWSKI, post accuratam investigationem, hanc definitionem distinctionis formalis proponit: "Distinctio formalis est distinctio ex natura rei intercedens inter plures formalitates realiter indentificatas, quarum una ante opus intellectus conceptibilis est sine alia licet separatim existere non potest ne quidem potentia divina" (o. c. p.93). In interpretatione huius distinctionis plures tendentiae animadverti possunt etiam inter Scotistas: 1) Sunt qui eam cum distinctione virtuali maiori identificare velint; inter hos citari potest ut praecipuus CASANOVA, *Cursus philosophicus ad mentem D. Bonaventurae et Scoti* vol I, p.401. 2) Alii intendunt compositionem conciliatoriam inter Stum. Thomam et Scotum, ita ut iudicent differentias apparentes tantum esse; inter hos citari possunt C. SARNANUS, O. M. Conv., Fr. MACEDO, O. F. M., M. a BAUDUINO, O. F. M. Cap, J. DE RADA, O. F. M. Alii in extremum contrarium devenientes, impugnant acerbe hanc distinctionem utpote quae esset deturpata obscuratio realis distinctionis, talis quae a Catholicis sustineri non posset. 3) Sunt tandem qui in hac distinctione vident splendidam contributionem SCOTI ad cognitionem philosophicam et theologicam.

quid, nam formalitates, iuxta Scotistas, reales sunt, praecedentes omnem rationem quam potest intellectus fabricare circa ipsas; non vero excludunt identitatem *realem;* nec se habent ad invicem sicut res et res, sed sicut *realitates* in una re unitive in ea contentae. Haec distinctio, praeterea, reiicit compositionem *realem stricte dictam,* est enim compositio inter *realitatem* et *realitatem,* quae indivisionem in se ratione non-identitatis formalis exigunt, divisionem ab aliis ratione identitatis realis non requirunt, et partes non manifestant; formalitates res ipsa *sunt,* non eam constituunt, et ita non habent rationem partis et separabilitatis; formalitas quidem potest aliam formalitatem perficere, sed omnes identificantur vel eo quod, ut in divinis, ratione modi intrinseci infinitatis, una realitas ex se per identitatem includit aliam; vel eo quod, ut in creatis, formalitates ordinantur ad tertium, quod eas unitive per identitatem includit. Quae ergo realiter identificantur, quatenus res sunt, potentialitatem respuunt et excludunt compositionem realem.

Haec distinctio formalis vocari potest *realis secundum quid, ex natura rei,* imo etiam distinctio "*rationis*", ubi nomen "ratio" pro forma sive essentia sumitur, et etiam distinctio *virtualis,* nam formalitatibus acceptis, res sensu reali virtutem habet multipliciter se exhibendi, ita quod haberentur res et res si formalitates non essent realiter identificatae et separatim exsistere possent. Non potest vero vocari distinctio *realis actualis,* actuale enim dicit independentiam, innuit *rem* stricte dictam, ac proinde non signat formalitatem, quae res tantum est prout unitive in re concipi debet. Non ergo omne quod est ex natura rei est actuale, quamvis omne actuale sit ex natura rei [6].

228. Distinctio modalis. Modus describi potest ut realitas quaedam positiva essentaliter affixa alteri realiter distinctae, afficiens illam et quasi ultimo determinans statum et rationem exsistendi eius, ita tamen ut non addat ei propriam entitatem novam, sed solum praeexsistentem modificet, ad determinet ad aliquod munus vel determinationem, ad quam per

---

[6] Scotistae accurate distinctionem formalem a reali et virtuali separant. *Realis* est inter *res;* formalis inter formalitates et realitates; realis supponit terminos separatos aut separabiles; termini vero distinctione reali habent propriam exsistentiam; in distinctione formali non sunt *res sed rei;* realis distinctio dicit simpliciter non identitatem; formalis vero tantum secundum quid. Virtualis vero distinctio est rationis cum fundamento in re et infert pluralitatem conceptuum; formalis pertinet ad ordinem realem etsi tantum secundum quid et infert pluralitatem *realitatum.* In virtuali termini distinguendi non sunt actu distincti; formalitates vero et realitates sunt ex natura rei distinctae.

se erat indifferens. *Definiri* autem potest, entitas vel realitas a subiecto realiter distincta, cuius totus esse consistit in ultima determinatione rei ad aliquod munus obeundum, vel ad aliquam determinationem actu habendam, sine qua, saltem in individuo sumpta, res eadem potest exsistere absolute.

229. *Proprietates modi. a*) Est essentialiter affixus subiecto a quo absolute inseparabilis est, etsi subiectum a modo separabile sit. *b)* Realiter a subiecto distinguitur (si verus modus physicus sit). *c)* Est actualis et formalis atque adeo ultima determinatio indifferentiae quae in subiecto ad aliquod adest. *d)* Entitate praeditus est tenuissima respectu rerum eiusdem ordinis; est tamen entitas sibi suoque muneri proportionata. *e)* Proprie novam entitatem non addit sed subiectum modificat [7].

230. Distinctio ergo modalis est ea, quae versatur inter rem et huiusmodi modos, vel inter unum et alterum modum. Signum autem cognoscendi distinctionem modalem, saltem probabilissimum, est separabilitas duorum non mutua [8]. Vocari solet haec distinctio realis minor, et nisi quaestio fiat de voce admittenda esse omnino videtur, de quo inferius.

231. Modi possunt esse *substantiales* et *accidentales,* prout ex modificatione qua subiectum afficiunt ens substantialiter aut accidentaliter tantum determinetur.

232. Status quaestionis. *a*) Ipsam constitutionem intrinsecam entium realium inspicere cupientes, ut unitas realis transcendentalis magis clarescat, concrete nunc quaerimus, utrum, re vera, quodcumque ens, non iam notio illa abstractissima, sed quod realiter datur aut dari potest, sit, saltem quoad *notas* essentiales, quid interne indivisum et unum. Quaeritur autem tantum intra unum idemque individuum.

b) Sub influxu rationis, entia realiter exsistentia quasi disiungere possumus, ita ut ex uno eodemque ente diversi conceptus hauriantur, quibus magis vel minus determinate etsi partialiter essentia menti repraesentetur. Iuxta maiorem vel minorem determinationem sic inter tales notas essentiales quidam ordo stabilitur, ubi indeterminatiores notae si per alias determinentur, essentiam distinctiori modo menti repraesentant, per genera scilicet et species et individua.

c) *Gradus metaphysici* dicuntur praedicata varia superiora et inferiora, quae rebus intra lineam proprii praedicamenti conveniunt, ac proinde sunt genera et species ac dif-

---

[7] Cf. ALCORTA, o. c., p135-146.
[8] Cf. SUÁREZ, DM s.2 n.6-9.

ferentiae, sive specificae sive individuales. Dicuntur *gradus,* quia se habent ut membra vel partes constituentes ordinate totum metaphysicum.

d) Quod hi gradus aliquo modo, *saltem ratione distinguantur,* ab omnibus admittitur (exceptis forte tantummodo Nominalistis quoad realitatem fundamenti pro tali distinctione). Fundamentum pro hac distinctione rationis ratiocinatae est, aut *eminentia perfectionis,* nam quaedam superioris perfectionis entia inferiorum perfectiones eminenter continent; aut etiam *separabilitas in diversis individuis,* nam rationalitas hominis ab animalitate separata in bruto invenitur; animalitas bruti a vita in vegetalibus, etc. Praeterea, inter gradus vera differentia quoad ipsum conceptum datur, ipsis enim alia et alia vere distincta definitio in unoquoque gradu correspondet.

e) Admissa hac distinctione rationis inter gradus quaeritur: utrum singulis gradibus a mente distincte conceptis realitas a parte rei etiam realiter distincta correspondeat; an, e contra, una eademque realitas pro distinctione graduum fundamentum praebeat, eisque a parte rei correspondeat.

f) Problema hic pro quaestione propositum amplissimo tractatui locum praebere potest, agitur enim de generalissimo problemate circa parallelismum inter mentem et realitatem, utrum nempe obiectivitas nostrae cognitionis id exigat, quod realitas in se talis sit qualis a nobis concipitur; aut aliter dictum, utrum distinctis nostris conceptibus etiam singulariter distincta realitas necessario correspondere debeat. Caput quoddam huius amplissimae quaestionis hoc in loco a nobis agitur. Caeterum quaestio haec, in tota sua amplitudine proposita, talis est quae in *Critica* potius pertractanda esset [9].

233. Sententiae. a) Distinctionem realem graduum metaphysicorum aliqui tenuerunt, iuxta quos, conceptui substantiae correspondet realitas aliqua quae non est eadem realitas correspondens conceptui vitae aut animalitatis, etc. Inter sic asserentes citantur JANDUNUS, PAULUS VENETUS, BURLAEUS, AVICEBRON, CARAMUEL et ut refert LOSSADA, plures sectatores RAYMUNDI LULII [10]. Sententiae AVICEBRONIS fundamentum sic refert STUS. THOMAS: "Supponit enim (agens de compositione angelorum ex materia et forma) quod quaecumque distinguuntur secundum intellectum, sint, etiam in rebus distinc-

[9] Momentum quod excessivus parallelismus in philosophia habet etiam scholastica, praeclare ostenditur a FUETSCHER in suo opere *Acto y potencia,* passim.
[10] LOSSADA, *Curs. Phil. Logica* tr.2 disp.1 c.1 n.23.

ta"[11]. Sententiam CARAMUELIS sic resumit LOSSADA: "Quod ergo inter haec praedicata, saltem inter naturam specificam et haecceitatem(atque etiam inter praedicata generica et differentialia uniuscuiusque individui, detur distinctio realis absoluta tanta scilicet quanta datur inter Petrum et Paulum propugnat CARAMUEL in *Metalogica* lib. 4,d.8, asserens id esse commune in Schola PLATONIS" [12]. Inter auctores huius sententiae non perfecta unanimitas datur, dum enim aliqui pro omnibus gradibus, distinctionem realem asserunt, alii eam tantum inter naturam specificam et haecceitatem (seu individuationem) tenent.

b) *Distinctionem formalem* graduum metaphysicorum tenent *Scotistae*. Scotistae enim generatim tenent.

a' gradus quidem metaphysicos diversas quidditates et conceptibilitates obiectivas habere, quae seorsim a mente concipi et definiri possunt;

b' ita vero inter se connexos esse in eodem individuo et colligatos, ut neuter possit sine alio exsistere, ne divinitus quidem;

c' his metaphysicis gradibus unam tantum *rem* correspondere, indeque inter illos distinctionem *realem maiorem* quam dicunt non dari;

d' unicuique vero *realitatem* seu *formalitatem* correspondere, ita ut singulis gradibus singulae formalitates correspondeant.;

e' has autem formalitates *ante mentis operationem* inter se distingui, ita ut alia earum non sit alia; unde distinctio datur *ex natura rei* seu *realis secundum quid;*

f' has tandem formalitates, eo quod ad tertium, quod eas *unitive per identitatem* includit, ordinentur, unam eademque *rem* esse, ideoque non intercedere *distinctionem realem proprie* et stricte talem.

Doctrina Scotistarum maxime urgetur si de *haecceitate* quaeratur, ita ut saltem inter naturam specificam et haecceitatem seu individuationem distinctionem formalem intercedere dicant. Caeterum maxima diversitas in doctrina formalitatum apud Scotistas datur ita ut difficulter plurimae quae dantur explicationes ad unitatem redigi possint.

c) *Distinctionem virtualem intrinsecam* etiam aliqui asse-

[11] S. TH., 1 q.50 a.2 c.
[12] LOSSADA, l.c.

ruerunt pro gradibus metaphysicis, etsi proprie et primo haec doctrina ad quasdam difficultates mysterii Smae. Trinitatis solvendas excogitata fuerit. Iuxta hoc antecedenter ad mentis operationem verum est: animalitatem Socratis esse principium sensationis, rationalitatem eius autem non esse principium sensationis.

d) *Distinctionem rationis ratiocinatae* tenet STUS. THOMAS et iuxta eum omnes eius discipuli omnium scholarum paucissimis exceptis. Iuxta hanc sententiam inter gradus metaphysicos datur quidem vera distinctio conceptuum, ita ut conceptus genericus vere non sit conceptus specificus etc.; his conceptibus quidem adest verum fundamentum in realitate, imo et etiam eorum distinctioni; tamen a parte rei una eademque realitas illis correspondet, ita ut, exempli gratia in homine, tam conceptus substantiae quam viventis quam animalis quam rationalis vere sint obiectivi et inter se distincti; eis vero a parte rei una eademque correspondeat res, ita ut eadem res sit et substantia et vivens et animal et rationalis; aliter dictum, ita ut substantia, vita, animalitas et rationalitas una eademque res sint.

234. Nostra positio: nos sententiae DIVI THOMAE plene et simpliciter adhaeremus, asserentes inter gradus metaphysicos dari distinctionem rationis cum fundamento in re.

235. Probatur 1′, *non dari distinctionem realem.*

a) Nec signum nec necessitas distinctionis realis inter gradus metaphysicos eiusdem individui datur; *ergo* nec realis distinctio.

Consequentia patet, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod quidem est principium fundamentale in "oeconomia" metaphysica si ipsa constitutio metaphysica realitatis sit ordinata et rationalis.

Antecedens: a′ *Non dantur signa,* hoc est, distinctio realis non probatur *a posteriori*: non enim datur *realis productio,* quam hic nemo assignat; nec datur *realis separabilitas,* nam ratio generica unita semel in individuo cum ratione specifica iam non est indifferens ad aliam suscipiendam, et similiter ratio specifica respectu differentiae individuantis. Nec *realis relatio* hic assignari potest, cum fundamentum *reale* ad talem relationem adstruendam desit. b′ Nec ulla *necessitas,* seu nullum argumentum *a priori,* nulla enim repugnantia nec incongruentia in eo adest quod una eademque realitas pluribus

conceptibus vere inter se distinctis fundamentum praebeat, quod ex *Critica* certum et clarum est.

b) Absoluta quae identificantur uni tertio ea inter se identificantur; *atqui* gradus metaphysici identificantur uni eorum, nempe individuationi, *ergo* identica inter se sunt; *ergo* gradus metaphysici non distinguuntur realiter.

Minor: *a'* quidquid realiter exsistit individuum est et singulare; realitas ergo in ordine reali singulis gradibus correspondens etiam individua et singularis est, hoc est identificatur uni ex gradibus, individuationi seu singularitati et haecceitati. *b'* Si v. gr. a centum hominibus individuis quidquid non sit essentia vel humanitas praescindatur, tunc aut una eademque humanitas realis remanet (quod universale a parte rei implicat) aut centum humanitates, et sic patebit singulas secum individuationem identificatam habere. Simile argumentum de gradibus genericis ac differentialibus respectu individuationis fieri potest.

Confirmatur: Si gradus metaphysici realiter distinguerentur, tunc unusquisque gradus infinita serie graduum componeretur; nam, verbi gratia, differentia specifica componeretur ratione generica differentiae et ratione peculiari *huius* differentiae; sed *haec* differentia esset iterum et differentia et *haec* differentia, etc.

236. Probatur 2', *non dari distinctionem formalem scotisticam.*

a) Distinctio formalis scotistica est vera distinctio realis; *atqui* distinctio realis inter gradus metaphysicos non est admittenda; *ergo* nec distinctio scotistica.

Maior: Distinctionem realem in nostro argumento intelligimus eam quae a mentis consideratione independens est, et a parte rei plures realitates statuit cuiuscumque ipsae sint ordinis vel naturae. Iam vero, talis est distinctio scotistica expresse ipsis Scotistis fatentibus, qui etiam suam distinctionem "ex natura rei" dicunt, nam independenter a mentis consideratione una formalitas (quaecumque eius entitas sit) non est alia, et sic plures in re formalitates statuunt.

Minor: Ex parte praecedenti, in qua talis distinctio reiecta est, praecisione facta a natura entitatis quae independenter a mentis consideratione requireretur distincta pro singulis gradibus.

b) Humanitas Petri non distinguitur ex natura rei a singularitate vel haecceitate numerica; *ergo* idem quoque di-

cendum est de caeteris gradibus; *ergo* distinctio scotistica, nec quoad haecceitatem, est admittenda.

Consequentia non a pari sed a fortiori fluit, cum argumenta scotistica maxime pro differentia individuante valere dicantur.

Antecedens: Natura humana realis Petri distinguitur realiter a natura humana reali Pauli. Iam vero, hae duae naturae, quatenus naturae reales sunt, generice et specifice non differunt; *ergo* numerice. Sed numerice ipsae naturae differre non possunt, nisi ipsae naturae reales iam in se individuae sint; *ergo* humanitas Petri (et pari modo etiam Pauli) identificatur cum propria differentia individuante.

Confirmatur: Haec sententia implicare etiam videtur seriem infinitam formalitatum, nam quaecumque differentia, v.gr., rationalitas, convenit cum alia in eo quod differentia sit, differt vero a ea, v.gr., ab irrationalitate, in eo quod talis differentia sit, unde pro talitate differentiae nova formalitas esset statuenda.

237. Probatur 3′, *solam dari distinctionem rationis ratiocinatae.*

Illa ratione ratiocinata distinguuntur quae definitionibus vere diversis definiuntur, conceptibus vere diversis repraesentantur, et quidem a parte rei fundatis; *atqui* ita se habent gradus metaphysici; *ergo* distinguuntur distinctione rationis ratiocinatae.

Minor: aliae et aliae sunt definitiones generis et speciei, differentiae genericae et individualis; concreto etiam modo, alia et alia est definitio animalitatis, viventis, substantiae... Fundamentum vero est separabilitas harum rationum in diversis subiectis, quia potest esse substantia quin sit corporea aut quin sit vivens etc.

238. Scholion 1. *De distinctione ex natura rei.* Non desunt Auctores qui distinctionem formalem Scotistarum ut *contradictoriam in se* reiicere conentur; in quo fortasse confusio terminorum aliquoties dari potest, cum pro Scotistis sensus *distinctionis realis* et *distinctionis ex natura rei* non idem sit ut supra indicavimus. Observandum est tamen aliquando repugnantiam et contradictionem in applicanda distinctione oriri posse, ut si dicant, hanc distinctionem esse realem et tamen nullam inducere compositionem, et ideo locum etiam in Deo habere posse; non tamen ex hac applicatione proprie deducitur contradictio in ratione ipsa distinctionis. Ceterum, nec carentia contradictionis falsitatem excludit,

quae re vera in constitutione ipsa huius opinionis dari videtur. Sententia enim haec novum ordinem in realitate statuit, ad quem ratio sufficiens non videtur dari, imo plures difficultates accumulantur. Radix fortasse in eo residere potest, quod Scotistae, qui re vera in crisi circa conceptus ut clarissimi speculatores habendi sunt, nimium parallelismo inter ordinem conceptuum et ordinem realem indulgeant. Characteres quibus *distinctio ex natura rei* induitur tales sunt, ut re vera ipsae formalitates reiiciendae videantur. Caeterum, quoniam sententia Scotistarum ibi adducitur ubi inter alios Scholasticos de distinctione reali aut de distinctione rationis adstruenda disputatur, reiecta distinctione reali, etiam distinctio scotistica, quae obiective *realis* est, reiecta manebit.

239. Scholion 2. *De unitate interna entis.* Accurate Philosophiam incipientes monendi sunt ne in concipienda realitate in atomismum quendam mechanicum incidant. Nam saepe sic realitatem ope conceptuum et distinctionum fingunt, ut illa videatur machina quaedam ubi plurimae partes aliae aliis adduntur, unaquaeque propriam functionem explere valens, et tandem machina tota totam operationem perficit. *Vitalismus* quidem maxime ideo invaluit, quia contra *Mechanicismum* in interna unitate realitatis vitalis maximum momentum reposuit, ita ut ens vitale non esset mera summa aut aggregatio partium sicut in machina, sed haberet quid intimum partes coalescens, uniens et ad superiorem ordinem entis et actionis elevans. Haec unitas interna entis vitalis, et suo gradu cuiuscumque entis, a traditionali Philosophia semper clarissime proclamata fuit; cui nullo modo *Mechanicismus* ullus obiici potest. Qui vero hanc philosophiam recte non intelligat, forte sic realitatem concipiat ut in ea pro singulis conceptibus singulas realitates reponat, et dein pro singulis functionibus singulas facultates, et dein accidentia accumulet etc., inde tandem realitas resultat cumulus mechanicus plurimarum realitatum, in quo intrinseca essentialis unitas, intrinseca omnium in bonum unius unicae essentiae finem ordinatio destructa fuerit. Doctrina ergo de unitate reali graduum metaphysicorum magni momenti nostris praecise diebus dicenda est, eaque coram oculis habenda, ut interna unitaria structura entis, maxime vero entis vitalis, defendatur, colatur et perfectius cognoscatur.

240. Scholion 3. *De praecisionibus.* Ad complendam, imo et intelligendam, doctrinam circa distinctionem rationis, quaedam hic de praecisionibus sunt dicenda.

a) *Abstractio* est cognitio alicuius non cognitis aliis quae simul sunt. Abstractio *proprie* per intellectum fit, speciatim quatenus omittit ipsam individuationem et cognoscit rerum rationes respectu universali aut absoluto. *Sensu latiori* datur etiam abstractio sensuum externorum et phantasiae.

b) *Praecisio* est species quaedam abstractionis, seu operatio qua intellectus ex pluribus realiter identificatis unum sibi repraesentat omissis aliis. Reliqua non negantur.

Distinctio rationis per aliquam praecisionem obtinetur; nunc vero, praecisio *dupliciter* considerari potest; ex parte *facultatis* intellectivae, quae circa obiectum aliquem actum ponit ut illud aliquo peculiari modo cognoscat; et *ex parte obiecti* quod cognoscitur, ex quo non totum quantum cognoscibile est, vel non omnibus modis quibus cognoscibile est, a mente cognoscitur.

Iam vero, saeculo XVII magna discussio inter Scholasticos est suborta circa praecisionem qua distinctio rationis obtinetur, utrum nempe praecisio sit formalis an potius obiectiva. Aliqui, ut HURTADO, ARRIAGA, OVIEDO, LOSSADA, qui pro se veteres Nominales afferebant, praecisiones defendebant formales, quae, iuxta hos auctores, dum praedicatum aliquod exprimunt, re vera omnia etiam reliqua cum eo identificata attingunt, licet adeo tenui claritate, ut vi illarum perinde appareat obiectum ac si unum praedicatum in se haberet. Alii, vero, inter quos Thomistae, Scotistae, SUÁREZ, MOLINA et alii, tenebant praecisiones obiectivas, quae in eo consistunt ut cognitio ita praedicatum unum attingat ut caetera, cum illo realiter identificata, incognita relinquat.

Quaestionis momentum etiam nostris diebus non est despiciendum, siquidem ex hac parte maximae obiectiones contra Metaphysicam conceptualem, scholasticam moventur. Dicunt enim, sic speciatim BERGSON in sua *Introduction à la Métaphysique* [13], conceptum abstractum non esse nisi delineationem quamdam a realitate desumptam, ita ut ipsa realitas amittatur; esset ut *delineatio* turris Cathedralis Parisiensis, in qua nihil de petris, quibus turris extructa est, conservatur, nihil de ipsa integra Cathedralis mole, nihil de luce qua circumdatur... Simili etiam modo, abstractio schema tantum realitatis repraesentaret, realitatem ipsam amittens. Quod quidem

[13] BERGSON, *Introduction à la Métaphysique.* Opus primo anno 1903 editum, dein inclusum est in volumine *La pensée et le Mouvant.* Essais et conférences (Paris 1934). Cf. de his ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de F. Suárez* c.6 p.338-343.

verum non est. Nam mens ut praecisionem facere possit, et hoc in omni sententia valet, imprimis cognitionem *totius* habet, a quo aliquid, non aliis desumptis, cognoscit; imo etiam ipsum abstractum saepissime in obiectum integrum refert; tandem, abstractum illud ad totum cognoscendum inservit et ad ipsum tandem reintegratur.

Praecisiones ergo nullo modo ut falsificationes realitatis considerari possunt, ad summum ut cognitiones eiusdem partiales; sed generatim cognitiones quibus tandem totius cognitio perficitur. Sed plura de his in *Critica*.

241. Obiectiones. 1. Ea distinguuntur ante omnem intellectus operationem quae suscipiunt praedicata contradictoria; *atqui* diversae formalitates contradictoria suscipiunt praedicata; *ergo* distinguuntur a parte rei etsi non *realiter. Prob. minorem:* Animal est ratio assimilandi hominem equo; rationale non est ratio assimilandi...

Conc. mai., nego min. Ad probationem minoris: Si animal et rationale sumuntur in statu physico prout realiter sunt, animal est ratio assimilandi, rationale non assimilandi, *nego;* si sumuntur tantum quoad conceptus, *conc.*

2. Ea distinguuntur a parte rei quae habent ita diversas definitiones ut nulla earum in alia contineatur; *atqui* animali, v.gr., et rationali diversae competunt definitiones perfecte praescindentes, ita ut nulla earum alteram includat; *ergo.*

Dist. mai. Quando definitiones sunt obiecto adaequatae, *conc.;* si non sunt adaequatae sed per praecisionem mentis rem non totaliter exprimentes, *nego.*

3. Animal rationale est adaequata definitio hominis; *atqui* in ea non continetur haecceitas; *ergo.*

Dist. mai. Est adaequata definitio hominis universalis, *conc.;* hominis individualis prout realiter et individualiter exsistit, *nego.*

4. Sed supposita hac doctrina posset rationalitas praedicari de animalitate vel e converso; *atqui* non praedicatur; *ergo.*

Dist. mai. In ordine reali spectata natura rei, *trans.*; iuxta modum communem loquendi, *nego.*

5. Conceptus verus et definitio vera suum obiectum exhibent prout in se; *atqui* gradus metaphysici exprimuntur per conceptus et definitiones quae inter se distinguuntur; *ergo.*

Dist. mai. Exprimunt rem prout in se est in ordine absoluto, *conc.*; in ordine reali, *subdist.,* si sine ulla abstractione adaequate rem prout in se est realiter definiunt, *conc.*; si sub abstractione tantum conceptum rei essentialem exprimunt, *nego. Contradist. min.*

ARTICULUS V

De veritate transcendentali

Thesis 9. Omne ens est verum.

242. Aristoteles, *Metaph.* 1.6 c.ultimum; S. Th., 1 q.15-17; *De veritate; In perihermenias,* 1.1 c.3 n.5-9; 1 *Dist.* 19 q.5 a-1-7; Suárez, DM 8.7-8; Mercier, *Critériologie, Metaphysique Gen.;* De Raeymaeker, *Philosophie de l'Etre* (1946) ch.4; Wagner de Reyna, *El concepto de verdad en Aristóteles* (Mendoza 1951); Descoqs, *Inst. Metaph. gener.* p.343ss; Sentroul, *Kant et Aristote* spec. p.54-75; Boyer, *L'idée de verité dans la philosophie de Saint Agustin* (Paris 1920); Romeyer, *La doctrine de Saint Thomas sur la vérité; esquisse d'une synthése:* ArchPh 3, cah.2; Wolter, *The Transcendentals and their Function in the Metaphysics of Duns Scotus* (Washington 1946) spec. p.111-118. Tonquédec, *La notion de vérité dans la philosophie nouvelle* (Paris 1908); Michel, *Verité* art. in DTC; Eisler, *Wahrheit* art in *Phil. Wört,* 3, 450-471; Ives Simon, *Introduction à l'ontologie du connaître* (Paris 1934) spec. p.200-218.

243. Nexus. Alteram entis proprietatem sumimus enucleandam iuxta ordinem a Sto. Thoma designatum cuius expositionem eo modo perficiemus quo unitatem entis declaravimus.

244. Notiones. Veritas est adaequatio intellectus et rei, seu inter intellectum et rem. In hac definitione non exprimitur quid cui adaequetur vel conformetur. Verum est quod habet hanc adaequationem.

In hac definitione veritas essentialiter in ordine ad intellectum constituitur, quod quidem non minima actualis philosophiae pars negat, ita ut veritatem, si quae tunc datur, sensu arrationali explicet. Philosophia vero traditionalis tenet ut certissimum, et quidem in tota philosophia ut fundamentale, elementum intellectuale pro veritate, nam "ratio veritatis per prius in intellectu quam in re" invenitur [1]. Absolute tamen nec in intellectu humano primo invenitur, "est in intellectu divino quidem veritas proprie et primo, in intellectu vero humano proprie quidem et secundario, in rebus autem improprie et secundario, quia non nisi in respectu ad alterutram veritatem" [2].

245. Veritas potest esse *logica,* nempe, adaequatio intellectus cum re: *moralis,* propria sermonis; sermo autem dicitur verus dupliciter: quatenus propositio vel vocabulum conformatur rebus, ad quas significandas destinatur ex arbitrio hominum et tunc est adaequatio vocabuli cum re; et quate-

[1] S. Th., 1 Dist. 19 q.5 a.1.
[2] S. Th., *De verit.* 1,4 c.

nus sermo conformatur cum intellectu seu cum iudicio mentis: adaequatio sermonis cum intellectu; *transcendentalis* (seu ontologica, obiectiva, in essendo, veritas rerum), adaequatio, nempe, rei cum intellectu. Importat ordinem et connotationem rei ad intellectum sive divinum sive creatum, etsi principalius ad intellectum divinum.

246. Circa hanc veritatem *transcendentalem* sunt qui requirant actualem conformitatem rei sive cum intellectu sive saltem cum idea, sic exempli gratia Platonici, et recenter etiam Philosophi Lovanienses sicut MERCIER et SENTROUL. Haec vero conceptio nimis restricta videtur, imo et parum metaphysica et forte etiam non recte expressa. Sunt etiam qui omnem relationem ad intellectum omittere conantur, sicut GEYSER qui veritatem definit "verum est aliquid in quantum est id quod debet esse"; haec vero definitio aliquatenus ad conceptionem lovaniensem accedit; quia tandem id quod debet esse idea aliqua est[3].

Sed tamen hae conceptiones in tantum minus acceptabiles sunt, quatenus id quod fundamentale in tota hac re est non attingunt: ipsam internam illuminationem ordinis realis, propter quam capax est ut ab intellectu cognoscatur. Proinde hoc sensu per veritatem transcendentalem id exprimitur quod hodierni appellant ipsam ordinis realis rationalitatem; unde posset etiam definiri *entitas rei prout conformabilis est cum intellectu*, vel *aptitudo rei ut cognoscatur prout est in se*, vel *tandem ipsa intelligibilitas rei.*

247. Veritas potest etiam multipliciter dividi in relatione ad doctrinas *Theologiae Fundamentalis*: *rationis* et *facti* (LEIBNIZ); *historica* et *ex fide* (MODERNISTAE); *cordis* et *rationis* (SCHLEIERMACHER).

248. Status quaestionis. *a*) Quaestio quidem de veritate transcendentali summum momentum in tota philosophiae historia acquisivit, recentioribus vero temporibus momentum habet fere decisivum. Nam de ipsa interna connexione inter intellectum et obiectum suum quaeritur, utrum nempe intellectus in iudiciis efformandis liberrime procedere possit sine ullo respectu ad realitatem; utrum potius leges proprias sine respectu ad ordinem obiectum expleat, utrum tandem ipse intellectus sit proprius veritatis creator; an potius in iudiciis efformandis et proferendis subiici legibus realitatis debeat. Imo, etiam quaeritur de ipsa subordinatione intellectus ad

[3] Cf. DESCOQS, *Inst. Metaph. gener.* p.352ss. Cf. etiam FORGHERA, *Jugement et vérité* et *La notion de vérité*: RevThom (1899) p.427ss. 695ss.

ordinem realem; ordo quidem realis, ut hic aliunde praesupponitur, iuxta aliquem intellectum est creatus et ordinatus, et hoc sensu in constitutione ipsa suae realitatis conformatur ideae divinae absoluta metaphysica necessitate; hoc vero posito, ipse ordo realis ordini cognoscitivo creato leges imponit, quibus intellectus subiici debet.

b) Momentum vero huius quaestionis ex solutionibus possibilibus apparet. Nam si ligamen inter intellectum et rem dispareat, tunc necessario ad valorem subiectivisticum et creativum ordinis cognoscitivi adveniendum est, et pariter ad valorem relativum aut nullum omnis cognitionis. Aliunde, si ordo realitatis obscurus et impenetrabilis intellectualiter sit, tunc intellectus nullum sensum habet, nam frustra est eius capacitas cognoscitiva, si in tali casu detur; nec habet in homine valorem directivum, cum re vera caecus sit, cuius consequentiae in constitutione et actione personalitatis humanae gravissimae dicendae sunt.

c) Hoc ergo amplissimo sensu quaeritur utrum omne ens verum sit; hoc est, utrum omne ens intellectui alicui conformabile et adaptabile sit; utrum omne ens lucem aliquam internam habeat quae ab aliquo intellectu agnosci possit, seu, quod idem est, utrum ordo realitatis sit rationalis. Consequenter implicatur quaestio utrum intellectus in sua activitate debeat ordini obiectivo subiici.

d) Ens vero in quaestione est subiectum universalissimum, quod non modo entia comprehendit quae actu sunt aut esse possunt, quae vulgo res dicuntur; sed etiam facta, etiam actiones ut tales in individuo et in suo complexu, imo et tota historia humana cum suis causis et finibus.

e) Quo autem sensu veritas entis proprietas dicatur superius explicatum manet.

249. Sententiae. *a*) *Platonismus* primitivus admisit quidem conformitatem ordinis realis ad ideas exemplares quarum tota realitas dicebatur participatio.

b) ARISTOTELES, hunc idealismum reiiciens, intellectualismum ita constituit ut diceret omnem realitatis ordinem debitis conditionibus intellectui adaptari posse.

c) STUS. AUGUSTINUS, doctrinam PLATONIS corrigens et perficiens, illuminismum docuit, cuius est affirmare non modo intellectum humanum ex luce divina participata cognoscere

posse, set et ipsas res ex luce a Deo participata habere speciem et modum unde cognosci possunt. Falsa interpretatio huius doctrinae ad Ontologismum duxit.

d) Stus. Thomas doctrinam aristotelicam per veritatem in augustinismo agnitam perfecit, ita ut affirmaret et conformitatem totius realitatis ad ideas divinas, et conformabilitatem eiusdem ad intellectum humanum debitis conditionibus, et etiam huius subordinationem in suá cognitione ad ordinem obiectivum.

e) *Philosophia moderna* quae verum rationalismum ab initiis cartesianis professa erat, intellectualismum hac in re usque in ultimum extremum duxit. Kant enim veritatem subiectivam defendit, ita ut intellectus ex propriis legibus aprioristicis iudicia efformet quin a legibus ordinis obiectivi dirigatur, imo, quin possit ordinem obiectivum vere cognoscere: hunc ordinem Kant omnino obscurum denominavit "Ignotum X". Hegel vero hunc intellectualismum ita primarium fecit, ut tota realitas ad ideam reduceretur, ita ut totus ordo, qui dicitur realis, nihil aliud esset nisi manifestatio ideae absolutae in sua infinita dialectica evolutione. Inter recentiores proponitur transcendentalismus logicus, ubi obiectum intellectus est regnum quoddam ideale "veritatis in se", independens tum a subiecto cognoscente tum a realitate; ad modum Platonicorum auctores qui sic loquuntur (Lotze, Husserl, N. Hartmann) ponunt ut obiectum essentias quasdam ideales earumque inter se habitudines; alii etiam ipsa enuntiabilia omnesque veritates includunt (Rickert, Bolzano).

f) Per contrapositionem ad *Idealismum* hegelianum, sub influxu *Romanticismi*, in quo sentimentalismus, impulsus vitalis, instinctus et voluntarismus imperabat, maxime *Irrationalismus* invaluit, praesertim inde a Schopenhauer, et continuavit per Feuerbach, Marx, Kierkegaard et Nietzsche ad *Vitalismum* sub plurimis huius philosophiae formis. In *Irrationalismo* idea a vita sustituitur, ratio ab instinctu, et iuxta Nietzsche, absurditas est quod ultimo philosophia pronuntiare valet.

g) Sub arrationalismo enumerari debet *Pragmatismus*, iuxta quem veritas alicuius principii ex eius consequentiis practicis pro vita mensuranda est: v.gr. ad vitam conservandam et augendam, ad aliquam utilitatem vitalem habendam etc., etc. (James, Joachim, Dewey...).

h) Sub arrationalismo venit etiam *Relativismus* sub plurimis eius formis; iuxta eum uno vel alio modo subiectum ponit conditiones veritatis, quia realitas in se non est rationaliter cognoscibilis; relativismus potest esse simpliciter *anthropologicus,* ubi *ipse homo* est mensura veritatis (sic "neo-protagoricus" SCHILLER); *aut fundatus in ipsa natura* prout in historia sese evolvit, ubi ipsius historiae est determinare quaenam ut vera admittenda, quaenam ut falsa reiicienda; quaenam veritates persistere debeant, quaenam perire; aut in *anima culturae* est determinans veritatem (SPENGLER); aut aliquid *infrahumanum,* sicut ordo processus oeconomici (MARX), aut biologica veritatis theoria, aut adaptatio ad pugnam pro vita...

i) Sub irrationalismo venit etiam *Voluntarismus,* iuxta quem voluntatis est decidere et acceptare veritatem, ubi verum est quod voluntas vult, sic ex.gr. UNAMUNO.

Harum omnium sententiarum arrationalisticarum hoc est commune quod negent ipsam realitatem in se esse illuminatam et hominis intellectui perviam; ens ergo non est conformabile intellectui.

j) Modernus *Exsistentialismus* modis contradictoriis simul loquitur; ex una parte in doctrina *phaenomenologica* admittit ens esse immediate cognoscibile, inde phaenomena sunt verae manifestationes, patentiae ipsius entis, quod sic per experientiam percipi et interpretationem subire potest; aliunde vero pars, saltem, Exsistentialistarum absurdismum absolutum profitetur.

k) Scholastici quoad rem sunt omnes concordes cum suis praecipuis Magistris, tenentque hanc doctrinam ut fundamentalem in tota philosophia.

250. Nostra positio. Iuxta doctrinam philosophiae traditionalis tenemus ens re vera esse lucidum et rationale, hoc est, conformabile intellectui. Hoc consideramus summi momenti punctum in tota philosophia, basimque pro solutione totius problematis critici, sic enim apparet mutua coordinatio ordinis cognoscitivi et realis. Supponimus hic radicaliter solutum problema criticum, indeque intellectum esse veracem.

251. Probatur. *Ex notione entis et veritatis.* Quod enti omni, soli et semper convenit et ad eius secundarium concep-

tum pertinet est eius vera proprietas; *atqui* veritas omni, soli et semper enti convenit; *ergo* veritas est proprietas entis.

Maior: Elementa enumerat quibus proprietas determinatur.

Minor: a) *Omne* ens est saltem intellectui divino conformabile, tam quatenus in sua constitutione ad mentem et ideam divinam conformatum est; quam quatenus omne ens intellectui divino praesentissimum est et ab eo perfectissime cognoscitur. Imo, ex natura intellectus, ut ex Psychologia praesupponimus, eiusque vi obiective cognoscitiva, ut ex Critica tenemus, dicendum est omne ens si rite intellectui proportionetur ab hoc cognosci posse.

b) *Solum* ens est intellectui conformabile, nam obiectum intellectus est ens; *nihil* ut tale cognosci non potest, siquidem ipsa interna illuminatio qua aliquid menti conformari potest aliquam perfectionem supponit, unde ipsa quoque veritas fundamentalis aliquid metaphysice reale est.

c) Est praedicatum entis *secundarium,* nam in ipso conceptu formali primario entis nihil de hoc respectu ad intellectum divinum est dictum; aliunde per hoc praedicatum ratio entis magis determinatur quin sit pure synonymum.

252. Scholion 1. *De falsitate. Falsitas* opponitur veritati et est, in genere, inadaequatio vel difformitas inter intellectum et rem. Potest esse *moralis,* propria sermonis, et sermo dupliciter est falsus: quia propositio vel vocabulum non conformatur rebus, ad quas significandas destinatum est ex arbitrio hominum; et magis proprie, quia est locutio contra mentem: tunc vero dicitur stricte falsitas moralis seu *mendacium* de quo agitur in *Ethica.* Potest etiam esse *logica,* et est difformitas intellectus cum re seu cum obiecto suo. Potest esse positiva et negativa. Tandem falsitas *transcendentalis* est quae in ipsis rebus inest. Potest dupliciter inhaerere, quatenus ipsae sunt obiectum falsae alicuius cognitionis vel locutionis, et quatenus res nata est causare, quantum ad id quod exterius apparet, falsam apprehensionem. Hoc secundo sensu generatim habetur. Sed nota, in neutro casu proprie aliquid falsitatis in rebus esse; in primo enim, quid rei extrinsecum est ut ea falso cognoscatur; in secundo casu, falsitas non in re sed in intellectu est, etsi cum aliquo fundamento occasionali a parte ipsius rei; nec aliter falsitas dari potest, cum quidquid est verum sit.

253. Scholion 2. *De absurditate* recentiorum *Exsistentialistarum* pauca sunt addenda. Exsistentialismus absurdisticus ut est qui a SARTRE in opere suo *L'être et le Néant* docetur, in illud extremum pervenit ut ipsa absurditas tamquam suprema categoria constituatur. Hic quidem absurdismus antilogicus et antirrationalis esse intendit; sicque omnem ordinem ut absurdum proclamavit. Haec vero positio omnino logica est, posita doctrina sartriana de interna constitutione realitatis humanae ex ente et non ente; nam sicut entis proprietas est unitas, sic huius contradictorii entis proprietas erit intrinseca non-unitas ut supra innuimus; sicut veritas est proprietas entis, sic consequenter absurditas erit proprietas necessaria entis in se contradictorii; imo consequenter, sicut bonitas, ex dicendis, est proprietas entis, sic amoralitas erit proprietas entis in se contradictorii, indeque apparet aporia sartriana ante problema moralitatis; tandem sicut pulchrum est coronatio entis in aesthetica, sic in philosophia absurditatis coronatio entis in se contradictorii erit nova categoria foedi. Posita initiali conceptione realitatis humanae, "logice", si expressio valeat, philosophia haec athea exsistentialistica angustiam, et taedium et desperationem tamquam internam hominis viventiam docuit; "logice" historiam ut motum irrationalem factorum inter se independentium et ad nauseam provocantium interpretata est; "logice" vitam humanam socialem dissolvit, ut in solipsismo individualistico unusquisque suam vitam suo modo sine ad alios respectu peragat etc. etc. Hae ergo ipsae absurdisticae philosophiae rationalitatem logicam hominis suo modo confirmant [4].

254. Obiectiones. 1. De veritate ac falsitate simile ferendum hac in re iudicium est; *atqui* falsitas non est intrinseca rebus sed solum actui intellectus; *ergo* etiam veritas.

Dist. mai. Si sermo sit de veritate ac falsitate logica, *conc.;* si de transcendentali, *nego.*

2. Plura sunt quae nobis penitus sunt incognoscibilia; natura physica realitatis, mundus astronomicus, natura quorundam morborum... imo ipsae etiam essentiae rerum... *ergo* cum non sint intellectui conformabilia, nec vera veritate transcendentali ornantur.

Dist. ant.: plura sunt incognoscibilia statu actuali scientiarum et ope mediorum actualium, *conc.;* absolute et in se, *nego;* quoad secundum, essentiae rerum sunt intuitive incognoscibilia pro statu actuali nostri intellectus, *conc.;* absolute et saltem per deductionem, *nego.*

[4] Cf. ITURRIOZ, *Cuatro lecciones sobre el existencialismo* spec. tertiam lectionem; J. IRIARTE, *Sartre o la filosofía del absurdo:* RazFe 140 (1949) 149-161.

3. Ex revelatione divina scimus dari veritates quae incognoscibiles sunt et dicuntur mysteria seu occulta; *ergo* non omne ens est verum.

Dist. ant. Sunt incognoscibiles intellectui divino, *nego;* intellectui creato, *subdist;* quoad factum si non revelentur, *conc.;* quoad naturam intrinsecam ope luminis divini, iterum *dist.*: aliquae, *conc.*; omnes, *nego.*

4. Ex eo solum quod cognitio terminetur ad rem aliquam haec cognoscibilis est, seu apta ad terminandam cognitionem; *ergo* congnoscibilitas, atque adeo veritas desumitur a cognitione. Sed cognitio extrinseca est obiecto; *ergo* et veritas.

Dist. ant. Cognoscibilis extrinsece, *conc.;* intrinsece, *nego.*

5. Res, iuxta Stum. Thomam, dicuntur verae a veritate. Sed veritas est in intellectu; *ergo* dicuntur verae ab extrinseco, nempe, ab intellectu.

Dist. mai. Dicuntur verae a veritate, quatenus veritas intrinseca ordinatur ad veritatem formalem, *conc.;* quatenus tota quanta veritas tantum in intellectu est, *nego.*

6. Privativa, negativa et entia rationis sunt intelligibilia; *atqui* non sunt entia proprie dicta; *ergo* veritas non est proprietas entis.

Dist. mai. Sunt intelligibilia per se et proprie, *nego;* ex oppositis et per analogiam quandam cum ente, *conc.*

7. Veritas ontologica, tamquam conformitas rei cum norma seu idea sua, est relatio logica identitatis, proinde ens rationis; *atqui* ens rationis non convenit rebus; *ergo.*

Dist. mai. Est relatio logica spectato eo quod est, *nego;* spectato modo quo concipitur, *conc.*

8. Multae res falsae sunt; *atqui* res falsae non sunt verae; *ergo* multae res non sunt verae.

Dist. mai. Falsae sunt in se, *nego;* falsae sunt quatenus errorem causant, *subdist.*: per se *nego,* per accidens *conc.*

ARTICULUS VI

De bonitate transcendentali

Thesis 10. Bonitas est proprietas entis.

255. Aristoteles, 1 *Eth.* et V *Metaph.;* S. Augustinus, *De doctrina christiana* 1.1 c.32; *De Trinitate* 1.8 c.3; S. Th., *De verit.* q.21; *S. Theol.* 115; Suárez, DM 10; De Raeymaeker, *Philosophie de l'être* (1946) p.219-246; Donat, *Ontologia* (1931) p.102-135; E. Smith, O. S. B., *The Goodness ob Being in Thomistic Philosophy and Its Contemporary Significance* (Washington 1947).

256. Nexus. Ut tertia entis proprietas bonitas assignatur; eiusque, consequenter, brevis hic est instituendus tractatus eo fere modo sicut de aliis duabus proprietatibus egimus.

257. Notiones. BONUM est quod omnia appetunt, seu quod est appetibile, hoc est, id propter quod aliquid appetitur quando appetitur. Haec definitio non est intelligenda de solis habentibus cognitionem, qua apprehendunt bonum, sed etiam de rebus carentibus cognitione, quae naturali appetitu in bonum tendunt, non illud cognoscendo, sed quia ab alio cognoscente moventur ad bonum, scilicet, ex ordinatione divini intellectus. Appetitio, ergo, intelligitur tam appetitus naturalis quam eliciti.

Haec definitio data est *a posteriori,* ab effectu in appetente producto; quod si radicem scrutari velimus unde appetibilitas oritur, videtur illa in ratione convenientiae vel convenientis sita esse; quare *a priori* potest definiri bonitas: ipsa rei entitas vel perfectio, quatenus convenientiam importat; et bonum, ipsum ens vel perfectum quatenus conveniens alicui. Hoc bonum nunc definitum est bonum transcendentale.

258. Bonum potest esse *verum,* quod tale est quale existimatur et cognoscitur. Est ergo bonum quod vere perficit entis naturam et tendentiae entis principali convenit (bonum *simpliciter*); et *apparens,* quod existimatur, non tamen est in re. Perficit forte entis unam vel plures facultates seu inclinationes singillatim et per se spectatas, non autem ut tendentiae principali sive naturae subordinatas (bonum *secundum quid*).

259. Etiam potest esse *absolutum* sive in se sive secundum se, quod perfectionem habet sibi convenientem; et *relativum* seu alteri, quod perfectionem habet alteri convenientem.

260. Haec eadem divisio aliter intelligi potest: bonum enim *absolutum* est quod est undequaque bonum, et *relativum,* quod est in aliquo ordine bonum.

261. Item potest bonum esse *honestum,* et quidem dupliciter sumptum; *latius,* quod est quidquid perficit naturam et est conveniens illi (ab antiquis dictum bonum naturae); et *pressius,* est quod per se et ex se decet hominem vel personam ratione utentem; etiam definitur: quod per se habet convenientiam cum natura rationali qua tali; praeter honestum potest esse *delectabile* quod habet cum aliquo convenientiam propter delectationem; delectatio autem est quies appetitus in re conveniente; et *utile,* quod convenit enti non ex se nec

propter delectationem sed ratione alterius boni, sive honesti sive delectabilis, quod per illud obtineri potest.

262. Status quaestionis. *a*) Sicut in prioribus ita etiam nunc iterum quaerimus utrum bonitas ut entis proprietas considerari valeat; quaestio, ut patet, intelligitur de bonitate in sensu transcendentali.

b) Etiam haec quaestio magnum in hodiernis culturae circumstantiis momentum habet, cum inde a pluribus annis philosophia pessimistica praedominium habere inceperit. Negata thesi bonitatis transcendentalis, universus rerum mutuum amittit ligamen ex dissolutione finalitatis; individua vero humana huic tragico mundi aspectui sese submittere debent, ubi unus heroismus est ipsam realitatis tragicitatem acceptare. Affirmata vero bonitatis thesi, etsi bonitas tantum relativa immediate haberi possit, tunc aspectus universi mundani optimisticus redditur, quatenus homo iuvamen aliunde accipere potest, et tandem summum perfectissimumque bonum cum debita spe appetere.

263. Sententiae. *a*) PLATO docuit bonum ut perfectum sibique sufficiens et supra omnia excelsum, eiusque praecellentiam relate ad ens; constituitur per mensuram, veritatem et pulchritudinem; mensura est primum bonum, pulchrum alterum, verum autem tertium. Haec in *Philebo* dicta, complentur et perficiuntur in *Republica*: idea boni sub se omnes alias habet, estque causa omnis bonitatis omnisque realitatis, constituitur enim ut mens mundi, imo et ut ipse Deus.

b) ARISTOTELES contra Idealismum platonicum posuit realismum, in quo primatum ens tenet, cum sua unitate essentiali, cui bonitas est immanens.

c) *Neoplatonismus* perfectiorem sui expressionem in PLOTINO habuit, qui doctrinam platonicam idearum ad doctrinam orientalem de Hypostasibus accommodavit. Tres supremae Hypostases: Bonum, Intelligentia, Anima universalis. Bonum et Unitas identificantur: Per participationem Boni generatur intelligentia, ex hac anima universalis provenit, indeque universus mundus. Bonum est ente excelsius, proprie non debet dici quod *sit;* est appetibile, hoc vero non est eius essentia, sed consequentia. Doctrina platonico-neoplatonica maximum influxum habuit in tota aetate patrologica ope speciatim S. AUGUSTINI, PSEUDO-DIONYSII, PROCLI et BOETHII.

d) S. THOMAS novam doctrinarum synthesim composuit, quae in posteriori philosophia traditionali ut definitiva erat habenda, etsi quaestiones secundariae subortae sint, in quibus non omnes coincidant. Brevi hoc textu praecipuae quae ad nostram quaestionem veniunt resumuntur: "Respondeo dicendum quod bonum et ens sunt idem secundum rem: sed differunt secundum rationem tantum. Quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit, quod sit aliquid appetibile. Unde Philosophus dicit quod 'bonum est quod omnia appetunt'. Manifestum est autem quod unumquodque est appetibile secundum quod est perfectum; nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum autem unumquodque est perfectum, inquantum est in actu. Unde manifestum est quod in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens; esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Unde manifestum est quod bonum et ens sunt idem secundum rem, sed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens" [1]. Consequenter STUS. THOMAS tenet primatum entis cui bonitas tamquam quid proprium accedit; sed tamen, plurima platonismi vestigia in doctrina de unitate et bonitate inveniuntur, ut cum omnes perfectiones considerantur tamquam similitudines et participationes perfectionis divinae et consequenter, "omnia appetendo proprias perfectiones, appetunt ipsum Deum, in quantum perfectiones omnium rerum sunt quaedam similitudines divini esse" [2].

e) In *Philosophia moderna* notandus est *Pessimismus*. In antiquitate aliqua signa culturalis Pessimismi etiam inter graecos inveniuntur (sic hodierni intelligunt tragoedias graecas); expresse pessimistice loquuntur EGESIUS A CIRENE et MARCUS AURELIUS. Qui primo nomen adhibuit fuit COLERIDGE, sed SCHOPENHAUER qui primo systema philosophicum pessimisticum proposuit et diffundit. SCHOPENHAUER intelligit vitam ut continuum desiderium cuius vero terminus inaccessibilis est; imo et universus mundus est Voluntas, realitas omnis entis est velle-vivere, quod ex indigentia provenit; quaecumque satisfactio maius desiderium generat, unde ultima solutio est stricta mortificatio omnis desiderii; pro SCHOPENHAUER omne ens est malum. Praecipuus eius discipulus est E. v. HARTMANN, qui pessimismo characterem potius historicum dedit; inconscium quid, ex intellectu et voluntate, subest

[1] S. Th. 1 q.5 a.1.
[2] S. Th. 1 q.6 a.2.

historiae, quod tandem in suicidium universale tendit, in collectivum *nolle*. TROELTSCH et SPENGLER potius pessimismum culturalem et biologicum colunt. NIETZSCHE docuit heroismum in acceptanda realitate pessimistica mundi. In hodierno Exsistentialismo praevaluit magna ex parte interpretatio pessimistica realitatis non sine magno influxu circumstantiarum historicarum; JASPERS ut basim conceptionum universi (*Weltanschauung*) invenerat ruinam et naufragium; HEIDEGGER hominem ut ens-ad-mortem interpretatus fuerat, eiusque primitiva philosophia, quae apud SARTRE invaluit, ad nihilismum tendebat; in homine exsistentialistico praevalent sensationes angustiae et pavoris, inquietudinis quae est homini consubstantialis. SARTRE totam realitatem taediosam et nauseabundam descripsit; inter non paucos Exsistentialistas homo apparet desperatus, se solum invenit cui totus mundus nullum iuvamen afferre volet; sic habetur solipsismus in mundo relativistico, in quo homo ad nihilum tendens, morte damnatus, sine ullo naturae iuvamine suam exsistentiam ut gravissimum onus ducere debet.

f) Indicandae sunt etiam antiquiores sententiae quae duplex realitatis principium assignabant, aliud realitatis bonae, aliud realitatis malae; pro qua sententia eminuit Manichaeismus.

264. Nostra positio. Quin ex una parte in gravissimum pessimismum incidamus, neque in ingenuum optimismum deveniamus qui mundum hunc optimum possibilem invenit, tamen sanum philosophiae traditionalis et christianae optimismum defendimus, iuxta quem omne ens bonitatem habet in primis absolutam ipsi correspondentem, imo, et ad aliud ens aliquo modo perficiendum ordinatur; praeterea, admittentes gradationem ordinatam bonorum et horum subordinationem, totum universum mirifica teleologia in supremum Bonum iuxta propriam naturam adspirantem defendimus, cuius conatus ultimus terminus est proportionate saltem possibilis.

265. Probatur. (*Ex conceptu proprietatis*). Quod omni soli et semper convenit et ad eius secundarium conceptum pertinet est eius vera proprietas; *atqui* bonitas omni, soli et semper enti convenit; *ergo* veritas est proprietas entis.

Maior: Elementa enumerat quibus proprietas determinatur.

Minor: a) *Omne* ens est bonum, habet enim perfectionem sibi propriam et consentaneam, quae constituitur in tali gradu entitatis. Ad rem STUS. THOMAS: "Omne enim quod est, in quantum est ens, necesse est esse bonum; esse namque suum unumquodque amat et conservari appetit; signum autem est quia contrapugnat unumquodque suam corruptionem, bonum autem est quod omnia appetunt" [3]. Omne ergo ens habet bonitatem absolutam. Sed et relativam: quia omne ens alicui bonum est: si causa, effectui; si effectus, causae (creatae, quae agendo perficitur); si substantia, accidenti; si accidens, substantiae: Deus, rei creatae; res vero creata, quodammodo, etiam ipsi Deo, quatenus eius infinitas perfectiones manifestat, easque in creatis agnoscit eum glorificans gloria quidem externa.

b) *Solum* ens potest esse appetibile, quia ipsum solum perfectio conveniens esse potest.

c) Est praedicatum *secundarium* quod saltem de relativa bonitate clare apparet; nam in ratione formali primaria entis nihil de eius alteri convenientia et consequente appetibilitate dicitur; sed etiam de absoluta bonitate dici potest, nam in formali conceptu primario entis nihil dicitur de eius appetibilitate ad propriam perfectionem acquirendam, conservandam et augendam.

266. Scholion 1. *De Malo.* In primis admittendum est in rebus malum quodammodo dari, ut omnium experientia confirmat, idque ad perfectionem et pulchritudinem mundi confert, produxit enim Deus res propter suam bonitatem communicandam creaturis et per eas repraesentandam. Et quia per unam creaturam sufficienter repraesentari non potest, multas creaturas et diversas produxit, ut, quod uni ad repraesentandam divinam bonitatem deest, ex alia suppleatur. Ob eamdem causam Deus inaequalitatem creaturarum secundum perfectionem intendit, et secundum huiusmodi distinctionem in rebus naturalibus gradatim species ordinatae apparent, unde oportet ut sint entia, quae deficere non possint in esse, et quae deficere possint, et ut sint quaedam quae a bonitate deficere possint, ad quod sequitur interdum ea deficere. In hoc autem consistit ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono. Unde non est contra providentiam Dei, quod malorum exsistentiam permittat, Deus vero mala permittendo non ea inten-

[3] *2 C. Gentes* c.41.

dit, nec vult per se, sed per accidens, immo vero nec permittit nisi intuitu boni [4].

Circa naturam mali plures disputationes ortae sunt. Malitia quidem aliquam privationem involvit, dubitatur autem utrum ipsa ratio formalis in negativo consistat an in positivo. CAIETANUS cum multis Thomistis et aliquibus e Societate Iesu (VAZQUEZ, DE BENEDICTIS...) opinatur in positivo consistere; CAIETANUS vero et aliqui cum eo hanc sententiam non malo cuicumque sed morali tantum applicant; alii vero non malo absoluto, sed tantum respectivo. Sed cum SS. Patres sententiam de malo sat clare et unanimiter protulerint, et STUS. THOMAS (quem contrarii in contrarium trahunt) etiam ita doceat, tenemus malum etiam morale et tam respectivum quam absolutum formaliter in privatione consistere. Sic ergo, malitia definiri potest, *privatio boni.* Consequenter malitia et bonitas, formaliter sumptae, privativo opponuntur, materialiter vero contrarie.

Malum *a se* non potest esse, sed necessario causatum, nec proprie habet intrinsecam causam formalem, nec requirit causam finalem, quam tamen ex intentione extrinseca operantis habere potest; habet vero causam materialem, quae semper est aliquod bonum. Iterum, habet etiam causam efficientem, quae etiam bonum aliquod est, non tamen causam efficientem per se sed per accidens, aut saltem non ex primaria et intrinseca intentione operantis. *Quoad Deum:* Deus quidem est causa mediata malorum, quatenus causis creatis virtutem actionum suarum effectricem dederit, qua tamen liberum agens abuti potest. Potest etiam causa immediata malorum naturalium seu physicorum esse, dummodo non deficientem virtutem in ipso Deo arguant. Qua de causa, nec potest etiam ipse Deus causa immediata ipsius mali moralis formalis esse, sed tantum entitatis positivae (bonae) quae in omni malitia etiam supponitur.

267. Scholion 2. *De optimismo christiano.* Christianismus etsi mala omnia agnoscat et vehementer malum morale doleat, debet aestimari ut interpretatio optimistica vitae et

[4] Sic S. THOMAS: "Malum quidem in substantia aliqua est ex eo quod deficit ei aliquid quod natum est et debet habere; si enim homo non habet alas, non est ei malum quia non est natus eas habere; si etiam homo capillos flavos non habet, non est malum, quia, etsi natus est habere, non tamen est ei debitum ut habeantur; est tamen malum si non habeat manus quas natus est et debet habere, si sit perfectus; quod tamen non est malum avi. Omnis autem privatio, si proprie et stricte accipiatur, est eius quod quis natus est habere et debet habere. In privatione igitur sic accepta est ratio mali. Materia autem, cum sit in potentia ad omnes formas, omnes quidem nata est habere nulla tamen est ei debita, cum sine quavis una earum possit esse perfecta in actu; quaelibet tamen earum est debita alicui eorum quae ex materia constituuntur; nam non potest esse aqua nisi habeat formam aquae nec potest esse ignis nisi habeat formam ignis. Privatio igitur huiusmodi formae comparata ad materiam non est malum naturae sed comparata ad id cuius est forma est malum eius, sicut privatio formae ignis est malum ignis. Et quia tam privationes quam habitus et formae non dicuntur esse nisi secundum quod sunt in subiecto, si quidem privatio sit malum per comparationem ad subiectum in quo est, erit malum simpliciter; sin autem, erit malum alicuius et non simpliciter; hominem igitur privari manu est malum simpliciter: materiam autem privari forma aëris non est malum simpliciter, sed malum aëris. Privatio autem ordinis aut commensurationis debitae in actione est malum actionis; et quia cuilibet actioni est debitus aliquis ordo et aliqua commensuratio, necesse est ut talis privatio in actione simpliciter malum exsistat" (*3 C. Gentes* c.6).

realitatis. Ac in primis, quae philosophice de bonitate ontologica dicuntur, praecipue in christianismo docentur, qui ut fundamentalem doctrinam tenet ordinationem mutuam omnium sub homine, ut alia aliis sese perficiendo iuxta propriam naturam, possint tandem homini inservire, cuius est, gloriam Dei in creatis agnoscendo, bonaque mundi in propriam perfectionem adhibendo, suum proprium finem, ipsum Deum, possidere. Inde in philosophia christiana non valet interpretatio illa qua homo solus secum propriam exsistentiam in finem perducere non valet. Aliunde praevalet in christianismo doctrina de Providentia divina. Philosophia historiae quae hodie non paucos sic dictos "Intellectuales" in pessimismum ducit, cum factorum historicorum sensum congruentem interpretari non valeat, firmissimum habet et uberrimum complementum in philosophia christiana, ita quidem ut iuxta non paucos potius debeat *Theologia* quam Philosophia historiae institui. Chaoticum quid in processu historico adinvenire opinantur qui ex culmine Providentiae mirificum saeculorum cantum non audiunt, qui libros saeculorum sine luce christiana evolvunt. Sic per philosophos culturae denuntiatus est in homine hodiernae culturae deficientia gravissima *spei;* huius vero fundamentum in antecedente fide et cognitione ordinis mundani reponendum est [5].

268. Obiectiones. 1. Multae res bonae sunt rebus convenientes in quibus non est appetitus, e. g. bonum est terrae habere calorem; *ergo* bonitas non est per appetibilitatem definienda.

Dist. ant. Non est appetitus neque elicitus nec naturalis, *nego;* non est appetitus elicitus certe tamen naturalis, *conc.*

2. Bonitas est proprietas rei interna; *atqui* appetibilitas et convenientia non est proprietas interna sed relatio ad extra; *ergo* non recte bonitas in convenientia reponitur.

Dist. min. Est relatio improprie dicta, *conc.;* proprie dicta, *nego.*

3. Res ideo est appetibilis quia est bona; *ergo* ratio formalis bonitatis rationi formalis appetibilitatis antecedit, ideoque non recte per hanc definitur.

Resp. Definitionem hanc a posteriori esse datam, hoc est, quasi ex effectibus.

4. Bonum mere apparens non est ens; *atqui* tamen saepe appetitur; *ergo* ens et bonum non convertuntur.

Dist. mai. Bonum mere apparens non est ens neque verum neque apparens, *nego;* ens verum, *conc.* Inde deducitur eo ordine esse bonum quo ens est, indeque thesis confirmatur.

[5] Cf. HELLÍN, *Dios y la razón del mal en el mundo* (*Causa eficiente del mal*): *Pensamiento* 8 (1952) 291-311; 9 (1953) 5-27.

5. Iudicium falsum est ens; *atqui* iudicium falsum est malum; *ergo* non omne est bonum.

Dist. mai. Ut falsum est ens, *nego;* ut iudicium, *conc. Contradist. minor.*

6. Bonitas non est aliquid obiectivum in re, sed subiectivum, nempe respiciens subiectum appetens, a cuius desideriis igitur pendet. *Ergo* non est proprietas rerum.

Dist. mai. Bonitas absoluta, *nego;* bonitas relativa, *subdist,* respiciens subiectum sine intrinseco proprio valore, *nego;* cum intrinseco proprio valore, *iterum dist.:* si bonum mere apparens sit, *conc.;* si verum bonum sit, *nego.*

7. Illud etiam bonum dicitur quod est in malitia perfectum, sicut dicitur *bene mentiri,* vel *furari* etc.; *atqui* haec non sunt appetibilia; *ergo* bonum non debet appetibile dici.

Dist. mai. Ea dicuntur bona quatenus alicui tendentiae subiecti conveniunt, *trans.;* quatenus ei simpliciter conveniunt, *nego. Contradist. min.* Appetibilia simpliciter, *conc.;* secundum quid, *nego.*

ARTICULUS VII

DE VALORE

269. DONAT, *Ontologia* p.116-121; FRANZELIN, *Selectae quaestiones* p.362-381; DESCOQS, *Instit. Metaph., gener.* p.383-387; CUESTA, *Ontologia* p.504-518; QUILES, *Metaphysica gen.* p.140-146; v. RINTELEN, *Das philosophische Wertproblem. I. Der Wertgedanke in der europaeischer Geistesentwicklung.* Teil 1: *Altertum and Mittelalter* (Halle 1923); A. MULLER, *Introducción a la Filosofía* (Madrid 1931); BRENTANO, *El origen del conocimiento moral* (Madrid 1941); M. SCHELER, *Etica* (Madrid 1941); RAMÓN DEL PRADO, *Etica general;* GURVITCH, *Tendencias actuales de la filosofía alemana* (Madrid); G. MÁRQUEZ, *Crítica de la filosofía de los valores*: RazFe 126 (1942) 53-70; *La ética de los valores*: ibid. 263-280; GARCÍA MORENTE Y JUAN ZARAGÜETA, *Fundamentos de filosofía* lec.22 (Madrid 1943); J. ZARAGÜETA, *Filosofía del lenguaje* (Madrid 1945); L. LAVELLE, *Traité des valeurs* T.1 *Théorie génerale de la valeur* (Paris 1951).

270. Nexus. Ut complementum doctrinae generalis circa proprietates entis, peculiariter circa bonitatem, quaedam sunt addenda de *valore,* de quo actualis philosophia plurima agit, neque omnia falsa, etsi plura sint, aut nova systematizatio eorum quae ab antiquitus cognoscebantur, aut nova expressio idealismi et subiectivismi falsi.

271. Nomen VALOR apud philosophos *axiologos* applicatur ubicumque *indifferentia rerum erga nos* disparet sive aliquid alteri anteponendo, sive aliquid altero superius aestimando. Etiam in expressionibus vulgaribus fere hoc sensu adhibetur, ubi oppositionem stabilimus inter res *alicuius* et *nullius momenti,* inter *principale et secundarium,* inter *essentiale et accidentale,* inter *iustum et iniustificabile.*

VALOR a valere venit; *valere* autem actum conscientiae supponit iuxta quem res *ponitur* cum concomitante aestimatione qua rata fit et approbatur: quod pluribus expressionibus consuetis indicatur, sicut cum dicimus "*hacer valer*" argumentum aut rationem aliquam... (*faire valoir, gelten lassen*); aut cum dicimus "*vale la pena*" (*ça vaut la peine*) quando de aliquo possibili ad realitatem reducendo agimus.

Originarie valere est habere vim, peculiariter, habere sanitatem; dein etiam spiritui applicatur, ubi *valor* idem est ac animus strenuus qui vigorem spiritus indicat. Applicatur etiam in *scientiis,* ut cum de essentiis chimicis aut similibus dicitur habere *valorem* seu virtutem ad operationem propriam exercendam. Derivative applicatur etiam *in mathematicis* ubi *valor* positivus et negativus distinguitur, aut est quodammodo expressio numerica quantitatis in ordine ad mensuram per unitatem; in *musica* valor est mensura rythmi. In aliis scientiis etiam adhibetur, ut *in iuridicis,* ubi titulus *validus* dicitur qui capax est effectum iuridicum producendi; in scientiis *oeconomicis* dicitur *valor* pecuniae, de *valorizatione* monetae aut etiam mercium ubi de supplendo valore deficiente praevio per aliquam additionem; in *logica validum* dicitur argumentum capax conclusionem probandi; etiam in philologia quae inter alia de *valore* proprio vocum, de adulteratione seu falsificatione valoris expressionum sermo est.

Ut synonyma adhibentur expressiones "valor et bonum", "valor et *ideale*", "valor et finis", "valor et perfectio", "valor et norma", "valor et interesse", "valor et sensus seu significatio".

272. *Historia philosophiae valorum. a) In antiquitate* quaedam vestigia philosophiae valorum agnosci possunt: ut cum PROTAGORAS hominem mensuram rerum dixit; doctrina Platonica circa ideas in quarum cacumine idea boni est; Christianismus speciatim quoad moralitatem plurima docuit circa valores supremos, circa ordinem et hierarchiam valorum; S. AUGUSTINUS mirifice doctrinam praeferentiae in doctrina amoris docuit, et inter scholasticos plurima habentur quae praecipua elementa et capita, etiam sub alio ordine huius philosophiae continent. Initio philosophiae modernae DESCARTES, PASCAL, MALEBRANCHE, SPINOZA, LEIBNIZ, KANT (speciatim in *Critica rationis practicae*), FICHTE, MARX... non pauca circa valorem etiam expresso termino docent.

b) Inter *immediatos praecursores* debent poni LOTZE (1817-1881), NIETZSCHE (1844-1900) et BRENTANO (1838-1917). In origine huius philosophiae debet poni *scepticismus* generalis inde a Kant praevalens circa valorem nostrae cognitionis intellectualis, unde tendentia praevalebat ad alias facultates hominis excolendas et alibi veritatem quaerendam, peculiariter in Cultura et Historia; exinde etiam ordo obiectivus viae rationali apparebat impervius; via ergo emotionali et sentimenti contactus cum realitate externa quaesitus est. LOTZE contactum cum realitate intendit: res non habent sensum neque realitatem nisi in sua habitudine erga nos, hoc est in suo *valore,* exinde metaphysica lotziana tendit ad metaphysicam de aestimatione valorum. "Metaphysica non habet initium in se sed in ethica". NIETZSCHE proposuit verum problema de natura valorum. Destructa tabula valorum praeexsistente, primitivam tabulam humanitatis restituere intendebat; de hac re haec sunt eius praecipua puncta: 1) *primatus valoris* datur supra omnes alias notiones, 2) *origo valoris* in voluntate potentiae reponenda est; 3) *tabula valorum* est tamen valida pro omnibus hominibus. BRENTANO maximum exercuit influxum in hanc doctrinam efformandam: fundamentum eius theoriae est doctrina de conscientia intentionali iuxta quam psychologia fundata in actu est distinguenda a psychologia fundata in obiecto. Functiones psychologicae classificantur in repraesentationem, iudicium et emotionem: repraesentatio est obiectum tam iudicii quam emotionis, in hanc vero influunt etiam sensibilitas et voluntas. Sicut proprium iudicii est veritatem discernere, proprium emotionis est valorem aestimare; valor respectu emotionis analogo modo se habet sicut veritas respectu iudicii. *Polaritas,* quae in ordine valoris observatur fundata in oppositione amoris et odii, comparabilis est polaritati quae in ordine cognitionis observatur fundata in oppositione affirmationis et negationis. Hoc maximi momenti apud BRENTANO in hac re est, non esse confundendum quod amatur cum eo quod debet amari: adest enim amor et odium cum charactere iustitiae et legitimitatis, qui character aequivalet evidentiae in ordine cognitionis.

c) Immediate a BRENTANO dependet *Schola austriaca,* in qua eminent MEINONG et v. EHFRENFELS. MEINONG (1853-1921) initium habuit subiectivisticum: "Obiectum habet valorem in quantum possidet capacitatem praebendi basim ad sensum valoris". Posterius vero positionem habuit magis obiecti-

visticam: obiectum aliquod habet valorem in quantum subiectum aliquod potest habere interesse circa illud, aut deberet habere. Per theoriam obiecti idealis admittit obiectivitatem alicuius irrealis, nempe alicuius valoris qui est independens a sensu quem aliquod subiectum de eo habere posset; MEINONG notavit habitudinem inter valorem et esse. CHRISTIANUS VON EHRENFELS (1850) autem dependet et a BRENTANO et a MEINONG: iuxta illum valor alicuius rei residet exclusive in desiderio quod evocat; valor ergo identificatur cum desiderabilitate; intensitas desiderii est mensura valoris: "Valor est habitudo inter obiectum et subiectum, qua comprehendimus subiectum effective obiectum desiderare aut saltem illud desiderare posse si convinceretur de non exsistentia obiecti."

d) In GERMANIA possunt primitivi axiologi considerari WINDELBAND et RICKERT; uterque procedit a motu neokantiano et repraesentat neoidealismum fundatum in historia et cultura. WINDELBAND (1848-1915), dependenter a LOTZE, ex conscientia historica ad conscientiam moralem devenerat, in qua valor nobis apparet sicut forma obiecti aeterni, quod forte non correspondet ulli realitati in nostra conscientia. Philosophia definitur "scientia critica de valoribus universalibus", qui sunt: *veritas* in cogitando, *bonitas* in amando et agendo, *pulchritudo* in sentiendo. Post eum annumerandus est eius in cathedra successor RICKERT (1863-1936), iuxta quem valor pertinet non ad sphaeram subiecti sed obiecti, etsi hoc obiectum non habet realitatem sicut obiectum cuiusdam experientiae sensibilis; sed constituit tertium quoddam dominium.

Novum impulsum et characterem dedit in Germania HUSSERL (1859-1938) ope methodi phaenomenologicae; nemo enim firmius et clarius quam HUSSERL expressit relationem inter essentiam et valorem: dantur enim quasi duo genera essentiarum: *veritas* et *valor;* veritas correspondet habitudini rationis cognoscentis; valor, habitudini spiritus appetentis et volentis; non vero viget inter utrumque plena heterogeneitas.

M. SCHELER (1873-1928) et N. HARTMANN amplissimum impulsum philosophiae valorum in Germania tribuerunt: uterque desistit de subordinatione agenda inter valorem et ens; tenet vero valorem ipsum habere proprium ens; nec est obligatio causa valoris, sicut apud KANT, sed potius valor obligationis; esse valoris est ipsum eius *esse debere;* uterque agit de detegendo, potius quam de creando, valore absoluto et irrationali, qui conscientiam determinat, potius quam determina-

tur a conscientia, praesentat characterem quemdam immutabilitatis, cum tamen conscientia valoris in continua mutabilitate est. Valor percipitur in intuitione a priori, sed emotiva, non intellectuali, antecedente omnem experientiam. Haec perceptio valoris non est magis arbitraria quam cognitio mathematica; per eam attinguntur essentiae, quae independenter a conscientia subsistunt. Dari potest quidem quaedam caecitas et ignorantia axiologica. Sed si valor est essentia respondens intentionalitati emotionali, ipse nos ad Deum conducit, iuxta SCHELER, ad personam humanam, iuxta HARTMANN. Peculiare axiologiae Schelerianae est illud a priori sensibilitatis: sed tamen valor est norma et mensura sensibilitatis; valores sunt essentiae irrationales, et in earum mutua relatione constituitur hierarchia quae est fundamentum praeferentiae. Iuxta SCHELER maximum momentum habet persona humana, etiam collectiva, in actualizatione omnium valorum: eius philosophia vere personalistica dici potest. N. HARTMANN vero personam individuam tantum considerat, nec Deum admittit: tandem religionem in honorem ethicae sacrificat. Dignitas humana consistit in transformando *debere esse* in *debere agere,* et axiologicum in ontologicum.

His duobus annumerari possunt R. OTTO et W. STERN.

Viget etiam in Germania tendentia relativista in sensu naturalistico (OSTWALD), in sensu sociologico (VIERKANDT) et in sensu psychologico (M. FREIENFELS). Etiam MUNSTENBERG et SIMMEL axiologiam relativisticam docent.

e) IN GALLIA potius occupantur philosophi de criterio iudicii circa valorem. Inter veros axiologos eminent LE SENNE et LAVELLE, uterque tendentiae spiritualisticae, in interpretatione valoris absoluti et obiectivi.

Ubilibet his postremis decenniis de valore agitur, semper in dependentia a philosophis germanis. In HISPANIA quaedam scripserunt hoc sensu ORTEGA, XIRAU, PALAU, MORENTE, ZARAGÜETA, RAMÓN DEL PRADO et alii, speciatim sub influxu Scheleriano.

273. *Quid* autem *valor* proprie sit, difficulter exprimitur, propter naturam propriam ipsius valoris. Cum enim definitio dicat essentiam rei, quid ipsa sit; valor vero, ut dicitur, proprie non *sit* sed *valeat,* hoc est, reponatur in ordine non ontologico, sed axiologico, inde difficultas enuntiandi quid valor *sit.* Praeterea, definitio actus est proprie *rationalis,* valores

autem non ad ordinem rationalem sed ad ordinem *aestimativum* pertinent: inde iudicium valoris omnino aliud dicitur a iudicio exsistentiae. Aliquo modo tamen dici potest: valor est *id quo indifferentia subiecti erga obiectum tollitur,* aut brevius, valor est *in-indifferentia rei,* et consequenter essentialiter fundatur in *praeferibilitate.* Hoc autem posito quaedam proprietates valoris immediate sequuntur:

274. *Proprietates valoris: a) Non habet per se substantivitatem,* sed semper concipitur ut quid alterius, sive hoc cognosci possit sive non. Est ergo aliquid semper alteri coniunctum, quod propter valorem positivum vel negativum quodammodo iam non indifferens est; indeque concipitur, saltem generaliter ut quid essentialiter alteri affixum, ut quid entis, quod inde *valiosum* resultat.

b) Valor est quodammodo ordinis *qualitativi,* qualitas enim essentialiter differentialis est; inde valor potius quam magnus et parvus dicitur superior vel inferior, et sic exprimitur quidam ordo dynamicus relate ad non-indifferentiam. *Mensura* vero valoris potius quam quantitativa est etiam qualitativa, hoc est, desumitur ex capacitate ad indifferentiam tollendam; pretiosior erit valor qui magis distare faciat a puncto indifferentiae, hoc est, qui maiorem non-indifferentiam provocare possit.

c) Inde necessario valores *ordinate constituuntur* iuxta capacitatem indifferentiam tollendi. Sic habetur *hierarchia* valorum cuius fundamentum est mutua correlatio valorum in ordine ad indifferentiam.

d) Valor includit etiam *polaritatem,* hoc est, valor plene conceptus duos polos includit, alium positivum, alium negativum; quo significatur capacitas non-indifferentiam provocandi sive per attractionem sive per aversionem. Dici ergo potest omnem valorem habere proprium *contravalorem;* hoc est, omni valori contrarium adesse valorem.

275. *Scala valorum.* Omnes fere Philosophi, qui de valoribus agunt, propriam proponunt scalam, quae non modo est *tabula* valores continens, sed etiam eorum mutuam correlationem in ordine ad indifferentiam tollendam indicans. *Valor superior* ille dicitur qui magis a puncto indifferentiae distat; in ordine ad inferiorem valorem ille dicitur superior, qui in alterutro seligendo praeferendus est. Ab omnibus fere axio-

logis quattuor ordines valorum designantur: valores *ordinis logici, ordinis ethici, ordinis aesthetici* et *ordinis religiosi.* Inter tabulas magis notas habetur illa a M. SCHELER proposita. In primis proponitur ordo valorum *formalis,* desumptus ex natura eorum cuius sunt valores: valores personarum et valores rerum; valores proprii et valores alterius; valores actus, valores functionis, valores reactionis; valores habitudinis animi, valores actionis, valores successus favorabilis; valores intentionales et valores statici; valores fundamentales, valores formales, valores relationum; valores individuales et valores collectivi; valores ex se et valores per habitudinem ad alium. In his seriebus valorum, etsi proprie nullus valor est *materialiter* enuntiatus, indicatur iam ordo quidam praeferentiae. Sed propria hierarchia provenit ex qualitate axiologica valorum. SCHELER quattuor *modalitates* valorum sic ordinat:

Prima modalitas: series valorum ordinis *grati vel ingrati.*

Altera modalitas: series valorum perceptionis affectivi vitalis, in qua continentur valores sub polaritate nobile-vulgare, excellens-miserum, salus-morbus, senectus-mors, firmus-exhaustus...

Tertia modalitas: series valorum spiritualium, ubi includuntur valores ordinis *aesthetici,* pulchrum-foedum; ordinis *ethici,* iustum-iniustum; ordinis *logici,* verum-falsum.

Quarta modalitas: series valorum ordinis religiosi, qui comprehenduntur in polaritate sanctum-prophanum.

Valores ordinis *nobile-vulgare* sunt superiores valoribus ordinis *gratum-ingratum,* valores spirituales, superiores valoribus vitalibus; et adhuc sunt superiores valores ordinis sanctum-prophanum...

276. *Divisiones quaedam valorum. a)* Valor considerari potest *obiective,* et tunc significat valorem quatenus *debet* indifferentiam uno vel alio sensu tollere; *subiective,* quatenus subiectum aestimans se habet non indifferenter respectu valoris sive exsistentis sive non exsistentis; *formaliter,* quatenus de facto et proportionaliter valor ita in subiectum influit ut hoc iam non indifferenter se habeat.

b) Valor *absolutus* ille est, qui non est alligatus conditionibus peculiaribus huius personae huius circumstantiae historicae... sed omni casu et universaliter capax est ad indifferentiam tollendam; *relativus,* qui tantum pro hac persona vel in his circumstantiis validus est.

c) Valor *positivus* est qui attractione subiectum movere debet; *negativus,* qui repulsione subiectum movere debet. De valore positivo et negativo haec axiomata inde a LOTZE et BRENTANO communiter enuntiantur: *Exsistentia valoris positivi est in se valor positivus;*

exsistentia valoris negativi est in se valor negativus; non-exsistentia valoris positivi est in se valor negativus; non-exsistentia valoris negativi est in se valor positivus.

277. Quae ad doctrinam circa valores attinent breviter his punctis exprimi possunt:

a) *Si valor obiective consideratur*:

1) Philosophia valorum ideo magna ex parte in favore est, quia sic *problema criticum vitatur.* Nam consideratio axiologica quodammodo ab ordine obiectivo praescindit ut videtur, ideoque ordo obiectivus apparet quasi coopertus ordine axiologico, ita quidem ut iam tantum considerandum sumatur quod hominem quodammodo emovet, sit illud ignotum quid verum necne. Axiologica consideratio potest coexsistere cum idealismo transcendentali; fere videtur, non raro, evasio larvata problematis critici, quod via rationali solvere non valentes, hac emotionali consideratione evadunt. Sub hoc aspectu considerari potest Axiologia quasi radicaliter infirma.

2) Ordo axiologicus ut vere obiectivus admittendus est, ita ut revera dici debeat, adesse quaedam quae hominis attractionem et repulsionem causare *debeant,* quidquid sit *de facto* attractionis vel repulsionis. Interpretatio ergo *subiectivistica* ordinis valorum ut falsa debet agnosci. Sufficit autem obiectivitas fundamentalis.

3) Imo, ordini axiologico etiam valor absolutus et universalis agnoscendus est, non quidem pro omnibus valoribus, sed certe pro illis qui in hierarchia valorum, et fere uniuscuiusque scalae hierarchicae, supremum ordinem occupant. Interpretatio ergo *relativista* valorum tam pro singularium personarum conditionibus, quam pro historiae et culturae gradu, etiam ut falsa reiicienda est.

4) *Valor* hoc sensu non videtur adaequari conceptui *boni transcendentalis* Scholasticorum; *bonum* enim Scholasticorum ad solum ordinem affectivum pertinet, et contradistinguitur ab ordine veritatis, qua veritas est. Valor vero tam ordinem logicum quam ethicum et aestheticum amplectitur; quidquid nempe indifferentiam hominis tollere valet. Sunt vero qui aliter hanc rem considerent.

b) *Si valor subiective consideratur*:

1) Iterum causa favoris huius philosophiae etiam in habitudine *subiecti* respectu valorum reponi, saltem quoad partem, debet. Philosophia enim, nondum soluto problemate critico, valde *antirrationalismo* afficitur, ideoque cognitionem in-

tellectualem, maxime rationalem, aut despicit, aut saltem sceptice respicit. Ideo, apprehensio ordinis obiectivi per alias vias ordinis emotionalis in favorem habetur. Etiam ex hac parte, potest quodammodo dici radix Axiologiae infirmitate laborare, et quadamtenus, positionem inferiorem in philosophia supponere. Sunt tamen axiologi non pauci qui etiam de ordine intellectuali et rationali recte sentiunt.

2) Pro *valore* obiective considerato quaedam cognitio propria et proportionalis exquirenda erat; cognitio vere *emotionalis* non est cum appetitione voluntatis confundenda; sed in positionibus Vitalismi inspirata, cognitio emotionalis implicat activitatem vitalem totius hominis, in quo non licet facultates alias ab aliis distinguere, dum totus homo totaliter agat in apprehensione veritatis; totalis ergo ordo obiectivus valorum etiam totum hominem apprehendentem requirit; si haec cognitio emotionalis, activitatem facultatum *proprie* cognoscitivarum excludat, reprobanda est.

3) *Subiectivismus* ex parte hominis aestimantis, quatenus hic ex positione subiectiva valorem creat sine ullo fundamento obiectivo, reiiciendus est. Aestimare enim non est creare, sed valorem praehabitum apprehendere.

4) Nec potest admitti *subiectivismus* in statuenda *hierarchia* valorum, tamquam si subiectum aestimans posset altitudinem et signum valorum ad proprium arbitrium determinare.

c) *Si consideratur valor formaliter*:

1) Quodammodo admitti debet *valorem fundamentaliter* consideratum totum quantum ad subiectum ordinari, quod attrahere aut repellere *debet* iuxta proprium gradum.

2) Haec mutua correspondentia ordinis obiectivi et subiectivi determinat etiam normam non-indifferentiae, cuius suprema regula est, ut homo sic valorem aestimet quoad altitudinem hierarchicam et quoad signum positivum vel negativum, sicut ordo obiectivus valorum requirit.

3) Ratio vero suprema aestimationis valorum ideoque praeferentiae erit ipse homo obiective ut persona consideratus. Hoc sensu re vera dici debet axiologia plurimum conferre ad ordinem ethicum recte statuendum, cum valores ordinis moralis et religiosi supremi sint, et ex ipsis regula suprema activitatis humanae exquirenda sit.

d) Denique tandem notandum est ordinem axiologicum

totum quantum in ordine ontologico fundari; ita ut non sit nisi ipse ordo ontologicus in relatione ad *aestimationem* hominis propositus. Inde, quidquid alicuius momenti philosophia axiologica praenuntiat, iam prius in philosophia ontologica exponebatur. Meritum quidem axiologiae assignandum est, quae crisim philosophiae post KANT obortam, potius quam solvit, quasi per circuitum obviavit, ita ut continuatio philosophiae in quadam linea possibilis evaderet.

ARTICULUS VIII

DE AESTHETICA

278. S. TH. 1 q.5 a.4 ad 1; I q.39 c; 1-2 q.28 a.1; 1-2 q.27 a.1; 1-2 q.145 a.2; 1-2 q.180 a.2; opusc. *De pulchro et bono;* DELMAS, *Ontologia* 843-868; DONAT, *Ontologia* 244-263; CUESTA, *Ontologia* p.483-504; TH. LIPPS, *Estética* (Madrid 1923); M. GEIGER, *Aesthetik:* Die Kultur der Gegenwart, *Systematische Philosophie* (1924) p.311ss; M. MENÉNDEZ PELAYO, *Historia de las ideas estéticas en España* (opus ditissimum sub aspectu historicocritico); JUNGMANN, *La belleza y las bellas artes* (Madrid 1873); MEUMANN, *Introducción a la estética actual* (Madrid 1923); *Sistema de estética* (Madrid 1924); A. MUELLER, *Introducción a la Filosofía* (Madrid 1931); B. CROCE, *Estética* (Bari); *Breviario de estética* (Madrid 1939); FROEBES, *Tratado de psicología experimental,* s. VIII, c.3 p.322-355 (Madrid 1950); MARITAIN, *Art et Scolastique* (1920); J. M. SÁNCHEZ DE MUNIAIN, *Estética del paisaje natural* (Madrid 1945); *La belleza, noción transcendental:* Rev. de Ideas Estéticas 3 (1945) 181-208; *Introducción al estudio de la forma estética:* Rev. de Fil.8 (1946) 335-374; ESPASA-CALPE, *Enciclopedia* sub voce *Estética.*

279. Nexus. Ut complementum ultimum tractationis de ipso ente, speciatim, quoad eius proprietates, quaedam *innuenda* sunt de *Aesthetica,* ubi de *pulchro.*

280. Aesthetica est vox primo a BAUMGARTEN adhibita ad partem aliquam philosophiae designandam in suo tractatu *Aesthetica* anno 1750 edito. Primo haec scientia est ab ipso dicta "scientia cognitionis sensitivae", "gnoseologia inferior", dein vero "ars pulchre cogitandi", "ars formandi gustum" "aesthetica critica" [1]. Iuxta ipsum "Aesthetices finis est perfectio cognitionis sensitivae, qua talis. Haec autem est pulchritudo" [2]. Posterius haec vox denominat doctrinam circa pulchrum, etsi apud KANT adhuc ad primitivum sensum, doctrinam de sensatione, redit.

281. *Historia Aesthetices.* Breviter haec innui possunt. De pulchro inde ab initio in philosophia agebatur; ita praeci-

[1] BAUMGARTEN, *Aesthetica* § 1,14; *Metaphysica* § 607,662.
[2] *Aesthetica* 14.

pue apud PLATONEM et ARISTOTELEM, qui bonum tandem cum pulchro indentificarunt. Post AUGUSTINUM [3] STUS. THOMAS diversis formulis pulchrum definierat: "Pulchrum autem dicatur id cuius ipsa apprehensio placet" [4], "ad rationem pulchri est quod in eius aspectu seu cognitione quietetur appetitus" [5] et alia. Ut elementa pulchri designantur: "integritas sive proportio", "proportio sive consonantia" et "claritas" [6].

Initio philosophiae modernae, cum *Cartesianismus* fere nihil contulerit ad progressum huius doctrinae aestheticae, recensendus est LEIBNIZ ut fautor futurae Aestheticae: cognitio aesthetica reponenda est in regione obscuriore spiritus; perceptio aesthetica fundatur in sensu quodam interno, et manifestatur in forma quadam contemplativa confusa ordinis et harmoniae rerum; non est cognitio pertinens ad ideas claras, ad cognitionem distinctam, ipsi est inferior. Pulchrum integratur in harmonia universi. Post LEIBNIZ aestheticam fere ad Logicam quamdam reduxit CHRISTIANUS WOLFF. Constituta vero Aesthetica per BAUMGARTEN, fuit KANT qui propriam scientificam formam huic scientiae dedit, quam initio *Criticam Gustus* dixerat. Subiectiva perceptio pulchri est lex aliqua spiritus; pulchritudo resultat ab habitudine hominis in quibusdam adiunctis psychicis, producitur a mente humana. Adsunt quatuor determinationes pulchri: Pulchrum est quod placet sine interesse; Pulchrum est quod placet sine conceptu. Hae sunt determinationes negativae, quibus pulchrum a vero, a grato, ab utili, a bono distinguitur. Hae sunt vero determinationes positivae: Pulchrum est quod habet formam finalitatis sine repraesentatione finalitatis. Pulchrum est quod est obiectum beneplaciti universalis. Pulchritudo est aliquid a iudicio synthetico *a priori* resultans. Post KANT praevaluit Aesthetica idealista et subiectivista, in qua magni momenti fuit philosophia artis; eminuit HEGEL. Post idealismum extremum reactio venit realistica sub HERBART, qui Aestheticam a Metaphysica separare voluit, ut propria methodo facta aesthetica colligeret et in analysim reduceret. In hac tendentia eminuit ZIMMERMAN, qui Aestheticam formalem instituit et excoluit dicens: Adsunt quidam conceptus generales exemplares

---

[3] S. AUGUSTINUS, *Conf.* 4.3,14; 10,34,53;*De civ. Dei* 22,19 S. Augustino tribuitur etiam classica definitio pulchri, *Splendor ordinis.*
[4] S. TH., 1-2 q.27 a.1 ad 3.
[5] S. TH., 1 q.5 a.4 ad 1.
[6] S. TH., 1 q.39 a.8 c.

seu Ideae; pulchrae sunt res quae his ideis conformantur; ideae vero sunt complexus formarum iucundarum.

Positivismus fere nihil novum ad Aestheticam proprie talem contulit etsi quaedam analysis facti aesthetici a COMTE et STUART MILL non sine merito effectae sunt, dum, e contra, pro philosophia artium progressum afferrent, speciatim J. RUSKIN in Anglia.

Recentiora tempora magnam diasporam sententiarum ad rem attulerunt. Tendentia psychologica optimum expositorem invenit in THEODORO LIPPS, qui sic suam conceptionem resumit: "Aesthetica est disciplina psychologica. Pulchritudo alicuius obiecti non est attributum obiecti, sicut viride aut caeruleum, sed consistit in hoc, quod in obiecto actus valorationis aestheticae fundatus est. Sed talis actus non nisi in conscientia locum habere potest, et consequenter in natura subiecti fundatur. Pulchritudo est conformatio obiecti ad naturam subiecti aesthetice valorantis. Quaestio circa conditiones talis conformationis est quaestio circa naturam subiecti valorantis seu circa normabilitatem valorationis aestheticae. Et talis quaestio, est psychologica" [7]. Inter hos subiectivistas magni momenti est G. A. FECHNER, qui Aestheticam *ab infra* propugnat, hoc est fundatam in experientiis, contra Aestheticam *a supra*, fundatam a priori. Hoc sensu magni momenti sunt investigationes a KULPE peractae, et in alia directione a WUNDT. Inter recentiores auctores singulari nomine designandus est CROCE, qui idealismum hegelianum excoluit, ideoque Aestheticam sensu idealistico-subiectivistico exstruxit. Tandem ultimis temporibus notatur quaedam praevalentia *Aestheticae Axiologicae.*

282. Inter immensam varietatem sententiarum et opinionum in interpretanda perceptione aesthetica, quaedam breviter colligi et enuntiari possunt quae uno vel alio modo a maiore parte aestheticorum, saltem si falsa philosophia non devientur, sustineri solent. Quo autem ordinatius procedamus, distingui potest elementum *psychologicum,* elementum *obiectivum,* et tandem quodammodo elementum *formale.*

283. *Quoad elementum subiectivum.* 1) In psychologia aesthetica admittenda, saltem ut conditio praevia ad actum aestheticum, cognitio intellectualis; fere unanimiter admittitur solam cognitionem sensitivam non sufficere; ideo habetur aesthetica ut cognitio specifice propria hominis—inter visibilia—, brutis vero omnino neganda. Cognitioni tamen in-

[7] TH. LIPPS, *Aesthetik.* Einleitung: Die Kultur der Gegenwart, Systematische Philosophie p.349.

tellectuali antecedit cognitio sensibilis quae per sensus maxime immateriales, visum et auditum, perficitur. Caeterum, cognitio intellectualis non existimatur esse ordinis *discursivi, deductivi,* etsi praevie habitus discursivus requiratur, saltem pro perceptione aesthetica perfectiori.

2) Actus vero intellectualis explicatur ad modum contemplationis intuitivae, quae forte non uno ictu ad finem perficitur; sed quiete intellectuali contemplativa, animus tandem ad sensum aestheticum ducit. Si vero elementum intuitivum simul additur, id significat, actum contemplationis non mere intellectualem esse, sed quodammodo vitalem, quatenus in eo activitas superior omnimoda hominis concurrit; admitti vero potest, in casibus supremis, etiam puram contemplationem ad sensum aestheticum ducere posse.

3) Actum contemplativum consequitur quaedam complacentia ordinis superioris; quae nihil commune habet cum complacentia alicuius sensibiliter grati, sicut suavitatis oloris, caloris... commoditatis...; nec cum gaudio quod finem obtentum sequitur, aut possessionem boni utilis. Complacentia haec est beneplacitus seu gaudium sine interesse aliquo, sine interventione sedatae concupiscentiae.

4) Nec tamen ita purus est actus hic intellectualis, ut aequivaleat iudicio critico de opere aesthetico; sicut cum poësis in analysim rhetoricam seu grammaticalem in schola reducitur; aut opus architectonicum a technicis in studium elementorum, aequilibrii virium in schola architectonica proponitur; aut cum aestheta technicus elementa obiecti pulchri, sicut cuiusdam panoramatis, operis artistici, sub aspectu technico iter agentibus explicat.

5) Etsi actus contemplationis aestheticae fundamentaliter spiritualis sit, debet, saltem generatim, quodammodo etiam in sensum superiorem redundare, ita ut vera fruitio *hominis* habeatur; haec autem fruitio aliquando eo usque depurari potest, ut fere tantum in apice spiritus gradus supremus fruitionis aestheticae obtineatur.

6) Fruitio haec gaudiosa paulatim et suaviter totum hominem arripit, qui ab obiecto pulchro quasi possessus, totus a se fere alienus, intime contemplationem vivit, cum aesthetico obiecto identificatus, intime cum ipso per "intro-affectionem" convivens, quasi a sensibus propriis alienus, per splendorem obiecti arreptus; sic aestheta ab obiecto possidetur, sub cuius

dominium submittitur. Quo maior et perfectior complacentia, eo etiam hoc dominium obiecti intimius videtur.

7) Haec complacentia gaudiosa hominem arripiens et dominans videtur elementum psychologicum ubi tandem processus aestheticus consummatur.

8) In stadio normali contemplator aestheticus est *cooperator,* hoc est cum obiecto aesthetico partem viventem faciens; in stadio superiori, contemplator est *spectator,* nam participatione sensibili et vitali superata, pura et suprema contemplatio succedit.

284. *Elementum obiectivum.* Huic processui subiectivo correspondet tamquam causa, saltem partialis, elementum aliquod obiectivum, circa quod versatur contemplatio et complacentia aesthetica. Utrum autem tale obiectum vere reale sit, an potius subiectivum, dependet a theoriis, ita ut ex hac parte dici possit duplex adesse Aesthetica; alia subiectiva, quae totum processum ex subiectivo elemento explicat, alia obiectiva, quae valorem obiectivum fundamentalem ponit.

1) *Obiectum,* quodcumque sit aut concipiatur, sive materiale sive spirituale, ex sua parte et suo ordine variis elementis integratur, in quorum descriptione magna ex parte aesthetae coincidunt etsi dein varietas observetur in denominatione, in praevalentia uni vel alteri concedenda, et speciatim in assignando elemento proprie aesthetico. Hac vero in re philosophia classica magnum contributum Aestheticae attulit.

a) Obiectum habet elementum quasi *materiale,* quod in his enuntiari valet: debet esse obiectum integrum, proportionalem magnitudinem habens, quamdam varietatem, saltem aequivalentem aut eminentem; imo etiam nobilitas quaedam in ipso elemento materiali requiritur. Non raro ipsa magnitudo quantitativa obiecti non parum affert ad complacentiam aestheticam. Varietas vero materialis elementorum multum etiam confert: si de obiecto visibili agatur, varietas colorum, lucis et umbrae; si de auditivo, varietas in harmonia, in rythmo, in evolutione thematis, in melodiis.

b) Sed simul haec diversa elementa obiectiva debent *in quamdam unitatem* coordinari, ita quidem ut varietas illa ad simplicitatem elementorum reduci appareat; requiritur ergo proportio relativa singularum partium, ita ut aliae aliis in-

tegrentur in unitatem quamdam ditissimam, eximiam per coaptationem partium symmetricam et harmonicam.

c) *Splendor* quidam in obiecto adhuc exigitur, quo obiectum contemplationi intuitivae quam facillimae proponatur, per quam spiritum aestheticum sibi attrahat sibique dominetur. Hic splendor praecipue elementa potius spiritualia obiecti manifestare debet; potius ergo quam meram magnitudinem quantitativam, illam aliam perfectionem obiecti quoad singula elementa et quoad suam coaptationem in simplicitatem et unitatem varietate ditissima ornatam.

d) Haec elementa multipliciter inter se combinari possunt, ita ut defectus alicuius per superabundantiam alterius suppleatur. Si ergo varietas deest, potest magnitudine quantitativa suppleri, ut caelum tota sua rotunditate plene caeruleum, quod simul splendore lucis ornatur; defectus magnitudinis, per varietatem, aut per coaptationem, aut per perfectionem singulorum componentium sufficitur; varietas per simplicitatem perfectissimam omniperfectioni eminenter aequivalentem. Hoc praedominium unius vel alterius elementi multum conferet ad diversitatem iudiciorum aestheticorum iuxta naturam contemplantium, quibus unum vel aliud elementum magis coaptatur ad sensum aestheticum.

2) Frequentissime cum elemento mere obiectivo *aliud elementum psychologicum* unitur quo ipsum elementum materiale ditatur et illuminatur.

a) Saepe enim aestimatur modo peculiari opus artisticum, quo fit ut forte etiam aliquid obiective foedum valorem aestheticum aut potius artisticum, acquirat. Nam quod foedum est, potest sub influxu artificis quamdam abstractionem subire, ita ut artifex repraesentet quae in obiecto lucent aliis fere relictis; sic si pictor obiectum foedum pulcherrimis coloribus illuminatum, contrapositionibus miris lucis et umbrae ornatum repraesentet; aut si res rupta et manca proponatur tamquam expressio situationis cuiusdam spiritualis, fere ut symbolum. Non raro etiam in opere artistico potius quam elementum obiectivum repraesentatum splendorem obtinet ipse spiritus artificis cuius visio depingitur, potius quam ipsa res visa... Quod etiam non raro in quibusdam discordantiis musicis et motibus rythmicis accidit, quibus status spiritualis symbolice repraesentatur. Sic quandoque obiectum etiam foedum vere

pulchrum devenire potest, propter perfectionem repraesentationis.

b) Aliquando vero obiectum ordinem aestheticum acquirit propter *viventiam* quam per sympathiam ipsi contemplator tribuit; sic evenit ut quaedam contemplanti huic nihil "dicant", dum in altero profundam impressionem efficiant, qui propriam psychologiam in obiecto repraesentantem invenit, aut symbolismum eloquentissimum... Inde apparet etiam ipsum subiectum saepissime in ipsam intimitatem obiecti contemplandi immisceri, ut ita hoc per hanc viventiam contemplantis gradum perfectionis aut splendoris acquirat, quo secus careret et sic a valore aesthetico deficeret.

285. *Elementum quodammodo formale.* Iuxta nostram philosophiam elementum obiectivum quod beneplacitum aestheticum gignit, debet *reale* esse ut actus formaliter aestheticus habeatur; cui elemento ex parte subiecti reactio proportionalis correspondere debet. Obiectum ergo vere aestheticum illud erit, quod in contemplante, debitis conditionibus instructo, complacentiam aestheticam gignere *debet;* et tunc complacentia vere aesthetica habebitur, quando ex contemplatione obiecti aesthetici et iuxta gradum valoris aesthetici ipsius, etiam contemplans gaudio correspondenter fruitur.

286. Inde dici potest *methodum aestheticam,* cuius est illa tantum *facta* colligere et in analysim redigere, quibus *de facto* complacentia subiectiva producitur, non rectam esse, dum valorem *vere* aestheticum non attingant, qui in contemplante gaudium aestheticum gignere *debeat;* elementum enim mere empiricum pluribus adiunctis conditionatur, historicis et individualibus, quae iudicium aestheticum "*facticum*" substantialiter deturpare possunt. Item, *methodus* investigationis *pure psychologica* non recta est, saltem non completa; debet enim ordinem obiectivum investigare, cuius est motum aestheticum in percipiente causare. Ex hac parte dici potest scientia aesthetica *psychologica* esse; ex parte vero obiecti *metaphysica.*

287. Quodsi relatio inter pulchrum et ens quaeratur, asseri potest pulchrum proprietatem esse entis quatenus *perfectum* est; tunc vero ens perfectum valorem aestheticum acquirere formalem, quando simul etiam splendorem et lumen habet, quod actu capax fit ut ab homine normali cum fruitione aes-

thetica percipiatur. Unde non videtur pulchrum proprietatem transcendentalem esse entis. Veritas et bonitas quodammodo requiruntur ad integritatem et perfectionem obiecti; maxime enim ad splendorem eius conferunt [8].

288. Scholion. *De ordine.* Quae superius dicuntur quodammodo complenda sunt, breviter quibusdam circa ordinem expositis. Ordo est *compositio rerum aptis et accommodatis locis.* Est classica definitio a S. AUGUSTINO data: *Parium dispariumque rerum sui cuique loca* (sensu ampliori) *tribuens dispositio.* Unde tria includuntur in ordine:

a) *Distinctio plurium:* nihil enim ad seipsum ordinatur. Ratione huius, ordo potest esse *realis* si pluralitas rerum realiter distinctarum sit, et *logicus* vel *idealis,* si pluralitas rerum ratione tantum distinctarum sit.

b) Principium seu *ratio illa secundum* quam ordinantur res. Secundum hoc elementum multiplex est ordo, secundum situm et quantitatem, tempus, dignitatem, originem, causalitatem... Inde ordo chronologicus, architectonicus, socialis, moralis, symmetricus, harmonicus... (Quoad Aestheticam plurimum haec ratio ordinis confert, eaque non raro a conditionibus artificis, contemplantis, aut etiam historicis etc. dependet.)

c) *Ratio prioris et posterioris.* Quodcumque sit principium ordinis, semper necessario ratio prioris et posterioris, involvitur, siquidem aliquid altero praefertur saltem pro hoc loco potius quam pro alio. Ratione huius prioritatis plures species ordinis dantur. Prioritas vero quintuplex potest esse: 1) *temporis;* prius tempore dicitur quod duratione praecedit aliud; 2) *in subsistendi consequentia;* prius sic dicitur quod infertur ex alio, quod tamen illud non infert; 3) *ordinis;* haec prioritas de naturali habitudine intelligenda videtur, secundum quam alterum altero prius esse postulat; 4) *dignitatis* est praecellentia in dignitate ac nobilitate; 5) *naturae,* natura prius dicitur illud quod ab alio dependet. His prioritatibus additur

---

[8] Cf. FEBRER, *Metafísica de la belleza*: RevFil 5 (1946) 533-573. In articulo proponit ut novam interpretationem (sic videtur) pulchri, hoc inter transcendentalia esse recensendum; quae doctrina iam pridem exposita fuerat, nominatim a MARITAIN in opere suo *Art et Scolastique* (1920), *sed et refutata* peculiariter a P. DE MUNNYNCK in articulo *L'esthétique de saint Tromas d'Aquin,* edito in *Miscellanea S. Tommaso d'Aquino* Universitatis Catholicae Mediolanensis (1923).

prioritas originis, quae in eo consistit, quod unus procedat ab alio absque ulla dependentia et causalitate vel temporis prioritate. Hoc inter Personas divinas tantum locum habet.

Caeterum, cognitio ordinis formalis ad solam intelligentiam spectat, utpote quae sola percipit rerum relationes, ex quibus ordo efflorescit. Imo, ordo ipse in se opus est solius intelligentiae.

PARS II

De supremis entis divisionibus

289. Conceptus quidem entis simplicissimus est, eius vero ipsa simplicitas ubertatem implicat quodammodo infinitam, siquidem et entia in indefinito numero amplectitur, perfectionemque plenam et infinitam, modo quidem nobis non perfecte pervio, includit. Haec vero entis ubertas reducenda est, quoad nostram cognitionem, in ordinem, sicut et ipsa realitas ordinatissima est. Inde nostra mens entia, quae sub conceptu entis venire possunt, in quasdam supremas divisiones complectitur, sub quibus dein ulterior investigatio membrorum in finem perduci ordinate queat. Huius secundae Ontologiae partis erit has entium divisiones summatim perpendere aut saltem indicare.

CAPUT I

De divisione entis in actum et potentiam

290. ARISTOTELES, 9 *Metaph.*; S. TH., *De ente et essentia*; *Com in IX Metaph*; *Com. in II, III, VII et VIII Physic.*; CAIETANUS, *Com. in Opusculum De ente et essentia*; SUÁREZ, DM 28 s.1; 31 s.3; 43; N. DEL PRADO, *De veritate fundamentali in Philosophia christiana*; DOMET DE VORGES, *L'acte et la puissance*: Annales de phil. chrét. (1886); FARGES, *Théorie fondam. de l'acte et de la puissance, du moteur et de mobile*; GARDEIL, *Acte*: DTC; GARRIGOU-LAGRANGE, *Le sens commun, la philosophie de l'Etre et les formules dogmatiques*; MERCIER, *Ontologie*; MANSER, *La esencia del tomismo*; FUETSCHER, *Acto y potentia*; DE BACKER, *Disputationes Metaphysicae de actu et potentia*; MONACO, *Praelectiones Metaphysicae generalis*; ARNOU, *Metaphysica generalis*; HUGON *Metaphysica ontologica* tract.1 q.2; MARTÍNEZ DEL CAMPO, *Doctrina Sti. Thomae de actu et potentia et de concursu* (Mexici 1944); QUILES, *La esencia de la filosofía tomista* p.1.ª c.5 (Buenos Aires 1946).

291. Nexus. Divisio entis in actum et potentiam maxime inter Scholasticos, et quidem dependenter ab Aristotele, invaluit, apud quem primum fere momentum obtinuit, quia problema ab ipso initio sibi solvendum propositum erat transmutatio entis in aliud ens, quam ex transitu a potentia in actum explicavit.

ARTICULUS I

De potentia

292. Notiones. Potentia, etymologice a *posse* venit. Posse autem dupliciter sumi potest; *active*, et tunc *posse* intelligitur quasi perfectio quaedam aliud efficere valens quod ipsum non est; est ergo potentia quae agit; et *passive*, et tunc significat quod aliquid fieri valeat; est ergo potentia quae patitur. Consequenter etiam ipsa potentiae ratio dupliciter sumi potest; hoc tamen habet commune in utroque casu retinet quod semper relationem ad productionem alterius dicat etsi diversissimam.

293. Potentia in genere dicitur id quod potest esse et nondum est omnino, vel licet exsistat, non exsistit eo modo quo potest esse. Magis accurate est principium alicuius actus [1]; principium vero dicitur quatenus a potentia actus procedit, tam quatenus ab ea (potentia activa) quam quatenus in ea et de ea producitur (potentia passiva). Dici ergo potest: principium agendi et patiendi. Iam ex hac generica potentiae notione patet, potentiam non posse intelligi nisi in ordine ad aliquem actum, et in eo ordine, in quo est potentia, non esse sibi finem; sed totam esse ordinatam ad hoc, ut per eam aut in ea aliqua perfectio, fortasse libere, obtineatur. Haec vero duplex ordinatio alia omnino et alia est prout de potentia activa aut de passiva agatur.

294. *Divisiones potentiae.* Ex ipsa notione haec prima divisio apparet. Potentia potest esse *activa, principium agendi in aliud;* est ergo aptitudo ad aliquid aliud producendum, seu principium quod potest aliud transmutare et movere. Ab Aristotele dicitur, *principium transmutationis in alio in quantum aliud est,* hoc est, principium transmutandi aliud prout aliud est. Transmutatio intelligatur hic quaecumque operatio, sive per realem mutationem ac verum motum fiat, sive non; et potest esse

passiva, principium patiendi ab alio; principium quidem, quia influxu suo ad esse actus concurrit, *patiendi* quia influxu subiectivo seu actus receptivo ad esse huius concurrit; *ab alio,*

[1] S. Th., 1 q.14 a.4.

nam patiens qua tale non dat sed recipit ab agente, quod a patiente saltem formaliter distinguitur. Est ergo capacitas ut ab aliquo alio transmutetur. Ex Aristotele definitur: *principium transmutationis aut motus ab alio quatenus aliud est.*

295. *Comparantur potentia activa et passiva: a)* "Potentia primo imposita est ad significandum principium actionis, sed secundo translatum est ad hoc ut illud etiam quod recipit actionem agentis, potentiam habere dicatur; et haec est potentia passiva; ut sicut potentiae activae respondet operatio vel actio, in qua completur potentia activa; ita etiam, illud quod respondet potentiae passivae, quasi perfectio et complementum actus dicatur. Et propter hoc omnis forma actus dicitur, etiam ipsae formae separatae; et illud quod est principium perfectionis totius, quod est Deus, vocatur actus primus et purus, cui maxime illa potentia convenit" [2].

b) Utraque est principium actus, licet diverso modo; activa est principium *a quo* actus dimanat; passiva autem principium *in quo* actus recipitur.

c) Utraque tota quanta ordinatur ad actum, huiusque aliquam capacitatem designat; potentia enim in eo ordine in quo est potentia non est sibimetipsi finis, sed est ut aliud producatur, quod, dum potentia est potentia, nondum haberi intelligitur.

d) Utraque aliquam distinctionem a suo actu correlativo importat, cuius distinctionis natura a natura ipsius potentiae discernenda est.

e) Potentia activa perfectionem, passiva imperfectionem importat: "manifestum est enim quod unumquodque secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicuius; patitur autem unumquodque secundum quod est deficiens et imperfectum. Unde passiva nullo modo est in Deo; activam vero oportet in Deo summe ponere, maxime enim ei convenit esse principium activum, et nullo modo pati" [3].

f) Potentia activa, licet dicatur potentia respectu operationis quae est eius terminus et ultima perfectio, in se tamen est aliquis actus. Nam "potentia activa non dividitur contra actum sed fundatur in eo; nam unumquodque agit secundum quod est in actu: potentia vero passiva dividitur contra actum;

[2] S. Th., 1 *Dist.* 42 q.1 a.1 ad 1.
[3] S. Th., 1 q.25 a.1 c.

nam unumquodque patitur secundum quod est in potentia" [4].

g) Potentia activa et passiva sunt in diversis subiectis quia nihil est secundum idem agens et patiens. Sed tamen "possibile est, quod principium activum sit in ipso mobili vel passo, sicut cum aliquid movet se ipsum; non tamen secundum idem est movens et motum, agens et patiens. Et ideo, principium quod dicitur potentia activa, est principium transmutationis in alio, in quantum est aliud; quia etsi contingat principium activum esse in eodem cum passo, non tamen secundum quod est idem, sed secundum quod est aliud" [5].

h) Potentia passiva est potentia dumtaxat, cui respondet actus primus ipsam informans; potentia autem activa est actus primus cui respondet actus secundus, seu operatio ab illa dimanans. Potentia passiva est proprie ad esse, activa autem ad agere.

i) Nulla est potentia passiva naturalis in natura cui non respondeat aliqua potentia activa etiam naturalis. Si vero loquamur "de potentia activa absolute et simpliciter, ut comprehendit etiam divinam potentiam, illi non correspondet aliqua potentia passiva, quae sit veluti adaequatum susceptivum actionis eius, quia potest agere extra omnem potentiam passivam, et ipsammet primam potentiam passivam potest efficere: sed correspondet illi adaequate quidquid possibile est potentia obiectiva vel potentia logica, seu per non repugnantiam essendi" [6].

296. Potentia potest praeterea esse: *realis,* quae est principium reale agendi aut patiendi. Potest ergo et activa et passiva esse. Potentia realis passiva solet etiam *subiectiva* appellari, est enim subiectum reale capax recipiendi aliquam perfectionem. Rursus haec potentia potest esse *pura,* si nullum habet actum; et *non pura,* si iam habet aliquem actum, est vero adhuc perfectibilis, hoc est, capax recipiendi actum secundum; *logica,* vero quae in re non est, est tamen in mente. Dicitur etiam *obiectiva,* quia rei convenit quatenus est obiectum considerationis, aut etiam quatenus est obiectum potentiae realis in causa a qua produci potest. Generatim, vero, potentia *obiectiva* intelligitur aptitudo seu non repugnantia cuiuslibet non exsistentis ad exsistendum, quae potentia, ut patet, nihil phy-

[4] S. TH., ibid. ad 1.
[5] S. TH., *In IX Metaph.* lect.1.
[6] SUÁREZ, DM 43 s.2 n.10.

sicum est, nec proprie dici potest vera potentia. Hoc sensu potentia obiectiva et subiectiva contraponuntur.

297. Potest etiam esse *naturalis* (prout opponitur *vitali*), est potentia (activa) quae convenit etiam inanimatis et non viventibus; *vitalis* est potentia (*activa*) propria viventium.

298. Potest praeterea esse *naturalis* (prout opponitur *violentae* et *neutrae*) vel *connaturalis,* ea dicitur potentia quae est connaturalis respectu formae; *violenta,* quae respectu actus est naturaliter repugnans; *neutra,* quae respectu actus nec positivam inclinationem nec repugnantiam dicit.

299. Potest tandem esse *naturalis* (prout opponitur *supernaturali*), quae est potentia consentanea vel debita naturae; *supernaturalis,* vero, quae naturae est indebita eiusque exigentias superans. De hac Theologis fusius agendum est.

300. Scholion. *De potentia obedientiali.* Cum notione potentiae supernaturalis, haec de potentia obedientiali innuenda videntur, quamvis ea potius ad Theologos pertineant. *In sensu minus proprio* vocatur potentia obedientialis, illa quae in rebus est ad formas artificiales suscipiendas. *In sensu* vero *proprio* est potentia vel facultas creaturae ad actum supernaturalem, ad eum, nimirum, qui per causas naturales legesque et cursum totius naturae obtineri nequit. Huic capacitati ex parte Dei respondet *elevatio,* hoc est, assumptio vel promotio naturae ad actum prorsus indebitum ac supernaturalem. Quod talis potentia *saltem passiva* detur, omnibus catholicis admittendum est. Utrum autem etiam *activa* detur necne, acerrime disputatur. Auctores Societatis Iesu etiam activam admittunt: *passivam,* ad recipienda dona supernaturalia, *activam* ad efficiendos actus supernaturales visionis beatificae, fidei, spei, caritatis... vel ad operandos effectus miraculosos. Alii, potissimum PP. Dominicani, tantum passivam admittunt. Sed dein maior adhuc difficultas in assignanda natura huius potentiae exsurgit. Pro aliquibus (Zumel, Fonseca) est mera non repugnantia ex parte creaturae. Pro aliis talis potentia est qualitas aliqua superaddita et extrinsecus impressa naturali causae (Capreolus, Ferrariensis, Soto et alii). Pro aliis, tandem, non est potentia obedientialis, tam activa quam passiva, aliquid naturae superadditum: sed eadem potentia creata, quae relate ad actus naturales vocatur naturalis, eadem ipsa relate ad supernaturales dicitur obedientialis.

ARTICULUS II

De actu

301. Actus etymologice ab *agere* provenit, et sic primo ipsi operationi et motui sensibili tribuebatur; deinde nomen est ad formam translatum, in quantum forma est principium

operationis et finis [1] Dein ad quamlibet perfectionem significandum; et quidem prius ad formam quae potentiae alicuius perfectibilitatem complet. Tandem, independenter a potentia, actus dicitur omnis perfectio, sive nequeat exsistere absque potentia in qua recipiatur tanquam in subiecto, sive possit; sive ad formam essentialem aut accidentalem determinet, sive ad exsistendum; sive sit producta sive non.

302. *Definiri* autem non potest, nam "prima simplicia definiri non possunt, cum non sit in definitionibus abire in infinitum. Actus autem est de primis simplicibus: unde definiri non potest" [2]. *Declaratur autem* quodammodo si actus dicitur, *illud* esse *quo res in aliqua perfectione constituitur.* Et sic duplex correspondenter distingui potest: potentiae passivae respondet *forma,* activae autem *operatio.*

Ab ARISTOTELE dicitur, *actus est cum res est, nec tamen ita est sicut cum est in potentia.* Apud ipsum pro actu duplex nomen invenitur: *energeia* et *entelecheia,* quae expressiones promiscue adhiberi aliquando videntur, sed tamen inter criticos non adest concordia circa sensum proprissimum harum expressionum.

303. *Divisiones actus.* Actus potest esse *primus,* et est ipsa potentia agendi; qui potest ulterius esse *proximus,* et est potentia habens omnia praerequisita ad agendum, vel *remotus,* et est potentia nondum habens omnia praerequisita ad agendum. Actui primo contraponitur *secundus,* qui est ipsa operatio potentiae activae. Prout fluit ab agente dicitur *operatio,* prout recipitur in passo dicitur *passio.*

304. Actus potest etiam esse *purus,* et est perfectio pura excludens omnem potentialitatem tam obiectivam quam subiectivam; non vero activam quae de se dicit perfectionem. Talis est solus Deus. Et *non purus,* qui est admixtus cum aliqua potentialitate cuiuscumque ordinis.

305. Actus, ulterius, dicitur *irreceptus* qui multipliciter intelligi potest: *irreceptus a nulla potentia,* excludens potentiam activam a qua productus fuerit; *irreceptus in potentia ulla,* excludens potentiam passivam seu subiectivam in qua recipiatur. Contraponitur actus *receptus;* est actus qui ordinem dicit vel ad potentiam activam *a qua* dimanet, vel ad passivam

[1] S. TH., *De pot.* q.1 a.1.
[2] S. TH., *In IX Metaph.* lect.5.

in qua recipiatur; irreceptivus, tandem est qui non potest in se alium actum recipere.

306. Actus, ulterius, per determinationem quam potentiae tribuit, potest esse *entitativus,* qui potentiae (sive subiectivae, sive obiectivae) dat formaliter exsistere, ita ut sit proprie ens participialiter seu exsistens; et

formalis, illa nempe perfectio cuius est rem in certo gradu entis ac perfectionis constituere; actu ergo formali est res id quod est. Potest duplex esse: *substantialis,* ille quo aliquid in certo gradu essentiae et speciei constitutitur; et *accidentalis,* ille quo res ita perficitur ut huius essentia immutata maneat.

307. Sub eodem respectu potest etiam actus considerari *subsistens,* qui in se subsistit, qui nec informat aliquod subiectum nec actuat aliquam potentiam. Vocatur etiam absolutus. Potest esse *perfecte subsistens,* qui in se tamquam in natura completa subsistit, et *incomplete subsistens,* qui indiget uniri cum aliqua potentia ad efformandam speciem completam. *Informans,* seu relativus, est actus qui est vera forma actuans potentiam; et *terminans,* qui perficit et complet aliquam potentiam quin tamen sit eius forma specifica.

308. Actus tandem dicitur *physicus* qui realiter a potentia distinguitur, in qua recipitur; et *metaphysicus,* qui per solam rationem a potentia distinguitur, in qua, proinde, non realiter recipitur, sed concipitur recipi.

309. *Comparatio* statuitur *inter potentiam et actum:*

a) *Expressiones variae* adhiberi solent quarum hic est sensus:

Esse actu significat exsistere; *esse potentia* significat posse exsistere.

Esse actum significat esse aliquam perfectionem seu operationem; *esse potentiam* significat esse capacitatem agendi vel patiendi.

Esse in actu significat habere aliquem actum, hoc est, de potentia transisse ad actum; *esse in potentia* significat potentiam seu capacitatem illius actus nondum transisse ad actum.

b) Actus et potentia non possunt definiri, sed tantum declarari; potentia vero nequit declarari nisi per actum; ergo actus est prior potentia in ordine logico.

c) Actus non praecedit tempore potentiam si in eodem subiecto spectetur, absolute autem actus est prior saltem natura, qualibet potentia; ergo actus est prior potentia in ordine ontologico.

d) In quolibet genere actus est nobilior potentia; ergo actus est prior potentia in ordine dignitatis [3].

e) Cuilibet potentiae tam activae quam passivae respondet proprius actus sibi proportionatus, sed diversimode: nam potentiae passivae correspondet semper aliquis actus formalis actuans et perficiens ipsam, potentiae vero activae, ut sic, non respondet actus formaliter actuans ipsam, sed ab eo manans.

f) Actus et potentia sunt opposita, oppositione relativa aut etiam privativa.

g) Frustra est potentia quae non reducitur ad actum. Hoc vero intelligendum est in primis de potentia unice instituta et exsistente propter actum, et quidem de potentia physica et naturali, non de libera; imo, de potentia proxima, quae quidem tunc esset frustra si ab intrinseco impediretur ab actus exsecutione. Ac demum valet tantum de potentia respectu actus specifice sumpti, non respectu huius vel alterius actus.

h) Potentiae, quoniam ut tales ordinantur ad actus, distinguuntur et specificantur per actus, non vero ut per intrinsecam differentiam, sed ut per terminum intrinsecae habitudinis potentiae ad actum. Actus autem specificantur per obiecta formalia, quia obiectum se habet respectu actus sicut principium vel causa et sicut terminus.

i) Potentia passiva, per se primo instituta et ordinata ad actum, est sub eodem genere ac praedicamento cum illo. Non tamen hoc necessarium est respectu potentiae activae; tamen, si actus talis potentiae sit accidentalis, oportet ut ipsa quoque potentia sit accidentalis, quamvis non necessario ex eodem praedicamento accidentali.

---

[3] Haec tria puncta conferas apud DEZZA, *Metaph. gen.* n.94,95,96.

ARTICULUS III

DE DIVISIONE ENTIS IN ACTUM ET POTENTIAM

310. Praeter notata initio capitis, cf.: MATTIUSI, *Le XXIV tesi della filosofia di S. Tommaso d'Aquino;* HUGON, *Les vingt-quatre thèses thomistes;* A. GETINO, *Theses ad mentem Doctoris F. Suárez:* CiencTom 15 (1917) 384-388; HORVATH, *Die Grundfesten des Thomismus:* DivThom (Fr) 2 (1915) 261-308.

311. Data oppositione inter actum et potentiam, patet per actum et potentiam perfecte ens dividi posse. Diversimode potest haec divisio intelligi.

a) *Omne ens est aut actu aut potentia.* Tunc significat: omne ens aut exsistit aut potest exsistere. Haec divisio perspicua est et facilis, et secundum eam potest clare fundamentalis divisio in toto ordine entis nominaliter sumpti statui.

b) *Omne ens aut est actus purus aut habet admixtam potentiam.* Haec divisio sic enuntiata ab omnibus admittitur, sed diversimode intellecta. Potest enim dupliciter explicari:

a) Omne ens, quod actus purus non sit, habet aliquam potentialitatem sive ad ulteriorem perfectionem, sive ad amissionem perfectionis, sive saltem ad esse et non esse. Per hanc interpretationem fundamentalis distinctio inter Deum et res creatas statuitur; Deus enim actus purus est, reliqua omnia entia aliquam habent potentialitatem alicuius ordinis, sunt enim entia contingentia.

b) Omne ens, quod actus purus non sit, intrinsece duplici elemento physico constituitur, quorum alterum est potentia physica, alterum est actus. Ex hac duplici intrinseca constitutione primo et formaliter ens creatum ab ente increato distinguitur.

312. Haec ultima interpretatio constituit principium fundamentale doctrinae Thomisticae. De doctrina *De actu et potentia,* in sensu thomistico intellecta, sic clarissimus Magister MANSER O. P. dicit: "Scientifice, Christianismus solum in campo doctrinae de actu et potentia moveri potuit". "Philosophia christiana, synthesis scientifica christiano modo effecta, debet necessario fundari, in ordine ad revelationem, in doctrina aristotelica de actu et potentia", et sic ARISTOTELES christianissimus omnium philosophorum paganorum haberi debet. Imo, "possibilitas omnis progressus doctrinalis pendet

a doctrina de actu et potentia... Ipsa quidem sola viam ad progressum infinitum aperit"[1].

313. Doctrina thomistica in XXIV thesibus collecta est, quae hic nunc recensentur:

I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus exsistit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus, cetera cuncta quae ipsum esse participant, naturam habent qua esse coarctatur, ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

IV. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus aequivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis.

V. Est praeterea in omni creatura realis compositio subiecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus: ea vero, nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, intelligi non posset.

VI. Praeter absoluta accidentia est etiam relativum, sive *ad aliquid*. Quamvis enim *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhaerens, saepe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distinctam a subiecto.

VII. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex: essentiae cum esse et substantiae cum accidentibus.

VIII. Creatura vero corporalis est quoad ipsam essentiam composita potentia et actu; quae potentia et actus ordinis essentiae, materiae et formae nominibus designantur.

IX. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumpitur, nec ponitur in praedicamento nisi reductive ut principium substantiale.

X. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum eius quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quae extensionem substantiae tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidens.

XI. Quantitate signata materia principium est individuationis, id est, numericae distinctionis, quae in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

XII. Eadem efficitur quantitate ut corpus circumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse possit.

[1] MANSER, *La esencia del tomismo* p.65-69.

XIII. Corpora dividuntur bifariam: quaedam enim sunt viventia, quaedam expertia vitae. In viventibus, ut in eodem subiecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma substantialis, animae nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

XIV. Vegetalis et sensilis ordinis animae nequaquam per se subsistunt, nec per se producuntur, sed sunt tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto composito, eo ipso per accidens corrumpuntur.

XV. Contra, per se subsistit anima humana, quae, cum subiecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

XVI. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit eiusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo et animal et vivens et corpus et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

XVII. Duplicis ordinis facultates, organicae et inorganicae, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant: priores, ad quas sensus pertinet, in composito subiectantur, posteriores in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

XVIII. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint quoque gradus intellectualitatis. Adaequatum intellectionis obiectum est communiter ipsum ens; proprium vero intellectus humani in praesenti statu unionis, quidditatibus abstractis a conditionibus materialibus continetur.

XIX. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibilibus. Cum autem sensibile non sit intelligibile in actu, praeter intellectum formaliter intelligentem, admittenda est in anima virtus activa, quae species intelligibiles a phantasmatibus abstrahat.

XX. Per has species directe universalia cognoscimus; singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmata; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

XXI. Intellectum sequitur, non praecedit, voluntas, quae necessario appetit id quod sibi praesentatur tamquam bonum ex omni parte explens appetitum, sed inter plura bona, quae iudicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit. Sequitur proinde electio iudicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

XXII. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, neque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quae facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam; videlicet, a rebus quae moventur et sui motus principium adaequatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quae aequaliter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quae secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plures et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique, ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, disposuit, et dirigit ad finem.

XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitae actualitati ipsius *esse* identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suae infinitatis in perfectione.

XXIV. Ipsa igitur puritate sui *esse,* a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum nonnisi per creationem a Deo procedere potuisse; deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitae naturae esse communicabilem; nullum denique creatum agens in esse cuiuscumque effectu influere, nisi motione accepta a prima causa[2].

314. Hae omnes theses collectae et propositae sunt post splendidam renovationem Philosophiae scholasticae-thomisticae sub LEONE XIII, qui per Litteras Encyclicas *Aeterni Patris* die 4 augusti anni 1879, philosophiam STI. THOMAE enixe commendaverat. POST LEONEM XIII, PIUS X *Motu proprio* die 29 iunii anni 1914[3] scripserat: "Nam quae in philosophia S. THOMAE sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur." Dei vero declarat longissime a THOMA "aberrare eos, qui, quae in ipsius philosophia principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant". Quo autem res clarius pateret, nonnulli diversorum Institutorum magistri sacra Studiorum Congregationi theses aliquas proposuerunt examinandas, quas ipsi, tamquam ad praecipua sancti praeceptoris principia in re praecipue metaphysica exactas tradere et propugnare consueverunt. Thesibus vero propositis examinatis, quae illae XXIV erant quas supra recensuimus, et S. Pontifici subiectis, de eiusdem Sanctitatis suae mandato respondit Congregatio, eas plene continere Sancti Doctoris principia et pronuntiata maiora. Anno vero sequenti, mortuo PIO X, sub Pontificatu BENEDICTI PAPAE XV, hoc dubium eidem Congregationi est propositum: "Utrum omnes viginti quatuor theses philosophicae germanam STI. THOMAE doctrinam revera continerent, et, in casu affirmativo, utrum imponi debeant Scholis Catholicis tenendae." Sacra vero Congregatio respondit: "Omnes illae

2 AAS 6 (1914) 384-386.
3 Ibid. 6 (1914) 337-338.

vigintiquatuor theses germanam S. THOMAE doctrinam exprimunt, eaeque proponuntur veluti tutae normae directivae"; quod responsum est modo consueto, approbante S. Pontifice, die 7 martii anni 1916 promulgatum [4].

315. Summi vero Pontifices PIUS XI et PIUS XII, postquam uberrimi fructus in reaffirmandis et sustinendis principiis scholasticis excerpti fuerunt, maxime iterum doctrinam quidem S. THOMAE commendarunt, cupientes vero honestam illam iusta in libertate aemulationem unde studia progrediuntur; PIUS vero XI sic scripsit: "Neque enim iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur" [5]. Similiter etiam PIUS XII doctrinam STI. THOMAE instantissime commendans, ait: "simulque eorum Decessorum Nostrorum monita Nostra facimus, quibus veri nominis in scientia progressum et legitima in studiis libertatem tueri voluerunt. Probamus prorsus ac commendamus... ea de quibus bonae notae Angelici Doctoris Interpretes disputare solent, libere agitari. Neque ullus privatus 'se in Ecclesia pro Magistro gerat'; nec 'quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia'; neque denique vana dissidia foveantur... Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae STI. THOMAE non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur" [6].

316. Ut ex dictis apparet huic doctrinae *De actu et potentia* maximum momentum in philosophia dandum est, ea enim plurima optime explicantur speciatim quae de motu et compositione corporum dicenda veniunt. Ex parte Thomistarum ponitur ut doctrina centralis, fundamentalis pro tota philosophia, speciatim pro philosophia christiana et pro sua parte totam doctrinam philosophicam fere ex actu et potentia deducunt, ita ut haec doctrina vere *essentia Thomismi* dici possit et dicatur. Quae omnia fere admitti possunt, si ea non ad peculiarem et systematicam doctrinam *De Actu et potentia* applicantur prout haec a Schola Thomistica proponitur. Haec systematizatio doctrinae *De actu et potentia* celeberrima evasit in Neothomismo, eaque proposita est in XXIV Thesibus supra

---

[4] Ibid. 8 (1916) 156-157.

[5] PIUS XI, Litt. Encycl. *Studiorum Ducem* die 29 junii anni 1923 datae: AAS 15 (1923) 323-324.

[6] PIUS XII, *Sermo* habitus die 24 junii anni 1939: AAS 31 (1939) 246-7.

memoratis. Circa hanc systematicam conceptionem plures quaestiones agitantur: utrum, in primis, in se vera sit; utrum, dein, eam Stus. Thomas sic tenuerit prout ab hodiernis Thomistis proponitur, et si tenuit, utrum in ea totum suum philosophicum systema construxerit; et, tandem, utrum haec doctrina unica sit qua philosophia christiana sustineri possit.

317. Haec, inter alias difficultates, in hac systematizatione inveniri solent, quae, nempe, circa *potentiam subiectivam* proponuntur. Haec potentia asseritur non esse mera negatio actus sed capacitas recipiendi actum, quae realitas positiva est; est minus ens quam actus, attamen non est nihil. Iuxta Thomistas, si quis nescit sibi efformare conceptum aliquem, sane difficilem, potentiae subiectivae, fere nihil intelliget tractatus thomistici circa potentiam et actum; defectus huius conceptus, dicitur, erroris parmenidei fuit origo, sicut et multorum errorum qui renovantur in decursu temporum; in ipsa philosophia scholastica, cum hic conceptus obscuratur, metaphysica paulatim deficit. Sic aiunt Thomistae. Alii vero, inter quos ut praecipuus SUÁREZ habendus est, iudicant inter ens participialiter sumptum et nihilum physicum nullum intermedium dari; et recte sine compositione physica inter potentiam subiectivam et actum entitativum posse distinctionem inter Deum et creaturam ostendi et teneri.

Quid de hac quaestione opinemur, modeste in sequentibus exponemus.

ARTICULUS IV

DE LIMITATIONE ACTUS

Thesis 11. Actus non limitatur solum ex receptione in potentia subiectiva.

318. Praeter ea quae initio capitis notata sunt: ROZWADOWSKI, *Limitatio actus et potentiae in doctrina Sti. Thomae*: Acta Acad. Rom. Sti Thomae Aq. 6.87-102; *De duplici limitatione actus in doctrina Sti. Thomae*: ibid. 8.209-236; GAZZANA, *Atto e potenza nelle 24 tesi Tomiste*: DivThom (Pi) (1941) p. 65-70; HELLÍN, *La limitación del acto por la potencia*: Las Ciencias 16 p. 329-365; DEZZA, *Met. generalis*.

319. Nexus. In doctrina thomistica circa potentiam et actum momentum tribuitur summum quaestioni de limitatione actus; huius enim quaestionis solutio unum est ex praecipuis fundamentis ad fulciendum systema scholae thomisticae. De hac quaestione hic breviter agendum est.

320. Status quaestionis. *a*) Actus, prout hanc notionem exposuimus, ad perfectionem reducitur, ita ut actus qua actus simpliciter cum notione perfectionis identificari possit.

b) De facto, autem, actus inveniuntur qui plurimis sunt admixti imperfectionibus, quarum fons et radix inveniri debet, ut rationem sufficientem limitationis huius habere mente possimus.

c) Tale fundamentum, si res conceptualiter sumatur, multiplex esse posset. Posset limitatio a *ratione formali intrinseca* ipsi actui provenire, ex notis quibus actus in se constituitur, quae non se extendunt ad maiorem entitatem. Posset a *ratione intrinseca radicali* provenire, ex aliquo intrinseco quod limitationem exigeret; et etiam a *ratione extrinseca efficiente,* quatenus causa efficiens actum producens hunc limitatum exsistentia poneret; et tandem, a *ratione extrinseca radicali,* quae esset fundamentum unde necessario sunt possibilia entia tantum limitata.

d) Quodsi unumquodque fundamentum examini subiiciatur, difficultates statim apparent: nam ipsa intrinseca ratio formalis actus talis esse videtur quae necessario a perfectione actus imperfectionem excludat, sicut unaquaeque essentia huius intrinsecam negationem excludit; radicalis vero intrinseca ratio ex simplicitate intrinseca ipsius rationis actus excluditur; ratio vero extrinseca efficiens numquam actum contra huius naturam producere poterit, quae limitationem excludere videtur; tandem ratio extrinseca radicalis vera non erit limitativa actus si hic intrinsece illimitatus erit.

e) Ex his apparet quaestionem tandem in prima recensita radice statui debere, nempe in examinanda ipsa intrinseca ratione actus, quo appareat utrum natura huius sit talis quae limitationem ex se patiatur an potius excludat.

321. Sententiae. Duplex est in hac re sententia, quarum prima Thomisticae scholae est, altera vero a Suarezianis praecipue defenditur.

a) *Sententia Thomistica.* 1) Si actus consideretur secundum naturam suam absolutam, non ergo secundum esse quod habet in intellectu aut in rebus singularibus, sed secundum esse quod habet de se, hoc est, secundum notas quae sunt ei essentiales, tunc dicit quidem perfectionem, et ita ut nullo modo limitem talis perfectionis dicat, limitatio enim perfectio-

nem negat: perfectio enim ratione sua tantum perfectionem dicit, et non hanc perfectionem vel illam seu perfectionem sic limitatam; secus simul negaret et diceret idem secundum idem, esset enim negatio perfectionis quatenus esset perfectio, hoc est, non esset quatenus est, quod implicat contradictionem.

2) Consequenter, limitatio actus a ratione intrinseca formali provenire non potest; ab intrinseco potius illimitationem dicit. Ratio ergo limitationis in extrinseco est invenienda.

3) Hoc extrinsecum limitans non potest esse potentia activa efficiens actum ut causa; causa enim efficiens effectum suum non producit nisi secundum essentiam effectus et illius essentiae possibilitates; nam contradictoria non possunt fieri, seu quod idem est, possibilitas extrinseca possibilitatem intrinsecam supponit: unde nec Deus potest actum limitatum producere quin ponat in ipso principium limitationis, aliud quo limitetur: sed hoc ipsa essentia actus esse non potest, ut dictum est.

4) Extrinsecum ergo limitans non est nisi potentia quidem, sed passiva, receptiva actus. Potentia haec passiva, seu subiectiva est principium limitans tantum, haec est enim eius natura, recipere actum quin ullam determinationem seu mutationem eius perfectionis causet; haec potentia, praeterea, est quid ab actu distinctum, at cum actu intrinsece unitum ita ut simul cum eo unum ens constituat limitatum.

5) Pro maiore parte Thomistarum potentia subiectiva est *unum* principium limitationis actus. Adsunt vero aliqui ut REMER, GREDT, ROZWADOWSKI qui aliud etiam principium statuunt. Sic ait REMER: "Dupliciter aliquis actus seu perfectio admisceri potentia intelligitur, vel quia scilicet recipitur in potentia subiectiva, vel quia est actus in aliquo ordine, ut dicat rationem potentiae quoad actum superioris ordinis. In prima hypothesi intelligitur eius limitatio ex ipsa capacitate potentiae, in qua velut in subiecto recipitur: potentia enim et actus sibi proportionantur. Et sic forma limitatur per materiam, et esse per essentiam in qua recipitur. In secunda etiam hypothesi intelligitur limitatio, quia revera, licet sit actus in suo ordine, tamen non est simpliciter actus, sed habet rationem potentiae respectu actus superioris ordinis" [1].

[1] REMER, *Ontologia* n.45. Cf. de hac duplicitate limitationis ROZWADOWSKI loco indicato.

6) Consequenter, actus in eo ordine in quo purus sit, eoque gradu, est etiam illimitatus et immultiplicabilis.

7) Haec doctrina sic in altera XXIV Thesium resumitur: "Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quae est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem non nisi illimitatus et unicus exsistit; ubi vero est finitus et multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem".

b) *Sententia Suareziana.* 1) Contra principium fundamentale Thomistarum tenet SUAREZ actum seipso et ex vi entitatis suae esse posse limitatum et finitum, neque indigere aliquo principio limitativo in re distincto a se ipso, sed intrinsece natura sua esse huius determinatae perfectionis per suam formalem entitatem.

2) Tenet etiam extrinsece actum limitari posse, vel a causa efficiente quia ab ea recipit tantam perfectionem et non maiorem; vel a causa exemplari, quia commensuratur tali ideae divinae repraesentanti tantam perfectionem et non maiorem.

3) Ad cuius explicationem SUAREZ duplicem limitationem distinguit: aliam metaphysicam, aliam physicam. *Limitatio metaphysica* non requirit distinctionem actualem ex natura rei inter limitans et limitatum, sed ad illam sufficit distinctio conceptuum cum aliquo fundamento in re; et hoc modo admitti potest potentiam finiri in ordine ad actum et actum e converso in ordine ad potentiam, quia est actus talis potentiae. *Limitatio* vero *physica* non necessario a potentia venit in quo actus recipitur, sed satis est ut sit receptus ab alio in tanta ac tanta perfectionis mensura, etiamsi proprie non sit receptus in aliqua passiva potentia [2].

c) *De mente Sti. Thomae* utraque schola diversimode loquitur. Nam Thomistae certo tenent in Doctore Angelico eorum doctrinam tamquam fundamentale quid doceri, etsi disputatio recenter orta sit de duplici limitationis principio, ut indicatum est: adsunt vero textus qui hunc duplicem modum dicunt [3]. Etiam schola Suareziana STUM. THOMAM pro se habet, Stus. enim Doctor etiam de limitatione a potentia extrinseca loquitur: "Actus non finitur nisi dupliciter. Uno modo ex parte agentis, sicut ex voluntate artificis recipit quantitatem et terminum pulchritudo domus. Alio modo ex parte recipientis, sicut color in lignis... secundum dispositionem... Ipse autem divinus actus non finitur ab aliquo agente quia non est ab alio, sed est a seipso;

[2] Cf. SUAREZ, DM 30 s.2 n.19; s.10 n.7-13; s.17 n.18; DM 31 s.13 n.17-18 DM 35 s.3 n.23.

[3] Cf. apud ROZWADOWSKI loco citato, ubi etiam CAIETANUS pro hac doctrina affertur.

neque finitur ex aliquo recipiente, quia... est actus purus non receptus in aliquo"[4].

322. Nos vero, ex rationibus intrinsecis in tam difficili quaestione modeste opinamur sententiam asserentem unicum modum limitationis actus esse huius receptionem in potentia subiectiva non habere sufficiens fundamentum; indeque ulterius opinamur limitationem actus etiam a causa efficiente provenire posse, cum ratio ipsa intrinseca actus id non impediat. Utraque sententia in se probabilis est et libere ab omnibus teneri et doceri potest.

323. Probatur. a) *Quoad limitationem ex potentia subiectiva.* In tantum potentia subiectiva unicus limitationis fons pro actu dicitur in quantum ipse actus ex intrinseca sua ratione omnem limitem positive excludit; atqui, non habetur sufficiens fundamentum ad hanc exclusionem tenendam; ergo neque ad asserendum solum ex potentia subiectiva actum limitari.

Ad maiorem: secus enim et ab intrinseco et a causa efficiente limes provenire posset.

Ad minorem: Ratio actus, absolute sumpta, limitem aut positive aut praecisive excludit. Si *positive* tunc absolute illimitabilis est, nam exclusio limitis positive, ad rationem absolutam actus pertinens, dabitur in omni statu in quo actus inveniri poterit, tam in statu absoluto, quam in statu logico, quam in statu reali. Nullo ergo pacto limes actui nec ab intrinseco, nec ab extrinseco activo aut passivo provenire poterit. Si autem *praecisive,* quatenus ratio actus a ratione limitis includenda aut excludenda praescindit, tunc ex se indifferens est ut realis fieri possit tam ut limitatus quam ut illimitatus; unde non repugnat ut ab intrinseco per propriam differentiam habeat limitem, aut ab extrinseco per causam efficientem.

Confirmatur: Si ratio actus ex se illimitatus est, tunc difficulter explicatur quomodo actus infinitus in potentia recipi possit; quodsi recipiatur, nondum mera susceptio limitationem implicat, nam, iuxta plures Thomistas, humanitas Christi actum exsistentiae infinitum suscipit quin talis actus limitetur.

Praeterea, tendentia thomistica admittens actum posse potentiam esse respectu superioris actus, simul admittit actum ex se limitabilem esse, cum etiam potentia esse possit, quae in suo conceptu imperfectionem implicat.

[4] S. Th., *De pot.* q.1 a.2 c.

324. b) *Explicatio positiva* limitationis: 1) *Quoad limitationem intrinsecam formalem*: actus, qui in suo conceptu abstracto a limite *praescindit*, per propriam differentiam, qua concretus redditur, est aut positive infinitus aut positive finitus: nam si actus sit a se, hoc est purus, tunc omnem rationem limitis positive excludit et est infinitus; si vero concretus fiat ad actum *participatum*, tunc inde ab ordine metaphysico est iam limitatus, sive sit spiritus purus, sive spiritus materia unitus, sive materia. Essentia uniuscuiusque harum perfectionum limitem perfectionis essentialiter imponit.

2) *Quoad limitationem intrinsecam radicalem*, ea provenit ex eo quod talis actus limitatus sit ens per participationem seu ab alio.

3) *Quoad limitationem extrinsecam*, potest provenire tam a causa efficiente, quae etiam actum limitatum producere potest iuxta naturam uniuscuiusque actus, quam a causa passiva, nam receptio actus in potentia passiva eiusque eductio, si detur, actum potentiae proportionatum supponit.

4) *Limitatio* autem *extrinseca radicalis* ex eo procedit quod actus, si non sit purus, sit imitatio quaedam essentiae divinae in tali gradu perfectionis; quae necessario est finita et limitata.

325. Obiectiones. 1. Actus in quo ordine est actus nequit limitari a se ipso; *ergo* debet limitari ab alio; *atqui* hoc aliud nequit esse nisi potentia; *ergo* actus in quo ordine est actus, non limitatur nisi per potentiam. *Probatur antecedens:* Actus de se dicit aliquam perfectionem sine limite, limitatio negat illam perfectionem esse sine limite; *atqui* si actus a seipso limitaretur, simul diceret et negaret idem secundum idem, esset enim negatio perfectionis quatenus esset perfectio, non esset quatenus est, quod est contradictorium; *ergo* actus in quo ordine est actus, nequit limitari a seipso.

Dist. ant. Actus si est actus in ordine infinito nequit limitari a seipso, *conc.;* si est in ordine finito, *nego.* Ad probationem: Actus de se dicit aliquam perfectionem praescindendo a limite, *conc.;* excludendo positive limitem, *nego. Ad min:* si limitaretur a seipso simul diceret et negaret idem secundum idem, si de se excludit positive limitem, *conc.,* si non excludit positive, *subdis.*; si limes supponeret negationem totius perfectionis, *conc.;* si tantum dicit negationem ulterioris perfectionis, *nego.*

2. Actus consideratus absolute et secundum conceptum suum plene determinatum, apparet intellectui ut nullo modo dicens limitationem, *ergo* seipso limitari non potest.

Dist. ant.: actus apparet intellectui ut nullo modo inclusive nec exclusive dicens positive limitationem, *conc.;* ut excludens positive limitationem, *nego.* Perfectio qua perfectio dicit perfectionem; hoc est,

totum quantum perfectio dicit est perfectio; non tamen ideo omnis perfectio totam quantam perfectionem in omni linea dicit, ne in sua quidem linea.

3. Quidquid est extra conceptum adaequatum alicuius rei, si ei advenit, non ex ipsa re advenit sed aliunde; *atqui* limitatio est extra conceptum adaequatum actus; *ergo* non advenit actui ex ipso actu sed aliunde.

Trans. maior. Ad min.: limitatio est extra conceptum adaequatum actus limitati, *nego;* actus illimitati, *conc.* Probe nota non posse dari actum ullum qui non sit aut finitus aut infinitus; conceptus ergo adaequatus cuiuscumque actus determinati includit aut finitudinem aut infinitudinem. Quodsi per abstractionem obtineatur conceptus actus qui nec finitus nec infinitus sit, tunc ille indifferens est ad utramque determinationem, eamque ab extrinseco, a causa efficiente, recipiet, et quidem necessario versus finitudinem; infinitus enim seipso, perfecta adaequatione conceptus, est infinitus.

CAPUT II

De aliis entis divisionibus

326. SUÁREZ, DM 28; URRÁBURU, *Ontologia.*

327. Plures aliae entis divisiones proponuntur quarum praecipuas hic colligere intendimus, ita ut in primo articulo quasdam exponamus breviores, in altero autem divisionem in ens finitum et infinitum, ut in tertio de divisione in ens creatum et increatum agamus.

ARTICULUS I

DE QUIBUSDAM ENTIS DIVISIONIBUS

328. Nexus. Divisio entis praecipua illa est qua ens dividitur in ens divinum et ens creatum, quae divisio etiam ipsam Metaphysicam in duplicem partem dividit, quarum alia de ente increato, de Deo in Theologia Naturali agit, alia de ente creato in Categoriologia. Haec vero fundamentalis divisio sub diversis aspectibus proponi potest, quorum aliquos in hoc articulo proponemus, ut in sequenti de duabus praecipuis agamus.

329. Ens dividitur in ENS A SE, quod est ens habens esse ex se ipso; illud, nempe, quod a nullo alio habet aut habere possit esse causatum. Cum vero ex se ipso habere dicitur, hoc in sensu negativo, non in positivo sumendum est, et exprimit ens a se in sua intrinseca ratione habere rationem sufficien-

tem propriae exsistentiae et perfectionis; ENS AB ALIO, est ens habens esse dependens et causatum ab alio.

330. Haec divisio desumpta est ex ratione dependentiae et independentiae entis, unde etiam ipsa plenitudo aut insufficientia entis ostenditur: per hanc independentiam manifestatur aliquomodo ipsum constitutivum Dei, quatenus excludit omnem causam, quod radicatur in actualitate pura Dei. Ex parte vero entis creati indicat dependentiam non modo quoad initium exsistentiae, sed etiam quoad ipsam constitutionem essentiae omniumque perfectionum.

331. Ens etiam dividitur in ENS NECESSARIUM, illud nempe quod ita habet esse ut nequeat eo carere, quia exsistit ex intrinseca determinatione et exigentia essentiae suae; et ENS CONTINGENS, illud ens quod ita est ut possit etiam non esse, spectata ratione suae essentiae; vel ita non est, ut possit esse seu non repugnet esse, nam quod ita non est, ut repugnet esse, non contingens sed impossibile est. Haec divisio ex parte entis contingentis maximi momenti est, quia ita apparet labilitas et mutabilitas entis creati, cuius experientiam hodierni philosophi maxime coluerunt, imo et exaggerarunt: inde enim tempus ex mutationibus, inde inclinatio irreductibilis ad mortem et exitionem, inde radix inquietudinis... [1].

332. Ens etiam dividitur in ENS PER ESSENTIAM, quod quiquid est a seipso et seipso est. A seipso, non enim causam habet, secus per participationem esset; seipso, hoc est non per formam participatam; et ENS PER PARTICIPATIONEM. Participare nihil aliud est quam ab alio partialiter accipere, vel quasi partem capere. Ens autem dicitur per participationem, vel quia est effectum ab alio a quo recipit esse vel formam aliquam non plene, sed secundum determinatum gradum et mensuram (in genere causae efficientis); vel quia coalescit causa aliqua interna seu forma seu actu, cuius receptione tale constituitur; unde fit, ut ibi distinguendum sit id *quod est*, vel tale est, ab eo *quo est*, vel tale est. Sic *homo sapiens*, cum sapientiam per participationem habeat, homo est *qui* sapiens est; sapientia vero participata, *quae* sapiens. Deus vero ipse sapiens, ipse sapientia.

Haec divisio una est ex praecipuis apud S. THOMAM, et iuxta FABRO prima et fundamentalis; maximi etiam momenti ut AUGUSTINUM interpretari possimus eiusque viam ad cognoscendum Deum:

[1] Cf. ITURRIOZ, *El hombre y su Metafisica* c.4,2 p.191ss. ubi in comparatione ad HEIDEGGER et BERGSON studium fit intrinsecae labilitatis entis contingentis.

punctum est quo augustinismus platonicus et thomismus aristotelicus coincidunt et mutuo sese complere possunt.

333. Praeterea ens dividitur in ACTUM PURUM, qui est actus qui nullam admittit potentiam passivam, sive logicam seu aptitudinem ad *esse* accipiendum, sive physicam seu capacitatem recipiendae formae vel perfectionis ulterioris, atque adeo aptitudinem ad ineundam compositionem. Non vero excludit potentiam activam; et ENS POTENTIALE, est illud quod admixtam habet potentialitatem. Actus purus, ens per se subsistens, ipsum esse, suum esse, ens per essentiam idem dicunt et sunt expressiones quibus essentia metaphysica Dei indicatur.

334. Praeterea ens dividitur in ENS SIMPLEX, quod partibus caret; et ENS COMPOSITUM, quod partibus constat sive substantialibus ex quibus unum substantiale constituitur, sive accidentalibus ex quibus unum substantiale non resultat. Ens compositum nequit esse primum sed causam habet et admixtam potentialitatem; est aliquo modo corruptibile, nec potest esse perfectissimum quid omnium.

335. Praeterea ens dividitur in ENS IMMUTABILE, quod mutationi obnoxium non est; et ENS MUTABILE, quod mutationi obnoxium est.

336. *Mutatio* est transitus entis ab uno statu in alium, vel ab uno modo se habendi in alium. Quatuor elementa distinguenda sunt in mutatione; terminus *a quo* et terminu *in quem* fit transitus; *subiectum* transiens, et formalis ipse *transitus*. Ex his patet, quidquid mutatur habet potentialitatem, partim manet partim perit et aliquid acquirit et necessario compositum est. Inde ens mutabile, compositum, potentiale, per participationem, contingens... coincidunt.

ARTICULUS II

DE DIVISIONE ENTIS IN INFINITUM ET FINITUM

337. Nexus. Haec divisio ex intrinsecis et historicis rationibus a praecedentibus seiungitur; nam et in se maioris momenti est, siquidem facilius distantia inter utrumque membrum, et plenitudo divisionis percipitur; in historia philosophiae modernae summum momentum inde habet quod fere

tota in recte explicanda hac divisione versetur: nam et alii in infinitum tendebant fere a GIORDANO BRUNO usque ad HEGEL et quosdam ex modernis vitalistis; et alii in finitismum et, etiam inter hodiernos, ad ipsum nihilismum [1].

338. LIMES (finis, terminus) sensu primitivo de quantitate dicebatur, sensu derivato et proprio de termino cuiuscumque perfectionis dicitur et est *carentia ulterioris perfectionis in ente.* Non ergo sufficit carentia ulterioris realitatis, si haec ad perfectionem talis entis non pertineat.

Formaliter duo includit: positivam realitatem et ulterioris perfectionis negationem; non est ergo conceptus mere negativus, neque proprie est privatio.

339. Limes *differt a determinatione,* haec enim ex se dicit tantum id quod constituit ens ut tale, et consequenter ut distinctum ab aliis; dicit unice quid positivum constitutivum entis, et ita potest et finitudinem et infinitudinem dicere.

Differt etiam a *differentia,* qua quidem extensio alicuius conceptus limitatur, non tamen eius perfectio, saltem necessario; sunt enim differentiae quae potius perfectionem addunt.

340. FINITUDO sensu abstracto est id quo ens concipitur habere limitem; est quid mere negativum, nullum concretum significat, nam ab omni limite tali vel tali praescindit, nec ulla est secundum se realitas, sed forma abstracta qua negatur in ente aliquo perfectio alterius vel exsistens vel possibilis.

341. FINITUM est id quod caret ulteriore perfectione; etiam dici potest: id quo maius cogitari potest in sua linea. Hic conceptus directe ab experientia desumitur, nam in rebus mundanis realitatem positivam experimur, qua percepta finitum attingimus materialiter; sed tunc formaliter, quando in realitate simul etiam eius limitem, negationem ulterioris realitatis in illa linea, percipimus; limes enim, in concreto, est id ultra quod nihil datur quod ad ens illud pertineat, ultimum rei positivum connotans negationem ulterioris positivi in ipsa re. Haec negatio dici potest formalitas finitudinis.

342. Hinc conceptus finiti concretus partim est positivus, dicit enim ens concretum, actuale vel potentiale, quod in se vel in alio subsistit; partim est negativus, quatenus limitem, seu negationem ulterioris perfectionis dicit.

[1] Cf. ITURRIOZ, *Lo finito y la nada.* Actas del primer Congreso Nacional de Filosofía (Mendoza) p.792ss.

343. Circa *efformationem conceptus finiti* haec erronea in historia dicta sunt. Iuxta PLATONEM cognitio finiti praesupponit contemplationem infiniti seu ideae, cuius participatio finita est quaecumque in realitate a nobis inveniatur perfectio. CARTESIUS, ut ex interna cognitione Deum demonstraret, asseruit nos in nobis aliquo modo ideam infiniti potius quam finiti habere. *Ontologistae* tenuerunt immediatam et intuitivam cognitionem essentiae divinae essentialem esse humanae rationi, et in essentia divina sic cognita, tamquam in medio in quo, nos videre reliqua quae sunt extra Deum. Iuxta hos ergo praesupposita cognitione infiniti, per negationem perfectionis infinitae, devenimus ad cognitionem finiti.

344. INFINITUM, vi vocis, est id quod finem seu limitem non habet. Infinitum potest esse *ex parte materiae,* in quantum materia, ante receptionem determinatae formae, apta est ad recipiendam quamcumque formam; valet idem ac indeterminatum; *ex parte formae,* in quantum forma, ante informationem materiae, apta est recipi in indefinitis subiectis [2].

345. Infinitum potest etiam sumi *privative* quod finem non habet sed natum est habere. Tale est infinitum ex parte materiae; *negative,* quod finem non habet nec natum est habere. Ad hoc reducitur infinitum ex parte formae [3].

In divisione entis quam nunc explicamus infinitum sumitur negative, finitum vero quatenus huic opponitur. Et in reliquis de hoc infinito agemus.

346. *Infinitum,* quoad conceptum, etsi negativus in expressione, est positivus. Obiectum materiale conceptus est simpliciter positivus, nempe quoad id quod dicit; elementum vero formale nostri conceptus est positivo-negativus, nempe quoad modum quo eum nos exprimimus; positivus, qua dicit perfectionem; negativus quatenus negat in ea limitem. Aliquo sensu dici potest hunc conceptum in sua formalitate infinitatis esse negativum, quatenus, in sua formali expressione, id quo infinitum qua infinitum constituitur, est aliquid negativum, nempe exclusio limitis. Simpliciter autem conceptus infiniti est positivus continens perfectionem inexhauribilem, undequaque perfectam.

347. *Infinitum* (negative sumptum potest esse *simpliciter tale,* est idem quod infinitum in essentia, continens in se

[2] Cf. S. TH., 1 q.7 a.1 c.
[3] Cf. S. TH., 1 Dist. 43 q.1 a.1 c.

omnem possibilem perfectionem in tota latitudine entis, quin ullo generi determinato coërceatur; caret ergo limite in omni linea, est omniperfectum, et actu habet tantam perfectionem ut non possit aequari ab ulla perfectione mensurata determinati gradus, licet indefinite multiplicetur et augeatur; *secundum quid* est illud quod tantum in aliqua peculiari ratione vel genere limite caret.

348. *Infinitum secundum quid* potest esse *categorematicum, in actu,* est quod infinitatem actu positam habere concipitur (sive de facto exsistere possit sive non): solet applicari ad rationes magnitudinis, multitudinis; *syncategorematicum seu in potentia,* est idem ac *indefinitum,* est illud quod actu finitum est, augeri tamen successive sine fine potest, quin umquam ad actualem infinitudinem perveniat. Exprimi solet: non tot quin plura.

349. Infinitum simpliciter tale concipitur constare triplici infinitate:

a) Infinitate *extensiva,* quatenus est possessio perfecta omnium et singularium perfectionum possibilium in omni linea entis.

b) Infinitate *intensiva,* quatenus implicat summum gradum perfectionis in perfectionibus possessis.

c) Infinitate *radicali,* quatenus unaquaeque perfectio exigit infinitatem tum extensivam tum intensivam.

350. Notio infiniti non est confundenda cum notione:

a) *perfecti,* quod, in sensu reali omne illud dicit cui nihil deest eorum quae ipsi debentur.

b) *totius,* nempe universalitatis rerum, nam totum hoc sensu dicit id extra quod nihil est, et implicat compositionem ex partibus et exclusionem cuiuslibet alterius entis. ARISTOTELES quidem hoc notavit dicens: "non enim cuius nihil extra est, sed cuius semper aliquid extra est, id infinitum est" [4].

c) *indeterminati,* quod etiam aliquomodo limitem negat, sed quatenus maximam potentialitatem implicat; infinitum vero est ens maxime determinatum et excludens omnem potentialitatem.

d) *indefiniti,* quod potentiam dicit, quae numquam potest ad plenum actum transire; infinitum vero plenissimam actualitatem dicit.

351. *Proprietates infiniti: a)* Infinitum nequit resultare ex additione finita, nec reddi finitum ex finita detractione;

[4] *Phys.* 3,6; 207 a.1.

unde differentia finiti et infiniti non potest esse aliquid finitum, nec ulla proportio adaequata inter finitum et infinitum dari potest.

b) Infinitum altero infinito maius dari nequit ea ratione qua infinitum est, neque potest augeri aut minui, nec ulla ex parte terminari.

c) Si infinitum divisibile daretur, divideretur sine ullo fine in infinita, et qualibet pars esset tanta quanta est totum, unde et ipsa in infinitum esset divisibilis [5].

ARTICULUS III

De ente creato et increato

352. S. Th., *De ente et essentia; Comm. in Libros Metaph.; Comm. in De Trinitate Boëthii;* Caietanus, *Comm. in oposculum De ente et essentia;* Suarez, DM 31; Ioannes a Sto. Thoma, *Phil. nat.* q.7 a.4; N. del Prado, *De veritate fundamentali philosophiae christianae;* Manser, *La esencia del tomismo;* Fuetscher, *Acto y potencia;* Martínez del Campo, *Doctrina Sti. Thomae de actu et potentia et de concursu;* Piccirelli, *Disquisitio... de distinctione actuata inter essentiam existentiamque;* Limbourg, *De esse et essentia;* A. M. Goichon, *La distinction recite de l'éssence et de l'existence d'après Ibn Sina* (Avicenne), (Paris 1937); E. Gilson, *L'être et l'essence* (Paris 1948); Hellín, *Sobre el ser esencial y existencial en el ser creado (desde el punto de vista suareciano)*: Congreso internacional de Filosofía de Barcelona, *Actas* p.519-561; Garrigou-Lagrange, *La distinction réelle et le Pantheisme*: RevThom (1938); A. de Poulpiquet, *Le point central de la controverse sur la distinction de l'essence et de l'existence:* RevNéoscol (1906); Card. Mercier, *Métaphysique générale.*

Thesis 12. Ut ens creatum et finitum qua tale constituatur requiritur et sufficit distinctio rationis ratiocinatae inter eius essentiam et exsistentiam. Caeterum, harum distinctio realis in ente creato actuali non videtur admittenda.

353. Nexus. Divisio entis in increatum et creatum fere coincidit cum aliquibus aliis prius expositis, nisi forte, propter faciliorem cognitionem, quasi macroscopicam, huius divisionis, aliquo sensu praeferenda sit. Quoniam vero hoc loco Metaphysica in duas partes secernitur, quarum alia de ente increato, alia de ente creato aget, maximi momenti est iam nunc differentiam formalem statuere, qua, proprie et formaliter, ens creatum ab increato differat, praeterquam quod ipsa haec distinctio in se maximi

[5] Quoad historiam notionis infiniti conferas, si placet, Descoqs, *Prael. Theol. Nat.* 2 p.600-622, ubi praecipuis collectis, copiosa additur bibliographia.

momenti metaphysici dicenda est, cum sic penitus naturam horum entium cognoscamus.

354. Notiones. Ens dividitur in *ens increatum,* quod exsistentiam a se, seu a nullo alio receptam, habet; et *ens creatum,* quod exsistentiam ab alio habet. Creatio autem est productio rei ex nihilo sui et subiecti.

Ens creatum dupliciter intelligi potest, prout sit membrum divisionis entis aut participialiter aut nominaliter sumpti. Nam si ens intelligatur participialiter, tunc ens creatum dicitur quod ita de facto exsistit quod exsistentiam ab alio habeat. Quod si nominaliter, tunc significat ens aptum ad exsistendum per exsistentiam datam ab alio. Praeterea probe nota, *creatum* hic tam de creatione inmediata quam de mediata intelligi posse.

355. Status quaestionis. *a)* Inter divisiones entis articulo secundo propositas videtur ad usum ordinarium divisio entis in creatum et increatum, sive in infinitum et finitum esse praeferenda, utpote quae prior est, et entis quidditati vicinior, et ad doctrinam metaphysicam aptior; sic praeterea maxima distantia inter membra divisa clare, eaque terminis immediate perspicuis, proponitur.

b) Quaestio vero nunc oritur circa rationem intrinsecam talis divisionis, quidnam nempe illud sit, quo unumquodque membrum ut tale constituitur, et quo primo formaliter ab altero membro distinguitur. Hoc vero loco, relicta quaestione de essentia metaphysica Dei ad Theologiam Naturalem, tantum de ente finito seu creato agemus, etsi implicite quaedam etiam de ipso Deo clarefiant.

c) Quaerimus proinde, in primis, quodnam illud sit quo primo ens in ordine entis finiti et creati constituitur, et consequenter quo primo ab ente infinito et increato distinguitur.

d) Cum vero inter auctores, qui hanc statuunt quaestionem, illa fundamentalis coincidentia detur ad eam solvendam, quod tandem ratio ultima entis finiti et infiniti horumque distinctionis in peculiari habitudine inter essentiam et exsistentiam consistat, inde ulterior quaestio, minoris quidem momenti (supposita solutione primae quaestionis), suboritur, eaque acerrime per saecula usque ad nostros ipsos dies disputata, ideoque accurate proponenda, eo vel magis quod ex utraque parte alteri obiiciatur ignorantia elenchi aut petitio principii.

e) Ea est quaestio de distinctione inter essentiam et exsistentiam in ente creato, quae sic proponi potest: Circa quod-

cumque ens creatum realiter exsistens duplex haec quaestio statui potest: *Quid sit,* cui respondetur dicendo quid illud sit, seu per *quidditatem; An sit,* cui respondetur affirmando vel negando eius exsistentiam. Ita, quodcumque ens creatum realiter exsistens habet et propriam essentiam realem et propriam exsistentiam realem; imo, tam de essentia quam de exsistentia proprium conceptum efformare possumus, qui mentaliter a conceptu alterius distinguitur. Nunc ergo quaestio: Quodnam est fundamentum huius distinctionis conceptum? Estne una unica realitas quae duplici conceptui correspondet, an, e contra, unicuique conceptui propria realitas a realitate alterius conceptus realiter distincta correspondet?

f) Hoc tandem ultimo notandum: ante quaestionem omnes in his coincidunt: 1) In Deo nullam distinctionem perfectam, nec rationis, inter essentiam et exsistentiam vigere; 2) in creaturis essentiam idealem et abstracte consideratam —seu potentiam obiectivam—tam ab essentia actuali quam ab huius exsistentia realiter (distinctione reali mixta) distingui; 3) essentiam actualem ratione saltem ab exsistentia differre; in hoc tertio non tanta est concordia, excipiuntur enim ARRIAGA, LUGO, OVIEDO.

g) His dictis, inde ab initio notandum est, intra scholam, etiam hoc in loco acerrime et gravissime disputato, differentiam fundamentalem non esse; cum omnes tandem in eodem sensu differentiam inter Deum et creaturam statuant, etsi dein in fundamento differentiae accuratius expendendo differant.

356. Sententiae. Duplex est hac in re famosissima sententia. A. *Sententia Thomistarum. a)* Fundamentum huius sententiae est doctrina Thomistica de limitatione actus per potentiam. Actus non receptus est illimitatus, et sic Deus, actus purus, infinitus est et omniperfectus. Quo autem actus limitatus sit, necessario debet admixtus cum potentialitate esse, ita ut propter receptionem in potentia actus limitem experiri possit. Proinde, omne ens finitum tamquam ex intrinsecis principiis constat actu et potentia.

b) Potentia, vero, in qua actu recipitur et qua ens finitum intrinsece componitur, est *potentia subiectiva,* quae etiam dicitur "potentia receptibilitatis": vocatur *subiectiva,* quia est *subiectum* reale capax recipiendi aliquam perfectionem, et qua talis opponitur potentiae obiectivae, quae est rei non exsisten-

tis capacitas ad exsistendum, mera possibilitas logica quae non est extra mentem. Haec potentia subiectiva potest diversis modis esse subiectum, aut tamquam ens completum in sua perfectione essentiali sed quod possit aliam perfectionem sibi non essentialem accipere, et tunc *non* est *pura potentia;* aut tamquam ens incompletum nempe ut principium passivum substantiale quod non exsistit realiter nisi quatenus ab actu quodam substantiali determinatur: quatenus concipitur ut nullum actum habens, dicitur *pura potentia.* Potentia subiectiva est quidem realitas positiva, media inter purum non ens et ens in actu; est minus ens quam actus, non enim dicitur ens, nisi secundum ordinem ad actum; est tamen realitas positiva quae actu esse potest non tamen per se, sed quatenus principium determinabilitatis alicuius entis actu. "Ens enim in potentia est quasi medium inter purum non ens et ens in actu" [1].

c) Ergo in omni ente finito, mutabili, simul cum actu quo aliquid est, datur potentia quaedam realis qua est mutabile; aliis verbis, in ente quod est actu sed mutabile adest aliqua realitas quae ex seipsa nullum actum dicit sed facit ens esse realiter capax alicuius actus recipiendi. Quodsi potentia realis negetur, et realis mutatio videtur logice neganda, cum nihil remaneat in ente, unde sit intrinsece determinabile et mutabile.

d) Haec quae abstracte de actu et potentia dicuntur, concrete ad ens creatum ita applicantur ut actus sit exsistentia; potentia vero subiectiva, essentia.

e) *Exsistentia* a Thomistis concipitur tamquam actus essentiae, ultima actualitas omnis formae. Exsistentia est actus qui non potest ad ulteriorem ordinari, neque enim supra exsistentiam addi nova perfectio, quae non sit aliqua exsistentia, nec concipi potest aliquod esse actuale quod non sit exsistentiae. Nihil ergo est exsistentia actualius, ac merito dicitur exsistentia ultima actualitas omnis formae. *Esse* est inter omnia perfectissimum, etenim secundum hoc aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo habent esse. Esse non determinatur per aliud sicut potentia per actum, sed sicut actus per potentiam. Est ergo actus omnium actuum, et quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest. Quo fit, ut si haec perfectio qua talis inveniatur actu et per se exsistere, iam habeatur ipsum *esse per se subsistens,* quod eo ipso est perfectissimum, hoc est, ipse Deus. Contra vero, si hoc esse non in-

[1] S. Th., *In I Phys.* lect. 9.

veniatur ut tale, seu non sit ut ipsum subsistens, tunc non erit ut *id quod* est seu subsistit, sed potius *id quo* aliquid est, in quantum recipitur in potentia subiectiva.

f) *Essentia* vero concipitur secundum quod per eam et in ea res habet esse; enti ergo competit esse secundum essentiam; atque adeo, hoc vel illud esse ei competit quia hanc vel illam essentiam habet. Essentia de se non est nisi modus essendi; in sua realitate tota refertur ad esse, propterea simul cum eo est, et cum eo intime unitur ita ut non possit proprie abstrahi. Essentia, ergo, concipitur ut receptaculum in quo actus essendi realiter recipitur: est aliquid potentiale, physicum, reale; quid adhuc incompletum in ordine entis, indigens adhuc perfectione ut constituatur in ratione entis completi exsistentis. In ordine quidem essentiae aut naturae quid realiter completum est, fortasse etiam componitur ex materia et forma (ut potentia et actu), et, in hoc sensu, non est pura potentia subiectiva; sed tamen, in ordine ad actum entitativum nondum est nisi potentia, ut sit totum illud ens quod est vel esse potest in rerum natura.

g) Ex unione essentiae cum esse resultat totum ens completum; quo tamen non dicitur resultare tertium compositum. Essentia enim et esse non sunt duo entia *ut quae,* essentia non *est,* nec esse *est,* sed *ens est.* Essentia et esse sunt *quibus* ens est: nec concipi potest essentia realis, quin ad esse realiter referatur, nec potest concipi esse limitatum nisi exsistens in quadam essentia.

h) Propositae ergo quaestioni sententia Thomistica respondet, ideo primo ens finitum et creatum ut tale constitui, quia componitur realiter ex actu et potentia, hoc est ex esse et essentia; inde esse et essentia realiter inter se distinguuntur.

i) Notandus est inter moderniores Thomistas duplex modus sententiam interpretandi, cum compositum ex esse et essentia in analysim deducitur. 1) Inter nihilum et exsistentiam datur quid medium, nempe ipsa essentia, quae se ipsa quodam modo est realis et subiectiva potentia, habens esse inchoatum, potentiale, viale, non vero exsistens. Sic GOUDIN, IOANNES a STO. THOMA, LIBERATORE et POULPIQUET et plures alii qui ducem CAIETANUM habent. 2) Inter nihilum et exsistentiam nihil intermedium datur, sed ipsa essentia ex se quidem est potentia, sed quod sit realis, realiter passiva et subiectiva ab actus exsistentiae recipit simul ac ipsam exsistentiam. Inter

antiquiores pro hac sententia FERRARIENSIS citatur, inter moderniores dux est CARD. MERCIER.

357. Haec sententia, in lineamentis generalibus proposita, communis est inter omnes Thomistas. Ex historico examine tam scriptorum ipsius STI. THOMAE, quam totius traditionis immediate subsequentis, affirmandum videtur STUM. THOMAM re vera distinctionem realem inter essentiam et exsistentiam tenuisse, etsi in eius scriptis expressiones validae et non tam rarae inveniuntur quae dubium fundatum suscitare possunt. In Schola Dominicana sententia haec constans est omni tempore, paucis in saeculo XIV-XVI exceptis, etsi interdum magni nominis, ut HERVAEUS NATALIS, et in temporibus recentioribus CARD. LEPIDI. Hanc sententiam tenent etiam omnes alii Thomistae, speciatim Neothomistae, ad quos pertinent plures ex Societate Iesu ut LIBERATORE, CORNOLDI, DE MARIA, MATTIUSI, DE SAN, BILLOT, REMER, GENY, ARNOU, DEZZA... Etiam Carmelitani hanc doctrinam tenent et plurimi ex aliis Ordinibus, ex clero saeculari, et etiam laici ut MARITAIN, GONZALEZ ALVAREZ etc.

Non tam constans est sententia Thomistica de valore huius realis distinctionis. Temporibus recentioribus proposuit N. DEL PRADO distinctionem realem inter essentiam et exsistentiam ut fundamentalem in philosophia christiana, a quo non longe abest etiam P. MANSER, quod quidem suo tempore AEGIDIUS ROMANUS affirmaverat: "Ergo non ponentes compositionem ex essentia et esse poterunt fugere vel cavillare, sed numquam vere salvare poterunt, quomodo omnis creatura sit mutabilis vel factibilis, et quomodo per creationem accipit esse et quomodo potest annihilari et desinere esse"[2], et similem sententiam, relate ad philosophiam tantum et metaphysicam, protulerant BARDENHEWER, DENIFLE, DE MARIA, LIBERATORE, S. MAURUS, SONCINAS et CAIETANUS.

Pro investigationibus circa traditionem de distinctione reali inter essentiam et exsistentiam invaluit recentissimis temporibus *methodus historica*, in qua instituenda et perficienda clarissimi evaserunt CHOSSAT, MANDONNET, GRABMANN, PELSTER, GILSON aliis non exceptis[3].

---

[2] AEGIDIUS ROMANUS, *Theorctama de esse et essentia.*

[3] Breves conspectus historicos huius quaestiones videre poteris apud: DE RAEYMAEKER, *Metaphysica generalis.* T. II *Notae historicae,* c.6; ubi ad calcem accuratissimam et uberrimam bibliographiam invenies; ROLAND-GOSSELIN, *Le 'De ente et essentia'.* La distinction réelle entre l'essence et l'être; MANSER, *La esencia del tomismo* p.536-609.

358. *B. Sententia Suarezianorum,* sic dicta, non quia unici sint Suareziani qui eam teneant, sed quia SUÁREZ est eius praecipuus fautor.

a) Nomine *exsistentiae* intelligitur illud quo res habet ut sit aliquid actu seu actualis entitas distincta ab ente quod tantum est in potentia obiectiva, actu vero non est, seu nihil est. In hac sententia exsistentia explicatur, proinde, tamquam illud quo unaquaeque res formaliter habet ut sit actualis entitas in rerum natura et extra nihil seu extra causas; res quae actu est extra nihil et extra causas, hoc ipso intelligitur exsistens. Si fortasse datur aliqua conditio vel terminus aut modus necessarius ut talis essentia actualis exsistat, illa non est nec vocatur exsistentia.

b) Exsistentia est quidem actualitas vel actus rei, quae respectu illius est in potentia; sed haec potentia intelligitur in hac sententia *potentia obiectiva.* Nulla est proprie potentia realis receptiva aut susceptiva respectu propriae exsistentiae, sed tantum obiectiva.

c) *Essentia* concipitur ut id quo aliquid in se constituitur et ab omni alio distinguitur, ideoque id quo aliquid in determinato gradu perfectionis sistit aut sistere concipitur. Quae essentia, dum adhuc ut possibilis, non realis nec exsistens, intelligitur, est potentia obiectiva, simplex aptitudo ad exsistendum; sed in suo ordine possibilitatis dicit determinate gradum perfectionis quem illa essentia, si exsistat, in ordine reali habebit. Cum autem iam facta est realis et actualis in rerum natura, extra nihil et extra suas causas; cum ergo primo intelligitur exire ex illa potentia in actum et desinere esse nihil, tunc intelligitur actu exsistens, et in ordine entis non ulterius est complenda. Imo, esse est ultimus actus et ultima actualitas respectu praedicatorum essentialium, in quantum esse ad haec ut actus ad potentiam metaphysicam comparatur, quae in actu per illum constituitur, et est id quod, nostro modo intelligendi, ultimo essentiae advenit pro constituenda intrinseca et actuali entitate rei, etsi potius rationem primi quam ultimi actus habeat.

d) Unde talis actus non intelligitur componere cum essentia, neque in ea recipi ut in potentia subiectiva seu passiva. Essentia, tamen, etsi in se exsistentiam proprie et realiter non recipiat, eam tamen ab alio recipere absoluta necessitate debet, in semetipsa enim rationem sufficientem propriae exsisten-

tiae non habet. Causa vero hunc transitum essentiae a potentia obiectiva ad exsistentiam efficiens non poterit non essentiam in proprio huius gradu perfectionis constituere, ideoque in gradu perfectionis limitatae, sine ullo addito. Essentia ergo ab alio exsistentiam recipere debens, ut de facto et realiter exsistat, eo ipso iam formaliter limitata est.

e) Quodsi essentia in semetipsa plenam suae exsistentiae rationem habeat, ita ut ipsum esse per se subsistens sit, cui absolute status potentiae obiectivae repugnet, sed per propriam essentiam semper et indeficienter actualissima et praesentissima sit, haec essentia, eo ipso formaliter, perfectissima est et infinita, totum quod de ratione entis est exhibens, huiusque totam amplitudinem perfectissimo, purissimo et simplicissimo actu complectens.

f) Inde tandem deducitur identitas realis inter essentiam realem creatam eiusque exsistentiam.

g) Iuxta hanc ergo sententiam, radix ultima finitudinis et necessitatis creationis in eo est, quod essentia in sua intrinseca et absoluta ratione exsistentiam eiusque rationem sufficientem in se non habeat, sed aliunde sortiri debeat. Radix huius intrinsecae limitationis essentiarum tandem in eo ponitur, quod ultimatim impossibilis sit imitatio infinita essentiae divinae; cum autem limitationes finitae essentiae divinae indefinitae sint, ex eadem ratione et finitudo et multiplicabilitas entium habetur.

359. *Identitatem realem* inter essentiam et exsistentiam tenuerunt HENRICUS GANDAVENSIS, W. OCKAM, P. AUREOLUS, GABRIEL BIEL, DURANDUS et alii. SCOTUS interdum anceps videtur, et aliquando etiam expresse tenuit identitatem realem; ad summum vero solam distinctionem ex natura rei admittit. Praecipue P. SUÁREZ et post eum plurimi praesertim a Societate. Inter defensores huius sententiae pauci sunt qui eam tenuisse STUM. THOMAM negent, plurimi qui dubitent, aliqui qui positive STUM. THOMAM tenuisse affirment, inter quos praecipuus inter recentiores P. CHOSSAT est; qui sine dubio textus STI. THOMAE exhibent qui clare Stum. Doctorem pro hac sententia loquentem inducunt.

360. Cum sententia thomistica totum fundamentum in doctrina de limitatione *unica* actus per potentiam fundetur, et ex hac conceptione notionem exsistentiae praebeat complica-

tiorem, quae generali et depurato conceptui qui a lexicographis ostenditur non bene confirmari videtur, inclinamur sententiae tenenti rationem ultimam finitudinis entis in eo esse quod essentia iam in statu possibilitatis exsistentiam actualem non includat etsi ordinem ad ipsam dicat; admittimus quidem distinctionem rationis ratiocinatae inter essentiam et exsistentiam, non tamen realem, cum ad hanc asserendam fundamentum desit. Caeterum cum DOMINICO SOTO "id solum addiderim, quod non est res tanti momenti hanc distinctionem aut concedere aut negare: dummodo non negetur differentia inter nos et Deum, quod esse sit de essentia Dei et non sit de essentia creaturae" [4]. Maneat tandem utramque sententiam esse probabilem, et libere teneri posse.

361. Probatur *thesis per partes. Prima pars: Ut ens creatum et finitum qua tale constituatur requiritur et sufficit distinctio rationis ratiocinatae inter eius essentiam et exsistentiam.*

a) *Requiritur.* Ens in cuius essentiae ratione intrinseca ipsa exsistentia realis involvitur, est ens infinitum et increatum. Ut ergo ens qua finitum et creatum constituatur requiritur distinctio rationis inter eius essentiam et exsistentiam.

Antecedens. Tale enim ens esset a se, subsistens per se, in se plenitudinem essendi habens. Caeterum huius argumenti probatio ad Theodicaeam pertinet, nec hic necessaria est quia in eo omnes coincidunt.

b) *Sufficit.* Eo ipso quod exsistentia actualis non includatur in ratione intrinseca et metaphysica alicuius essentiae, ens necessario finitum est, et per creationem, hoc est, ab alio debet exsistentiam sortiri realem; *ergo* sola distinctio rationis sufficit.

Antecedens. Nam haec distinctio essentialem imperfectionem in essentia ponit, potentialitatem nempe, qua essentia potens est exsistentiam habere et non habere, inde ponitur contingentia et indifferentia ad exsistendum, consequenter etiam dependentia in exsistendo, cum exsistentiam ab alio recipere debeat, et tandem necessitas creationis (mediatae aut immediatae), imo et conservationis qua essentia, exsistentiam sortita, in ea continuare possit.

Ens *ergo* hac intrinseca imperfectione in ordine metaphy-

---

[4] SOTO, *In dialecticam Aristotelis,* De substantia q.1.

sico constitutum, si actuale et reale fiat, necessario, absoluta necessitate, finitum erit.

362. *Altera pars: earum distinctio realis in ente creato actuali non videtur admittenda. a*) Non est adstruenda distinctio realis ubi nulla adest ratio obiectiva; *atqui* pro statuenda distinctione reali inter essentiam actualem entis creati et exsistentiam nulla adest ratio; *ergo* non est admittenda distinctio realis inter eas.

Maior: evidens est, et ut talis admittitur. Nota praeterea, asserentis et adstruentis distinctionem realem esse eam demonstrare, siquidem entia multiplicat, quae sine necessitate multiplicanda non sunt.

Minor: Nulla ratio datur *a posteriori*, non enim datur separabilitas realis, in quo omnes conveniunt; nec minus realis productio unius ab alia. Nec ulla videtur a priori haberi: ratio enim talis esset 1) necessitas distinctionem inter Deum et creaturas statuendi; sed ex prima parte constat ex sola distinctione rationis distantiam infinitam inter Deum et creaturam assignari; aut 2) relatio realis inter essentiam et exsistentiam tamquam inter potentiam subiectivam et actum entitativum; iam vero, ratio tota talem relationem statuendi est illa iam exposita limitatio actus per potentiam; praescindendo etiam a natura, difficulter explicabili, purae potentiae subiectivae, actus, seu perfectio, non solum ex receptione reali in potentia subiectiva limitatur; sed sua propria natura talis actus potest et actus et limitatus esse, ut ostendimus; aut 3) ex oppositione conceptuum essentiae et exsistentiae aut ex eorum distinctione adaequata; sed talis oppositio tantum inter conceptus secundae intentionis datur, non inter conceptus primae intentionis; et essentia et exsistentia non maiorem habent inter se distinctionem quam animalitas et rationalitas quae realiter identificantur; nec ratio probativa datur cur sola distinctio conceptuum, etiam adaequata, sit ratio sufficiens ad distinctionem etiam realem asserendam; aut 4) proprietates exsistentiae quae essentiae convenire non possunt; quae, ut ex argumento sequenti apparebit, non dantur si exsistentia et essentia in eodem ordine sumantur.

b) Essentia actualis, eo ipso formaliter quod physica et realis sit, habet omnia quae per exsistentiam praestari debent; *ergo* eo ipso est iam exsistens.

Consequentia patet, effectus enim formales exsistentiae

haberi non possunt quin ipsa ratio formalis exsistentiae detur. Supervacaneum omnino esset et inordinatum novum ens cuius esset praestare quae antecedenter habentur.

Antecedens. Essentia physica et realis, eo ipso quod physica et realis est, distinguitur iam a possibili et obiectiva potentia; non est aeterna, necessaria, increata, sed contingens destructibilis; habet in ordine rerum totam illam perfectionem realem quae ipsi natura sua competit, est enim aliquid in se, extra nihilum, extra causas et extra conceptum mentis. Omnia ergo praedicata quae essentiae propter exsistentiam in ea receptam venire dicuntur, ea omnia solum eo quod essentia sit realis et physica habentur.

363. Obiectiones. 1. Exsistentia non recepta in essentia nihil habet sibi coniunctum praeter suum esse. Sed omnis exsistentia creata habet aliquid sibi adiunctum praeter suum esse ut accidentia; *ergo* est realiter recepta. *Probatur maior:* Non potest aliquid concipi adiungi exsistentiae, nisi vel quia recipitur in illa vel quia recipitur cum illa in subiecto; *atqui* nihil potest recipi in existentia cum sit ultima actualitas rei, nec recipi cum illa in aliquo tertio subiecto si exsistentia sit irrecepta; *ergo.*

Dist. mai. Si sit exsistentia increata et a se, *conc.;* si sit creata et ab alio, *nego.* Ad probationem *conc. mai.,* sed *nego min.,* cuius rationem, *dist.*: exsistentia est ultima actualitas rei metaphysice et secundum nostrum modum concipiendi, *conc.;* physice et secundum realitatem, *nego.*

2. Omne esse realiter irreceptum est infinitum simpliciter. Sed nullum esse creatum potest esse realiter irreceptum; *ergo* esse creatum exsistentiae est realiter receptum, et quidem in natura vel essentia quam actuat et facit exsistere.

Dist. ant. Omne esse realiter irreceptum ab alio est infinitum, *conc.;* irreceptum in alio *subdist,* tamquam in potentia physica et re distincta, *nego;* tamquam in potentia metaphysica sola ratione distincta, *conc.*

3. Quod participat vel recipit distinctum esse debet ab eo quod participatur vel recipitur; *atqui* essentia creata participat vel recipit esse; *ergo* realiter distinguitur.

Dist. mai. Quod realiter participat distinguitur realiter ab eo quod realiter participatur, *conc.;* quod tantum concipitur participare distinguitur realiter ab eo quod concipitur participari, *nego.*

4. Nisi essentia realiter participaret exsistentiam exsisteret per essentiam suam; *atqui* solus Deus est per essentiam suam; *ergo* realiter participat.

Dist. mai.: Exsisteret per essentiam suam, hoc est per exigentiam essentiae etiam in ordine absoluto secum exsistentiam identificantis, *nego;* per essentiam suam, hoc est per realitatem physicam propriam cui nulla nova alia esset addenda, *conc.* Et *contradist. min.*

5. Id quod convenit naturae specificae absque omni causa effec-

tiva, distinguitur realiter ab eo quod convenit illi per aliquam causam effectivam. Sed praedicata quidditativa conveniunt rei absque omni causa effectiva, exsistentia autem non nisi per aliquod efficiens; *ergo* praedicata quidditativa et exsistentia distinguuntur realiter.

Conc. mai., dist. min. Praedicata quidditativa absolute considerata conveniunt rei absolutae consideratae absque omni causa effectiva, *conc.;* praedicata quidditativa conveniunt rei physicae absque omni causa effectiva, *nego.*

6. Nihil est indifferens et in potentia ad seipsum; *atqui* essentia creata est indifferens et in potentia ad exsistendum; *ergo.*

Dist. mai.: nihil est indifferens ad seipsum indifferentia logica, *nego;* indifferentia physica et reali, *conc.;* pariter, nihil est in potentia metaphysica ad seipsum *nego,* in potentia physica, *conc.*

7. Esse entis finiti est actus limitatus et multiplicatus; *atqui* actus non limitatur et non multiplicatur nisi per potentiam; *ergo* esse entis finiti est actus limitatus et multiplicatus per eius potentiam quae est essentia; *atqui* actus et potentia in ordine reali realiter distinguuntur; *ergo* esse et essentia in entibus finitis realiter distinguuntur.

Conc. mai., nego min. Hoc argumento apparet fundamentum distinctionis realis thomisticae residere in doctrina de limitatione actus per potentiam subiectivam.

8. Nulla exsistentia creata est actus purus; *atqui* si exsistentia ab essentia actuali non distinguitur, erit actus purus; *ergo* omnis exsistentia creata ab essentia actuali discriminatur.

Conc. mai., nego min. Hoc argumentum a P. HUGON propositum, sic introducitur ab eo: "Ratio fundamentalis quae caeteras amplectitur et ad quam caeterae reduci possunt in hoc reponitur".

9. Si esse entis finiti esset idem realiter cum essentia, deberet inveniri in eiusdem definitione; *atqui* in definitione entis finiti numquam invenitur esse; *ergo* esse entis finiti distinguitur realiter ab essentia.

Dist. mai.: deberet inveniri in definitione inadaequata, *nego;* in definitione adaequata, *subdist.:* in definitione essentiae finitae consideratae in ordine absoluto, *nego;* in ordine physico, *conc. Contradist. minorem.*

ARTICULUS IV

DE RATIONE ULTIMA ENTIS FINITI

Thesis 13. Possibilitas entis finiti proxime fundatur in ipsis essentiis rerum, remote et ultimo in essentia divina.

364. S. TH., *Com. in De hebdomadibus Boëthii;* 3 *C. Gentes* c.20,97; 4 c.1; S. AUGUSTINUS, *Confessiones, De Trinitate, De civitate Dei;* L. B. GEIGER, *La participation dans la philosophie de S. Thomas d' Aquin* (Paris 1942); C. FABRO, *La nozione metafisica di partecipazione* (Torino 1949); ITURRIOZ, *El hombre y su metafísica,* spec. c.3 et 6 (Madrid 1943); C. OTTAVIANO, *Metafisica dell'essere parziale* (Padova 1947); F. J. von RINTELEN, *Philosophie der Endlichkeit* (Mainz 1951).

365. Nexus. Ostendimus in thesi praecedente quodnam sit diversificativum *formale* entis creati quatenus distinguitur

ab ente increato. Ulterius autem investiganda venit *radix ultima* possibilitatis entis finiti. Quam si in lucem afferimus, tunc dein ipsa essentia finita in ultimis suis fundamentis manifestabitur, ita ut ulterius nihil remaneat investigandum. Unde punctum tractandum apex Metaphysicae entis creati dici potest et debet.

366. POSSIBILE venit a *posse* et tripliciter intelligi potest.

a) *Sensu latiori:* possibile est quidquid aptum est ad exsistendum. Quo sensu tam late patet quam ens nominaliter sumptum; sic etiam Deus possibilis dicitur. Vocatur etiam *praecisive possibile,* quatenus praescindit ab actuali exsistentia.

b) *Sensu strictiori:* possibile est quidquid contingenter exsistit aut exsistere potest. Opponitur enti necessario, et enti impossibili ex intrinseca repugnantia.

c) *Sensu stricto:* possibile est quidquid actu non exsistit, sed exsistere potest. Hoc vocatur *pure* possibile, si nunquam exsistet; *mere* possibile si praescindit a futura exsistentia.

367. POSSIBILITAS est capacitas ad exsistendum, et est forma qua concretum possibile ut tale constituitur. Possibilitas potest esse *interna*: est ipsa non repugnantia in notis constitutivis (aut si una tantum sit nota, non repugnantia eius cum exsistentia). Requiritur ut notae simplices, quibus essentia possibilis coalescit, in se ipsis non repugnent, hoc est, sint ex se aptae ad exsistendum, et praeterea, non mutuo sese opponant. Haec possibilitas interna dicitur etiam absoluta, formalis, passiva. *Externa* vero est aptitudo ad exsistendum, proveniens ex eo quod virtus adsit capax rem producendi. Dicitur etiam relativa, causalis, activa.

368. Potest etiam possibilitas esse *hypothetica,* dependens a conditione, et *absoluta,* independens a conditione; *metaphysica* quae provenit ab intrinseca rei possibilitate; quae etiam definiri solet, quae saltem Deo possibilis est; *physica,* quae, cum sit metaphysice possibilis, est praeterea producibilis per causas etiam naturales; *moralis* tandem, quae cum metaphysice et physice sit possibilis, est praeterea producibilis sine difficultate moraliter insuperabili, hoc est, quae generatim superari solet, tam ex conditionibus physicis communiter concurrentibus, quam a causis liberis communi modo operantibus.

369. Possibile intrinsecum dupliciter considerari valet: a) *fundamentaliter,* et tunc potius quam ad ipsum possibile attenditur ad fundamentum unde possibile devenit possibile;

b) *formaliter*, accipitur secundum propriam internam realitatem quae est ipsa entitas producibilis, considerata vero in statu absoluto seu metaphysico. Si ulterior analysis huius possibilis, formaliter talis, instituatur, duplex consideratio fieri potest: a′ *quoad elementum materiale* (aliquo modo), ex quo quasi ex materia constituitur possibile formale. Tale elementum est unaquaeque ex notis quibus illa essentia possibilis coalescit. b′ *quoad elementum formale*, nempe quo addito ad materiale iam ultimo habetur possibile ut tale constitutum: tale elementum est non repugnantia sive sociabilitas illarum notarum. Sufficit ergo et requiritur ut notae, seu elementum materiale, sint inter se unibiles, etsi nondum unitae sint nec ut unitae considerentur. Sufficit, quia iam eo ipso illud possibile formale vere possibile est.

Possibile ergo formaliter tale, haec includit: notas in se possibiles (cum exsistentia coniungibiles), et inter se consociabiles seu non repugnantes. Si haec habentur eo ipso concretum illud vere et formaliter possibile est, etsi illae notae nondum actu (in statu metaphysico quidem) inter se consociatae sint. Eo enim quod possint consociari, eo primo essentia illa determinata et praecisa iam possibilis est.

370. IMPOSSIBILITAS est incapacitas ad exsistendum. Dividitur pari modo ac ipsa possibilitas.

371. Status quaestionis. *a)* Quod ratio possibilitatis entis creati quodammodo a quodam extrinseco pendeat, immediate clarum videtur, et dein, cum de causis entis finiti agatur, id ostendetur, nam quidquid incipit exsistere, aut saltem contingenter exsistit, habet causam efficientem sui. Quod si de prima origine entis finiti agatur, certum est ad primam causam esse recurrendum. Admissa vero hac extrinseca possibilitate etiam dependenter a prima causa, quaeritur utrum tota ratio ultima entis finiti in hac extrinseca possibilitate sit reponenda, an ulterius aliqua alia ratio investiganda veniat Sine difficiliori obstaculo ostenditur necessitas etiam possibilitatis internae.

b) Quae possibilitas intrinseca fundamentaliter investiganda est; fundamentum vero duplex esse potest; aliud *proximum*, quo primo quaerenti immediate clarescit illa interna possibilitas; aliud *remotum*, quo tandem et ultimo elucescit ratio ontologica interna illius possibilitatis, ita ut nihil ulterius quaerendum remaneat.

Iam vero, in nostra quaestione de hoc ultimo et radicali fundamento quaeritur, ut sic ultimam rationem supremam et definitivam entis finiti dare possimus, qua nobis plenissime, in quantum intellectui creato in nostris conditionibus pervium est, constet tota intrinseca essentia entis finiti eiusque suprema ratio; quo cognito etiam plurima alia circa actionem et circa ultimam tendentiam finiti cognosci funditus poterunt.

372. Sententiae. *a)* Non defuerunt qui totam possibilitatem entis finiti in extrinseco reposuerunt: Inter hos citatur OCKAM [1], etiam SILVESTER MAURUS: "Creaturae non existentes pro ulla differentia temporis sunt possibiles in tertio sensu possibilitate actuali mere extrinseca per denominationem a potentia creata vel increata producendi illas" [2]; similiter etiam HURTADO: "Denominatio *possibilis* sumitur formaliter ab omnipotentia Dei. Nam omnipotentia se ipsa est potens et factiva creaturarum, ergo se ipsa eas denominat possibiles et factibiles" [3].

CARTESIUS sic de possibilitate loquitur: "Mihi autem non videtur de ulla umquam re esse dicendum, ipsam a Deo fieri non posse; cum enim omnis ratio veri et boni ab eius omnipotentia dependeat, ne quidem dicere ausim, Deum facere non posse ut mons sit sine valle, vel ut unum et duo non sint tria; sed tantum dico illum talem mentem mihi indidisse, ut a me concipi non possit mons sine valle, vel aggregatum ex uno et duobus quod non sint tria etc. atque talia implicare contradictionem in meo conceptu" [4]. Et in *Meditationibus*: "Non ideo vult (Deus) mundum creare in tempore, quia vidit melius sic fore, quam si creasset ab aeterno; nec voluit tres angulos trianguli aequales esse duobus rectis, quia cognovit aliter fieri non posse, etc. Sed contra, quia voluit mundum creare in tempore, ideo sic melius est, quam si creatus fuisset ab aeterno, et quia voluit tres angulos trianguli necessario aequales esse duobus rectis, idcirco iam hoc verum est, et fieri aliter non potest, atque ita de reliquis" [5].

b) Quoad fundamentum ultimum entis finiti *fatalistae, pantheistae, materialistae, athei* in genere, nullum aliud entis finiti designant fundamentum, quam ipsam materiam, aut evolutionem caecam ab aeterno, aut dimanationem pantheisticam...

---

[1] OCKAM, *In I Dist.* 43 q.2. Cf. PESCH-FRICK, *Ontologia* n. 197.
[2] SILV. MAURUS, *Quaest. Phil.* q.47.
[3] HURTADO, *Metaph.* d.8 s.1.
[4] DESCARTES, *Epist.* 6,29 Iulii 1648.
[5] DESCARTES, *Meditationes,* sextae reponsiones, 6.

Idealistae et *subiectivistae,* cum omnino nostram cognitionem mere subiectivam statuant, nullum aliud fundamentum entis finiti ponunt nisi evolutionem Ideae, aut etiam fictionem subiectivistam, et veram entitatem entium negant aut ignorant. Totum ergo fundamentum est nostra cognitio.

Empiristae generatim talem rationem ultimam non quaerunt, conceptus enim et quaestiones experientiam transcendentes omnino reiiciunt; pro ipsis possibile illud solum dici potest, quod ut possibile per experientiam verificatur, quod quidem de solo exsistente dici valet.

Quibusdam *discipulis* LEIBNITZ et WOLFII tribuitur opinio, iuxta quam ratio omnis et prima et ultima cur aliqua res sit possibilis, ex ipsius rei essentia est petenda, neque ullo modo ex attributis divinis, ita ut, etiamsi Deus non exsisteret, firma tamen et impavida staret rerum possibilitas interna.

STORCHENAU vero asserit: "Etiam in hypothesi Dei non exsistentis manerent verae eiusmodi enuntiationes: notae essentiales huius vel illius rei non involvunt contradictionem, ac proinde posset res ratione suae essentiae exsistere, gauderetque possibilitate interna" [6].

c) Philosophia traditionalis et christiana, fere unanimi consensu nisi verbotenus quaedam differentia animadvertatur, fundamentum *proximum* possibilitatis internae entis finiti in ipsa essentia rerum reponit; fundamentum vero *ultimum* et *radicale* talis possibilitatis est ipse Deus, qui ob infinitam perfectionem infinite est communicabilis: in hac infinita imitabilitate datur possibilitas seriei indefinitae graduum perfectionis, quos Deus ex infinita bonitate communicare decernit, et ex infinita omnipotentia, communicat. "Ipse (Deus) essentiam suam perfecte cognoscit: unde cognoscit eam secundum omnem modum, quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquaeque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat divinae essentiae similitudinem. Sic igitur, in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam huius creaturae" [7].

373. Sentenția nostra omnino philosophiae traditionali adhaeret; praeter extrinsecam possibilitatem etiam in-

[6] STORCHENAU, *Ontologia* s.2 c.1 ad ob.2.
[7] S. TH., 1 q.15 a.2.

trinseca est admittenda; ex hac intrinseca ratio possibilitatis entis finiti explicatur tam proxime quam remote et ultimo.

374. Probatur *thesis per partes.* a) *Datur intrinseca possibilitas.* Nam si tota possibilitas entis creati in eo esset quod Deus posset intelligere, efficere, velle aliquid, impossibilitas tota in eo esset quod Deus, sine ulla ratione obiectiva, non posset aliquid intelligere, velle, efficere; *atqui* hoc detrahit perfectionibus divinis; *ergo* praeter extrinsecam possibilitatem datur et intrinseca possibilitas.

Minor: nam sine ulla ratione obiectiva Deus non valeret aliquid efficere, intelligere, velle... Quod in Deo quamdam insufficientiam vel impotentiam argueret. Caeterum, si tota possibilitas mere extrinseca esset, tunc de Deo diceretur: Omnipotentia divina omnia potest quae potest, quod quidem non magnum attributum in Deo importaret.

b) *Possibilitas intrinseca proxime fundatur in ipsis essentiis rerum.* Possibilitas interna nihil est aliud quam praedicatorum, quibus essentiae coalescunt, sociabilitas; *atqui* quod hae vel illae notae, haec vel illa praedicata sociabilia sint, ex propria eorumdem conditione proxime pendet; *ergo* intrinseca possibilitas proxime fundatur in ipsis essentiis rerum.

Minor: sociabilitas enim in eo est quod altera nota non alteram destruat ex oppositione vel contradictione importata, sed unum aliquid conflare possint; imo unum idemque re ipsa esse, si ad eas virtus productiva causae terminatur.

c) *Possibilitas intrinsece entis finiti remote et ultimo fundatur in essentia divina.*

1) *Probatio indirecta, ex omniperfectione divina:* Si essentia divina non esset ultimum fundamentum omnis possibilitatis etiam intrinsecae, tunc non esset infinite perfecta; *atqui* est infinite perfecta; *ergo* est fundamentum ultimum possibilitatis intrinsecae entis creati.

Maior: Ad perfectionem infinitam pertinet absoluta independentia in operando, esse primam radicem et rationem omnis et totius realitatis, veritatis et bonitatis; eminenter et virtualiter omnes perfectiones possibiles continere; et consequenter, dependentia absoluta et totalis omnis realitatis cuiuscumque gradus, quae in tantum realis esse poterit quatenus ipsi per virtutem divinam quaedam participatio in ipsius infi-

nita realitate communicetur. Iam vero si possibilitas ultima entis finiti non dependeret ab essentia divina tamquam ab ultimo fundamento, tunc essentia divina dependeret in operando ab aliquo sibi extrinseco et a se independenti, nec esset radix ultima alicuius realitatis, nec omnem possibilem perfectionem in se eminenter et virtualiter contineret; et ens finitum, si exsistentiam obtineret, quodammodo quoad aliquem gradum independens ab essentia divina dici posset.

2) *Ostenditur directe.* Nam quidquid cogitari in possibilibus potest, in essentia divina ultimam sui rationem habet; *ergo* essentia divina est fundamentum ultimum possibilitatis entis creati.

Maior ostenditur, probari quidem, directe et a priori proprie non potest, cum hic iam in ultimo constitutivo et fundamento totius realitatis finitae versemur. Ipsae essentiae possibiles et notae quibus coalescunt, in tantum sunt cogitabiles et capaces ut per virtutem causae in esse constituantur, nempe intrinsece non repugnantes, in quantum exprimunt, vel exprimere possunt in sua physica realitate, aliquam essentiae divinae similitudinem ac deficientem imaginem. Ipsa enim notarum sociabilitas tandem ex eo est, quod notae illae in unum coëuntes, tales sunt, quae aliquam Dei adumbratam formam et imitationem prae se ferre possint. Quamobrem in absurdissima Dei non exsistentis hypothesi, nihil prorsus foret possibile, non solum extrinsece, verum nec intrinsece. Quia cum, praeter Deum, nihil sit, nec possit esse, nisi per participationem et ad similitudinem atque imitationem divinae naturae, sublato Deo perit omnis possibilitas, "sicut sublato exemplari non est possibile exemplatum vel imago, et sublato fonte, non est possibilis rivulus".

375. Scholion 1. *De pure possibilibus.* Dari pure possibilia negarunt MEGARICI (tunc solum posse, dicunt, cum potentia agit), ABAELARDUS (iuxta quem Deus nec plura nec meliora potest quam quae fecit), WICLEFF, SPINOZA, HOBBES (iuxta hos, solum possunt esse quae exsistunt), ROBINET (pure possibile est impossibile). Sed ex omnipotentia et libertate divina facile ostenditur plura esse pure possibilia, imo etiam ex experientia cotidiana.

Sed inter Scholasticos alia est suscitata controversia, utrum, nempe, pure possibilia, hoc est essentiae antequam fiant, habeant ab aeterno aliquod verum *esse actuale* sibi proprium et intrinsecum. Quod habeant esse aliquod *intentionale* (in intellectu divino) et *virtuale* (in omnipotentia divina) indubitatum est. Fuerunt vero Scholastici antiqui quidam (attribuitur inter alios haec doctrina GANDAVENSI et CAPREOLO, eamque tenuit IZQUIERDO), iuxta quos pure possibilibus tribui-

tur esse quoddam, non exsistentiae, sed essentiae, quod dicitur *quidditativum,* non creatum nec annihilabile, nec dependens a Deo. Quidam etiam Scotistae (saltem PONTIUS et HERRERA) tribuunt possibilibus esse quoddam *diminutum* et secundum quid, quod etiam *derelictum* dicitur. Communissima vero sententia, et certa, negat possibilibus omne esse veri nominis et intrinsecum atque actuale, quocumque tandem nomine appelletur, sed tenet esse purum nihilum actuale. Secus vera creatio non daretur, nec annihilatio esset possibilis, illudque esset divinum quoddam esse, utpote quod a se.

Caeterum, Philosophi tirones non raro monendi sunt, ne possibilia putent realitatem quamdam esse quodammodo essentiae divinae adhaerentem et affixam aut quovis modo inter Deum et realia intermediam. Nam in realitate nihil aliud habetur nisi solus Deus et solae creaturae realiter exsistentes. Totum ergo esse possibilium est ipsa essentia divina, esse quoddam mere fundamentale, quatenus essentia divina propter suam infinitam perfectionem fundat possibilitatem ut a pluribus entibus finitis participari possit, quae sint imitationes reales illius perfectionis, huiusque communicatio diffusiva. Nulla alia realitas est imaginanda.

376. Scholion 2. Accuratius *determinatur fundamentum ultimum possibilitatis* entis finiti, nam illa *essentia* divina, de qua in thesi, intelligenda est essentia divina *prout realiter* est, hoc est, quatenus secum identificat omnes perfectiones divinas. Nunc vero, inter recentiores Scholasticos haec accuratior quaestio proponitur: per rationem quodammodo essentia divina distinguitur a reliquis attributis divinis, ita ut essentia consideretur quasi radix et ratio reliquarum divinarum perfectionum; inter has, ad causam, considerantur intellectus divinus et omnipotentia. Quando essentia dicitur fundamentum ultimum possibilitatis entis finiti, estne intelligenda *essentia prout ab intellectu distinguitur, an praeterea necessario etiam in intellectu fundanda est possibilitas ut haec talis formaliter habeatur?*

Plures sunt qui tantum essentiam, hoc sensu, dicant esse fundamentum, sic v.gr. URRÁBURU; plures alii intellectus interventum requirunt, ita ut intellectus sit fundamentum possibilis *formaliter* considerati, sic v.gr. DELMAS; ratio vero diversitatis opinionum in eo residet, quod plus alii aliis exigant ad constituendum *formaliter* possibile. Nam, iuxta primam sententiam, eo ipso quod notae fundentur, ex quarum possibili unione possibilis sit haec vel illa essentia, habetur proprie dictum possibile, iuxta alteram vero eo solo nondum habetur vera et formalis possibilitas huius vel alterius essentiae; tunc autem formaliter datur possibilitas, quando intellectus divinus cognoscit illas possibiles notas ut consociabiles;

qua consociabilitate cognita, tunc primo habetur possibile ut tale. Quoad rem forte differentia non maxima est, etsi nobis magis consentanea veritati videatur prima sententia.

Hoc tamen est enixe notandum: proprie tales notas non dari, nec separatim hanc et illam notam in Deo fundari, ut dein habeatur per quamdam comparationem consociabilitas earum, ut tandem notae iam consociatae constituantur. Haec omnia loquendi modum nimis humanum denuntiant. Haec ratio essentias per notas considerandi... propria est humani intellectus, cum fundamento quidem; non tamen sic Deus: essentia enim divina, sua omnimoda perfectione, infinitam communicabilitatem suae perfectionis includit, quae communicationes, necessitate metaphysica, finitae sunt; eo ipso ab aeterno et necessario fundamentum habetur omnium possibilium in tota linea fere infinita graduum finitorum perfectionis. Deus autem suam essentiam perfectissime cognoscens, eo ipso etiam perfectissime infinitam imitabilitatem cognoscit, ideoque omnia possibilia. Per liberrimum autem actum voluntatis decernit quaenam et quando in realitatem sint ventura. Optime haec a Sto. Thoma profundissimo modo declarantur: "Deus in ipso suo esse summam perfectionem obtinet suae bonitatis; res autem creata suam perfectionem non possidet in uno, sed in multis. Quod enim est in supremo unitum, multiplex in infimis invenitur; unde Deus secundum idem dicitur esse virtuosus, sapiens et operans; creatura vero, secundum diversa; tantoque perfecta bonitas alicuius creaturae maiorem multiplicationem requirit, quanto magis a prima bonitate distans invenitur; si vero perfectam bonitatem non possit attingere, imperfectam retinebit in paucis. Et inde est quod, licet et primum et summum bonum sit omnino simplex substantiaeque ei propinquae in bonitate sint pariter et quantum ad simplicitatem vicinae, infimae tamen substantiae inveniuntur simpliciores quibusdam superioribus eis, sicut elementa animalibus et hominibus, quia non possunt pertingere ad perfectionem cognitionis et intellectus quam consequuntur animalia et homines. Manifestum est ergo ex dictis quod, licet Deus, secundum suum simplex esse, perfectam et totam suam bonitatem habeat, creaturae tamen ad perfectionem suae bonitatis non pertingunt per solum suum esse, sed per plura. Unde licet quaelibet earum sit bona in quantum est, non tamen potest simpliciter bona dici, si aliis careat quae ad ipsius bonitatem requiruntur; sicut homo qui, virtute spoliatus, vitiis est

subiectus, dicitur quidem bonus secundum quid, scilicet in quantum est ens et in quantum est homo, non tamen bonus simpliciter, sed magis malus. Non igitur cuilibet creaturarum idem est esse et bonum esse simpliciter, licet quaelibet earum bona sit in quantum est; Deo vero simpliciter idem est esse et esse bonum simpliciter. Si autem res quaelibet tendit in divinae bonitatis similitudinem sicut in finem—divinae autem bonitati assimilatur aliquid quantum ad omnia quae ad propriam pertinent bonitatem; bonitas autem rei non solum in esse suo consistit, sed in omnibus aliis quae ad suam perfectionem requiruntur, ut ostensum est—manifestum est quod res ordinatur in Deum sicut in finem, non solum secundum esse substantiale, sed etiam secundum ea quae ei accidunt pertinentia ad perfectionem ipsius, et etiam secundum propriam operationem" [8].

377. Scholion 3. *Momentum huius doctrinae.* Quanti haec doctrina facienda sit ad explicandum hominem, mundum eorumque sensum, non facile brevibus lineolis dici poterit. Sufficiat quaedam innuere. Nam sic profundissimus sensus *entis contingentis* apparet, quod quidem ex se nihilum est, cum nec propriam possibilitatem in se habeat, sed etiam ipsa dependens ab alio sit. Sed tamen, etiam haec ipsa pauperrima contingentia, si divino lumine lucescat, ditissima habetur est enim a Deo in Deum, ab infinito in infinitum, tamquam limitata omniperfecti participatio semper magis ac magis perficienda procedens. Unde fundamentum statuit pro prudenti optimismo christiano, iuxta quem in mundo plus lucis est quam tenebrarum, plus realitatis quam nihili.

Vita etiam *humana,* miserrima quidem si in seipsa perspiciatur, sed luce aeternitatis sensum habet gloriosissimum, cum tota quanta continuus progressus in participatione Dei sit.

Homo etiam ut programma vitale apparet, quod ulterius per propriam actionem reale fieri debet; programma quidem interne illuminatum, quia in ipsa natura hominis stabilitur gradus perfectionis, quem homini in sui Dei imitatione correspondet; imo etiam leges splendent iuxta quas primordialis participata perfectio ulterius augenda est, ut tandem homo totam illam obtineat perfectionem ipsius naturae consentaneam: haec est functio suprema libertatis humanae: propriam naturam

[8] S. TH., 3 *C. Gent.* c.20; cf. c.97, et 4 c.1.

iuxta propriam legem in terminum maximae perfectionis ducere.

Inde nobilitas summa *paedagogiae*, quae ex homine germinali plenum hominem deducere debet ita ut tandem imago perfecta, iuxta proprium gradum, divinitatis evadat: paedagogi est vocem naturae exsequi, illamque paulatim in pleniorem evolutionem dirigere, ut aliquando ipse homo sui directionem accipere possit, seque in suam supremam perfectionem ducere. Lex suprema paedagogiae a fundamentali origine hominis et ab ultima ipsius connaturali destinatione procedit: homo educandus, ut homo sit perfectus, id est imago initialis perficienda ut imago perfecta evadat.

Certum est conformationem intellectus et voluntatis momentum habere maximum in hominis perfectione, sunt enim perfectiones quibus homo spiritualis proprie ut imago Dei perficitur; per has facultates homo sui dominus constituitur, suique dominium obtinet et exercet. Hae sunt ergo facultates accuratissime excolendae ut imago Dei perficiatur. Sed nec ipsum corpus est negligendum; essentialiter enim ad hominem constituendum requiritur, eiusque perfectio ad perfectionem totius hominis confert, imo instrumentum est validum ad propriam et formalem perfectionem integrandam.

Ipsa quoque *ascesis* virtutum moralium intrinsece elucescit, cuius est hanc imaginem in ratione formali imaginis perficere et augere, ea reiiciendo quae ipsam deturpare possint, ea fovendo quae ipsius nobilitatem amplificent. Etiam ipsa vita supernaturalis in miram unitatem huc reducitur, cum tota quanta sit participatio per gratiam divinam ipsius naturae divinae cuius consortes reddimur per filiationem divinam.

Progressus *technicus*, artes, industriae, labor etiam manualis... omnia illuminantur: homo liber, intellectus et omnipotentiae divinae particeps effectus, in mundo ut dominus relinquitur, qui opus initiale creationis, a Deo directe effectum, ut particeps divinitatis continuet et perficiat; sicque labore humano deveniat hic mundus habitatio aptior pro vita humana, magisque eius necessitatibus coaptata, cum per saeculorum continuum laborem plurima transformata sunt, plurima inventa, plurimae occultae vires in servitium hominis submissae... plurimaque obstacula naturalia marium, levitatis aëris, duritiei corporum aut removentur aut utiliora in servitio hominis redduntur. Quibus et mundus homini est accommodatior, et

in se etiam perfectior, Deoque similior, quo etiam maiorem ipsi gloriam reddit cum eius perfectionem melius ostendat.

Sic tandem apparet quomodo Deus omnia in omnibus esse possit et quodammodo iam exinde sit.

378. Scholion 4. *De attributis entis finiti.* Sicut essentia divina est radix attributorum divinorum, secundum nostrum modum concipiendi, sic e contra ex entis finitudine quaedam attributa suboriuntur qua utilissime enumerari et considerari poterunt.

a) Ens finitum plenissime et *absolute ab alio* est, non modo quoad exsistentiam realem, sed etiam quoad ipsam suam primigeniam possibilitatem: vere ens finitum dici potest a se nihilum absolutum esse.

b) Ens finitum *contingens* est, potens esse et non esse, hoc habere et illud amittere, cum ex intrinseca necessitate nihil habeat sed prorsus ex se indifferens sit ad quemcumque perfectionis gradum acquirendum et conservandum.

c) Ens finitum *actione aliena* in exsistentiam venit, totamque suam realitatem actione aliena conservandam habet, cum ex se in nihilum absolutum tendat: est ergo ens labile, deficiens et indigens.

d) Ens finitum *temporale* est, labile et mutationibus obnoxium, non enim habet esse quod summum et simplicissimum esse sit, sed quod non est sua perfectio, eam vero habens et amittere potens. Ens finitum suam contingentiam per tempus et mutationem manifestat et evolvit. Haec mutabilitas signum profundissimum est deficientiae internae entis finiti.

e) Ens finitum *multiplicabile* est, nullum enim infinitam imitabilitatem divinitatis exhaurit, ideoque quod per unum haberi nequit, per multiplicatum ens finitum quodammodo intenditur, cum tamen nullus entium finitorum etiam perfectissimorum cumulus sit possibilis, qui divinam simplicitatem in perfectionibus plene imitari possit. Sicut indefinite gradus perfectionum finitarum augeri possunt, ita intra unumquemque gradum etiam plura individua dari possunt quae tali gradu perfectionis participent.

f) Ens finitum quodammodo *potentiale* est, cum nec totum sit quantum esse potest, nec quod est necessario esse debeat; ens finitum non est sua perfectio, sed perfectiones habet vel habere potest; haec potentialitas in actum per tempus successive redditur.

g) Ens finitum veram *habet perfectionem,* et quantulumcumque est perfectio dici potest, et tanta quanta est eius imitationis participatio in infinita perfectione Dei.

h) Ens finitum cum non sit sui origo, nec est *sui finis,* sed sive mediate sive immediate totum ad illud ens perfectissimum ordinatur a quo possibilitas entis finiti radicaliter provenit.

379. Scholion 5. *De supremis entis generibus.* Quae de divisione entis in his capitibus dicta sunt, hac ultima et suprema divisione resumimus. *Genus* est id quod de pluribus praedicari potest tamquam pars eorum essentiae determinabilis; *stricte sumptum* praedicatur de pluribus specie differentibus, et quidem determinatur perfectione quae non includatur ratione sui in perfectione quam nomen generis importat; *late sumptum* praedicatur de aliis quin praecise specie differre debeant et quin determinatio praecise per aliud fiat. Potest *supremum* esse, quod nulli alteri inferius est; *medium* quod alteri inferius, etiam sibi inferius habet; *infimum* quod alteri inferius, nullum sibi inferius sub se habet. Hoc in loco, quando de generibus supremis entis sermo instituitur, genera intelliguntur suprema non rationes supremae *sub quibus* ens inveniatur, nec eo dicitur ens esse genus cuius sunt species membra dividentia, nec membra immediatae divisionis, quam indicabimus, esse genera stricte dicta respectu inferiorum; tantum dicitur membra haec in quibus ens divisum concipitur esse supremas rationes omnium entium quae realiter inveniuntur aut inveniri possunt.

Iam vero, genera haec suprema dicuntur *ens a se* et *ens ab alio; ens per se* et *ens in alio,* in quibus ens intelligitur quasi ratio quaedam aliquo modo determinabilis, et quidem aliquo modo determinata per rationes aseitatis, abalietatis, perseitatis, inalietatis; quomodo autem hae determinationes fiant, quibus ens ad inferiora contrahitur, accurate erit determinandum.

Prima divisio partim explicata manet cum de ratione entis finiti super egerimus; cui ratio essentialis, et consequenter etiam proprietates entis a se, contraponuntur: ens enim a se, eo ipso, est actus purus, ens summum et actualitas pura; necessario est incommutabile, semper idem; est simplicissimum re et ratione, omniperfectum et infinitum in suis perfectionibus, aeternum, unicum.

Altera divisio in *ens per se* et *ens in alio* in tractatu de categoriis attente considerabitur.

Restat iam ut de hac divisione entis in suprema genera praecipua explicemus, quod in tertia parte huius libri statim efficiendum intendimus.

380. Obiectiones. 1. Possibile est quod exsistere potest; *atqui* nihil exsistere potest, nisi per potentiam divinam...; *ergo* possibile pendet ab omnipotentia divna.

Dist. min.: nihil potest immediate et proxime exsistere nisi per potentiam divinam, *conc.*; remote et ultimo, *nego*. Pariter dicendum de voluntate et intellectu divino.

2. Possibilia prout talia nullam realitatem, sed solum idealitatem participant: quatenus nullo modo sunt in se, sed tantum in ideis; *atqui* sicut divina potentia est fons totius realitatis, ita mens divina est fons totius idealitatis; *ergo*.

Dist. mai. Possibilia nullam exsistentiam nisi idealem habent et qua talem in mente divina, *conc.*; nullam possibilitatem internam nisi in mente divina, *nego*. *Contradist. min.*

N. B. Difficultates huius generis proprie non afficiunt thesim propositam, cuius intentio est ostendere ultimam rationem possibilitatis entis finiti esse in Deo prout Deus *realiter est*. Alia ulterior quaestio de qua in scholio 2 (n.376) non magni est momenti.

3. Possibilia finita et imperfecta sunt; *atqui* talia entia finita entis infiniti imitationes esse non possunt; *ergo*, imitabilitas divina non est fundamentum possibilium.

Dist. min.: imitationes perfectae, *conc.*; imitationes imperfectae, *nego*.

4. Si possibilia a Deo penderent, contingentia essent, quia non essent si Deus non esset; *atqui*, possibilia necessario sunt possibilia. *Ergo*.

Dist. mai. Possibilia non possunt nisi contingenter exsistere, *conc.*; ipsa in se *fundamentaliter* considerata sunt contingentia, *nego*. Nam possibilia in se et separatim considerata, nullam realitatem habent, nec contingentem nec non contingentem, siquidem nulla alia est eorum realitas quam realis imitabilitas essentiae divinae.

5. Negationes in essentia divina non fundantur; *ergo* non omnia possibilia in eo fundantur.

Dist. mai.: non fundantur positive et directe, *conc.*; negative et indirecte, *nego*. Nam ratio cur contradictoria, privationes, negationes realiter ut tales exsistere non possint, est, quia essentiam divinam imitari eamque vere participare non possunt.

Nota bene. Tertia pars huius libri, quam statim exponemus, veram difficultatem propter summam abstractionem implicat; quod si Magister aliquis iudicet discipulos nondum esse ad hunc tractatum instituendum convenienter paratos, rectissime illum post tractatum de praedicamentis explicare poterit; imo quodammodo aptior locus ibi disponetur, cum divisio entis in substantiam et accidens perspecta fuerit; tunc enim rectius proponetur quaestio de analogia talis divisionis.

PARS III

De ente respectu inferiorum considerato

381. Methodo potius *analytica* hucusque ex ratione entis et ex ipsius proprietatum consideratione usque ad divisiones entis generaliores pervenimus, ita ut punctum attingeremus quo duplex via Metaphysicae generali in reliquum processum aperitur.

Prius autem quam haec dispersio partium scientificarum verificetur, oportet respectu *synthetico* ex altitudine rationis entis huius inferiora considerare; imo, ex inferioribus altitudinem entis contemplari, quo unitas omnium omniumque profundissima diversitas quodammodo uno ictu perspiciatur.

Qua de causa, in fine huius primi libri consideratio difficilis quidem, sed fructuosissima mentique iucundissima instituetur, qua mutua haec interdependentia entis eiusque inferiorum quodammodo inspiciatur, unde non pauca circa naturam entis in se et in inferioribus, horumque in suis essentialibus respectibus clariora reddentur.

CAPUT I

De transcendentia, contractione et praecisione entis

Quod primo nobis investigandum venit est modus quo ex ratione entis ad inferiora descendere possimus, et contra, ex inferioribus conceptum entis rursus obtinere, quod nunc triplici articulo expediemus.

ARTICULUS I

De transcendentia entis

Thesis 14. Ratio entis transcendit etiam formaliter omnes differentias modosque positivos.

382. Aristoteles, *Metaph.* 3 lect. 10; S. Th., *De verit.*, *De ente et essentia;* Suárez, DM 2 s.5; Mastrius, *Disp. Metaph.* q.2 a.1; Poncius, *Integer curs. ad mentem Scoti* 3.ª pars d.18 q.3; Van Woostijne, *Ontologia;* Urráburu, *Ontologia* disp. 1 c.3 a.1; Knittermeyer, *Der Terminus transzendental in seiner historischen Entwicklung bis zu Kant* (Marburg 1920); Wolter A.B., O.F.M., *The Transcendentals and their Function in the Metaphysics of Duns Scotus* (Washington 1946) spec. p.58-59.

383. Notiones. Vox TRANSCENDENS apud moderniores saepe significat ens extra et supra alia entia, speciatim extra mundum. Apud KANT transcendentia ea vocantur quae, utpote extra actum cognitionis, nullo modo cognitioni nostrae ut cognita obiici possunt; habitudinem mentis ad mundum transcendentem vocavit *transcendentalem*. Transcendentalia igitur ex KANTII sententia ea sunt, quae ante et extra omnem actualem cognitionem menti nostrae insunt ut omnis cognitionis conditio.

384. Apud Scholasticos *termini* dividuntur in *transcendentales*: qui omnibus conveniunt quae nihil non sunt; enumerari solent sex tales termini: *res, ens, unum, aliquid, bonum, verum;* quorum initialibus litteris haec vox, nihil significans, efformata est: *Reubav;* in *supertranscendentales,* qui etiam rebus non realibus, sed pure imaginariis applicari possunt, ut cogitabile, opinabile...; et in *non transcendentes,* qui tantum alicui generi, speciei, individuo conveniunt.

385. PRAEDICATIO duplex potest esse: *formalis,* quando praedicatum quod tribuitur subiecto pertinet ad huius comprehensionem, ut constitutivum essentiale ipsius; *identica,* quando praedicatum non pertinet ad rationem subiecti, sed ad hoc materialiter pertinet et cum eo in concreto identificatur.

386. DIFFERENTIA, in genere, intelligitur ratio quae de pluribus praedicari potest tamquam pars eorum determinativa.

Quo autem ulterior divisio differentiarum in doctrina Scotistica intelligatur, notandum est ens a Scotistis distingui completum et partiale; partiale vero dividi posse in resolubile et irresolubile prout in ulteriora elementa resolvi possit necne; ad conceptus vero irresolubiles pertinent differentia et modus.

387. Differentia vero—ad mentem Scotistarum—potest esse *non ultima,* quae est resolubilis in plures conceptus, seu ulterius determinabilis per alias differentias [1]; potest etiam esse *ultima,* quae iuxta MASTRIUM, sumitur ab una realitate non amplius resolubili in realitatem et realitatem, sed omnino simplici [2]. Iuxta IOANNEM PONCIUM tripliciter intelligi potest haec differentia ultima: *a)* pro illa quae non est ulterius determinabilis per aliquam aliam minus communem; sic sola

[1] Iuxta Scotistas plures formae haberi possunt quibus ens materiale determinetur ad genus, speciem et individuum, indeque ex pluribus formis plures etiam differentiae suborientur.

[2] *Metaphysica* disp.2 q.7 a.1 n.183.

sensitivitas; *b)* pro omni differentia per quam ita res differat ab aliis ut in nulla formalitate illius differentiae conveniat cum ipsis; sic quaelibet differentia; *c*) pro illa per quam ultimo differt res essentialiter ab alia re; hoc sensu rationalitas respectu hominis [3].

388. Modus in genere dici potest quod ultimo determinat necessario affixum. Ad mentem Scotistarum modus potest esse *intrinsecus* qui additus alteri, id est, ei cuius est modus, non variat rationem eius formalem, id est, non facit aliam quidditatem, nec destruendo priorem, nec contrahendo ad inferius, sed est praecise modus eius inseparabilis omnimode ab illa quidditate [4]. In propria linea perficiunt, illi tamen novum gradum essendi non superaddunt; *extrinsecus* autem modus est qui aliquomodo separabilis sit.

389. Modi praeterea possunt esse *positivi*, qui in suo conceptu obiectivo includunt aliquid positivum; et *negativi*, qui in suo conceptu obiectivo includunt tantum negationem.

390. Status quaestionis. *a)* Notio quidem entis dicitur universalissima et generalissima, quod si ita generatim accipiatur, nullum praebet dubium illius transcendentia cum de entis *completis* agatur. Si autem de ultimis elementis quaeratur, praecipue, si de ipsis quibus ens in se constituatur et potius ipsius sunt elementa quam ipsum, tunc dubium surgere potest, et quidem sequenti consideratione.

b) Nullum ens invenitur quod ens pure in sua abstracta indeterminatione sit, sed semper determinatum est ens, ac proinde ens considerari potest constitutum aliquo indeterminato, ratione entis, et determinante, elemento quo ens ad tale ens determinatur. Quaeritur utrum illa ratio determinans, sive sit modus sive differentia, re vera etiam ens dici possit.

c) Quod quidem praecipue de praedicatione *formali*, potius quam de identica quaeritur.

d) Quodsi immediate de ipsa ratione entis hoc proponatur, tunc quaeritur utrum aseitas, abalietas, perseitas, inalietas, sive considerentur ut modi sive ut differentiae, re vera, in sensu formali, dici possint ens, an potius realitates quibus ens constituitur.

[3] *Integer Philosophiae cursus ad mentem Scoti* 3.ª pars d.18 q.3.
[4] Mastrius, *Metaphysica* d.2 q.6 a.1.

391. Sententiae. PLOTINUS, et cum eo Neoplatonismus, etiam Patrum Ecclesiae, ponit Unum ut quid supremum quod aliquando etiam Bonum et Divinitas denominatur. Hoc Unum est praecellens supra omne ens, imo et etiam supra cogitationem est supramentale; huic *Primo* non potest ulla proprietas nec spiritualis nec corporalis tribui: non habet cogitationem, nec voluntatem nec ullam activitatem, nec conscientiam quidem [5].

392. *Scotistae* hic propriam sententiam, famosissimam quidem non tamen ita perspicuam, proferunt. Sic MASTRIUS: "Pro resolutione quaesiti dicendum est ens non includi in formali et quidditativo conceptu modorum eius, ultimarum differentiarum ac passionum suarum, atque denique ens de illis non praedicari in quid, etiam ut ly *in quid* dicit praedicatum pertinens ad essentiam rei in primo modo dicendi per se; sed tantum realiter et identice" [6]. Iuxta hanc ergo sententiam entia quidem completa et etiam partialia resolubilia et differentiae non ultimae sunt *ens;* differentiae vero ultimae, modi positivi et attributa seu proprietates (veritas et bonitas) sunt etiam in sensu identico *ens,* non vero in sensu formali. Sic aseitas, si consideratur quatenus est iam *ens a se* in concreto constitutum est quidem ens; si vero formaliter consideretur ut differentia qua ens tandem est *ens a se,* tunc non est *ens* sed realitas. Hae differentiae, modi et attributa non sunt *entia quae* sed *entia quibus* ens constituitur.

393. Reliqui omnes Scholastici, duce SANCTO THOMA, si paucissimi excipiantur, tenent transcendentiam et quidem formalem entis, etiam in differentias ultimas et modos positivos et attributa entis positiva.

394. E Societate Iesu sententiae Scotisticae inter paucos alios adhaerent ARRIAGA, LYNCE, QUIRÓS, PEINADO...

395. Nostra sententia tenet communiter cum omnibus transcendentiam entis respectu entium completorum imo et partialium resolubilium; imo et differentiarum... in sensu *identico,* et etiam in sensu *formali,* in quo differimus quidem a Scotistis, sed quantum videtur tantum verbotenus, cum Scotistae etiam teneant illas differentias etiam a nihilo distingui, chimaeram non esse; renuunt tamen eis nomen *entis* applica-

[5] ARNOU, *Platonisme des Pères*: DTC.
[6] MASTRIUS, *Metaphysica* d.2 q.7 a.1.

re, quod potius *enti completo* aut *complexo* applicandum tenent. Inde apparet quoad rem unanimem hanc haberi posse sententiam inter omnes Scholasticos [7].

396. Probatio. *Ex ratione entis.* Quod habet veram et realem essentiam ita ut aptum sit quodammodo ad exsistendum est vere et formaliter ens; *atqui* omnes differentiae et modi positivi, etiam si formaliter concipiantur, habent realem essentiam. Ergo sunt vere et formaliter ens; *ergo* ens transcendit omnes differentias modosque positivos.

Maior evidens est ipsaque entis definitio.

Minor tantum ad differentias ultimas et ad modos positivos attendit cum in his solis difficultas ponatur; a fortiori de aliis entibus dicenda est.

Probatur: Nam differentiae modique positivi

a) habent propriam aliquam essentiam qua in se constituuntur et ab aliis distinguuntur; sic *aseitas* aliquid in se est et ab alietate distinguitur per propriam suam realitatem.

b) differentiae modique positivi menti ut entis constitutivum ita apparent, ut ens ipsum in certo gradu perfectionis et entitatis per has differentias constituatur. Sic ens communissime conceptum per aseitatem constituitur in supremo gradu perfectionis, per abalietatem in gradu quidem perfectionis sed limitatae etc.

c) nisi quaestio sit de voce (quod re vera hic accidere potest) etiam differentiae modique positivi per ens definiri possunt, sunt enim *aliquid* contradistinctum a nihilo, et aliquid quod exsistentiam sortiri aliquo modo potest, ideoque aptum ad exsistendum.

---

[7] SCOTUS: "Verissime illud est nihil, quod includit contradictionem et solum illud, quia illud excludit omne esse extra intellectum et in intellectu. Alio modo dicitur nihil quod nec est nec esse potest aliquod ens extra animam" (*Quodl.* q.3 n.2). "Ens ergo vel res isto primo modo accipitur omnino communissime, et extendit se ad quodcumque quod non includit contradictionem, sive sit ens rationis, hoc est praecise habens esse in intellectu considerante, sive sit ens reale, habens aliquam entitatem extra considerationem intellectus" (ibid.). "Ergo ens, hoc est, cui non repugnat esse" (*Oxon.* 1.4 dist.8 q.1 n.2). "Ens includitur quidditative in omnibus conceptibus quidditativis inferioribus; ergo nullus conceptus inferior distincte concipitur nisi concepto ente" (*Oxon.* 1.1 dist.3 q.2 n.24). "Ens autem non potest concipi nisi distincte, quia habet conceptum simpliciter simplicem; ergo potest concipi distincte sine aliis, et alii non sine eo distincte concepto; ergo ens est primus conceptus distincte conceptibilis" (*Oxon,* 1.1 l.c. n.49). "Quia ens habet conceptum simpliciter simplicem, eius, non est definitio" (*Oxon,* 1.1 dist.39 n.13). "Ex eadem ratione ens, sicut etiam verum et bonum, non habet conceptus resolubiles in alios conceptus priores" (*Quodl.* q.7 n.14). Cf. P. MINGES, *Ioannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica* t.1. p.7ss.

397. Scholion. Re vera etiam in philosophia aristotelico-thomistica de accidentibus dicitur potius esse *entis ens* quam entia, in philosophia thomistica actus et potentia potius quam ens dicuntur *entia quibus*... Quo non efficitur ut accidens, actus et potentia... non re vera *ens* sint etsi non eodem gradu et modo quo ens dici potest *ens quod*. Imo, etiam ipsum Unum neoplatonicum est nostro sensu re vera *ens*, idque a Neoplatonicis non negaretur si rationem entis nostro modo intelligerent; ipsi enim *Primo* illi supremo perfectionis gradu rationem entis ideo denegabant, quod in ea iudicarent aliquo modo divisionem innui—per ordinationem ad mentem—, quam divisionem omnino a *Primo Uno* negandam iudicabant. Nostra ergo positio, si in se et obiective sumatur, omnibus communissima est et certissima, etsi forte in expressionibus et in modo systematice realitatem concipiendi, divergentia orta sit.

398. Obiectiones. 1. Conceptus compositus ex determinabili et determinante debet resolvi in partiales conceptus primo diversos; *atqui* ratio entis et ratio ultimae differentiae se habent ut determinabile et determinans; *ergo* sunt conceptus primo diversi; *ergo* ens non transcendit differentias ultimas.

Dist. mai.: Conceptus proprie compositus, *conc.;* conceptus solum improprie compositus qualis est conceptus entis, *nego.* Quod clarius deveniet cum ratio contractionis entis ad inferiora explicetur.

2. Quod non praedicatur de omnibus omnino entibus, non est praedicatum communissimum et transcendentale; *atqui* ens ut nomen non praedicatur de omnibus omnino entibus, ut v.gr. de accidente quod est entis ens potius quam esse... E.

Dist. mai.: quod non praedicatur sive ut quod sive ut quo etc. non est transcendentale, *conc.;* quod non praedicatur ut quod, sed saltem ut quo... praedicatur non est transcendens, *nego. Contradist. min.* et *nego cons.* et *consqt.*

3. Non praedicatur de omnibus quod non praedicatur de ente rationis; *atqui* ens de ente rationis non praedicatur neque ut quod neque ut quo; *ergo* non est transcendens.

Dist. mai.: quod non praedicatur de ente rationis nec proprie nec improprie, *trans.;* saltem improprie, *nego.* Ens enim rationis a nobis sub respectu entis concipitur. Caeterum cum ens rationis non sit ens, proprie ens de eo praedicari non potest.

4. Differentiae discrimantur inter se; unde vel conveniunt in conceptu quidditativo entis vel non. Si non conveniunt non sunt essentialiter ens; si autem conveniunt, ratio qua differunt non illa est qua conveniunt; si ratio qua differunt non est ens, habetur intentum; si conveniunt, iterum quaerendum donec aliquod appareat in quo pure differant quod rationem entis non includat.

Resp. 1. Sed tandem differentia illa ultima conveniet cum non ultima in eo quod est differentia, differet in eo quod est talis et

sic porro in infinitum. *Resp. 2.* Differentia simplicissima potest per se ipsam ab alia differre etiamsi in ratione entis conveniat.

5. Nihil adiacet ac supervenit sibi; *atqui* differentia esset quaedan forma enti hoc est sibi adiacens; *ergo.*

Conc. mai. Dist. min.: adiacens enti tamquam alicui mutuo distincto, *nego;* tamquam alicui non mutuo distincto, *conc.* Ceterum non datur in casu propria adiacentia superveniens, nam differentia includit rationem entis.

6. Substantia formaliter differt ab accidente. Sed non differt in ratione formali entis; *ergo,* in aliqua alia differentia quae non sit ens.

Dist. min.: non in ratione formali entis ut est ens, *conc.;* ut est ens tale, *nego.*

7. Talitas illa qua substantia ab accidente differt aut est ens aut non. Si est ens non est ratio differentiativa entis. Si non est ens habeo intentum.

Est ens commune, *nego;* est ens tale, *conc.* Unde talitas illa entis non quid novum adveniens est sed est ipsum ens se ipso contractum ut videbimus.

8. Quod est causa similitudinis non potest esse causa dissimilitudinis; *atqui* ens est causa similitudinis; *ergo* nequit esse differentia.

Dist. mai.: sub eodem respectu sub quo est causa similitudinis, *conc.;* sub alio, *nego. Contradist. min.:* sub eodem respectu quo est causa dissimilitudinis, hoc est, in quantum tale, *nego;* sub alio, in quantum ens commune, *conc.*

ARTICULUS II

De contractione entis

Thesis 15. Ens contrahitur in inferiora sua per modum expressioris conceptus eiusdem realitatis.

399. S. Th., *De verit.* q.1 a.1; Suárez, DM 2 s.6; Mastrius, *Metaph.* disp.2 q.6 a.2; Rhodes, *Phil. perip.* l.4 q.1 s.3; Urráburu, *Ontol.* disp.1 c.3 a.3; Cuesta, *Ontologia,* p.1.ª th.11.

400. Nexus. Intime hic articulus cum priore iungitur, nam si modi et differentiae in ratione ipsa entis continentur, ensque omnia prorsus transcendit, quaerendum venit quomodo illa ratio communissima entis ita determinari possit ut ex ea conceptus entium infinite distantium sine ulla compositione habeatur.

401. Notiones. Determinatio est operatio mentis alicui conceptui rationem adiungens qua aliquid exhibet quod prius

non exhibebat. *Contractio* vero est determinatio minuens extensionem conceptus. Ita si dicas *ens bonum,* conceptus entis determinatur, siquidem exhibet bonitatem, quam, si solum *ens* dicas, non exhibet; extensio vero non minuitur, bonitas enim transcendens est; si autem dicas *ens a se,* ratio *entis* determinata est quidem, sed et contracta, nunc enim de solo Deo dici potest. Unde omnis contractio est simul etiam determinatio, non vero omnis determinatio est etiam contractio.

402. Rationes determinativae et contractivae vocantur etiam *modi* et *differentiae* (non necessario sensu scotistico). *Differentiae* proprie vocantur illae rationes quae non includunt formaliter notionem illam quam contrahunt vel determinant, sed ab ea penitus praescindunt, ideoque mutuo distinguuntur saltem per rationem. *Modi* vero latius patent, ipsam rationem determinandam aut contrahendam in se continere possunt, etsi modi formaliter ut tales in illa ratione expresse non contineantur.

403. IDEA potest esse *clara,* quae rem exhibet secundum aliquam saltem propriam notam eius qua a quavis alia discernatur; idea vero clara *distincta* aut *confusa* erit prout aliquas saltem rei notas *essentiales* exhibeat aut nullam; idea vero clara et distincta erit *completa* vel *incompleta* prout omnes rei notas essentiales aut non omnes exhibeat; *obscura* vero est quae nihil proprium et peculiare rei repraesentatae exhibet.

404. CONCEPTUS EXPRESSIOR idem est ac conceptus distinctior, et opponitur conceptui *confusiori.* Ut autem habeatur contractio per expressiorem conceptum haec requiruntur: *a)* ne conceptus contrahendus et nota contrahens adaequate identificentur; *b*) ne nota qua expressior redditur conceptus confusus adaequate a conceptu confuso distinguatur; *c*) ut nota contrahens sit minoris extensionis quam conceptus contrahendus.

405. COMPOSITIO potest esse *physica,* seu unio partium realiter distinctarum, et *metaphysica,* seu unio vel realis identitas partium ratione tantum cum fundamento in re distinctarum (partium metaphysicarum): seu in qua conceptus ab invicem praescindunt; et tandem *logica,* seu qua mens aliquem conceptum reddit magis determinatum, non addendo aliquid extrinsecus, sed aperte exprimendo aliquid quod ante intra conceptum obiectivum actu formaliter expressum non erat;

seu, in qua conceptus ab invicem non praescindunt. Hanc compositionem alii intelligunt compositionem *ex genere et differentia;* tunc vero compositionem *metaphysicam* dicunt ex *essentia et esse.*

406. Status quaestionis. Duo sunt in quaestionis solutione armonice componenda:

a) Ex una parte certissimum est plurima esse entia inter se mutuo diversissima; quo ambitus hic in synthesim reductus concrete proponatur, illa recordemur suprema entis genera de quibus in art. unico capitis III secundae partis: *ens a se, ens ab alio, ens per se, ens in alio.*

b) Ex alia parte, certissimum etiam est *differentias* horum entium contractivas esse *aseitatem, abalietatem, perseitatem* et *inalietatem,* per eas enim ens et determinatur et contrahitur; aliunde vero ipsae etiam differentiae ens sunt, siquidem ens transcendit omnes differentias et modos eius.

Inde deducitur rationes has contractivas in ipsa entis ratione contineri: proinde, quomodo *a)* ens poterit communissimum esse, quod in se omnes sui rationes determinativas et contractivas continet? *b)* rationes dari possunt vere contractivae, quae iam in ipsa entis ratione communissima praecontinebantur?

Ex his duabus quaestionibus, haec altera potius hic sumitur solvenda, etsi implicite etiam solutio prioris indicetur; haec vero clarior in capite altero huius partis reddetur.

407. Sententiae. a) *Schola Aristotelico-Thomista* universalissime tenet ens quidem contrahi posse, non vero per veram *additionem* alicuius conceptus de novo advenientis, adaequate differentis; sed per expressionem eiusdem entis conceptus, qui in stadio communissimi conceptus continet quidem in se omnes sui differentias et modos, sed tantum obscure et confuse, quatenus sunt *entia;* dein vero, eo quod ipse entis conceptus distinctior reddatur, apparent eius differentiae non iam *ut communiter ens* sed *ut tale ens;* eo ipso ratio communissima entis, sine novo addito, sed expressius dicendo quod confuse dicebatur, determinatur et contrahitur.

b) Ab hac schola dissidet SONCINAS, iuxta quem haec contractio fit per negationem, ita ut conceptus entis contractus sit compositus ex conceptu entis et ex quodam conceptu negati-

vo, quem alterum circumloquimur per illum terminum *per se, a se* etc [1].

c) *Scotistae,* consequenter ad suam doctrinam de non transcendentia entis, hic tenent contractionem per *compositionem* metaphysicam fieri, qua conceptus contrahens—differentia ultima, modus intrinsecus—metaphysice enti additur. Hae differentiae non ens sed *realitas* dici debent; ens tandem per additionem *realitatis* contrahitur. Circa Deum nemo est, ait MASTRIUS, qui contractionem per differentias fieri dicat (praeter PONTIUM) ne sequatur compositio in Deo; MASTRIUS sic suam doctrinam enuntiat: Ens ad Deum et creaturam per modos intrinsecos determinatur; ad substantiam vero et accidens per differentias [2].

d) Huic sententiae Scotisticae accedunt G. DE RHODES et alii: "Dico tertio ens contrahi ad inferiora per modum compositionis *metaphysicae imperfectae,* non autem per conceptus solum expressiores". Compositio vero metaphysica imperfecta est "in qua duae sunt partes conceptu distinctae, sed ita ut una pars includat saltem confuse alteram". Et addit: "Patet autem quod ens contrahitur per differentias sola ratione distinctas, in quibus formaliter confuse includitur" [3].

408. Nostra sententia non difficulter stabilitur sententiae Thomisticae adhaerens, iuxta quam iudicamus ens contrahi ad inferiora per maiorem et distinctiorem expressionem eiusdem realitatis quae in ratione entis confuse continebatur. Sententia SONCINATIS solum in modo rem exprimendi differre videtur, fortasse etiam sententia RHODESII. Sententia vero Scotistica consequentia est ad solutionem in priori articulo ab eis propositam.

409. Probatur *per exclusionem.* Contractio entis in inferiora explicanda est aut per compositionem aliquam aut per expressiorem conceptum eiusdem realitatis; *atqui* non per compositionem; *ergo* per expressiorem conceptum eiusdem realitatis; *ergo* ens contrahitur in inferiora sua per modum expressioris conceptus eiusdem realitatis.

Maior: exclusivitas deducitur ex enumeratione sententiarum, imo et etiam ex ipsa natura contractionis, alius enim modus adinveniri nequit.

[1] SONCINAS, *Acutissime quaestiones metaphysicales* l.4 q.19 ad 7.
[2] MASTRIUS. *Metaph.* d.2 q.6 a.2; cf. n.139.
[3] RHODES, *Phil. peripat.* l.4 q.1 s.3.

Minor: a) *non per meram additionem negationis* ad modum SONCINATIS, quia mera negatio non explicat quomodo imperfectissima ratio entis, qualis est illa communissima, ad ens non parvae perfectionis, sicut est substantia, aut ad ens infinitae perfectionis, sicut est Deus, contrahi possit. Caeterum, sententia SONCINATIS, si rite perpendatur, ad nostram recidere videtur, siquidem illius negatio non est nisi modus conceptum entis expressiorem reddendi, negatio enim illa in hoc consistit quod ex ratione communissima entis illa omnia dispareant quae rationem entis communem faciunt, ita ut tandem una sola ratio ibi remaneat quae tandem contractionem facit;

b) *non per veram compositionem metaphysicam,* quae supponit ens non transcendere omnes differentias et modos positivos;

c) *non per compositionem metaphysicam imperfectam,* nam modus contrahens ipse etiam esset ens, sed ens contractum, cuius contractio veniret iterum explicanda;

d) *modus* autem *expressioris conceptus* eiusdem realitatis apte et cohaerenter omnia explicat: tam ipsam contractionem, quam transcendentiam, quam simplicitatem generum supremorum, quam unitatem entis etc.

410. Corollarium. Inde clare apparet quomodo quae dicuntur *genera* suprema entis, non proprie *genera* esse, siquidem non contrahuntur ad inferiora per proprie dictas differentias, neque per compositionem proprie dictam. Caeteroquin, iterum dein clarescet quare in ratione entis ratio generica excludenda sit.

411. Scholion. Apparet etiam rationem generum supremorum *simplicissimam* esse. Sic rem SUÁREZ explicat: "Quarta igitur opinio, et quae mihi probatur, est, hanc contractionem seu determinationem conceptus obiectivi entis ad inferiora non esse intelligendam per modum compositionis, sed solum per modum expressioris conceptionis alicuius entis contenti sub ente; ita ut uterque conceptus, tam entis quam substantiae, v.gr., simplex sit, et irresolubilis in duos conceptus, solumque differant quia unus est magis determinatus quam alius. Quod in ordine ad conceptus formales recte explicatur: differunt enim solum, quia per unum expressius concipitur res, prout est in se, quam per alium quo solum confuse concipitur et praecise secundum aliquam convenientiam cum aliis rebus; hoc autem totum fieri potest, sine propria compositione per solam conceptionem confusam vel distinctam, praecisam vel determinatam. Sic igitur his conceptibus formalibus intelliguntur correspondere duo obiectivi simplices et irresolubiles in plures conceptus, quorum unus dicitur superior, vel abstractior alio, solum quia respondet confusiori conceptui formali, per quam non concipitur res secundum determinatum

modum, quo est in se, sed confuse et praecise. Potest etiam intelligi ille conceptus superior includi in inferiori sine propria compositione inferioris: Quia totum id quod confuse concipitur in illo conceptu praeciso, reperitur in alio obiecto expressius concepto, et in toto illo quacumque ratione consideretur. Ac denique intelligitur determinatio superioris ad inferiora, et additio inferioris ad superius, non quasi per additionem partis ad partem, sed per solam maiorem determinationem vel expressionem aut confusionem eiusdem in ordine ad diversos conceptus mentis"[4].

412. Obiectiones. 1. Id in quo entia conveniunt nequit id esse in quo differunt; *atqui* omnia omnino conveniunt in ratione entis; *ergo* nequeunt differre in ratione entis.

Dist. mai.: Id esse eodem respectu, *conc.;* id sed sub diverso aspectu, *nego.*

2. "Finitum et infinitum dividunt conceptum entis ut quid communius et superius. Sed divisio rationis superioris et communioris fieri nequit, nisi ipsa uniatur et aliquo modo componatur cum rationibus dividentibus"; *ergo* contractio fit per compositionem.

Dist. min.: in conceptibus non transcendentibus, *conc.;* in aliis, *nego.*

3. "Magis universale fit minus universale acquirendo aliquem gradum essentiae magis determinatum. Sed hic acquiri non potest per maiorem expressionem eiusdem conceptus"; *ergo.*

Dist. min. In non transcendentibus, *conc.;* in transcendentibus, *nego.*

4. Conceptus determinabilis per differentias componit cum differentiis; *atqui* conceptus communis entis est determinabilis per differentias; *ergo.*

Dist. mai.: si sint differentiae proprie dictae, *conc.;* si improprie, *nego.*

ARTICULUS III

DE PRAECISIONE ENTIS AB INFERIORIBUS SUIS

413. S. TH., *De ente et essentia;* 1 q.40 a.3; CAIETANUS, *Com. in De ente et essentia;* SUÁREZ, DM. 2 s.3-4; LOSSADA, *Metaphysica* disp.1 c.1; DESCOQS, *Instit. Metaph. gener.* p.182ss; SCHIFFINI, *Principia Phil.* n.353; N. BALTHASAR, *L'abstraction et l'analogie de l'être*: Miscellanea Tomista (Estudis Francescans 34,1924); *L'abstraction métaphysique et l'analogie des êtres dans l'être* (Louvain 1935); A. MARC, *L'idée de l'être...*: ArchPh 10 (1931), 58-60.

414. Nexus. Operatio contractioni contraposita est praecisio mentalis; circa quam, expositis notionibus, iam aliunde notis, quaedam de praecisione mentali rationis entis ad modum corollarii duorum praecedentium articulorum exponemus.

415. Notiones. ABSTRACTIO, ut diximus, est cognitio alicuius non cognitis aliis quae simul sunt. Potest esse *realis,*

[4] SUÁREZ, DM 2 s.2 n.7.

quando quae cognoscuntur et quae non cognoscuntur realiter distincta sunt, ut cum anima hominis cognoscitur non cognito corpore quocum est; *mentalis*, quando quae cognoscuntur et quae non cognoscuntur realiter identica sunt ut si natura specifica cognoscitur non cognita individuatione quacum identice realiter est. Haec abstractio mentalis est quae proprie *praecisio* dicitur.

416. PRAECISIO potest esse *formalis* (quatenus *obiectivae* opponitur), illa est quae nititur in distinctione rationis ratiocinantis; et *obiectiva*, quae nititur in distinctione rationis ratiocinatae. Haec autem erit perfecta vel imperfecta prout fundamentum distinctionis sit perfectum vel imperfectum.

417. Praecisio potest iterum esse *formalis* (quatenus *totali* opponitur); est illa qua forma, vel illud quod instar formae se habet, abstrahitur a materia, vel formale a materiali; quo pacto humanitas abstrahitur ab homine, circulus a materia ex qua factus est etc.; *totalis*, vero, illa per quam natura aliqua praescinditur a differentiis, aut notio superior ab inferioribus. Vocatur totalis quia per eam abstrahitur totum potentiale a suis partibus subiectivis.

418. Praecisio potest ulterius esse *perfecta;* illa in qua notio apprehensa vel concepta nec determinate nec indeterminate, nec expresse nec confuse alias notas includit, quae sunt cum ea realiter identificatae; *imperfecta* est illa in qua notio apprehensa vel concepta aliquo modo alias notiones etiam includit, cum quibus est realiter identificata. Gradus admittit.

419. Praecisio potest etiam esse *mutua,* qua notiones separantur mentaliter, quarum neutra aliam ullo modo includit; est ergo praecisio perfecta; *non-mutua,* qua notiones separantur mentaliter, quarum alterutra ab alia perfecte praescindit, non vero ita haec ab illa. Quaestio proponi solet utrum praecisio non mutua inter duas notiones possibilis sit; eaque generatim affirmative solvitur.

420. Praecisio, sive abstractio mentalis, potest tandem esse *separativa,* illa qua mente alia ratio ab alia vere et perfecte separatur; est ergo praecisio mutua; et *confusiva,* illa quae nihil separat aut omittit, sed omnes determinationes entitativae, quin ulla omittatur, in ratione superiori funduntur, ita

ut in illa reperiantur quoad totum, non tamen quatenus sub determinatione priori, sed quatenus sub ratione hac superiori continentur. Nulla ergo intelligibilis ratio omittitur, sed ea quaecumque sit sub altiori, ideoque confusiori, conceptu intelligitur.

421. Quod si hae notiones prioribus thesibus applicentur, haec sequentia corollaria concludentur.

a) Si ratio entis communissima adhuc contrahenda cum ratione entis ut inferioribus contracta comparetur, necessario aliqua mentis operatio admittenda est, contraria operationi mentali contractivae, qua ratio confusior est expressior reddita. Illa operatio potest abstractiva dici, quatenus in ratione entis contracta aliquid cognoscitur quod expresse in ratione entis communissima non cognoscitur.

b) Sed probata transcendentia entis in inferiora sua, haec abstractio non potest dici *realis,* nam ratio entis realiter *identice* transcendit omnes suas differentias et modos, in quo etiam Scotistae conformes sunt.

c) Sed transcendentia admittenda est etiam *formalis,* ideoque illa operatio abstractiva non potest esse perfecte et mutuo separativa, cum ratio entis etiam modos et differentias contrahentes formaliter transcendat. Ideoque praecisio qua ratio entis ab inferioribus abstrahitur est praecisio imperfecta.

d) Proprie haec praecisio non potest dici non-mutua, nam neutra ratio ab alterutra perfecte praescindit; cum enim ratio entis communissima ad inferiora per solam expressiorem eiusdem realitatis conceptionem contrahatur, inde deducitur rationem entis ab inferioribus non perfecte praescindere; ex alia parte, rationes contractae, imo et differentiae et modi, rationem entis in se perfecte includunt.

e) Inde concluditur natura huius operationis mentalis praecisivae, quae nempe, est *confusiva;* nam rationes entis contractae, ut sunt genera suprema: ens a se, ens ab alio, ens per se et ens in alio, non modo quoad rationem entis sed etiam quoad rationem perseitatis, aseitatis... sunt re vera ens; exinde, cum de *ente a se* dicatur esse *ens,* sub hac ratione *entis* includitur totum quantum est ens a se et ens ab alio, tam quoad aseitatem quam quoad abalietatem, imo et quoad entitatem; ita ut nunc ratio entis communissima rationem entis contractam dicat modo confusiori, eo modo quo ratio contrahenda entis continebat in se rationes contrahentes, quae, pressiori

reddita ratione communissima entis, in sua determinatione apparuerunt.

f) Inde deducitur quod ratio *entis* immediata rationem dicat omnibus entibus communem etsi confuse; solum mediate, mediante operatione contractiva mentis, inferiora qua talia dicit.

g) Sic tandem ratio communissima entis totam realitatem dicit, etsi imperfectissime et confusissimo modo: necessario solum minimam perfectionem exigit, potestative vero etiam infinitam et summam Dei omniperfectionem includit [1].

CAPUT II

De unitate conceptus entis

422. S. TH., *De ente et essentia; De natura gen.* c.2; *De veritate;* SUAREZ, DM 2 s.1-3; COMPLUTENSES, *Log.* d.2 q.4 n.20; LOSSADA, *Metaph.* p.1.ª q.1,2; IOANNES A STO. THOMA, *Logica* q.13 a.5; MASTRIUS, *Metaph.* d.2 q.2, inde a n.10: MAHIEU, *François Suarez. La philosophie et les rapports qu'elle a avec sa théologie* p.2.ª ch.1; DESCOQS, *Instit. Metaph. gener.* p.182ss; URRÁBURU, *Ontologia* p.129ss.; HUGON, *Ontologia* tr.1 q.1 a.2; DEZZA, *Met. gen.* n.24; ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* c.4.

423. Ecce nuper locuti sumus de relatione rationis entis contrahendae cum ratione entis contracta, ita ut a prima ad alteram per solam expressiorem cognitionem eiusdem realitatis veniremus, a ratione vero contracta ad contrahendam per solam abstractionem confusivam. Unde aliquomodo quaedam praecontinentia rationum contractarum in ratione contrahenda deducitur; indeque quaestio nunc exsurgit, utrum re vera conceptus ille entis, qui sub se omnes differentias et modus, imo, omnia entia continere videtur, unus dicendus sit, an potius intrinsece in innumeram multitudinem divisus, aut saltem in multiplicitatem generum supremorum.

ARTICULUS I

DE UNITATE CONCEPTUS FORMALIS ENTIS

Thesis 16. Conceptus formalis entis est unus.

424. Nexus. Quo res clarior evadat, gradatim eam exponemus; in primis de unitate conceptus formalis agemus, dein de unitate conceptus obiectivi, tandem naturam huius unitatis stabiliemus.

---

[1] Cf. HELLÍN, *La analogía del ser...* p.204ss.

425. Notiones. CONCEPTUS est forma seu entitas quaedam suapte natura menti obiecta repraesentans. Est signum naturale rei. Dicitur autem conceptus quia est partus quidam et opus mentis.

426. Conceptus, quatenus ad nostram quaestionem attinet, potest esse *subiectivus*, nempe, ipsa entitas vitalis quae mentem ad cognitionem informat; est ergo qualitas quaedam mentis inhaerens; et *obiectivus* (quatenus *subiectivo* opponitur), est ipsa imago vel similitudo mentalis obiectum cognitum repraesentans in mente: sic consideratus non distinguitur realiter a conceptu subiectivo, sed una eademque entitas quatenus qualitas physica potentiam ad cognitionem informans, dicitur conceptus subiectivus, cuius est tantum potentiam ad cognitionem informare, quin exinde adhuc dignoscatur quaenam et qualis sit cognitio a mente efformanda; quatenus vero est repraesentativa et imago intentionalis obiecti cogniti dicitur conceptus obiectivus.

427. Conceptus potest ulterius esse *formalis*, forma nempe seu actus mentem formaliter ad cognitionem ducens, hoc est, qualitas et expressa rei intellectae similitudo ab intellectu producta, qua formaliter res manifestatur et cognoscitur. Est ergo qualitas quaedam perfectiva intellectus. Hic conceptus formalis in se tam subiectivum quam obiectivum conceptum, prout nuper distinximus, includit, ita ut ille conceptus subiectivus et ille obiectivus non sint nisi diversi aspectus unius huius conceptus formalis; et *obiectivus* (quatenus *formali* opponitur) est quod immediate et proprie menti obiicitur cognoscendum. Ulteriora circa hunc conceptum obiectivum in articulo sequenti exponentur.

428. Status quaestionis. Quae hic statuitur quaestio simplicissima est nec maiorem habet difficultatem, nisi eam quae potius a quaestione in articulo sequenti proponenda proveniat.

Quaeritur enim utrum mens nostra, cum ens ut sic intelligit, unum tantum eliciat mente actum cognoscitivum, diversum quoad suam naturam ab actibus quibus entium peculiarium varietates intelligit.

429. Sententiae. Unanimis fere Scholasticorum sententia unitatem formalem conceptus entis tenet. Citantur quidem ut adversarii FERRARIENSIS et CAIETANUS, hic in opusculo *De*

nominum analogia. Uterque potius de conceptu obiectivo loqui videntur; praesertim CAIETANUS, qui in commentario ad *De ente et essentia* explicite affirmat: "Ens significat unum conceptum formalem communem in repraesentando substantiae et accidenti, Deo et creaturae" [1].

430. Nos etiam huic communi sententiae ut certae adhaeremus, quae facile **probatur.** Ex experientia, nam "audito nomine entis, experimur mentem nostram non distrahi neque dividi in plures conceptus, sed colligi potius ad unum sicut cum concipit *hominem, animal* et similia".

431. *Confirmatur,* nam si multiplex esset, tot fieri debebunt actus mentis circa ens ut sic quot sunt entia diversa, quae sub illa communissima notione clauduntur, vel saltem, quot sunt praedicamenta, quod quidem esset in nominalismum aut in conceptualismum incidere.

ARTICULUS II

DE UNITATE CONCEPTUS OBIECTIVI ENTIS

Thesis 17. Conceptus obiectivus entis est unus.

432. Nexus. Unitas conceptus formalis tandem ab unitate conceptus obiectivi dependet, hanc ergo attente considerandam suscipimus; rem sic tractabimus ut hoc articulo tantum unitatem conceptus obiectivi entis investigemus, ut in sequenti accuratius qualitatem huius unitatis stabiliamus.

433. Notiones. CONCEPTUS OBIECTIVUS nunc accuratius explicandus venit.

a) *Conceptus* dicitur per denominationem extrinsecam a conceptu formali, qui proprie et intrinsece est partus mentis.

b) *Obiectivus* autem, quatenus ideam *obiecti* implicat, in quod actus mentis tendit. Dicit ergo aliquam intelligibilitatem, sed *immediate et actu* iam a mente attingendam. Hoc sensu dici potest, elementum quasi materiale conceptus obiectivi cum obiecto formali cognitionis coincidere.

c) Tale *obiectum conceptus obiectivi* potest cuiuscumque ordinis esse, tam abstracti quam concreti, tam universalis quam singularis, tan possibilis quam realis.

[1] CAIETANUS, *In De ente et essentia* q.2.

d) Hoc obiectum, seu obiectum formale cognitionis, tunc *formaliter* ut conceptus obiectivus constituitur, quando *proprie et immediate menti proponitur actu cognoscendum.*

e) *Duplex* ergo *elementum* constitutivum conceptus obiectivi considerari potest; alterum *materiale,* quod est ille aspectus sub quo aliquid immediate a mente cognosci potest; alterum *formale,* illa actualis et immediata menti propositio talis obiecti ut actu a mente cognoscatur.

434. Quae quidem iam ad conceptum obiectivum entis applicari possunt:

a) Universitas omnium entium cuiuscumque ordinis *obiectum remotum* intellectionis constituit.

b) Quatenus autem omnia, quocumque modo realia, similia sunt aliquo modo in ratione entis, *proximum obiectum* cognitionis mentalis proponunt.

c) Haec *ratio entis* in qua omnia entia aliquo modo similia sunt, *obiectum formale* constituit, sub quo a mente, ens cognoscere intendente, universitas entium consideratur: haec similitudo est *elementum quasi materiale* conceptus obiectivi entis.

d) Haec vero eadem similitudo, quatenus menti subiicitur actu, immediate et proprie cognoscenda constituitur iam *formaliter* ut conceptus obiectivus mentis ens considerantis.

e) Mens vero, hunc conceptum obiectivum apprehendens, cognitionem eius actualem habet, quae est conceptus formalis entis.

435. Inde colliguntur *differentiae* inter conceptum obiectivum et formalem:

a) conceptus *formalis* semper est vera ac positiva res et in creatis est qualitas menti inhaerens; conceptus *obiectivus* non semper est res positiva, nam etiam privationes et entia rationis aliquomodo concipimus;

b) conceptus *formalis* semper est res singularis et individua; conceptus vero *obiectivus* interdum potest esse res singularis, saepe vero est res universalis, confusa vel communis;

c) conceptus *formalis* dicitur conceptus per denominationem intrinsecam; conceptus vero *obiectivus* per denominationem extrinsecam, per relationem ad cognitionem formalem cui obiectum cognoscendum proponit.

Nota bene: qui nunc est conceptus obiectivus potest esse terminus resultans a priori cognitione abstrahente; quatenus resultans ex illa erit conceptus formalis; quatenus nunc illa imago intentionalis menti iterum proponitur est conceptus obiectivus, et hoc per denominationem extrinsecam provenientem ab actu mentis iam iam futuro.

436. UNITAS consistit in indivisione, ideoque potest esse *perfecta,* si indivisio perfecta sit, et *imperfecta* si indivisio imperfecta sit.

437. Status quaestionis. Posita analysi conceptus obiectivi, facile status huius quaestionis proponi potest.

a) Nam cum de conceptu obiectivo entis quaeritur, tota quaestio ad illam similitudinem omnium entium in ratione entis reducitur; aut aliter dictum, ad rationem entis quatenus in ea omnia entia similia sunt.

b) De hac similitudine fundamentali entium quaeritur, utrum ea tanta sit, ut quid intrinsece unum et indivisum menti praebeat cognoscendum immediate et proprie. Hoc vero illud intendit investigare, utrum similitudo entium inter se tanta sit, ut ex eis aliqua imago fundamentalis, aliquo modo *una,* menti proponi possit; hoc est, quae indivisa in se sit.

c) Quodsi imago illa *una* non sit, ideo erit quia non est possibilis entium inter se similitudo tanta, ut una indivisa imago omnia repraesentare valeat; sed plures imagines haberi debebunt saltem iuxta suprema entis genera; ideoque mens, rationem entis ex universitate rerum erutam efformare intendens, non inveniet coram se unam imaginem, unam unicam rationem, sed plures iuxta diversitatem entium.

d) Iam nunc clare apparet quaestionem hanc intime colligatam esse cum quaestione de analogia entis de qua in capite sequenti.

438. Sententiae. Si quaestio his terminis proponatur, tunc sententia unanimis scholasticorum unitatem conceptus obiectivi tenet, iis paucis exceptis qui, analogiam entis negantes, aequivocationem entis respectu inferiorum teneant, de quibus in capite sequenti.

439. Nos etiam, iuxta traditionem hoc in sensu fere unanimem, tenemus certo conceptum obiectivum entis unum esse.

440. Probatur. *Ex ratione unitatis.* Ille conceptus obiectivus erit vere unus qui aliquam notam exprimat vere unam; *atqui* conceptus obiectivus entis talem notam exprimit; *ergo* conceptus obiectivus entis est unus.

Maior, ex dictis in notionibus sat clara est.

Minor: a) nam quaelibet ratio obiectiva intelligi potest praecisione ab omnibus aliis rationibus, quae in illius essentia et intelligibilitate non continentur. Rationes vero ens ad rationem determinatam talis entis contrahentes non pertinent ad essentiam et intelligibilitatem ipsius rationis entis, haec ergo, a rationibus contractivis praecisa, unam vere notam menti cognoscendam exhibet;

b) omnia prorsus entia cuiuscumque ordinis in hoc conveniunt, quod sint aptum quid ad exsistendum, quid habens essentiam realem... sub hoc ergo aspectu menti cognoscenda proponi poterunt, in quo una simplicissima tantum nota ostenditur.

441. Scholion. *De diversitate in intelligendo conceptu obiectivo entis.* Inter auctores, etiam inter ipsos qui SUAREZIUM hac in re sequuntur, quaedam diversitas datur in interpretando quid proprie sit conceptus obiectivus. Ut concrete rem exponam, mentem P. DESCOQS hac in re indicabo. Cum notione entis nominalis agat, continuat: "Notio vero intelligitur conceptus non tantum subiectivus, ut patet, sed obiectivus. Porro secundum nos *conceptus obiectivus* est ipse actus subiecti cognoscentis prout obiectum materiale attingit vel repraesentat, et opponitur *conceptui subiectivo,* qui est actus ipse cognitionis vitaliter productus et, qua talis, subiectiva mentis affectio. Sed haec aliqua explicatione indigent". Explicationibus praeditis, continuat: "Conceptum obiectivum et subiectivum cum compluribus hodiernis scholasticis modo definivimus; sed apud multos alios definitio utriusque est paululum diversa. Dicunt enim conceptum subiectivum esse *terminum productum in subiecto qui sit repraesentativus et imago intentionalis obiecti,* dum conceptus obiectivus est vel *simpliciter obiectum* (et hic citatur IOANNES A STO. THOMA), vel *obiectum ut repraesentatum,* vel *ratio quae proprie per conceptum subiectivum repraesentatur* (citatur FRICK), ita ut res ipsa vocetur *conceptus per denominationem extrinsecam a conceptu formali* (citatur SUÁREZ)". Nunc iam DESCOQS comparationem instituit: "Unde sequitur illud quod vocamus conceptum obiecti-

vum idem esse ac illud quod hi auctores conceptum subiectivum vel formalem definiunt; dum illud quod potius vocabimus obiectum formale idem esse ac eorum conceptum obiectivum" [1]. Re vera quaestio momentum habet nec pure terminologica dicenda est; nam in disputationibus hi termini pro aliquo supponunt, in quo disputantes si non conveniant, impossibilis erit communis solutio, imo nec communis quaestio. Qua de causa accurate hanc notionem exponendam curavimus. Opinamur magni momenti esse conceptum obiectivum distinguere prout a formali et prout a subiectivo contradistinguitur; secus difficultates suborientur in concordandis locis, quas nobiliter pro sua positione insignis DESCOQS fatetur [2].

ARTICULUS III

DE QUALITATE UNITATIS CONCEPTUS OBIECTIVI ENTIS

Thesis 18. Unitas conceptus obiectivi entis est imperfecta.

442. Status quaestionis. *a)* In statuto argumento ad probandam unitatem conceptus obiectivi entis nova quaestio innuitur, utrum, nempe, illa praecisio rationum contrahentium ens ad inferiora a ratione entis tam perfecta esse possit, ut rationes contrahentes non etiam aliquo modo in ipsa ratione praecisa imbibantur; aut aliter dictum, utrum illa convenientia omnium eo quod sint *quid ad exsistendum aptum...* tanta sit, ut exinde perfectissima omnium imago proponi menti possit.

b) Nam si praecisio illa non sit perfecta, tunc rationes contrahentes, in ipsa ratione entis aliquo modo imbibitae, efficient, quod intra hanc aliqua divisio inveniri possit.

c) Pariter, si convenientia omnium in aptitudine ad exsistendum... non sit perfecta, tunc una imagine non poterunt omnia entia menti proponi perfecte cognoscenda, ideoque quaedam divisio in ipsa imagine admittenda erit.

d) Tandem, sic clare apparet intima relatio huius doctrinae cum doctrina de analogia et cum doctrina in capite primo huius partis exposita, ita ut tria haec capita non sint nisi diversi aspectus unius eiusdemque theseos.

---

[1] DESCOQS, *Institut. Metaph. gener.* 1 p.143.
[2] Ibid. nota 3. Cf. ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* c.4 p.235ss.

443. Sententiae. *a) Scotistae,* consequenter ad suam doctrinam de transcendentia, quam negabant, admittunt hic *abstractionem perfectam* rationis entis a suis "differentiis modisque positivis", unde unitas conceptus obiectivi entis perfecta est, ita ut hic conceptus etiam qua repraesentans omnia entia vere *distinctus* sit [1].

b) STUS. THOMAS eiusque *discipuli omnes* tenent unitatem illam consequenter ad doctrinam de transcendentia et de contractione entis, *perfectam esse non posse,* sed tam in abstractione, quam in ipsa nota quam entia menti proponunt cognoscendam, esse admittendam divisionem aliquam, unde unitas conceptus obiectivi entis *imperfecta est.*

c) In explicanda autem hac imperfectione diversitas inter discipulos STI. THOMAE notatur.

1′) Schola *Thomistica* unitatem ita imperfectam admittit, ut *simpliciter* illa deneganda sit, admittenda tantum *secundum quid.* Haec sententia sic a GREDT explicatur: "Ens ergo non enuntiat aliquam rationem obiectivam simpliciter unam, sed significat immediate inferiora sua, quae sunt simpliciter multa et diversa. Non tamen significat ea distincte et explicite sed confuse et implicite, et prout sunt unum secundum quid, i.e., prout sunt proportionaliter unum. Nam quia ens non abstrahit a differentiis inferiorum suorum, has differentias actu continet et enuntiat confundendo eas tamen in ratione proportionaliter una habendi esse. Sicut qui videt gregem a longe ut massam unam confusam, cognoscit singula animalia omnia, at non prout distinguuntur inter se, sed prout confunduntur in illa massa, ac proinde neque cognoscit ea ut sunt plura et distincta, sed ut sunt unum et confusum, quia confundit pluralitatem et distinctionem in illa unitate; ita ens repraesentat omnes entium differentias, perseitatem, accidentalitatem etc., non prout sunt plura et distincta, sed prout sunt unum secundum quid, confundendo pluralitatem et distinctionem in illa ratione proportionaliter una, in qua conveniunt. Qui vero ad singula descendit concipiendo hoc vel illud ens ut substantiam, quantitatem, iam solvit conceptum entis solvendo confusionem" [2].

2′) SUÁREZ, vero, unitatem tantam esse credit, ut conceptus obiectivus *simpliciter* unus dici queat, etsi *secundum*

[1] Cf. WOESTIJNE, *Ontologia* p.182-4.
[2] GREDT, *Logica praedicamentalis* n.162.

quid non sit unus. Iuxta illum abstractio ad detegendum conceptum obiectivum entis *non est perfecta:* "Nihilominus possit ab eis abstrahi conceptus per solam praecisionem intellectus, quae non consistat quasi in separatione unius ab alio, scilicet, formalis a materiali, vel materialis a formali, ut in abstractione generis a differentiis; sed quae consistat in cognitione aliquo modo confusa, qua consideratur obiectum, non distincte et determinate prout est in re, sed secundum aliquam similitudinem, vel convenientiam quam cum aliis habet... et ideo confusio seu praecisio talis conceptus non est per separationem praecisivam unius gradus ab alio, sed solum per cognitionem praecisivam conceptus confusi a distincto et determinato" [3]. Conceptus sic abstractus erit confusus respectu particularium entium ut talia sunt; respectu vero eius obiecti, quod immediate et proprie repraesentat, dici potest et re vera est proprius et distinctus conceptus. Nunc vero "omnia entia realia vere habent aliquam similitudinem et convenientiam in ratione essendi; ergo possunt concipi et repraesentari sub ea praecise ratione qua inter se conveniunt; ergo possunt sub ea ratione unum conceptum obiectivum constituere" [4]. Posita vero abstractione per confusionem, haec unitas necessario *imperfecta* est.

444. Nostra sententia sententiae communi discipulorum Sancti Thomae adhaeret, ita ut unitas conceptus obiectivi simpliciter imperfecta dicatur, diversitate in explicanda hac imperfectione ad scholion relicta.

445. Probatur. *Ex natura huius abstractionis.* Conceptus obiectivus entis erit imperfecte unus si imperfecte a rationibus contrahentibus praescindit, et si entia omnia non perfecte conveniant inter se in ratione entis; *atqui* tam praecisio quam convenientia est imperfecta, ergo conceptus obiectivus entis est imperfecte unus.

Minor: *a*) Nam ratio entis formaliter omnia inferiora transcendit, inde non erit possibile hanc rationem perfecte a modis, cum quibus est praescindere; quia modi etiam *quatenus tales*, sunt ens, ideoque sub ratione entis abstrahuntur et in ratione praecisa entis continentur.

b) Convenientia vero inferiorum entis non est perfecta; nam etsi omnia ad exsistendum apta sint, tamen ipsa haec

[3] Suárez, DM 2 s.6 n.10.
[4] Suárez, DM 2 s.2 n.14.

aptitudo alia et alia est in generibus supremis, et tantum secundum aliquem aspectum communis.

Ideo conceptus entis non est perfecte ab inferioribus praecisus, nec haec perfecte in eo conveniunt. Est ergo conceptus aliquo modo divisus, et consequenter non perfecte unus.

446. Scholion. Differentiae in explicanda imperfectione unitatis in conceptu obiectivo entis, quae intra discipulos SANCTI THOMAE observantur, aliquo modo dici possunt fere verbales; alio vero modo ut profundiores aestimandae sunt. *Verbalis* quidem, nam si veteres Thomistae examinentur, speciatim FERRARIENSIS et CAIETANUS, tunc unitas simpliciter imperfecta dici poterit: Legamus FERRARIENSEM: "Dicendum ergo est quod ens non habet unum praecisum conceptum mentalem praecisum et adaequatum, sed immediate dicit conceptum substantiae, quantitatis, qualitatis et aliorum ut sunt unum similitudine et proportione, sicut et ex parte rei, omnes illas naturas immediate significat ut proportionales sunt, et similes respectu ipsius esse... Hoc autem quod dicimus quod habet esse, est conceptus entis imperfectus et inadaequatus entium, ipsa repraesentans ut sunt similia" [5]. Quae verba videntur dicere quod conceptus adaequatus entium repraesentet haec ut sunt inter se diversa, quod etiam nos docuimus cum diceremus conceptum *distinctum* entium haec iam contracta et determinata in sua multitudine dicere; conceptum vero *confusum* ut sunt similia; iam vero, conceptus, a FERRARIENSI *imperfectus* et *inadaequatus* entium dictus, videtur omnino conceptui confuso esse aequandus. Similiter CAIETANUS: "Oportet duplicem analogi mentalem conceptum distinguere: perfectum et imperfectum, et dicere quod analogo et suis analogatis respondet unus conceptus mentalis imperfectus et tot perfecti quot sunt analogata. Quia enim unum analogatorum ut sic, simile est alteri, consequens est quod conceptus repraesentans unum repraesentet alterum, iuxta illam maximam: Quidquid assimilatur simili ut sic, assimilatur etiam illi cui illud tale est simile. Quia vero talis similitudo proportionum tantum est, quae diversam rationem in altero fundamento habet, conceptus perfecte repraesentans unum analogatorum a perfecta repraesentantione alterius deficit: et consequenter oportet alterius analogati alterum adaequatum conceptum esse. Unde et analogum unum habere men-

[5] FERRARIENSIS, *In I C. Gentes* c.34 fine.

talem conceptum et plures habere mentales conceptus, verum est diversimode. Quamvis simpliciter loquendo, magis debeat dici, analogos esse plures conceptus, nisi loquendi occasio aliud exigat"[6]. Ubi iterum eadem explicatio dari potest. *Profundior* vero differentia ibi apparet ubi de explicanda hac imperfecta similitudine entium in ratione entis agitur. Quaestio vero haec est de qualitate analogiae de qua in sequenti capite.

447. Obiectiones. 1. Nullum transcendens potest esse conceptus simpliciter unus et communis. Sed ens est transcendens; *ergo* non importat conceptum simpliciter unum. *Maior.:* Quia de ratione conceptus simpliciter unius, communis et praecisi est, quod sit potentialis et determinabilis per illa inferiora a quibus abstrahit: ac proinde gradus contrahibilis et contrahens debent se habere ut partes metaphysicae, de quarum ratione est comparari ut extrema se invicem excludentia"[7].

Nego assertum; ad probationem: *Dist. ant.:* De ratione conceptus perfecte unius est quod sit determinabilis per differentiam contractivam tamquam partem metaphysicam, *conc.;* de ratione conceptus imperfecte unius est..., *subdist.;* si contractio fit per additam differentiam, *conc.;* si fit per expressiorem conceptum eiusdem realitatis, *nego.*

2. "Ideo genus dicit conceptum simpliciter unum, praecisum et communem, quia non est de essentia differentiarum. Sed ens est de essentia modorum quibus ad praedicamenta contrahitur; *ergo* non dicit unum conceptum communem et praecisum. *Probatur mai.*: nam quod est de essentia alicuius, nequit vere praescindi ab illo; *ergo*"[8].

Nego mai. Et ad probationem, *conc. antec.* et *nego cons.* et *consqt.* *Nota bene* quod genus dicit conceptum únum, et quidem perfecte unum, quia differentiae non sunt de essentia generis, non vero quia genus non est de essentia differentiarum.

3. Si ens haberet conceptum simpliciter unum et praecisum, esset univocum. Consequens est falsum; *ergo.* "Quia illa ratio sufficit ad univocationem quae actu non includit principia distinguentia, licet illa includat in potentia"[9].

Dist. mai.: si esset conceptus perfecte unus, *conc.;* secus, *nego.* Ratio addita non ea omnia ponit quae ad univocationem requiruntur, ut explicabitur.

4. "Si ens diceret conceptum simpliciter unum, praecisum a Deo et creaturis, et a substantia et accidente, sequeretur aliquid esse prius et simplicius Deo, et praedicamenta non esse primo diversa. Sed haec plane falsa sunt; *ergo.* Sequela quoad primam partem suadetur: quoniam iam Deus componeretur ex illo conceptu entis et ex propria differentia seu modo... Quoad secundum etiam ostenditur.

[6] CAIETANUS, *De nominum analogia* c.4.
[7] Sic COMPLUTENSES, *Logica* d.2 q.4 n.20.
[8] Ibid.
[9] Ibid.

Nam iam praedicata essent composita ex illo gradu entis et ex propriis differentiis aut modis constitutivis" [10].

Dist. mai.: quoad primum: esset aliquid prius Deo in subsistendi consequentia, *trans.;* vere et realiter, *nego;* esset simplicius Deo physice et realiter, *nego;* logice, quatenus minorem ostendit comprehensionem, *conc.* Quoad alterum: si contractio ad praedicamenta per compositionem fieret, *conc.;* si per expressiorem conceptum eiusdem realitatis fit, *nego.*

5. Si notio entis una eademque omnibus conveniret, omnia idem ens essent; *atqui* id absurdum est; *ergo.*

Dist. mai.: omnia essent idem ens physice, *nego;* idem logice *subdist.:* identitate perfecta, *nego;* identitate imperfecta et confusa, *conc.*

6. Quod in suo conceptu exprimit alia, non ab his praescindit *atqui* conceptus entis exprimit quidquid est ens: *ergo* non praescindit ab ulla re, sive completa, sive modo et differentia.

Dist. mai.: Si exprimit ea determinate, *conc.;* si tantum confuse, *nego. Contradist. min.*

7. Ens sicut describitur est penitus indeterminatum et vacuum ideoque vere nihil.

Dist. ant. Est penitus indeterminatum quatenus non dicit hoc vel illud determinatum ens, *cons.;* quatenus non distincte exprimit differentiam a nihilo et non ente, *nego.*

CAPUT III

De analogia entis

448. Auctores generatim huic quaestioni maximum concedunt momentum, ab ea enim solutio duplicis gravissimi problematis requiritur: problematis de multiplicitate entium, et problematis de cognitione Dei. Nam quae realiter dantur aut dari possunt ea sunt omnino entia, quin sit elementum ullum diversificativum quod ens non sit; inde igitur concludendum videretur, multiplicabilitatem per transcendentiam formalem entis absolute impediri; de facto autem differunt, et quidem per ipsam suam entitatem: quomodo hoc explicatur? Si vero distantia inter entia talis statuatur ut nulla mutua similitudo adsit, tunc cognitio alicuius ex cognitis aliis impossibilis redditur, et consequenter, nec possibilis erit nobis cognitio Dei. Quodsi nimia similitudo inter omnia entia intercedat tunc in ratione entis Deus et creatura parificabuntur. Haec sunt extrema inter quae tota haec quaestio de analogia versatur.

[10] Ibid.

ARTICULUS I

DE AEQUIVOCATIONE ET UNIVOCATIONE ENTIS

Thesis 19. Ratio entis nec aequivoce nec univoce inferioribus convenit.

449. S. TH., *De ente et essentia; De potentia* q.7 a.7; CAIETANUS, *De nominum analogia;* SUAREZ, DM 28 s.3; MASTRIUS, *Metaph.* d.6 q.5; FRASSEN, *Metaphysica* disp.1 s.2 q.2; MINGES, *Beitrag zur Lehre des Duns Scotus über die Univokation des Seinsbegriffes:* Philos. Jahrb. 20 (1907) 308-323; T. BARTH, *De fundamento univocationis apud Ioannem Duns Scotum:* Ant 14 (1939) 181-206; Z. van de WOESTIJNE, *Ontologia;* BELMONTD, *Etudes sur la philosophie de John Duns Scotus* (Washington 1942); E. GILSON, *Avicenne et le point de départ de Duns Scot* t.I p.232-355; C. L. SHIRCEL, *The Univocity of the Concept of Being in the philosophy of John Duns Scot:* ArchHistDoctrLitMa 2 (1927) 89-150; HELLÍN, *La analogía del ser...*

450. Nexus. Quo clarius et expeditione maiori in quaestione de analogia procedamus, in primis sententias extremas reiiciendas sumimus.

451. Notiones. Cum de univocatione, analogia, aequivocatione quaeritur haec semper elementa intercedunt: quid, cui, quomodo *conveniat;* conveniat, inquam, nam in Metaphysica quaestio non est de praedicatione terminorum, sed illa primordialis de *convenientia* ipsa ontologica rationum.

a) *Quid.* Terminus qui aliis comparandus sumitur, aut ratio, in primis *in statu metaphysico* intelligendus est; hoc est, prout rationem formalem absolutam dicit, quae per definitionem formalem exprimitur; ea autem independens est et a statu physico et a statu logico, potens utrique convenire. Saepe tamen potius nomen quam ratio ipsa ad comparationem adhibetur. Comparatio vero tandem in hoc consistit, ut examinetur utrum illa ratio absoluta comparata secum prout in suis inferioribus invenitur mutationem aliquam passa sit necne, vel quatenus in contractione ad inferiora aliquantulum mutata sit, vel quatenus inferiora diverso modo ea participant.

b) *Cui.* Univocatio, analogia... non concipitur nisi saltem duos terminos includat, inter quos comparatio statuitur, utrum ipsis ratio absoluta, seu terminus qui, eodem modo convenerit necne.

c) *Quomodo.* Modus quo aliqua ratio formalis aliis convenire potest triplex est:

1′ Ita ut ratio illa formalis sine ulla sui mutatione illis prorsus eodem modo conveniat, etsi forte pro omnibus aliqua modificatio in se passa sit. Hic modus conveniendi *univocatio* dicitur.

2′ Ita ut ratio illa formalis aliis non conveniat etsi idem nomen habeant. Hic modus conveniendi *aequivocatio* dicitur.

3′ Ita ut ratio illa formalis aliis secundum quid conveniat, secundum quid disconveniat, et quidem quoad ipsam rationem formalem; modus hic conveniendi simul et disconveniendi *analogia* dicitur.

452. *Denominationes variae* ex his considerationibus suboriuntur:

a) Quando datur convenientia *univoca:*

Univocans dicitur illa ratio formalis quae aliis pluribus eodem prorsus modo convenit. Correspondenter etiam nomen dicitur univocans. Minus proprie, sed saepius, ratio univoca, nomen univocum dicuntur.

Univocata dicuntur illa quae in una ratione formali plene conveniunt. Etiam univoca dicuntur.

Univocatio est convenientia plena rationis formalis pluribus.

b) Quando datur convenientia *aequivoca*:

Aequivocans dicitur illud nomen quod pluribus ita convenit, ut ratio sub eo designata ipsis non conveniat. Etiam dicitur nomen aequivocum.

Aequivocata illa dicuntur quibus idem nomen convenit cum tamen ratio sub nomine designata non conveniat. Etiam aequivoca dicuntur.

Aequivocatio est attributio unius nominis pluribus, quibus, tamen, ratio sub nomine designata non convenit.

c) Quando datur convenientia *analoga:*

Analogans dicitur ratio formalis quae sub eodem nomine alteri vel pluribus simul convenit et disconvenit. Etiam dicitur ratio analoga, analogica.

Analogata sunt illa quibus ratio aliqua sub eodem nomine simul convenit et disconvenit. Etiam analoga dicuntur.

Analogia est convenientia et disconvenientia ejusdem rationis pluribus eodem nomine designatis.

453. Haec omnia in sequenti paradigmate colliguntur:

	Nomen, Ratio	*Modus*	*Obiectum cui*
Univoc -	-ans	-atio	-atum, -um
Analog -	-ans	-ia	-atum, -um
Aequivoc -	-ans	-atio	-atum, -um

454. *Proprietates univocationis. a)* Nomini univocanti ratio correspondet cuius conceptus obiectivus perfecte unus sit et perfecte ab inferioribus praescindens: inferiora ergo immediate non dicit nec confuse quidem.

b) Ratio univocans in inferioribus invenitur prorsus eadem et prorsus eodem modo.

c) Univocata rationem univocantem prorsus eodem modo et perfecta similitudine habent et cum absoluta mutua independentia.

d) A ratione ergo univocante formaliter excluditur ratio prioris et posterioris in sui communicatione ad inferiora, quibus proinde aequaliter et eodem ordine convenit.

455. Univocatio, prout termini univocati sint in statu physico, logico aut metaphysico, potest esse *physica:* perfecta convenientia alicuius rationis pluribus in statu physico consideratis; *metaphysica:* perfecta convenientia alicuius rationis pluribus in statu metaphysico consideratis; *logica*: perfecta convenientia alicuius rationis pluribus in statu logico consideratis. Sic ratio *hominis* univocatione physica Petro et Paulo convenit (nisi, ut aliquibus videtur, differentia individuans sufficiens sit ad univocationem physicam auferendam); univocatione metaphysica, hominibus omnibus quoad notas essentiales consideratis; univocatione logica, quatenus omnes sub ratione universali, ut universalis est, complectitur.

456. *Disputatur a)* de alia divisione univocationis in *universalem et non universalem. Universalis* illa est univocatio, in qua ratio univocans inferioribus suis eodem prorsus modo et ordine convenit, et ita quidem ut perfecte a differentiis abstrahi possit ideoque conceptum obiectivum unum perfecte habeat. Sic est in ratione generica et specifica. Univocatio *non universalis* seu transcendens illa est, in qua ratio univocans a differentiis inferiorum non perfecte praescindit, ideoque nec habet conceptum obiectivum perfecte unum. Sunt qui

univocum non universale etiam univocum logicum denominent.

b) Utrum differentia individuans sufficiens sit ut univocationem physicam destruat. Sunt nempe qui dicant Petrum et Paulum physice non univocari, quia differentia individuans physice totam entitatem etiam essentialem Petri et Pauli transcendit. Alii vero aestimant solam individuationem non sufficere ad univocationem physicam negandam.

457. Status quaestionis. *a)* Ratio quae nunc comparanda sumitur est ratio entis, de qua scimus quidem transcendere in inferiora sua, et quidem ad ea per expressiorem conceptum eiusdem realitatis contrahi; a suis notis contrahentibus praescindere, etsi non perfecte; ideoque ex parte inferiorum conceptum obiectivum unum quidem praeberi etsi non perfecte unum.

b) Inferiora nunc sumimus omnia quidem quae rationem entis participant, ea vero in suprema entis genera reducta consideramus.

c) De eis vero hoc quaerimus: utrum ipsis praeter nomen entis etiam ratio intrinseca entis *conveniat,* utrum haec convenientia *eadem prorsus* sit, ita ut in his supremis generibus eadem prorsus ratio entis contracta inveniatur et quidem eodem modo contracta, imo ita ut in illis independenter et primarie talis ratio inveniatur, et ita quidem ut perfecte a suis differentiis abstrahibilis sit.

458. Sententiae. RABBI MOISES MAIMONIDES dicit nullam similitudinem inter Deum et creaturas intercedere, ita ut quidquid Deo tribuatur a nostris attributis sub omni respectu differat, nec possint ullo modo sub eadem definitione includi. Habetur mera *homonymia*[1].

S. THOMAS eiusque omnes discipuli tam aequivocationem quam univocationem entis respectu inferiorum suorum negant.

Scotistae, consequenter ad doctrinam de transcendentia, univocationem entis tenent. Ecce vero quomodo haec univocatio a MASTRIO explicetur: "Rursus quatuor assignari solere uni-

[1] MAIMONIDES, *Guía de descarriados* p.1.ª c.35 et 56: "Es pues evidente para el que comprende el sentido de la *semejanza,* que si la palabra *existente* se aplica al mismo tiempo a Dios y a todo lo que esté fuera de El, es por simple homonimia; y de igual modo la *ciencia,* el *poder,* la *voluntad* y la *vida,* sólo por mera homonimia se atribuyen al mismo tiempo a Dios y a todo lo que está dotado de ciencia, poder, voluntad, vida, sin que haya semejanza alguna de sentido entre las dos clases de atributos".

vocationis gradus. *Primus* est, quando ratio communis correspondens nomini communi participatur ab inferioribus secundum eundem ordinem essentialem, et tandem secundum eundem gradum perfectionis essentialem, quo pacto species in sua individua descendere dicitur. *Secundus,* quando ratio illa communis participatur secundum eundem modum essendi, et secundum eundem ordinem essentialem, non tamen secundum eundem gradum perfectionis, sicut... *Tertius* quando ratio communis participatur secundum eundem modum essendi tantum, non tamen secundum eundem ordinem, nec secundum eundem gradum essentialem perfectionis... *Quartus,* quando ratio illa communis participatur ab inferioribus cum diversitate modorum essendi, cum diversitate ordinis et perfectionis essentialis. Ita dicunt se habere ens respectu Dei et creaturae... Hinc duplicem assignabimus univocationem ex Scoto... unam perfectam et completam, quae nimirum importat unitatem rationis communis, modi essendi, ordinis essentialis et gradus perfectionalis; alteram diminutam et incompletam, quae nimirum importat unitatem rationis communis (haec enim conditio est simpliciter et absolute ad univocationem necessaria) sed deficiunt caeterae conditiones, vel saltem aliquae earum... Dicendum est pro resolutione quaesiti ens reale ad Deum et creaturam, substantiam et accidens non esse aequivocum, sed analogum univocum, scilicet analogia attributionis cum qua consistit univocatio. Ita Doctor... eiusque interpretes; formalistae omnes nostrae scholae, et quod mirabilius est sequuntur etiam quam plures aliarum scholarum... ita CONTARENUS, ARRIAGA, OVIEDO..." [2].

ARRIAGA concludendum censet, "ens ut sic esse omnino univocum"; ipse vero nullam admittit unquam analogiam nisi analogiam attributionis aut metaphoricam, in quibus ratio significata non invenitur proprie in omnibus analogatis, et quae vocari solent analoga impropria. Hac de causa ait dein: "Adverte tamen, quaestionem hanc vere esse de nomine: nullus enim negat rationem entis in Deo contrahi per differentiam infinite perfectiorem, quam contrahatur in creatura... Haec de re inter omnes certa. An autem propter hanc differentiam in rationibus contractivis, vel propter maiorem distantiam, ratio entis dicenda sit analoga necne, quaestio est de nomine. Unde obiter intelliges, quam sine causa nonnulli auctores

[2] MASTRIUS, *Metaph.* disp. 6 q.5 n.105.106.112. Cf. de diversis tendentiis Scotistarum brevem notulam apud DE RAEYMAEKER, *Philosophie de l'être* p.51-2.

scandalicentur, dum audiunt nos facere rationem entis Deo et creaturae univocam; putant enim (non enim attendunt quid dicere velimus) nos facere creaturas Deo aequales, aut aliquid derogare divinae Maiestati; a quo quam longe absimus, ex dictis hucusque constat" [3].

LOSSADA sic rem explicat: "Dico 1. Ratio entis, si spectetur praecise ut significata per nomen seu conceptum *ens* univoca est Deo et creaturae, necnon substantiae et accidenti... Dico 2. Ratio entis, si spectetur modus essendi, quem habet in inferioribus, analoga est: et hoc sufficit, ut ens dicatur absolute et simpliciter analogum... Deinde fatendum est, quod univocatio quam in 1. asserto tribuimus enti, est logica; et analogia, quam in praesenti damus est metaphysica: ideo ens est logice univocum et metaphysice analogum... Ex dictis colliges, ens commune, sine speciali reduplicatione sumptum, esse univocum analogum, ut aiebat tertia sententia n.35 (MASTRIUS), sic tamen ut sit analogum simpliciter et univocum secundum quid" [4].

Theologia sic dicta *dialectica*, cuius praecipuus defensor CAROLUS BARTH est, talem profitetur *transcendentiam* Dei, ut hic dicatur *ille omnino alius*, ita ut nihil commune ullo modo inter Deum et nos inveniatur.

Transcendentia Dei, aut etiam entis quod Absolutum vocatur, tanta inter modernos philosophos saepe docetur, ut Deus incognoscibilis sit. Sic etiam inter non paucos Exsistentialistas, qui strictam methodum phaenomenologicam profiteantur.

459. Nos vero, cum inter Scholasticos quoad rem in hac quaestione vere concordiam dari inveniamus: nam sententia Scotistica, ut a MASTRIO exponitur, univocitatem tantum analogicam admittit, quae cum analogia quam defendemus coincidere quoad rem videtur; differentia a P. ARRIAGA proposita tantum nominis appareat, univocitas vero Patris LOSSADA tantum logica in sensu largiori sit..., sic, cum communi doctrina omnium Scholasticorum, tam aequivocationem quam univocitatem metaphysicam rationis entis respectu generum supremorum entis certo reiicimus.

460. Probatur. Illa ratio, quae, ex una parte, inferiora sua formaliter transcendit et ab eis perfecte praescindere non potest; cuius inferiora, ex alia parte, conceptum obiectivum

[3] ARRIAGA, *Cursus phil.* disp.11 *Logica* s.9.
[4] LOSSADA, *Metaphysica* d.1 c.3 n.36.42.44.46.

perfecte unum praebere non possunt et cum mutua dependentia tali ratione participant, nec aequivoca nec univoca est; *atqui* talis est ratio entis respectu suorum inferiorum; *ergo* nec aequivoca nec univoca est.

Maior: conditiones includit quae tam ad aequivocationem quam ad univocationem in genere requiruntur.

Minor: Quod ens transcendat formaliter inferiora sua, ostensum est; ideoque ens non est aequivocum; quod ratio entis ab inferioribus perfecte non praescindat, quod conceptus obiectivus perfecte non sit unus, ostensum etiam est; quod autem ratio entis inferioribus cum mutua dependentia communicetur sat clarum est, et in sequenti articulo clarius ostendetur.

461. Obiectiones. 1. Esse creaturarum plane diversum est ab esse Dei, ita ut esse divinum sit causa aequivoca creaturae; *ergo* ens aequivoce dicitur.

Dist. ant. Deus non est agens univocum, *conc.;* non est nec analogum, *nego.* Etsi similitudo non sit perfecta, est tamen sufficiens.

2. Quo maior est distantia eo minor est similitudo; *atqui* distantia inter Deum et creaturam est infinita; *ergo* nulla similitudo.

Dist. mai.: Distantia illa est inter positivum et negativum, *nego;* inter positivum et positivum, *conc.* Intra hoc positivum, etsi entia in infinitum distent, conveniunt tamen in eo quod sint ens.

3. Esse creaturae non est nisi imago divini esse. Sed nomen rei praedicatur de imagine tantum aequivoce; *ergo* etiam de creatura.

Dist. mai.: est imago per participationem finitam ipsius esse, *conc.;* sine ulla participatione, *nego. Contradist. min.*

4. Si notio entis praescindit ab inferioribus univoca est; *atqui* praescindit; *ergo.*

Dist. mai.: si perfecte praescindit, *conc.;* si imperfecte, *nego.*

5. Ea sunt univoca quae eamdem habent definitionem; *atqui* omnia entia eamdem habent definitionem; *ergo.*

Dist. mai.: eamdem definitionem eodem modo intellectam, *conc.;* non eodem modo intellectam, *nego. Contradist. min.* Re vera Deus et creatura, substantia et accidens... omnia dicuntur ens; sed illa aptitudo ad exsistendum quae per rationem entis dicitur non prorsus eadem est in omnibus.

6. Saltem ens in sua abstractione consideratum, prout praescindit ab inferioribus, univocum est, siquidem in illo statu nullam prae se fert differentiam rationum.

Nego assertum; in illa abstractione, si nullo modo consideratur ut respiciens inferiora, nec univocum nec analogum dici potest. Aut potius, etiam tunc, ratio analoga erit ut dein ostendemus, propter rationem prioritatis et posterioritatis.

ARTICULUS II

DE ANALOGIA METAPHYSICA ENTIS

Thesis 20. Ratio entis est metaphysice analogica respectu inferiorum suorum.

462. S. TH., *De ente et essentia* et in locis qui citantur; CAIETANUS, *De nominum analogia; De conceptu entis; In S. Theol.* 1 q.13 a.5; FERRARIENSIS, *In I C. Gen.* c.34; SUÁREZ, DM 28 s.3; 32 s.2; IOANNES A STO THOMA, *Logica* p.2.ª q.13 a.5; HABBEL, *Die Analogie zwischen Gott und Welt nach Thomas von Aquin* (Ratisbonae 1928); RAMIREZ, *De analogia secundum doctrinam aristotelico-Thomisticam:* CienTom (1921-1922); DESCOQS, *Institut Metaph. gener.* (ampla bibliogr. p.180); MANSER, *La esencia del tomismo* p.437-535; M. T.-L. PENIDO, *Le rôle de l'analogie en Théologie dogmatique* (Paris 1931); MARECHAL, *Le point de départ...* 1,79,156; CHOSSAT, *Agnosticisme:* DAFC; HELLÍN, *La analogía del ser y el conocimiento de Dios en Suárez* (Madrid 1948); ITURRIOZ, *Estudios sobre la metafísica de Fr. Suárez.* c.4 et 6.

463. Nexus. Prior articulus fere negativus erat, quatenus falsam entis inferioribus communicationem excludebat; nunc vero positive, etsi nondum plene, naturam talis communicationis ostendere intendimus.

464. Notiones. ANALOGIA vi ipsius termini apparet ut quid intermedium inter univocum seu *synonymum* et aequivocum seu *homonymum. Etymologice* proportionem quodammodo significat; et usus primarius huius termini in scientiis mathematicis habetur ad significandam proportionem quantitatum seu numerorum. Sensu *vulgari* analogia meram similitudinem saepe metaphoram pure fictam indicat.

465. *Philosophice* dupliciter considerari potest:

a) *Ex parte termini* et potius ex parte *conceptus analogantis.* Ratio, seu conceptus per terminum designatus consideratur in relatione ad ea in quibus talis ratio verificata invenitur—sic *cognitio,* quae verificatur in Deo, in homine et in animali—ut observetur utrum haec ratio in his omnibus eodem modo verificata sit; si vero non eodem modo, quaeritur utrum ratio potius ad sui verificationem in uno quam in aliis tendat; quod si talis intrinsecus *ordo prioritatis et posterioritatis* in ratione appareat, qua tendat prius in hoc quam in alia, tunc illa ratio aut ille conceptus, et consequenter ille terminus, *analogus* dicitur, seu melius, *analogans.* Sic, ratio cognitionis in Deo, in homine et in animali verificatur: sed cognitio Dei, non modo perfectior est quam cognitio hominis et animalis, sed etiam superioris ordinis; non ergo eodem modo verifica-

tur cognitio in his tribus cum tamen in omnibus verificetur. Inde recte perspecta ratione intrinseca cognitionis haec invenitur primarie et principalissime ad sui verificationem in Deo tendere, in quo perfectionem summam, proportionalem ad ipsum intellectum divinum, obtinet; secundario, etiam proportionaliter, ad hominem et animal.

b) *Ex parte rerum* seu *analogatorum.* Plura comparantur inter se, quae eodem nomine designata eandem perfectionem participare videntur: sic Deus *vivens* dicitur, homo etiam *vivens,* planta etiam *vivens.* Quaeritur, utrum perfectio tali nomine designata in omnibus re vera inveniatur; quodsi invenitur, utrum eodem modo et ordine perfectionis. Si idem modus et ordo perfectionis detur, ita ut perfectio illa saltem quoad suam naturam hic et nunc inventam eadem dici debeat, tunc univocatio habebitur; secus autem illa analogata dicentur. Sic vita *intrinsece* in Deo, in homine, in planta datur; sed tamen vita *divina* infinite perfectior est, et alia quoad gradum et modum, quam vita *creata;* vita *humana* longe perfectior quam vita *vegetativa;* cum tamen vita, tam divina, quam humana, quam vegetativa, vere et proprie vita dici debeat.

466. *Analogia definiri* potest *convenientia et disconvenientia alicuius conceptus sub eodem nomine pluribus.* Analogata cum Sto. Thoma dici possunt "quorum nomen commune est, et secundum illud nomen definitio rei partim eadem partim diversae" [1]; et etiam, definitio "secundum proportionem eadem" [2]. *Analogans* vero dici potest conceptus iuxta Stum. Thomam, aut terminus quando "unum nomen dicitur de multis secundum rationes diversas non totaliter, sed in aliquo convenientes" [3] aut "secundum rationes quae partim sunt diversae quidem secundum quod diversas habitudines important, unae autem secundum quod ad unum aliquid et idem istae diversae habitudines referuntur" [4].

467. *Auctores* generatim potius quam analogiam solent analogata definire; quaedam diversitates notare licet, alii enim definitionem forma potius negativa proponunt; sic v.gr. Hugon: "analoga dicuntur quorum nomen est commune et ratio nomine significata nec est simpliciter diversa, nec simpliciter eadem, sed importat quamdam proportionem et similitudinem" [5]; et Pesch, qui terminum ana-

---

[1] *In XI Metaph.* lect.23; *In I Eth.* lect.7; 1 q.13 a.5.
[2] *De ver.* 2,11.
[3] *In I Eth.* lect.7.
[4] *In IV Metaph.* lect. 1.
[5] *Logica* p.45.

logum definit eum "qui plura significare potest significatione neque omnino eadem nec plane diversa" [6] aliquando potius identitatem quam diversitatem analogatorum insinuat, alii e contra diversitatem potius quam identitatem. Qua in re recta videtur animadversio Ptis. GARRIGOU-LAGRANGE, iuxta quem discipuli SUAREZII analogata definiunt "quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen secundum quid diversa et simpliciter eadem"; Thomistae vero "quorum nomen commune est, ratio vero per nomen significata simpliciter quidem diversa in illis, secundum quid tamen eadem, id est per aliquam proportionem" [7]. Sic ex. gr. RAMIREZ definit: "sunt analoga ea quorum nomen est idem, sed ratio significata per nomen est simpliciter diversa et secundum quid eadem" [8].

468. *Divisiones analogiae.* Analogia *potest* esse *intrinseca* seu *per intrinsecam denominationem:* illa in qua ratio per commune nomen designata omnibus analogatis intrinsece convenit: sic in exemplo prius proposito, *vita* et *cognitio; extrinsece* seu *per extrinsecam denominationem,* illa in qua ratio per commune nomen significata non omnibus analogatis intrinsece convenit, etsi saltem analogato principi intrinsece convenire debet: sic nomen *sanum* dictum de vivente, de medicina, de alimento, de colore...

469. Potest etiam esse, secundum STUM. THOMAM: "Aliquid dicitur secundum analogiam tripliciter: vel *secundum intentionem tantum et non secundum esse,* et hoc est quando una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno, sicut intentio sanitatis refertur ad animal, urinam et diaetam diversimode secundum prius et posterius, non tamen secundum diversum esse. Quia esse sanitatis non est nisi in animali; vel *secundum esse et non secundum intentionem,* et hoc contingit quando plura parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus, sicut omnia corpora parificantur in intentione corporeitatis. Unde *logicus* qui considerat intentiones tantum, dicit hoc nomen *corpus* de omnibus corporibus univoce praedicari, sed esse huius naturae non est eiusdem rationis in corruptibilibus et incorruptibilibus. Unde quantum ad *metaphysicum* et *naturalem,* qui considerant res secundum esse, nec hoc nomen *corpus,* nec aliquid aliud dicitur univoce de corruptibilibus et incorruptibilibus..., vel *secundum intentionem et secundum esse,* et hoc est quando neque parificantur in intentione communi neque in esse: sicut

[6] PESCH-FRICK, *Institutiones logicae et ontol.* t.1 p.75 n.114.
[7] *Dieu* p.584 nota.
[8] *Opusculum De analogia.*

ens dicitur de substantia et accidente et de talibus oportet quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum de quibus dicitur, sed differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis" [9].

470. Analogia potest iterum esse, iuxta statum in quo analogata inveniuntur, *physica,* quae est convenientia simul ac disconvenientia alicuius rationis pluribus prout *in statu physico* considerantur; *metaphysica,* quae est convenientia simul ac disconvenientia alicuius conceptus pluribus prout *in statu metaphysico* considerantur; *logica,* quae est convenientia simul ac disconvenientia alicuius rationis pluribus prout *in statu logico* abstractionis considerantur. Notandum est: si de pluribus aliquis conceptus obiectivus unus in statu abstractionis haberi possit, etsi imperfecte tantum unus, tunc hoc sufficere ut univocatio logica habeatur: unde tunc analogia dabitur logica, quando ne in statu abstractionis unitas conceptus haberi potest, nec imperfecta.

471. *Proprietates analogiae: a)* Si plura membra divisionum analogiae considerentur, potest per quandam abstractionem communis aliquis conceptus analogiae obtineri, cuius conceptus formalis unus erit, sicut et obiectivus; hic autem non videtur esse posse perfecte unus cum iuxta Stum. Thomam "analogum dividitur secundum diversos modos" [10]; inde, iuxta aliquos, conceptus ipse analogiae analogus est [11]; iuxta alios potius dici debet univocus transcendens non universalis [12].

b) Si *analogia extrinseca* consideretur, in ipsa perficienda aliqua intellectus activitas datur; analogatum secundarium per analogatum princeps saltem in obliquo definitur, in quo solo forma invenitur, ex qua communis denominatio desumitur. Analogata per extrinsecam denominationem non praebent menti conceptum obiectivum unum sed multiplicem; inde quodammodo nomina *aequivoca* dici possunt, sed non *a casu.* Sed tamen adhuc omnia analogata unam communem formam significant aut intrinsece habitam aut tamquam terminum cuiusdam habitudinis, ratione cuius a forma illa denominationem

---

[9] 1 *Sent.* dist.19 q.5 s.2. Cf. SCHIFFINI, *Principia philosophica* editio altera n.34 p.22-24.
[10] 1 *Sent.* d.22 q.1 a.3 ad 2.
[11] Cf. PENIDO, *o. c.* p.27
[12] HELLÍN, *o. c.* p.91.

analogam suscipiunt: quodsi simpliciter tale nomen adhibeatur et absolute, tunc proprie analogatum princeps significat.

c) Si *analogia intrinseca* consideretur tunc potest aliquis conceptus obiectivus unus obtineri per quandam abstractionem, qui tamen non perfecte unus erit, nec intrinsece perfecte uniformis, sed potius ad unum inferiorum tendens primario et principaliter. Cum forma a qua denominatio sumitur intrinsece omnibus analogatis insit, haec nomen directe a propria forma suscipiunt, indeque nomen analogans potest directe et immediate quodcumque analogatorum significare; nec in definitione analogatorum secundariorum necessario et immediate analogatum princeps erit exprimendum, etsi in comprehensione plena definitionis aliqua habitudo ad analogatum princeps apparere debeat.

472. Status quaestionis. *a)* Termini, qui in hac analogiae quaestione sumuntur, sunt, ex una parte, *ens* tanquam conceptus aut nomen analogans, et ex alia, *ens a se et ens ab alio, ens per se et ens in alio.*

b) *Dupliciter* quaestio statui potest: potest enim, in primis, quaeri, utrum natura intrinseca rationis *entis* talis sit, ut tendat intrinsece ad sui verificationem prius et perfectius in *ens a se* quam in *ens ab alio,* in *ens per se* quam in *ens in alio;* hoc est, utrum ratio entis in sui constitutione rationem prioris et posterioris includat. Quod ut accidat, necessario praesupponenda est imperfectio intrinseca ipsius unitatis conceptus obiectivi entis, qui, si perfecte uniformis esset, eadem intrinseca ordinatione omni enti communicaretur. Iam vero, hoc in loco imperfectio unitatis conceptus obiectivi entis sufficienter probata sumitur.

c) Potest etiam hoc *alio modo* quaestio proponi: si ratio *entis a se* et *entis ab alio* inter se comparentur, et, pariter, ratio *entis per se* et *entis in alio,* investigatur utrum ratio entis eadem prorsus et undequaque sit prout in *ente a se* et *in ente ab alio* verificatur, in *ente per se* et *in ente ab alio.* Ut habeatur vera analogia, requiritur, *et* quod ratio entis re vera his inferioribus communicetur ita ut ex intrinseco haec omnia ens esse dici possint, *et* quod haec omnia in ipsa ratione entis intrinsece mutuo diversificentur.

d) Hoc autem in loco tantum de *analogia metaphysica* agitur: non quidem de analogia *logica,* siquidem demonstratum est, omnia entia in unum conceptum obiectivum, etsi imper-

fecte unum, coincidere; unde, hoc solo sensu, *univocitas logica* dari dici posset; non de *analogia physica,* quae minoris momenti est, eaque facile ostenditur supposita individuatione et specificatione entis in singulis realitatibus physicis.

e) Inferiora ergo intelliguntur *in statu metaphysico* sumpta, prout conceptibus absolutis *entis a se* et *entis ab alio, entis per se* et *entis in alio* subsunt: et quaeritur, utrum intrinsece *ens* per prius et posterius ipsis communicetur, utrum haec inferiora inter se, sub ratione entis comparata, convenire in illa ratione et in ipsa disconvenire dicenda sunt.

473. Sententiae. a) Supposita priori thesi nunc sententiae annumerandae non sunt, siquidem qui aequivocitatem aut univocitatem defendunt illi analogia metaphysicam reiiciunt, dummodo recte unaquaeque sententia intelligatur.

b) *Inter moderniores philosophos* quaestio haec proprie non proponitur, qui re vera de analogia non agunt, sed tantum tamquam medium est ad cognitionem obtinendam, cum intuitiva et directa experimentalis cognitio impossibilis evadit.

474. Nos quidem analogiam sustinemus methaphysicam sensu exposito in communitate certissimae sententiae cum ARISTOTELE, cum STO. THOMA huiusque fere omnibus discipulis. Quid autem de Scotistis sentiendum sit superius expositum est, inde revera haec sententia omnibus scholasticis communis dici potest, saltem si a terminologia et a systematizatione doctrinae praescindamus.

475. Probatur. *Ex ratione analogiae metaphysicae.* Illa ratio analoga analogia metaphysica respectu aliquorum dicitur quae, cum intrinsece una sit, his in statu metaphysico consideratis formaliter et intrinsece convenit, ita vero ut ex se in ipsis diversificetur essentialiter cum ordine prioritatis et posterioritatis; *atqui* talis est ratio entis respectu suorum inferiorum; *ergo* ratio entis est analoga analogia metaphysica.

Maior: elementa proponuntur quae necessaria sunt ut conceptus vere analogus analogia metaphysica habeatur.

Minor: a) Ratio entis *una* est, cum conceptus obiectivus entis sit unus, re vera unitate imperfecta; quae imperfectio unitatis essentialis est conceptui analogo, secus enim univoce de inferioribus praedicaretur.

b) Enti a se et enti ab alio, enti per se et enti in alio,

etiam in suo absoluto conceptu consideratis, ratio entis *intrinsece et formaliter convenit,* est enim formaliter transcendens ex dictis.

c) Ratio entis ex se ipsa *diversificatur* in inferioribus; eius enim in inferiora contractio non per additas ullo modo differentias, nec per ullam compositionem fit, sed per expressiorem conceptum eiusdem realitatis; ens quidem aptum quid dicit ad exsistendum, in hac vero ratione natura talis aptitudinis nondum est determinata; haec vero aptitudo si expressior reddatur, talis est, ut vel a se ex sui plenitudine exsistere possit, vel ab alio propter sui imperfectionem exsistentiam accipere debeat... Inde ratio entis in omnibus inferioribus intrinsece verificatur, sic vero est contracta, ut haec inferiora alia ab aliis essentialiter in ipsa ratione entis primo differant.

d) *Ordo prioritatis et posterioritatis* in ratione entis respectu inferiorum in eo est, quod ratio entis prius ad sui plenissimam et perfectissimam et absolutissimam realitatem tendat, posterius vero et dependenter a prima hac realitate ad alias imperfectiores, quae a prima suam realitatem accipiunt et ad eam essentialem habitudinem conservant. Proportionaliter eadem etiam respectu substantiae et accidentis valent.

476. Scholion. *Momentum huius doctrinae.* Non raro irrisores huius circa analogiam doctrinae inveniuntur qui eam tanquam subtilissimam et inutilissimam disquisitionem Scholasticorum despiciunt; quos quantum philosophia et metaphysica lateat non difficulter patebit. Doctrina enim analogiae supponit quidem multiplicitatem entium tam numericam quam specificam, ab ea enim considerationis metaphysicae initium sumit; sed si a ratione entis illa intrinseca tendentia dematur qua primo et principaliter ut ens divinum realizari *debeat,* reliqua vero entia, si futura sint, tantum ut dependentia a primo ente exsistere possint; si inter Deum et creaturas radicalis differentia adsit qua monismus pantheisticus aut atheisticus in uberrimam pluralitatem entium convertatur, hoc solum ex constitutione analogica ipsius rationis entis habebitur. Verum quidem est, et in eo non satis insistendum, non prius rationem entis datam fuisse quam ens divinum, neque realitatem ipsam a ratione entis realiter derivatam fuisse, cuius absurditatem nemo est qui non videat; etsi imaginativa vis, nondum exculta, alumnorum sic rem repraesentet et in hegelianismo simile quid detegi possit. Doctrina analogiae non facit realitatem analogi-

cam; sed ex realitate eruitur, ita quidem ut sit intima explicatio mirae similitudinis et unitatis totius realitatis ac simultanea eiusdem dissimilitudinis et multiplicitatis quae in pluralitatem individuorum, specierum et generum verificari necessario debuit, cum Deus non posset ens sibi extraneum nisi deficiens creare.

ARTICULUS III

DE QUALITATE ANALOGIAE ENTIS

Thesis 21. Ratio entis videtur esse analoga tum analogia attributionis tum analogia proportionalitatis.

477. (Praeter ea quae in praecedenti articulo citantur) SERTILLANGES, *Agnosticisme ou Antropomorphisme?* (Paris 1908); GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu* p.198-223.528-589; BITTREMIEUX, *De analogica nostra cognitione Dei* (Louvain 1913); BALTASAR, *L'être et les principes métaphysiques* (Louvain 1914); FUETSCHER, *Die ersten Seins-und Denkprinzipien* p.224-240; DESCOQS, *Instit. Metaph. gener.* p.206-306; VALENSIN, *Une théorie de l'analogie:* RevApol (1921) 321 343; DE BACKER, *Disp. Met. de ente communi* disp.2.

478. Nexus. Supposita analogia metaphysica qualem probavimus, etiam probata venit analogia intrinseca; disputatur autem ulterius qualisnam haec analogia sit habenda iuxta praecipuam divisionem quam Auctores in STO. THOMA inveniunt.

479. Notiones. Analogia, ultra divisiones in superiore articulo expositas, etiam dividitur in analogiam attributionis et analogiam proportionalitatis. Quae divisio accurate examinanda est propter exortas controversias circa illam.

480. *Analogia attributionis* illa est iuxta quam ratio, communi nomine designata, uni analogato intrinsece, per se et sine ulla dependentia convenit, reliquis vero per habitudinem ad illud (quod "princeps" dicitur). Haec analogia dividi potest in *analogiam attributionis intrinsecae,* quae datur quando ratio communi nomine designata omnibus analogatis etiam secundariis intrinsece convenit (per habitudinem quidem ad analogatum princeps), ita tamen ut forma ipsa denominata analogatis secundariis dependenter a principe conveniat; *analogia* vero *attributionis extrinsecae* illa est in qua analogatis secundariis forma non convenit intrinsece, sed ideo communis denominatio ipsis tribuitur, quia in ipsis quaedam habitudo ad formam prout est in analogato principe datur. In hac ergo ana-

logia non forma, sed tantum nomen analogatis secundariis inest dependenter ab analogato principe. Sic: *cognitio* analogice analogia attributionis intrinsecae intellectui divino, intellectui humano et sensibus attribuitur; *sanitas* vero attributione extrinseca medicinae et valori respectu sanitatis intrinsecae animalium.

481. Magna disputatio inter Auctores est suborta, utrum analogia attributionis hanc ulteriorem divisionem patiatur necne, negantibus Thomistis, affirmantibus Suarezianis. Pro Thomistis *analogia attributionis intrinsecae* fere contradictionem in terminis implicat: "Nomen enim eatenus analogum est analogia attributionis, quatenus analogata secundaria, propter relationem quam habent ad analogatum princeps, huius analogati nomen recipiunt. Sed si forma nomine analogato significata, inest analogatis secundariis, iam vi sua, et non propter relationem quam habent ad aliud, haec analogata vindicant nomen commune. Contradictoria ergo statui videntur, si ponitur nomen analogum, *ut est analogum analogia attributionis,* praedicari intrinsecus de omnibus suis analogatis. Reiicimus ea de causa analogiam attributionis internam, et pro certo tenemus, in omni analogia attributionis intentionem nominis extrinsecus applicari analogatis secundariis, ac proinde haec analogata, cum a nomine appellentur quod intrinsecus et proprie soli analogato principi conveniat, intelligi non posse, nisi ab eo qui iam sciat quid sit in se analogatum princeps" [1].

Ad rem, si de terminologia praescindamus, dicendum videtur: Tota analogia apud SUÁREZ eiusque asseclas non de nomine, sed de ipsa ratione formali sub nomine designata, statuitur, ita ut attributio, in analogia attributionis, non nominis sed ipsius rationis formalis intelligatur, illaque ratio in analogatis secundariis per habitudinem ad analogatum princeps insit. Tunc, ergo, erit quidem analogia attributionis, sed simul analogia intrinseca etiam in quantum est attributio, quia ratio de qua agitur intrinsece omnibus inest et quidem per attributionem. Thomistae autem renuunt haec admittere, siquidem pro ipsis inter analogata non est possibilis unus conceptus obiectivus simpliciter communis; consequenter, analogia non circa conceptum sed circa *nomen* statuitur, et, consequenter iterum, *attributio* in analogia attributionis erit *nominis* et quidem dependenter ab analogato principe; quod si, arguunt,

[1] DE BACKER, *Disputationes metaphysicae de ente communi* disp.2 c.1 p.43.

ipsa ratio per nomen designata analogatis intrinsece conveniat, tunc iam nomen non per attributionem, sed per intrinsecam rationem dabitur, unde analogia attributionis necessario extrinseca dicenda est iuxta eos.

482. *Analogia proportionalitatis.* Proportionalitas est similitudo proportionum; *proportio* autem est habitudo unius ad aliud; proportio proprie primarie de quantitate dicitur. Iam vero proportionalitas potest esse *perfecta* seu aequalitatis, ut est proportio inter unum et duo et proportio inter duo et quattuor; et *imperfecta,* cum adest quidem quaedam proportionalitas non tamen aequalitatis sed tantum alicuius similitudinis.

Proportio est nomen desumptum ex mathematica et sensu *stricto* definitur "aequalitas duarum habitudinum"; et sensu *latiore* est quaecumque habitudo unius quantitatis ad aliam secundum aliquem determinatum excessum (duplum, triplum); in sensu vero *metaphysico* significat quamcumque habitudinem unius rei ad aliam, sicut potentia dicitur proportionata actui, effectus causae... Ad rem S. THOMAS: "Proportio secundum primam nominis impositionem significat habitudinem quantitatis ad quantitatem secundum aliquem determinatum excessum vel adaequationem, sed ulterius est translatum ad significandam omnem habitudinem unius ad aliud" [2]. Proportio proprie non illa est univoca, quae datur inter omnino aequalia, sed inter ea quae sunt diversa; non tamen omnino diversa, sed quae, quamvis simpliciter diversa, praebent tamen fundamentum ut eodem nomine vocentur; fundamentum cur idem nomen possit rationabiliter imponi rebus simpliciter diversis est praecise proportio vel habitudo aliqua ad unum.

Analogia proportionalitatis habetur quando datur habitudo habitudinum, proportio proportionum, similitudo proportionum plurium ad unum, talis ut inde idem nomen omnibus tribuatur.

483. Haec analogia potest esse *proportionalitatis propriae,* quando ratio analoga est proprie in omnibus analogatis; *proportionalitatis impropriae,* quando ratio analoga proprie tantum in principe analogato, et in aliis nonnisi metaphorice, id est, in illis est ratio diversa, similis tamen quoad effectus, ut risus dictus de homine et de prato [3].

---

[2] 4 *Dist.* 49 q.2 a.1 ad 6.

[3] Hanc notionem exposuimus iuxta P. DEZZA, *Metaphysica generalis* 39-45, qui tamen controversiam in re latentem denuntiat; putat enim CAIETANUM in opusculo *De nominum analogia* doctrinam Sti. Thomae aliquantulum obscurasse; CAIETANUM sunt secuti IOANNES A STO. THOMA et inter recentiores RAMIREZ, *De analogia secundum doctrinam Aristotelico-thomisticam* et in articulo edito in

484. Circa hanc etiam divisionem disputationes sunt subortae, cum SUÁREZ obiiciat omnem analogiam proportionalitatis esse tantum impropriam, extrinsecam et metaphoricam: "Ad hanc vero analogiam necesse est ut unum membrum sit absolute tale per suam formam, aliud vero non absolute, sed ut subest tali proportioni vel comparationi ad aliud... Denique omnis vera analogia proportionalitatis includit aliquid metaphorae et improprietatis, sicut ridere dicitur de prato per translationem metaphoricam..." [4]. Radix talis oppositionis in eo esse videtur, quod iuxta SUÁREZ nomen intrinsece analogatis imponatur propter formam intrinsecam, non vero propter proportionem mutuam; Thomistae vero, etiam imposito nomine ex ratione intrinseca analogatis, analogiam quaerant ulterius in similitudine proportionum. Negari tamen non potest in re etiam alias considerationes systematicas immisceri.

485. Aliae etiam analogiae dari possunt; inter eas enumeratur *analogia proportionis* quam IOANNES a S. THOMA sic describit: "Analogia proportionis pluribus nominibus nominatur, solet etiam apellari analogia attributionis, eo quod ab uno principaliori solet fieri denominatio seu attributio ad alia... Vocatur etiam analogia unius ad alterum, vel plurium ad unum, ob eandem rationem, quia ab uno fit denominatio ad plura. Denique vocatur etiam analogia proportionis, quia fit ratione alicuius correspondentiae, vel commensurationis inter plura, quae proportio aliquando est secundum determinatum excessum..., aliquando est sola habitudo correspondentiae sine determinatione, ut inter creaturam et Deum ex D. THOM. 7 *De Pot.* art.10 ad 9 et 2 *De Ver.* art.2" [5]. "Definitur ergo analogum proportionis seu attributionis: quorum nomen commune est, ratio vero significata eadem est secundum terminum, diversa secundum habitudines ad illum" [6].

486. *Analogia inaequalitatis.* "Analoga secundum inae-

"Ciencia Tomista" a.1923, p.405 et 1924 p.397; LE ROCHELLEC, *De fundamento metaphysico Analogiae* in "Divus Thomas" Plac. 1926, p.673. Ipse vero P. DEZZA sequitur FERRARIENSEM, simul cum recentioribus BLANCHE, BALTHASAR, GAZZANA et aliis. De controversia hac possunt consuli PENIDO, *Cajétan et notre connaissance analogique de Dieu:* RevThom (suppl. 1934-35) p.149; ALVAREZ, *De diversitate et identitate analogica iuxta Caietanum:* Angelicum (Roma 1934); MARC, *L'idée thomiste de l'être et les analogies d'attribution et de proportionnalité:* Rev. neosch. de philos. (1933) p.157-189; ODDONE, *La dottrina dell'analogia nell'opuscolo dil Card. Gaetano:* RivFilNeosc (suppl. 1935) p.5; GAZZANA, *L'analogia in S. Tommaso e nel Gaetano:* Greg (1943) p.367-383; GIACON, *La seconda scolastica* (Milano) 1 p.115-132. Cf. DE RAEYMAEKER, *Phil. de l'être* p.59.

[4] SUÁREZ, DM 28 s.3 n.11 Cf. HELLÍN, *La analogía del ser...* p.147ss.

[5] *Logica* q.13 a.3.

[6] *Logica* q.13 a.3.

qualitatem, dicit CAIETANUS, vocantur, quorum nomen commune, et ratio secundum illud nomen est omnino eadem, inaequaliter tamen participatur. Huiusmodi vero analoga logicus univoca appellat, Philosophus vero aequivoca, eo quod ille intentiones considerat nominum, iste autem naturas" [7].

487. Status quaestionis. *a)* In qualificanda analogia conditiones generales *analogiae intrinsecae* sunt imprimis tenendae, quae enumerari possunt: "Perfectio aliqua obiective dari debet quae his tribus conditionibus respondeat: 1′ participatio intrinseca in unoquoque analogatorum; 2′ secundum modos essentialiter diversos et iuxta gradus; 3′ ita ut in illis nihil sit extrinsecum perfectioni in qua uniuntur" [8]. "Analogata, non obstante eorum diversitate specifica aut generica, identificantur quodammodo in tertio aliquo, unde analogum omnibus membris analogiae intrinsece et entitative convenit, etsi non eadem mensura. Haec sola est analogia vere metaphysica" [9].

b) Quo *analogia intrinsecae attributionis* vere detur, hoc requiritur: sit quaedam perfectio cuius conceptus obiectivus sit imperfecte unus; quae perfectio prius ad aliquod analogatorum quam ad alia tendat, ad haec vero posterius et dependenter a primo, ita tamen ut omnibus intrinsece et formaliter insit, et etsi omnia in illo conceptu conveniant, iam in ipso etiam diversificentur.

c) Quo *analogia intrinsecae proportionalitatis* detur, requiritur: analogatis perfectio aliqua intrinsece conveniat, non tamen eodem modo, ita vero ut inter modum conveniendi illam perfectionem alicui analogatorum et alteri proportio detur, etsi non aequalitatis, proportiones ergo similes sint etsi non aequales.

d) Separatim videbimus utrum enti analogia attributionis conveniat et analogia proportionalitatis. Quomodo autem simul utraque analogia dari possit, quo ordine dentur, hoc in scholio examinandum relinquemus.

e) Ad instituendam cognitionem analogicam de Deo non parva adest differentia inter utramque analogiam, de quo etiam in scholio quaedam dicentur.

[7] *De nominum analogia* c.1.
[8] PENIDO, *o. c.*, p.56.
[9] MANSER, *La esencia del tomismo* p.441.

488. Sententiae. a) *In schola Thomistica* constans est sententia tenens analogiam entis respectu inferiorum esse analogiam proportionalitatis, quae in casu sic explicatur. "Ens dicitur de substantia et de accidente, de Deo et de creaturis etc. propter similitudinem proportionum qua unaquaeque essentia se habet ad suum esse: essentia enim accidentis se habet ad suum esse *simili* modo (non *aequali* modo quia tunc haberetur univocitas) ac essentia substantiae se habet ad suum esse et ita porro" [10].

In hac schola datur, speciatim inter moderniores, tendentia ad admittendam simul etiam analogiam attributionis, sed duplici modo: 1, ita ut teneant analogiam *vi attributionis* esse mere extrinsecam, sic v.gr. DE BACKER, qui asserit "nomen ens, quatenus stat pro ratione entis, confuse seu imperfecte concepta, esse analogum analogia proportionalitatis propriae, ita ut sic sumptum, dicatur de omnibus suis analogatis proprie, intrinsecus et sine ordine prioritatis et posterioritatis; idem vero nomen, quatenus stat pro ratione entis dinstincte seu perfecte concepta, esse analogum analogia attributionis, ita ut sic sumptum, de solo ente quod natum est habere esse in se, primario, proprio et intrinsecus dicatur; secundario vero, improprie et per externam denominationem, de ceteris entibus[11]; 2, ita ut teneant etiam analogiam attributionis intrinsecam esse, sic, verbi gratia ARNOU: "Ens est analogum tum analogia attributionis tum analogia proportionalitatis propriae. Et hoc fieri potest, i.e., duae analogiae simul inveniri possunt, quia analogia attributionis, quamvis de se non importet formam intrinsecam nisi in analogato principali, non exigit tamen ut haec forma sit extrinseca secundariis analogatis, sed tantum ut non sit in iis secundum eundem gradum perfectionis quem habet in principe analogato, et conveniat secundariis analogatis in ordine ad analogatum princeps" [12].

b) SUÁREZ vero, eiusque asseclae, tenet analogiam attributionis intrinsecae respectu Dei et creaturae, respectu substantiae et accidentis; ratio enim entis prius et plenissime enti a se convenit, posterius et imperfectius enti ab alio; prius et perfecte enti per se, posterius et imperfecte enti in alio. Admittit quidem SUÁREZ proportionalitatem quandam inter substantiam et accidens dari, non tamen talem quae analogiam fundet [13]. Inter moderniores vero Suarezianos adsunt qui etiam analogiam proportionalitatis intrinsecae admittant, sic v.gr. URRÁBURU: "Etenim sicut se habet Deus ad suum esse, sic proportionali modo se habet ad suum creata substantia; et sicut substantia per suam intrinsecam rationem apta est, ut

[10] DEZZA, *Metaph. generalis* p.47.
[11] *Disputationes methaphysicae de ente communi* c.2 p.51.
[12] *Metaphysica generalis,* p.2.ª c.2 n.7.
[13] Cf. HELLÍN, *La analogía del ser...* p.162-177.

per se existat, ita accidens ut existat in alio tamquam subiecto"[14]. Sed hi omnes communiter tenent analogiam attributionis principaliorem esse, eamque ut fundamentum sumunt ad cognitionem analogicam de Deo statuendam.

489. Nos quidem analogiam tenemus attributionis intrinsecam inter Deum et creaturas, inter substantiam et accidens; quam etsi principaliorem teneamus, tamen non inde iudicamus analogiam proportionalitatis intrinsecae esse reiiciendam.

490. Probatur 1. *Analogia attributionis intrinsecae ex conceptu entis.* Analogia attributionis intrinsecae illa est, iuxta quam ratio communi nomine designata uni analogato intrinsece, per se et sine ulla dependentia convenit, reliquis vero per habitudinem ad illud; *atqui* ratio entis Deo intrinsece per se et sine ulla dependentia convenit, creatis vero, etsi intrinsece et per se, tamen dependenter a Deo; intrinsece et independenter substantiae, intrinsece sed dependenter a substantia accidenti; *ergo* ratio entis est analoga analogia attributionis intrinsecae respectu entis a se et entis ab alio, entis per se et entis in alio.

Maior probanda non est, siquidem definitionem enuntiat.

Minor probatur: *a)* ratio quidem entis intrinsece tam Deo quam creatis, tam substantiae quam accidenti convenit;

b) enti a se independenter et perfectissime; enti vero ab alio dependenter etiam quoad ipsam formam entitatis, ita ut entitas creata, quantulacumque sit, tota quanta totaliter ab ente a se dependeat; similiter, etiam substantia entitatem independenter habet quantum ad ordinem substantiae, accidens vero totum quantum habet ens dependenter a substantia et ordinatum ad substantiam.

Hoc ergo in casu vera attributio datur, habitudo et proportio analogati secundarii ad princeps, etsi denominatio uniuscuiusque analogati a forma intrinseca desumatur, ideoque nomen non sit a principe atttributum; forma vero ipsa entitatis ea est attributa dependenter a primario; consequenter etiam nomen ipsum dici potest mediate quidem a primario analogato attributum.

491. Probatur 2. *Analogia proportionalitatis propriae ex conceptu entis.* Ibi est analogia proportionalitatis propriae,

[14] *Ontologia* disp.1 c.3 n.61 p.188.

ubi nomen idem de pluribus praedicatur, quia in iis omnibus intrinsece invenitur ratio similis secundum proportionem; *atqui* sic ratio entis de ente a se et ente ab alio, de ente per se et ente in alio praedicatur; *ergo* ratio entis est analoga analogia proportionalitatis propriae respectu entis a se et entis ab alio, entis per se et entis in alio.

Maior probanda non est, siquidem definitionem enuntiat.

Minor probatur: *a)* quod ratio entis intrinsece omnibus insit, patet;

b) quod ratio entis inferioribus *proportionaliter* communicetur etiam patet, ordo enim prioritatis et posterioritatis ex natura illius cui ratio est communicanda mensuratur, ideoque unicuique inferiorum secundum proportionem; sic Deo iuxta naturam entis infiniti, creaturae iuxta naturam entis finiti; pariter respectu substantiae et accidentis;

c) quod proportionalitas detur et tamen *non aequalitas,* etiam ostenditur, nam proportio quae adest inter ens et ens a se est proportio identitatis absolutae etiam rationis inter essentiam et exsistentiam, proportio vero inter ens et ens ab alio est identitatis quidem, non tamen rationis sed tantum realis; ideoque hae proportiones sunt proportionatae, hoc est, habetur proportio proportionum non vero aequalitas.

Ens ergo proportionaliter inferioribus communicatur, ita ut propter hanc proportionem inferiora ens dicantur; proportionalitas vero non est aequalitatis sed similitudinis; secundum quid eadem, quatenus omnibus ens communicatur; secundum quid diversa, quatenus non eadem proportione communicatur, ideo ens analogum dici debet.

492. Scholion 1. *De comparatione divisionum analogiae.* Divisiones variae superius propositae sunt, quae, etsi forte perfecte identicae non sint, habent vero quamdam mutuam habitudinem. Si divisio Sti. Thomae analogiae *in analogiam secundum esse vel secundum intentionem* sumatur, tunc analogia secundum esse et secundum intentionem analogia metaphysica est; analogia secundum esse et non secundum intentionem, analogia physica; analogia nec secundum intentionem nec secundum esse, analogia logica. Si eadem divisio Sti. Thomae cum divisione analogiae secundum attributionem et secundum proportionalitatem comparetur, tunc interpretatio varia habetur: nam secundum Thomistas analogia attributionis, cum necessario extrinseca sit, ea est analogia secundum

intentionem et non secundum esse; analogia vero proportionalitatis, secundum esse et secundum intentionem. Iuxta SUÁREZ vero, analogia attributionis intrinsecae est analogia secundum esse et secundum intentionem; analogia vero attributionis extrinsecae et analogia proportionalitatis, quae necessario impropria est, sunt analogia secundum intentionem non vero secundum esse.

493. Scholion 2. *Analogia attributionis et analogia proportionalitatis.* Mirum fortasse videatur, quod eo fere modo quo Thomistae analogiam attributionis necessario extrinsecam inveniunt, eo etiam SUÁREZ analogiam proportionalitatis impropriam dicat; unde fortasse colligi possit, re omnes fere coincidere, etsi realitatem alio et alio modo inspiciant. Re vera, in praesuppositis diferentiae adsunt, cum SUÁREZ unitatem conceptus obiectivi entis admittat, eam vero Thomistae simpliciter negent, unde pro his unitas entis tantum proportionalis est; aliunde etiam, cum de ente agitur, differunt praesupposita, cum Thomistae rationem entis creati per modum actus et potentiae realium concipiant, SUÁREZ vero talem habitudinem intrinsecam neget. Inde facilior est pro Thomistis intrinseca interpretatio analogiae per proportionalitatem. Sed si de his praescindamus, videntur analogia attributionis intrinsecae et analogia proportionalitatis sese mutuo inferri. Ea enim proportionalitas inde provenit quod ratio entis suis inferioribus simili proportione communicetur, non eadem; haec vero proportio et haec mera similitudo proportionum inde provenit, quod ratio entis inferioribus non sese aequaliter communicet secundum rationem prioris et posterioris; haec vero ratio ex natura ipsorum inferiorum provenit quibus proportionaliter ad eorum naturam prius vel posterius communicatur. Posita vero hac ratione prioritatis et posterioritatis tunc etiam intrinseca inter se et mutuo subordinata habitudo oritur, et quidem intrinseca ex forma seu perfectione intrinsece possessa.

494. Scholion 3. *De unitate et de analogia entis.* Saepe apud Thomistas accusatio contra doctrinam Suarezianam inde sumitur, quod haec veram unitatem admittens, necessario etiam univocitatem concludere debeat; eo vel magis quod SUÁREZ declaraverit *analogiam esse incertam* et longe certiorem esse unitatem conceptus obiectivi entis; quomodo autem haec expressio sit interpretanda, conferas HELLÍN, op. cit., pg. 330 ss. Iam vero, praeterquam quod etiam ipsi Thomistae in necessitate unitatis conceptus insistant ad inferendam veram analogiam, ut in statu quaestionis annotavimus, doctrina de unitate conceptus obiectivi entis ita arcte cum analogia con-

iungitur, ut nec analogia sine illa unitate, nec illa unitas sine analogia esse possint, dummodo illa unitas, ut debet, intelligatur, et ut expresse a SUÁREZ probatur, nempe unitas *imperfecta.* SUÁREZ totam fere vim ad probandam analogiam in eo reponit, quod conceptus obiectivus entis per prius ad aliquod analogatorum communicetur quam ad alia; iam vero, haec ratio prioritatis dari non posset si ratio entis intrinsece perfecte uniformis esset. Falso ergo saepissime Thomistae SUAREZIUM in eo accusant, quod unitas entis, ab ipso statuta, unitas sit *perfecta* et *perfecte uniformis.* Quodsi, aliunde, vera analogia metaphysica statuatur, tunc nequit ex sic analogatis vere et perfecte unus conceptus hauriri, in eo enim essent omnino similia, hoc est univoca. Nescio vero unde inferatur, illam habitudinem vel ordinem diversum ad inferiora, si in conceptu entis contineatur, analogiam impedire simul ac unitatem conceptus entis; impedit quidem unitatem perfectam et uniformem conceptus entis, sed simul infert analogiam entis ut in probationibus ostendimus. Caeterum notare liceat hanc eamdem obiectionem ex parte Suarezianorum doctrinae Thomisticae de unitate secundum quid et proportionali entis obiici, nam tunc non posset unus conceptus obtineri nec esset consequenter analogus, cum inferioribus communicaretur per identitatem perfectam in sua proportione.

495. Scholion 4. *De agnosticismo et anthropomorphismo.* Doctrina analogiae momentum habet in cognitione analogica Dei instituenda. Nam si *defectus unitatis* in conceptu entis *exaggeretur,* et proportionalitas ita dissimilis fiat ut nihil intrinsecum ex una proportione deducatur, quod intrinsece in alia inveniatur, tunc periculum est *agnosticismi,* quod quidem manifeste apparuit in doctrina a SERTILLANGES in suo articulo *Agnosticisme ou anthropomorphisme* (Rev. de Phil. 1906) proposita, et uberius in posterioribus studiis exculta. Iuxta eam Deum nos conceptibus negativis cognosceremus, et positive tantum in quantum est principium entis. Aliunde autem, si *unitas entis exaggeretur,* periculum adest ne creaturae, nimis Deo assimilatae, ipsum Deum efficiant nimis homini similem, ita ut noster de Deo cogitandi modus omnino parificetur nostris conceptibus de rebus humanis. Re vera potest doctrina analogiae proportionalitatis sic quoad unitatem proportionalem entis attemperari ut etiam ad cognitionem intrinsecam et positivam Dei nostram mentem ducat, et de facto ita ducit. Sed si vere loquamur, cum scripta STI. THOMAE ac ipsorum Thomistarum legamus, saepissime videntur loqui ad modum attributionis intrinsecae potius quam ad modum proportionalitatis. Unde iuxta nostrum modum iudicandi, etsi etiam analogiam proportionalitatis ducamus admittendam, tamen ad nostram de Deo cognitionem constituendam opinamur analogiam attributionis intrinsecae praeferendam, dummodo

ea etiam recte intelligatur, supposita nempe vera imperfectione in unitate conceptus obiectivi omnium nostrarum cognitionum de Deo ex creatis haustarum, ut vera et intrinseca analogia habeatur.

496. Scholion 5. *De aporia* PARMENIDIS. Saepe in exordio Metaphysicae problema eleaticum proponitur, in quo dicitur punctum centrale Metaphysicae implicari. PARMENIDES quidem characterem vere ontologicum suae speculationi impressit; cum aliunde in sua forma poëtica expressiones maxime curaret, inde formulas prementes proposuit quibus problemata enuntiaret. Est philosophia eleatica omnino realistica, ita ut *cogitare* parificetur in extensione cum ipso *esse*. Nunc vero, "esse" contradictorie opponitur "non-esse", ideoque solum "esse" est, et "non-esse" non est nec potest cogitari. Sic aperit PARMENIDES profundissimam distantiam sine mediatione inter "esse" et "non-esse", cum utrumque illimitatum intelligat; in "esse" nihil ex "non-esse" invenitur, et contra. Inde philosophia eleatica monistica devenit, quae nescivit nec mutabilitatem entis nec huius multiplicitatem explicare. Ideo Metaphysica incepit ut problema fundamentali sibi proponere solutionem dilemmatis PARMENIDIS: aut *est* aut *non-est*. Ut solutio huius problematis exponitur saepe doctrina de actu et potentia, quam iam ARISTOTELES docuerat, ubi ens docetur capax simul etiam non esse, ens compositum ex aliquo quod sit perfectio et alio quod sit limitatio talis perfectionis, subiectum modificationum et multiplicitatis. Etsi solutio forte in ordine physico optima sit, in metaphysico tamen alia profundior investiganda est, quae sit radix talis possibilitatis compositionis physicae. Sic apparet valor doctrinae de analogia, quae docet inter *ens perfectissimum,* absolute immutabile et immultiplicabile, et *nihilum absolutum* adesse *aliud ens cuius* essentia per analogiam explicatur, quod sit ens quidem, non tamen plenissimum et perfectissimum ens, sed quodammodo intermedium inter summum ens et summum nihilum. Optima quidem explicatio haec analogica, sed tamen profundior alia est proponenda, quae ultimam radicem explicet possibilitatis talis entis mutabilis et multiplicabilis: talis est doctrina de ratione ultima possibilitatis entis finiti quam exposuimus, ubi ratio ultima entis multiplicabilis et mutabilis est essentia divina infinite imitabilis in indefinita serie graduum perfectionis finitae.

Sed hae duae doctrinae de analogia et de ratione ultima possibilitatis entis finiti perfecte inter se cohaerent et mutuo sese

illustrant. Nam *a)* cum dicimus ens intrinsece postulare ut primo tamquam *ens a se* verificetur, idem asseritur ac in doctrina de possibilibus, ubi ut primum ens supremum, infinite perfectum, ponitur Deus. *b)* In analogia dicitur ens in reliqua entia secundario et dependenter a primo descendere. Quod idem in doctrina de possibilibus affirmatur, cum Deus ut fundamentum ultimum et radix omnis realitatis ponitur: in tantum enim reliqua entia, etiam ut possibilia, dari possunt, in quantum, essentiam Dei imitantia, eiusdem sunt participationes. *c)* In analogia dicitur reliqua entia analogata secundaria habitudinem ad analogatum princeps habere. Sic vero iuxta doctrinam possibilium omnia entia creata in tantum exsistunt et in exsistentia permanent, quatenus exsistentiam divinam participant. Imo, ipsa haec participatio secum reversionem totius ordinis creati in Deum implicat, cuius gloriam saltem obiective manifestat; imo, creatura rationalis hunc ordinem ad Deum positive intendere in suis actibus debet, quibus in Deum possidendum tendat, qua possessione ipsa entis infiniti participatio perfectissime compleatur [15].

497. Obiectiones. 1. Conceptus unus non potest esse analogus; *atqui* conceptus entis est unus; *ergo* non est analogus. *Maior:* nam qui est unus debet idem omnibus convenire, sed idem omnibus conveniens est univocus; *ergo* conceptus unus non potest esse analogus.

Ad mai.: Perfecte unus, *conc.;* imperfecte unus, *nego. Contradist. min. Ad probationem maioris:* debet idem et eodem modo omnibus convenire, *nego;* idem sed diversimode, *conc.* Et *contradist. min.*

2. Conceptus etiam imperfecte unus non potest pluralitatem in se includere. Sed ubi nulla est pluralitas non est capacitas diversificationis in sui convenientia aliis; *ergo.*

Dist. mai.: non potest pluralitatem actualem in se includere, *conc.,* pluralitatem potentialem, *subd.*: confusam *nego,* per differentias contrahendam, *conc. Contradist. minorem.*

3. Conceptus potentia inferiora continens est conceptus genericus. Sed genericus est univocus; *ergo* conceptus entis est univocus.

Dist. mai.: si inferiora eodem prorsus modo continet, *conc.;* si non eodem modo et uniformi sed cum intrinseca tendentia prius ad unum eorum quam ad alia, *nego.*

4. Conceptus unus non potest ad inferiora contrahi nisi addita differentia; *ergo* etiam conceptus entis, unde est genericus.

Dist. ant. Conceptus perfecte unus, *conc.;* imperfecte unus, *subdist.*: si per praecisionem abstrahitur, *conc.;* si tantum per abstractionem confusivam, *nego.*

[15] PARMENIDES, cuius fragmenta edita sunt a DIELS, *Die Fragmente der Vorsokratiker;* cf. S. THOMAS, *In I Metaph.* lect. 9; MARÉCHAL, *Le point de depart...* 1 p.33ss.

5. Si ratio entis foret analoga analogia attributionis, res creatae, quatenus sunt ens, definiendae forent per ordinem ad ens divinum; *atqui* res creatae non definiuntur per ordinem ad ens divinum; *ergo:*

Dist. mai.: si esset analoga analogia attributionis extrinsecae, *conc.;* attributionis intrinsecae, *nego.*

6. Tunc aliquod nomen attribui dicitur quando ex se tale nomen non habet; *ergo* analogia attributionis necessario est extrinseca.

Dist. ant. Quando non habet ex se nec nomen nec fundamentum, *conc.;* si saltem fundamentum non habet ex se, *nego.*

7. Si intrinsece habetur fundamentum alicuius nominis, tunc hoc nomen non dicitur attribui sed vere haberi; *ergo* attributio non potest esse ex intrinseco fundamento.

Dist. ant.: si fundamentum ipsum est etiam omnino independens, *conc.;* si fundamentum habetur per dependentiam et per habitudinem ad aliud, *nego.* Caeterum nota analogiam non necessario circa nomen versari debere, sed potius circa ipsam rationem nomine designatam. Iam vero, analogia attributionis intrinsecae requirit quidem in analogatis fundamentum seu rationem formalem verificari; sed tota haec ipsa ratio *attribuitur,* quatenus non est ex se nec a se, sed ab alio, ad quem dicit habitudinem. Cum forma intrinseca sit per attributionem, consequenter nomen est per attributionem.

CONCLUSIO LIBRI PRIMI

498. Intentum Metaphysicae et scopum diximus interpretationem ultimam mysterii exsistentiae humanae, quacum mysterium etiam mundi intime coniunctum manet (nn.14-19). Ecce autem Metaphysicae Generalis partem praecipuam ita perfecimus, ut ne verbum fere de homine aut mundo dixerimus. Mysterium vero illud ellucidatum manet. Certum quidem est nos non de homine aut de mundo expresse locutos fuisse, quidquid enim exsistere potest in rationem simplicissimam entis reduximus, cuius determinatione plurima simul de homine et mundo determinata fuerunt. Statuta vero entis suprema divisione, rationem fundamentalem entis creati investigavimus, indeque scimus possibilitatem ipsam hominis omnisque entis creati in imitabilitate divinae essentiae residere.

499. Quodsi nunc, ea angustia, qua modernus homo in interiora fertur, sensum propriae exsistentiae interrogaturus, *quid homo sit* quaesieris, Metaphysica iam respondit hominem ens esse per participationem, quatenus essentiam divinam in gradu proprio entitatis imitari valet, unde scis hoc ens humanum quamdam cum ipsa divina essentia similitudinem habere,

tam dissimilem quidem ut ens per analogiam tantum dici debeat. Si quaeras, *unde veniat,* audisti responsum hominem omneque ens creatum a Deo, non modo tamquam a causa efficiente, sed etiam tamquam a causa exemplari procedere, ita quidem ut et ipsa hominis possibilitas non ab ipso homine sed a Deo derivetur. *Quorsum autem* tendat, qualisve entis humani sensus ultimus, audisti, homo enim a Deo in Deum redit, analogice enim constitutus in illum refertur a quo procedit.

500. De his quidem eloquentissime tota sapientia christiana docuerat, cuius interpres S. AUGUSTINUS haberi potest optimus; De civitate sancta, quae ut perfectissimum creatum proponitur, dicit: "Inde est civitatis sanctae, quae in Sanctis Angelis sursum est, origo, et informatio, et beatitudo. Nam si quaeratur unde sit, Deus eam condidit; si unde sit sapiens, a Deo illuminatur; si unde sit felix, Deo fruitur; subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhaerens iucundatur; est, videt, amat; in aeternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet" [1]. De homine vero dixerat: "Si enim homo ita creatus est, ut per id quod in eo praecellit, attingat illud, quod cuncta praecellit, id est, unum verum optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit: ipse quaeratur, ubi nobis secura sunt omnia; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia" [2].

[1] *De civ. Dei.* l.11 c.24: PL 41,338.
[2] *De civ. Dei,* l.8 c.4: PL 41,229.

LIBER II

De ente finito

PARS I

Categoriologia seu tractatus de praedicamentis

INTRODUCTIO

De categoriis seu praedicamentis

501. Posita in Metaphysica Generali divisione entis in infinitum et finitum, duplex via nunc aperitur in ulteriori processu, quarum prima ad *ens infinitum* cognoscendum, altera ad *ens finitum* ducit. Quodsi primae viae terminus ipse Unus est, Deus nempe unicus, alterius vitae terminus est multiplex ens, quod sua ipsa multiplicitate imperfectionem propriam quodammodo supplere intendit, qua uberrimam simplicitatem Unius imitari conatur. Multitudo entium indefinita ob oculos Philosophi versatur, qui considerationem metaphysicam entis creati instituere intendit.

502. Quo multiplicitas entis creati quodammodo scientiae obiectum esse possit, ad quemdam supremum ordinem reducenda est, ita ut omnia sub rationibus generalioribus simul considerari valeant. Hic conatus in tota philosophiae historia ita invaluit, ut nulla fere philosophia alicuius momenti inveniri possit quae propriam entium recensionem sub rationibus supremis non efformaverit.

503. *Pythagorici,* potius quam ipse PYTHAGORAS, dicuntur posuisse viginti prima rerum genera et principia, in duas series divisa, mutuo sese opposite correspondentia:

Finitum	*Infinitum*
Impar	*Par*
Unum	*Multitudo*
Dextrum	*Sinistrum*
Masculinum	*Femininum*
Quiescens	*Movens*
Rectum	*Curvum*
Lumen	*Tenebrae*
Bonum	*Malum*
Quadratum	*Altera parte longius*[1].

PLATO vero ad breviorem numerum omnia reduxit, quinque enim assignavit genera: *ens, quies, motus, idem, alterum*[2].

ARISTOTELES vero decem genera proposuit, quibus ipse nomen "categoriarum" imposuit, seu praedicamentorum. Sunt vero: *Substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, quando, ubi, situs, habitus.* Plures vero apud Stagiritam enumerationes inveniuntur breviores quidem quandoque, reducuntur enim aliae categoriae ad alias, nisi forte dicendum sit series esse incompletas[3]. Quoad deductionem logicam harum aristotelicarum categoriarum plures datae sunt explicationes, quas videre est, si placet, apud PESCH-FRICK[4].

Epicuraei quandoque res sic dividunt: *Intervalla, viae, connexus, pondera, plagae concursus, motus, ordo, positura, figura*[5]. *Stoici* ex rationibus potius paedagogicis numerum praedicamentorum, ab Aristotele positum, ad quattuor tantum reduxerunt: quae sunt *subiectum, qualitas, modus* quo res se habet, *relationem* ad aliud[6].

PLOTINUS potius Aristotelicam systematizationem acceptavit, sic categorias enumerans: *substantiam, accidens in substantia* (enumeratur *quantitas, qualitas, figura*), *accidens in quo substantia* (*locus* et *tempus*), *motus* (*actio* et *passio*), *relatio*[7].

Posterius, cum S. AUGUSTINUS divisionem acceptaverit aristotelicam, sicut et BOETHIUS, haec toto medio aevo et in philosophia scholastica fere sine exceptione invaluit, eaque

[1] Cf. ZELLER, *Die Philosophie der Griechen* t.1 l.1 (1919) p.459.
[2] *Sophista* 259b.
[3] Cf. *Categ.* c.4.1b26-27; 1 *Topic.* c.9,103b22-23.
[4] *Ontologia*, n.393ss.
[5] Cf. LUCRETIUM, *De rerum natura libri sex.*
[6] Cf. ZELLER, *l. c.* t.3,1.
[7] *Ennead.* 6 l.3 c.3.

basis est ordinationis omnium entium finitorum usque ad moderna tempora. Post CARTESIUM, qui tres categorias posuit, *substantiam, attributum* et *modum,* fere sic etiam SPINOZA, varietas non pauca apud auctores invenitur: LEIBNIZ enim aristotelicam divisionem sequutus, enumeravit *substantiam, quantitatem, qualitatem, actionem, passionem, relationem;* CHR. WOLFF, *entia, essentialia, attributa, modos, relationes extrinsecas;* LOCKE, *substantiam, modum* et *relationem.*

KANT vero novum ordinem instauravit, praedicamenta tamquam leges mentales sine valore obiectivo interpretatus, sunt enim purae quaedam conceptiones primitivae rationis nostrae subiectivae, quibus nos iudicantes determinamur. Sub quattuor fundamentalibus, aliae tres pro unaquaque enumerantur:

Quantitas

unitas, pluralitas, totalitas.

Qualitas

realitas, negatio, limitatio.

Relatio

substantia et accidens, causa et effectus, actio mutua.

Modalitas

possibilitas et impossibilitas, exsistentia et non exsistentia, necessitas et contingentia.

Post instauratum subiectivismum et idealismum, series innumera categoriarum proposita est, generatim sub duplici hoc aspectu, *subiecti cognoscentis* et *obiecti cognoscendi;* his vero nostris diebus praevalet quodammodo haec alia divisio: *subiecti,* nempe hominis liberi, et *obiecti,* nempe rei; unde etiam scientiarum divisio praevalet in scientias spiritus et scientias rerum.

504. Nos vero, iuxta traditionem philosophicam longissime praevalentem, divisionem aristotelicam admittimus, quam, ex interpretatione STI. THOMAE, sic logice ordinare possumus:

Ens.	quod est *subiectum*				*Substantia*
	q.est *in sub.*	absol.	ut consequens formam		*Qualitas*
			ut consequens materiam		*Quantitas*
		relative			*Relatio*
	q.est *extra.sub.*	omnino	ut non mensura		*Habitus*
			ut mensura	temporis	*Quando*
				loci	*Ubi*
					Situs
		partim	si inest sec.principium		*Actio*
			si inest sec. terminum [8]		*Passio*

505. Quomodo nomen categoriarum interpretandum sit, sub discussione est. PRANTL hanc interpretationem proponit et probat: *Kategorein* est enuntiare, aliquid de aliquo enuntiare seu praedicare; ideo *to kath'hou kategoreitai* est subiectum praedicationis, et *to ho kategoreitai* aut *to kategeroumenon* est praedicatum, *Kategoria* autem idem est ac praedicatum [9].

506. In usu vero philosophico hi termini sunt accurate ex *Logica* distinguendi:

Praedicatum est alter propositionis terminus, qui de subiecto affirmatur vel negatur. *Praedicabile* vero est ipsum praedicatum, sed secundum modum quo tribuitur subiecto: sunt quinque praedicabilia, nam praedicatum de subiecto dicitur aut ut *genus* (in quid incomplete) aut ut *differentia* (in quale quid), aut ut *species* (in quid complete), aut ut *proprium* (in quale convertibiliter) aut ut *accidens logicum* (in quale, non convertibiliter).

Praedicamentum, si *historice* consideretur, est series schematum a philosophis institutorum ad distinctiorem rerum cognitionem. *Philosophice,* in genere, est series naturalis generum, specierum, individuorum, quae in aliquo supremo genere continentur. Non enim confuse et promiscue, sed debent praedicata ordinate et hierarchice de subiecto dici. Praedicamentum *metaphysicum* est classis praedicatorum, quibus ens in suo gradu constituitur. Haec praedicamenta metaphysica dicuntur *suprema genera entium;* genera quidem, quia sub his reliqua univoce quoad hanc rationem sumitur; suprema vero quia inter se in nulla ratione univoce conveniunt. Praedicamentum *logicum* est series praedicatorum statuta iuxta ordinem praedicabilium, hoc est, iuxta genus, differentiam, speciem.

507. Ens vero quod in praedicamento proprie ponitur non est ens copulae nec ullo modo ens rationis sed ens reale;

[8] *In V Metaph.* lect.9.
[9] PRANTL, *Geschichte del Logik* 1,4 Abschnitt p.184.

non vero exsistens, sed secundum quidditatem metaphysicam hoc est, ens nominaliter sumptum. Iam vero ens non in tota sua extensione intelligitur, *ens* enim *a se* extra omne praedicamentum est, unde ens praedicamentale amplectitur ens finitum et in sua ratione completum. Nec est necesse ponere praedicamenta omnia inter se realiter distincta [10].

508. *Conditiones entis praedicamentalis.* Ens praedicamentale his quattuor conditionibus subiici debet:

1) Sit ens *finitum,* nam natura et attributa divina extra omne praedicamentum versantur.

2) Sit ens *per se unum,* nam quod non habet unam essentiam, non unum est sed multa, ideoque pertinet aut pertinere potest ad plura genera et species.

3) Sit ens *reale,* ens enim rationis, cum nihil sit, non habet essentiam nec ulli generi aut speciei adscribi potest.

4) Sit ens *completum,* non pars, *in suo ordine et genere.* Notandum est tamen, quodlibet ens finitum posse quodammodo sub praedicamento sive *directe,* sive *indirecte,* sive *reductive* constitui.

509. Quibus praesuppositis, primam et supremam entis creati divisionem dicimus in substantiam et accidens, ita ut hanc divisionem iudicemus adaequatam et immediatam et talem quae sub se duo realium entium genera complectatur. Ulterior accidentis in novem genera divisio plures apud scriptores difficultates est experta, de quibus sufficientem notitiam apud Doctorem eximium invenies [11]. Alia vero generalis quaestio de *sensu,* et potissimum de *valore* categoriarum instituitur. Quaeritur enim, ad interpretandam mentem ARISTOTELIS, utrum ipse categorias sensu reali an sensu mere logico proposuerit. Quoad valorem, utrum re vera hae categoriae valorem obiectivum habeant, an potius ut quid mere subiectivum, tamquam lex menti primitus impressa, considerandae sunt. Quae circa fundamentalia iam in *Critica* exposita censemus. Nos quidem, quippe qui Metaphysici, categoriis sensum realem tribuimus, earumque valorem obiectivum affirmamus saltem fundamentalem, eumque quoad categorias praecipuas probavimus, siquidem in *Critica* nonnisi generatim de his est actum.

[10] Cf. PESCH-FRICK, n.368ss.
[11] DM 39.

510. Modus procedendi sequens erit: Proposita divisione entis creati in substantiam et accidens sic ea examinabitur, ut primo quaestiones praecipuas de substantia exponamus; eisque solutis, de accidentibus in genere, et speciatim de quibusdam dein quaeremus, quae ad metaphysicum potius pertinent.

CAPUT I

De substantia

511. Etsi substantia et accidens suprema entia genera dicantur, tamen superior adest notio entis ex qua tam accidens quam substantia proveniunt; supposita vero participatione analogica entis in inferioribus, quomodocumque haec analogia concipiatur, per prius ens de substantia dicitur quam de accidente, primario enim ens ad sui realizationem per modum entis per se, quam entis in alio tendit. Etsi tractatus hic de substantia sub ratione categoriali proponatur, ideoque potius de substantia finita agere appareat; tamen ratio quae proponitur substantiae quoad aliquos aspectus transcendentalis est eoque sensu haec divisio entis in substantiam et accidens ut primaria divisio accipi potest, non subordinata divisioni entis in infinitum et finitum.

ARTICULUS I

DE OBIECTIVITATE CONCEPTUS SUBSTANTIAE

Thesis 22. Conceptus substantiae est obiective realis.

512. ARISTOTELES, *De praedic.* c.5; *Metaph.* 1.5 (cf. BONITZ, *Arist. Wöorterb.*) S. TH., *De ente et essentia* c.2; *De potentia* q.9; SUÁREZ, DM 32 et 33; I.A STO. THOMA, *Cursus phil. Logica pars* 2.ª q.15; URRÁBURU, n.263-281; FRANZELIN, *Quaestiones selectae* p.239ss; ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* c.5.; JOLIVET, *La notion de substance* (Paris 1929); J. HESSEN, *Das Substanzproblem.*

513. Nexus. Non quidem est proprium *Metaphysicae Generalis* ut ad singula capita entium consideranda perveniat, etsi omnia sub rationibus generalioribus considerare debeat. Aliunde, nec proprium est *Criticae* veracitatem nostrarum facultatum pro singulis ostendere. Sic necessitas oritur, quodammodo consequens *Criticam* et antecedens *Cosmologiam* aut *Psychologiam,* ut rationes supremae divisionis entis ostendantur obiectivae, de quo fructuose *Metaphysica Generalis* agit.

514. Notiones. SUBSTANTIA, in usu Scholastico, quadruplici sensu accipi solet:

a) Pro cuiusvis rei *essentia*. Usus quidem minus frequens cum et ipsa acceptio sit minus propria.

b) Pro *quavis entitate non accidentali,* sive completa sive incompleta: est substantia *transcendentalis*.

c) Pro *quavis entitate non accidentali* (*creata*) *completa*: est substantia *praedicamentalis*.

d) Pro *substantia individua incommunicabili* divisim ab aliis exsistente. Est substantia prima seu *suppositum*.

Ex his acceptionibus, quae proprie in quaestionem huic tractatui proponitur est substantia *praedicamentalis,* exponetur vero ut fundamentalis notio substantiae *transcendentalis,* quae debita correctione, ope analogiae, facta, etiam Deo applicari potest.

515. *Substantia.* 1) si *etymologice* consideretur, dupliciter intelligi potest:

a) Ut dependenter a verbo *substare*. Tunc idem significat ac verbum graecum *hypokéimenon,* hoc est, quod aliquo modo substratum et sustentaculum aliis rebus est. Haec interpretatio relativa et in ordine ad alias res constructa, nihil proprium et intrinsecum ipsi rationi substantiae exprimit, etsi quaedam ipsius sufficientia ut in se sit, indicatur.

b) Ut dependenter a verbo *subsistere*. Hoc sensu significat hanc entitatem talem esse, quae non alia indigeat a qua portetur et sustentetur; quo sensu aliquid positivum et intrinsecum ipsi rationi substantiae dicitur.

Si res pure etymologice consideretur, dicendum erit vocem *substantia* non a subsistere sed a substare derivatam esse.

2) Si vero *empirice* consideretur, haec elementa includit:

a) Observare, in primis, *empirice* licet quaedam, quae quamdam *constantiam temporalem* habent; quae, dum alia continuo apparent et disparent, permanentia temporali praedita sunt.

b) Imo simul quamdam *spatialem distinctionem* habent, qua etiam in spatio ab aliis separari possunt, aut certe ut ab eis distincta manifeste apparent: quod maxime patefit si illa motu locali praebeantur.

c) Apparent etiam ut quid *in se clausum;* dum alia, potius

quam in se clausa et finita, omnino erga alia aperta et tradita appareant.

d) Unde ipsa experientia quamdam profundam *independentiam* pro hoc entium genere determinat, qua *in se et pro se* esse apparent in contrapositione ad alia, quae *pro alio et in alio* manifestantur.

Haec facta empirica etiam primitiva et spontanea experientia observat quaedam enim experimur quae sola sine alio exsistere non valent, sicut deambulare... dum alia sola et independenter ab aliis entitatibus exsistere valent, ut homo. Quaedam quae in continuo transitu sunt; alia vero, etsi his quae transeunt quodammodo modificentur, tamen quamdam permanentiam ostentant qua quid in se et pro se esse ostendunt.

516. *Definitio philosophica.* Mens facta empirica colligens et super ea reflectens, rationem ultimam elementorum collectorum exprimere brevi formula intendit. Definitio, vero, duplici formula proponitur:

a) Alia *negativa:* substantia est *ens cuius quidditati debetur non esse in alio* (tamquam *in subiecto inhaesionis,* ut explicabitur).

b) Alia *positiva:* substantia est *ens per se stans,* seu *in se ac per se exsistens.*

517. Quo utraque forma definitionis recte intelligatur, haec elementa respectiva attente considerentur, quae ultimatim coincidunt: *per se, non in alio.*

Per se: in forma positiva definitionis, est elementum contractivum rationis entis, etsi proprie non dici debet differentia. Potest autem tripliciter intelligi:

a) quatenus opponitur enti *per accidens;* tunc vero tantum unitas intrinseca entis exprimitur;

b) quatenus opponitur enti *per aliud,* tunc autem ens per se identificaretur cum ente a se;

c) quatenus opponitur enti *in alio.*

Ex triplici hoc sensu, *primus* includitur quidem in ratione substantiae; non vero ut elementum specificativum, omnis enim substantia unitatem essentiae habet, est ens, non entia. *Secundus sensus* non includitur in ratione substantiae (etsi non excludatur necessario), datur enim substantia tam finita quam infinita. *Tertius* est sensus proprius et specificativus

substantiae, qui directe et formaliter includitur in eius quidditativa definitione: tandem ergo forma positiva definitionis cum negativa coincidit[1].

518. *Non in alio,* est elementum contractivum in forma negativa. Non in alio quidem tamquam in *subiecto.* Iam vero, subiectum multiplex intelligi potest:

a) Subiectum *denominationis,* est quod suscipit meram aliquam denominationem, sic *mons* qui dicitur Taurus. *b*) Subiectum *informationis,* quod recipit in se aliquam formam, quae neque in essendo, neque in operando est *intrinsece dependens* a subiecto a qua tamen illud in ordine substantiali perficitur. Sic est *materia prima* respectu animae spiritualis. *c)* Subiectum *sustentationis,* quod recipit in se aliquam formam, quae in essendo et operando est *intrinsece dependens* a subiecto, a qua tamen ipsum in ordine substantiali perficitur. Sic *materia prima* respectu animae brutorum. *d)* Subiectum *inhaesionis,* quod recipit in se aliquam formam, quae in essendo et in operando a subiecto dependet, a qua tamen ipsum, etsi intrinsece, accidentaliter, seu ultra ordinem essentialem, tantum perficitur. *Petrus* dicitur intelligens. Sic intellectus respectu actus cognitionis.

Ex quattuor his subiectis, quartum est quod formaliter a ratione substantiae excluditur; ipsa quidem subiectum inhaesionis *pro aliis* entitatibus esse potest, non vero ipsa alteri tamquam subiecto inhaesionis inhaerere.

519. Elementum ergo primario substantiae constitutivum non est quod accidentibus subsit (ut propria etymologia indicare fortasse cuipiam videbitur); imo, datur substantia, nempe infinita, cui omne accidens absolute repugnat; de facto substare accidentibus non requiritur. Neque elementum permanentiae est formale; absolute enim vera substantia dari potest, quae non permaneat, sed quae momento quo incipere exsistit, ipso pereat. Neque repugnat quod substantiae mutentur, saltem accidentaliter; imo etiam substantialiter, de quibus transformationibus substantialibus in alia Philosophiae parte agendum est. Elementum formale, si valeat tale dici, quo substantia in ratione substantiae constituitur, est illa intrinseca entis sufficientia qua altero non indiget, qua constituitur ut ens in se et pro se: prout maior vel minor sit talis intrinseca sufficientia, eo etiam perfectior vel imperfectior erit illa substantia: sic Deus, infinite et plenissime in se sufficiens, est perfectissima substantia;

[1] Pro P. Suárez in ratione formali substantiae includitur quidem haec ratio perseitatis, sed, formalissime, tantum *exigitive;* hoc est, substantia est ens *exigens* esse per se, quae exigentia per aliam entitatem complementariam ordinis substantialis, etsi ab ipsa substantia realiter distinctam, explenda est. Cf. J. Iturrioz, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* c.5, spec. p.289ss.

materia vero prima, cuius sufficientia minima est, sic est etiam imperfectissima substantia.

520. *Falsae quaedam definitiones substantiae. a)* Aliqui elementum *independentiae* exaggerant:

Cartesius: "Per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem quae ita exsistit, ut nulla alia re indigeat ad exsistendum. Et quidem substantia quae nulla plane re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe Deus. Alias vero omnes, non nisi ope concursus Dei exsistere posse percipimus. Atque ideo nomen substantiae non convenit Deo et illis univoce, ut dici solet in scholis; hoc est, nulla eius nominis significatio potest distincte intelligi, quae Deo et creaturis sit communis" [2]. Unde proprie solus Deus substantia dici potest, quod si et aliae substantiae admittantur, praeterquam quod illae tantum analogicae sint tales, ratio discriminativa in independentia ad exsistendum reponenda esset. Caeterum verum est rationem substantiae Deo et creatis analogice convenire.

Spinoza: ut basim systematis pantheistici hanc notionem substantiae ponit: "Per substantiam intelligo id quod in se est et per se concipitur; hoc est id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat" [3]. Inde habetur substantiam non posse ab alia produci [4]. "Nec in rerum natura possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae sive attributi. Si darentur plures distinctae, deberent inter se distingui ex diversitate attributorum, vel ex diversitate affectionum..." [5]. "Omnis substantia est necessario infinita" [6], inde vero radicalis pantheismus deducitur.

b) Alii confundunt substantiam cum *causa efficiente:*

Leibniz pro substantia intelligit "ens capax actionis"; "Sic invenio in natura ultra notionem extensionis debere adhiberi notio vis, quae reddit materiam capacem ad agendum et resistendum" [7].

Rosmini: "Substantia est illa energia qua entia actu exsistunt" [8]. Similiter Gioberti.

c) Alii elementum *permanentiae* exaggerant:

[2] *Principia Philosophica* 1,51.
[3] *Ethica* 1 prop.3.
[4] Ibid. *Theor.* 5-6.
[5] Ibid.1 prop. 5.
[6] Ibid. prop.8.
[7] *Syst. n. de la nature* 4.
[8] *Nuovo Saggio* 2.

SCOTUS ERIUGENA: "Quod semper id ipsum est vera substantia dicitur" [9].

CHR. WOLFF: "Subiectum perdurabile et modificabile dicitur substantia" [10]. Substantia est "subiectum determinationum intrinsecarum constantium atque variabilium"[11]. "Quod in se continet principium mutationum, substantia est" [12]. "Ens infinitum per eminentiam substantia dicitur" [13]. His etiam KANT annumerandus.

Aliae conceptiones circa substantiam, in sententiis proponentur.

521. *Divisiones substantiae.* Substantia potest esse *transcendentalis:* sumitur ut talis tantum quoad notas suas essentiales, iuxta quas omne praedicamentum transcendit. Talis est omnis entitas non accidentalis, quae sufficiens sit ut per se exsistat in sensu superius explicato. Hoc sensu etiam Deus substantia dici potest et debet; ideo substantia transcendentaliter sumpta potest dividi in substantiam *increatam,* quae est Deus unice, et a qua notione ratio substrati pro accidentibus excluditur, et *creatam,* quae est *ab alio.* Substantia vero transcendentalis creata dividitur in *incompletam,* quae est aut concipitur tamquam pars quae cum alia parte substantiam componit integram; et *completam* quae est aut concipitur per modum totius seu integrae substantiae. Tam completa quam incompleta possunt tales in ordine tam physico quam metaphysico haberi. Substantiae transcendentali opponitur substantia *praedicamentalis;* quae est substantia creata completa; sic autem denominatur, quia ea sola ponitur directe in praedicamento.

522. Substantia, ulterius, dividitur in *substantiam primam,* quae est substantia determinata et singularis, et definitur ab ARISTOTELE: "quae nec in subiecto est nec de subiecto praedicatur" [14]. Et in *substantiam secundam,* quae est substantia universalis, ut species et genera. Ab ARISTOTELE definitur: "quae de subiecto quidem dicitur, vel praedicatur, non tamen est in subiecto" [15].

523. *Proprietates substantiae praedicamentalis: a) Non est in subiecto* inhaesionis neque informationis neque susten-

---

[9] *De div. natura* 1,65.
[10] *Ontologia* 768.
[11] Ibid. 769.
[12] Ibid. 872.
[13] Ibid. 847.
[14] *Met.* 1.5.
[15] *Met.* 1.5.

tationis, est enim ens completum ordinis substantialis; quatenus completum non potest esse pars alterius substantiae, quatenus substantialis non potest esse in subiecto inhaesionis.

b) De suis inferioribus *univoce* praedicatur, quod quidem tantum, ut patet, substantiis secundis praedicamentalibus convenit.

c) Significat *hoc aliquid,* nempe substantia exprimit rem instar individui per se stantis determinati et quasi digito designabilis. Hoc solum de prima substantia valet.

d) Non habet contrarium, quod quidem non est exclusivum substantiae.

e) Non suscipit magis et minus in ratione ipsa formali substantiae.

f) Potest vero ipsa in se contraria suscipere; ut patet, successive.

524. Status quaestionis. *a)* Constat quidem ex *Critica* veracitas facultatum nostrarum in cognitione etiam abstracta, imo et falsitas criticismi et idealismi transcendentalis kantiani; non tamen *Critica* eo usque perrexit, ut etiam veracitatem illam quoad singula explicaret et confirmaret. Quare, etsi principio veracitas et obiectivitas teneatur, nondum deducitur mentem in omnibus suis cognitionibus esse veracem: inde necessitas iustificandi conceptum substantiae ut obiectivum.

b) Nec eo usque est a nobis in hac quaestione solvenda progrediendum, ut realitatem obiectivam omnium substantiarum ostendamus, nam hoc nec proprium est, si tali extensione sumatur, ipsius philosophiae; sed nec necessarium: nostrum est hic viam aperire qua progredientes aliae Philosophiae partes possint hanc vel illam substantiam ut vere talem admittere sine difficultate ex parte metaphysica; nos quidem iustificabimus conceptum substantiae, inde tamen non sequitur immediate animam spiritualem esse substantiam... sed hoc singillatim erit dein probandum. Ex solutione huius quaestionis id tantum habebitur: quod si aliae partes philosophiae substantias probandas suscipiant, sciant difficultatem generalem ordinis metaphysici non dari.

c) Quod conceptus substantiae prout a nobis statuitur in se nullam repugnantiam involvat, sat clare ex ipsa formulae inspectione apparet, nihil enim contradictorium ibi includi

manifestum est. Exinde iam primus gradus possibilitatis substantiae realis tenetur. Id tamen nondum sufficit.

d) Elementa quidem empirica recte examinata sunt, difficultas vero oritur in ulteriore operatione mentali quae ex datis empiricis ulterius procedit ad affirmandam realitatem ultraempiricam, cuius natura in definitione prolata exprimitur.

e) Quando mens sub datis empiricis aliquid reale substare dicit, quisnam est valor huius affirmationis? Estne quid mere a priori a mente fictum ut sic elementa empirica quodammodo legibus mentis subiiciantur? Estne quid ab imaginatione confictum? Estne quid per leges associationis subiectivas inventum? An e contra, data empirica sic sunt explicanda ut re vera independenter a mentis consideratione quaedam realitas adsit quae obiective per se sit?

525. Sententiae. *a)* Systema *realisticum,* ut est philosophia scholastica, constanter, indubitanter. obiectivitatem conceptus substantiae affirmavit, eaque est affirmatio fundamentalis in hac philosophia, quae sine tali obiectivitate funditus rueret.

b) Systemata *rationalistica* accipiunt quidem rationem substantiae, sed falso eam interpretantur ut indicatum est supra: sic CARTESIUS, SPINOZA, LEIBNIZ.

c) Systemata *empiristica et sensistica* obiectivitatem substantiae negant.

LOCKE (1632-1704) ut fontes cognitionis habet tantum experientiam sensitivam et reflexionem. Sic ad nos innumerae experientiae perveniunt, in quibus per comparationem reflexivam constanter numerum quemdam experientiarum convenire simul observamus, unde in suspicionem ducimur, eas omnes uni rei pertinere, et sic earum congeriem uno nomine designamus. Cum autem pro nobis impossibile sit hunc repraesentationum complexum quasi in se manentem imaginari, assuefimus aliquid confingere, quod quasi substratum talium repraesentationum sit, quod dein substantiam appellamus. Hic conceptus est repraesentatio unitatis plurium perceptionum ex activitate intellectus ortae, qui simplices perceptiones, unificat, earumque synthesi quasi signum commune nomen substantiae imponit. Itaque illa repraesentatio, communi nomine designata, substantia non est, nisi fictum et incognitum subiectum illarum omnium proprietatum quae secundum nostram

mentem non possunt sine re substante perseverare. Vis et energia pertinent ad notionem substantiae [16].

BERKELEY (1685-1753), continuans lineam empirismi versus idealismum, negat realitatem omnis substantiae materialis, nonnisi spiritum (animam et Deum) retinens tamquam subiectum idearum: ideae nostrae, quae sunt obiectum unicum scientiae, per solam spiritus activitatem plene explicari possunt, pro ideis esse est percipi, nihil est reale nisi nostra idea aut factum conscientiae. Nullibi datur substratum accidentium; nec mens nec sensus potest substantiam percipere, esset enim hoc contradictorium [17].

HUME (1711-1776) in ultimas consequentias empirismum radicalem ducit, statuens tamquam supremam legem nostrae vitae psychologicae *associationem*. Idea substantiae non venit nec ex experientia interna nec ex externa. Circa mundum externum nos tantum habemus quasdam perceptiones, quae quidem transitoriae sunt, sed experientia nos docet easdem collectiones perceptionum posse simul saepe nobis imprimi: inde per associationem idearum surgit quaedam idea, alicuius realitatis permanentis identicae per tempus, quae explicat iterationem eiusdem collectionis perceptionum. "Perceptio ergo substantiae nihil est nisi collectio idearum simplicium, quae per influxum imaginationis unitae fuerunt et peculiare nomen susceperunt quo nos hanc collectionem possumus in nostram vel in aliorum memoriam iterum adducere. Differentia inter utramque perceptionem in eo quod varia attributa quae essentiam substantiae perficiunt referuntur generatim ad aliquid incognitum, in quo supponuntur inhaerere; aut si talis fictio non fit, saltem cogitantur inter se unita per relationes contiguitatis et causalitatis" [18].

c) *Criticismus* kantianus.

KANT a dogmatismo per empirismum HUMII excitatus, substantiam dixit categoriam a priori, conceptum non empiricum conditionantem tamen experientiam, valoris immanenter obiectivi, subiectivi vero tantum respectu incognitae "rei in se". Ideam substantiae non efformamus quia quaedam qualitates constanter coniunguntur, sed coniunctae qualitates considerantur ut substantia, cuius ideam a priori habemus; est con-

[16] *An essai concerning human Understanding* 2 c.22 n.2; 4 s.7; 2,23 n.1.2.6.7.15.
[17] Cf. *Principles of human Knowledge* 7.16.18.22.37.
[18] *Treatise of human Nature* 1 s.6.

ditio a priori intellectionis, et sic phaenomenorum in tempore permanentiam et temporis determinationem necessario cogitamus. KANT substantiam ut permanentiam in tempore intelligit.

FICHTE (1762-1814) negat ullam extra *to ego* esse substantiam cum phaenomena cuncta, quae sensibus percipiuntur, ipsi *ego*, non autem rebus externis—nobis caeteroquin plane ignotis—inhaerere apparent. "Non est admittendum aliquod substratum permanens, quod sustentet accidentia; unumquodque enim accidens et se ipsum et suum oppositum sustentat, neque aliud subiectum requiritur" [19].

d) *Positivismus saeculi XIX.*

STUART MILL (1806-1873) initium sumit ad statuendam doctrinam substantiae ab associationismo; substantia est quasi personificatio permanentis perceptionum possibilitatis, quae possibilitas sub forma constantis substrati phaenomenorum fingitur.

W. WUNDT (1832-1920) interpretatur substantiam tamquam "illud quod nos supponimus esse substratum mutabilium circumstantiarum"; non est nisi proiectio proprii esse in mundum obiectorum. Haec notio utilitatem quamdam habet ut instrumentum pro scientiis.

e) *Actualismus* dupliciter consideratur:

Scientificus tenet in rerum natura substantiam proprie admitti non debere, cum tota natura physicochimica in continuo motu sit sine ulla permanentia. Haec conclusio admittenda est in statu actuali scientiarum physicochimicarum quae ipsum nucleum atomorum in continuo motu constantis mutationis invenerunt [20].

Intuitionisticus, prout a BERGSON proponitur, realitatem profundam invenit esse vitam, quae impulsu vitali in constanti motu progressivo est, ut tandem ad supremam liberationem vitae a materia perveniat; vita vero in continuo motu est; realitas profunda est in continua creatione irreproducibili; eo ipso quo vita sistat, iam materia iners apparet, contra quam vita in lucta continua est donec triumphum plenum in libertate et intuitione obtineat.

526. Nostra sententia, iuxta doctrinam traditionalem,

[19] *Grundlage der gesammten Wissenschaftslehre* 166ss.

[20] Cf. orationem a S. P. PIO XII pronuntiatam coram *Acad. scientiarum romanam*, Romae mense novembris a.1951, ubi status scientiarum circa visionem mundi optime resumitur.

quae realismum moderatum sustinet, admittit ut certissimam doctrinam, conceptum substantiae esse vere obiectivi valoris.

527. Probatur. 1. *A priori.* Si quid est in rebus realiter exsistens, necesse est admittere obiective realiter substantias, *atqui* datur in rebus aliquid realiter exsistens. E. datur obiective realiter substantia; *ergo* conceptus substantiae est obiective realis.

Minor patet ex refutatione Idealismi et ex solutione problematis critici.

Maior ostenditur: Nam realitas quae exsistit, vel est in se vel est in subiecto alio a se. Si primum, habetur propositum. Si alterum, aut illud subiectum est iam in se, et tunc iterum habetur intentum, aut est in alio; sed tunc ulterius interrogari poterit, donec absoluta necessitate tandem aliquid appareat quod est in se, quia processus in infinitum repugnat.

Processum autem in infinitum repugnare sic ostenditur: Series enim est subordinata, in qua praecedens elementum est ratio subsequentis, quod si illud deest, etiam subsequens deest, et etiam tota series deerit. Ergo processus in infinitum, in quo tandem illud primum elementum deest, repugnat, quia non datur ratio sufficiens totam seriem explicans. Quod si non repugnaret, tunc ad hominem argumentum valeret, nempe, ipsam totam seriem esse iam substantiam, cum *per se* sit. Haec vero solutio non potest simpliciter proponi, nisi polemice; ipsa enim tandem rem totam eodem modo ac adversarii explicat, etsi solutioni nomen imponat quod ab ipsis reiicitur.

528. 2. *A posteriori ex experientia interna.* Ope conscientiae coniunctae simul cum ratiocinio, cognoscimus proprium *ego* ut substantiam; *ergo* conceptus substantiae est obiective realis.

Consequentia ex statu quaestionis patet. Nota vero, requiri ad conclusionem obtinendam concursum et experientiae internae et reflexionis intellectualis.

Antecedens: Ope experientiae et ratiocinii cognoscimus: *a)* in nobis varios status internos, cognitionis, volitionis... transeunter dari; *b)* adesse vero eorum subiectum permanens, proprium *ego; c)* proprium *ego* esse praeterea subiectum illos status producens, ac proinde ab illis realiter distinctum; *d)* proprium *ego* non esse meram determinationem alicuius alius entis.

Haec autem elementa evidenter apparent: nam *a)* directe experimentale est; *b)* illae enim affectiones percipiuntur in concreto ut quid *mei,* quibus *ego* afficitur dum permanet: *c)* proprium *ego* dum illae affectiones producuntur active se habet et ut tale percipitur ita ut appareant affectiones dependenter ab eius activitate; consequenter etiam realis distinctio clara est; et denique *d)* cuilibet patet non esse cogitationem alterius, somnium aut fictionem, sed se prorsus autonomum et independens percipit.

His elementis statutis, probata est aliqua realitas obiective realis, distincta realiter a toto processu affectionum, et quae in se et per se independenter exsistit, quae sunt notae quibus substantia constituitur.

529. 3. *A posteriori ex experientia externa.* Per experientiam externam coniunctam cum ratiocinio multa nobis ut substantiae apparent; *ergo* conceptus substantiae est obiective realis.

Antecedens: *Ope experientiae* et ratiocinii *a*) discrete mineralia, plantas, animalia, homines... ut entia percipimus, quae ita per se exsistunt, ut nullo alio indigeant, cui ad exsistendum tamquam subiecto inhaesionis inhaereant. Invincibiliter omnes homines illa entia ut substantias iudicant. *b*) Plurimas mutationes percipimus ut accidentales, quibus novum ens essentialiter non affertur, sed quibus aliquid aliud praeexsistens afficitur dum permanet. Imo vero, mutationes hae accidentales alicuius substantiae sint necesse est.

530. Scholion. *De ratione permanentiae in substantia.* Valde pro hodierno statu scientiarum notandum est elementum *permanentiae* non esse constitutivum rationis substantiae. Cum enim iuxta modernos scientificos permanentia ordinis materialis neganda sit, inde facilis est saltus ad negandam etiam ipsam substantiam materialem. Aliunde, etiam Actualismus vitalisticus progressum continuum tenet, ita ut permanentiam vitae negent; unde etiam substantia vitalis neganda esset. Quidquid sit de his doctrinis, tamen etiam illis stantibus, potest adhuc incolumis etiam notio substantiae stare. Substantiae quidem est illa constitutio superior, qua hoc ens sibi est sufficiens ita ut independenter ab alio subiecto inhaesionis exsistere possit. Si hic gradus entitatis attingitur, habetur vere substantia realis, etsi haec in suo gradu permanere per tempus non possit; imo neque extensio spatialis necessaria est, ita ut si tota rea-

litas physicochimica ad puros atomos, imo et etiam ad inextensas particulas sine massa reducenda esset, adhuc posset absolute substantia dari, dummodo illa realitas actualistica et inextensa illum gradum perfectionis substantialis attingat etsi sine spatio et sine tempore. Quae omnia, etiamsi valorem proprium habeant respectu theoriarum modernarum, etiam in se valde sunt consideranda ut vera substantialis perfectio eiusque gradus in linea entis attingatur. Aliunde vero doctrinae, sic dictae, scientificae, quae realitatem totam ad puros motus reducunt, philosophice non modo omni fundamento destituuntur, sed contradictionem positive enuntiant, aut eam quodammodo implicant, cum purus motus quin quidquam moveatur, absurdus sit; *motu* enim *moveri* aliquid dicit, sed simul negatur moveri *aliquid*.

531. Obiectiones. 1. Ille conceptus est mera forma subiectiva sine ullo valore obiectivo, quem neque ex interna neque ex externa experientia haurimus; *atqui* externa experientia sensuum non cognoscimus nisi accidentia sensibilia, experientia interna solas accidentales affectiones; *ergo* conceptus substantiae est forma mere subiectiva.

Dist. mai.: si ita sit etiam adiecta reflexione intellectuali, *conc.;* secus, *nego; et contradist. min.*

2. Sed nec adiecta reflexione possumus conceptum efformare substantiae; *ergo* est forma subiectiva.

Dist. antec.: nullum conceptum proprium et intuitivum, *conc.;* nullum nec abstractivum et analogum, *nego.*

3. Motus vibratorii et undulatorii nequeunt esse illae substantiae de quibus loquuntur scholastici; *atqui* tota realitas non est nisi motus; *ergo* non dantur illae substantiae.

Dist. mai.: si mere sint motus quin aliquid moveatur, *conc.;* si sint realitates in motu, *subdist.;* si hae realitates sint sufficientes ut sint in se etsi non permaneant, *nego;* secus, *conc. Contradist. min.:* non est nisi motus sine aliquo quod moveatur, *nego;* est motus alicuius quod movetur *iterum dist.:* et quod est sufficiens ut sit in se, *conc.;* quod non sit sufficiens sed merum accidens, *nego.*

4. Substantia ponitur ut subiectum accidentium; *atqui* accidentia possunt inesse etiam aliis accidentibus; *ergo.*

Dist. mai.: ut subiectum praecise immediatum, *nego;* aut mediatum aut immediatum, *subdist.*: tamquam pertinens necessario ad notionem substantiae, *nego;* tamquam saepe coniunctum in realitate substantiae, *conc.*

ARTICULUS II

De substantia completa et incompleta

Thesis 23. Notio substantiae incompletae nullam repugnantiam involvit et ex pluribus substantiis actu permanentibus in suo esse specifico non potest una per se ac simpliciter natura exsistere.

532. S. Th., 2 *C. Gentes* c.57; *De ente et essentia* c.7; *S. Theol.* 1 q.76 a.4; Suárez, DM 15 s.10 n.61ss; 32, s.1 n.2; Liberatore, *Ontologia* n.101; Urráburu, *Ontologia* n.278 et 283; Palmieri, *Ontologia* th.15; *Cosmologia* th.16.20; Paniker, *El concepto de naturaleza* (Madrid 1951).

533. Nexus. Inter divisiones substantiae illa ponitur in incompletam et completam, de qua plures disputationes inter Scholasticos recentiores ortae sunt, praecipue in ordine ad explicandam compositionem substantialem. Qua de causa Metaphysicorum est notiones et possibilitatem substantiae incompletae tueri, qua posita in reliquis Philosophiae partibus forte ad hanc theoriam tuto recursus fieri poterit ad diversas quaestiones solvendas.

534. Notiones. Natura, vi nominis, illud significat quod alicui rei eo ipso convenit, quod est (vel esse incipit seu nascitur); quod vero proxime et magis intime unicuique rei convenit, ipsa eius essentia est et quidquid eam per se consequitur. Quod vero primo convenit est substantia, accidens enim non convenit nisi dependenter et consequenter ad substantiam.

535. *Natura definitur: principium primum internum et per se operationum entis. Principium internum* opponitur artificio, artificialia enim ut talia non moventur interno motu. Praeterea *primum,* hoc est, radicale seu ultimum, fundatum immediate in ipsa realitate entis. Est praeterea principium *per se,* convenit enim enti quasi quid ex ipsa essentia necessario proveniens, non ut quid per accidens superadditum; estque praeterea vere influens. Tandem est principium *operationum,* ex natura enim operationes proveniunt, quibus tendentia entis in terminum perfectivum exercetur, in quo ens quasi in perfecto statu quiescat, et quidem in perfectione acquisita, non in mera absentia motus vel actionis. Qua de causa natura dicitur *principium quo* (scl. agit), in oppositione ad suppositum,

quod dicitur *principium quod* (agit) in ordine ad operationem [1].

536. Inde recte intelligitur effatum philosophicum: *unumquodque operatur secundum quod est,* operationes enim cuiusvis entis fundamentales ortum in ipsa essentia habent, unde, determinatae ab essentia, ad eam accommodatae procedunt [2].

537. *Comparatio inter essentiam, naturam et substantiam.* Hi tres conceptus in ordine *formali* differunt quidem, *re* autem, quando de essentia alicuius substantiae agitur, identificantur. *Essentia* enim illud dicit quo substantia est substantia contradistincta ab accidente, ergo realiter idem sunt; *natura* autem est haec ipsa essentia seu substantia, quatenus principium radicale operationum. *Ratione* vero differunt, essentia enim tantum constitutivum uniuscuiusque entis dicit, etiam accidentalis, in proprio gradu entitatis; substantia explicat hunc gradum entitatis addendo perseitatem; natura vero hanc eamdem entitatem, sed in ordine ad operationes dicit.

538. Status quaestionis. *a)* Iustificanda venit superius statuta divisio substantiae in incompletam et completam; sunt enim qui hanc divisionem impossibilem teneant, ex contradictoria notione *substantiae incompletae;* substantia, arguunt, est in indivisibili; aut enim est per se aut non; quod si sit per se tunc definitio substantiae erit plene ipsi applicabilis; si vero non sit per se, definitio substantiae nullo modo erit applicabilis.

b) Ulterius autem aliud quaeritur tamquam complementum huius quaestionis: nam explicanda venit quomodo substantiae incompletae novam substantiam constituere possint. Nam si ratio substantiae incompletae reiiciatur, alia esset adinvenienda theoria ad explicandas substantias compositas quae dari videntur. Casus autem qui sub quaestione est, sic statui potest: Praesupponuntur uniendae duae substantiae tales, quarum unaquaeque etiam unione facta in suo esse specifico permaneat, hoc est, *intrinsece immutata,* ita ut solam extrinsecam unionis mutationem patiatur. Quaeritur: ex tali unione habebitur tandem una substantia, intrinsece indivisa etsi composita, aut, si una substantia non, saltem una natura per se exorietur?

---

[1] Cf. PANIKER, *El concepto de naturaleza,* per totum opus: post expositam evolutionem historicam, in crisim ducitur etiam constitutio systematica conceptus naturae.

[2] Cf. ibidem c.8, ubi plura effata philosophica circa naturam colliguntur et breviter explicantur.

c) Ratio utriusque quaestionis proprie non est metaphysica, sed ex Cosmologia proveniens; ubi enim de compositis substantiis agitur, orta est difficultas, ut in sententiis apparebit, circa naturam intimam talis compositionis. Quo autem explicatio scholastica reiiceretur, recursus factus est ad Metaphysicam ut ex ea ipsa ratio substantiae incompletae funditus reiiceretur; qua reiecta in Cosmologia nova explicatio esset excogitanda.

d) Consequenter quaestio haec mere speculative proponitur quatenus ex parte metaphysica via aperiatur ad solutionem scholasticam tuendam, simul ac conditio fundamentalis enuntiatur ad explicandam veram et intrinsecam unionem substantialem.

539. Sententiae. *a)* Qui in Philosophia Scholastica *atomistae* dicuntur, illi tenent notionem substantiae incompletae repugnare, ex unione plurium substantiarum non posse unam per se substantiam haberi; dari autem naturas incompletas, quarum unio unam per se simpliciter naturam producit. Praecipui auctores sunt LIBERATORE, TONGIORGI, PALMIERI. Exponemus autem sententiam ex verbis Patris PALMIERI.

b) *Doctrina Patris* PALMIERI: Substantia *non potest magis aut minus recipere,* hoc sic explicatur: "Ut ergo substantia magis et minus recipere posset, oporteret eam minui posse et augeri secundum ipsam rationem substantiae. Atqui substantia quaevis, quamvis possit desinere, nequit tamen minui et augeri in ratione substantiae, licet secundum alias rationes minui vel augeri possit id quod est substantia. Sane ratio substantiae in hoc est sita, ut per se sit, h.e. in nullo sit subiecto; atqui haec ratio in indivisibili est posita, nec potest in se ipsa recipere gradus, ergo..."[3]. Quo posito sic arguit: "Nota: Divisionem hanc completae et incompletae attribui quoque substantiae; verum haec divisio non cadit in ipsam rationem substantiae sed in natura, qua substantia gaudet. Scilicet, substantia spectata per se, nempe secundum ipsam rationem substantiae, nequit esse incompleta, quia est semper *ens non in alio*, quo tota ratio substantiae continetur"[4].

Contra vero, *natura potest esse completa et incompleta:* "Natura dicitur *completa* vel *incompleta* ratione habita operationum, quarum sit aut non sit principium intrinsecum sibi sufficiens. Itaque natura incompleta est, quae pro aliquo operationum ordine, ad quas exercendas est ex se ordinata, non est principium sufficiens; sed se habet ut pars eiusdem, et indiget compleri ab alio ut sunt singula organa in vivente. Natura completa est ea, quae est principium intrinsecum integrum, sive sufficiens sibi, certarum operationum. Porro substantia potest esse natura incompleta, cuiusmodi sunt eae substan-

[3] PALMIERI, *Ontologia* th.14 p.2.
[4] Ibid. th.15.

tiae, quae sunt partes alicuius compositi naturalis: et potest esse natura completa ut ipsae substantiae compositae, vel simplices, quae non sint partes alterius"[5].

His positis sic iam compositum substantiale explicat: "Principium illud: unum per se haberi non posse, si quae uniuntur iam sunt completa in ratione substantiae, eo quod unio substantiis completis est accidentalis, ideoque fit unum per accidens: principium illud, inquam, falsum est et id supponit quod est in quaestione. Sane unum per se est natura, et quotiescumque una natura habetur, habetur unum per se. Porro una natura haberi potest etiam ex pluribus substantiis completis in ratione substantiae, si non sint completae in ratione alicuius naturae, quam unitae constituunt. Quarum unio erit accidentalis quidem partibus, seorsim acceptis, sed essentialis tum toti, tum iisdem partibus prout aptae sunt eam naturam constituere et ipsam reapse constituunt. Et re vera ut compositum ex duobus elementis sit unum per se, non postulatur utrumque elementum esse incompletum in ratione substantiae: homo enim est unum per se et tamen anima rationalis est certe completa in ratione substantiae, licet incompleta in ratione naturae. Neque requiritur alterutrum esse incompletum in ratione substantiae; nam praeterquamquod in homine utrumque elementum in ratione substantiae est completum, et tamen omnibus fatentibus homo est unum per se, hoc, inquam, omisso, aliter quod dicimus licet demonstrare... Restat ergo unum per se esse unam naturam, quae ex pluribus substantiis coalescere potest. Illud autem principium peripateticum oritur ex quadam confusione idearum. Manifestum est enim quod quae uniuntur ad constituendum unum per se, debent esse sub aliqua ratione incompleta, sed haec ratio est ratio naturae, non substantiae: debent enim esse incompleta secundum id quod per eorum unionem fit: atqui fit natura, non substantia nisi composita, quae prout talis non excludit rationem substantiae e componentibus"[6].

Notandum tandem est P. PALMIERI *indentitatem realem substantiae et naturae* admittere; essentia enim, substantia et natura tantum ratione differunt[7], quod sic ostendit: "Natura proprie est principium intrinsecum ultimum actionum et passionum alicuius subiecti. Nempe cum aliquid operatur habet in seipso, ideoque intrinsecum, principium operationum, secus non ipsum est quod operatur. Si principium operationis est facultas a substantia distincta, haec, cum sit dependens a substantia, erit principium secundarium, non ultimum; substantia vero quae per se est, erit principium ultimum. Item cum aliquid recipit in se aliquid ab alio et modificatur, ratio debet esse in eo cur id possit pati, haec vero vel est ab aliquo accidente in eo exsistente, vel est a substantia; si ab accidente, ea non erit ratio ultima sed secundaria, quia accidens esse quod habet, habet a substantia cuius est; ergo haec ratio erit substantia ipsa subiecti, quae ratio significatur in definitione allata, cum dicitur *principium operationum.* Ex his liquet naturam et substantiam esse eamdem realitatem, quae est substantia prout per se exsistit, est natura prout est principium operationum et passionum. Hinc omnis natura est aliqua

[5] Ibid. th.15 p.3.
[6] PALMIERI, *Cosmologia* th.14.
[7] PALMIERI, *Ontologia* th.15.

substantia, et cum substantia sit ens permanens, principium quoque intrinsecum ultimum, quod est natura, permanens sit oportet"[8].

540. *Doctrina vero unanimis* Scholasticorum divisionem substantiae in incompletam et completam ut rectam tenet, et ad unitatem substantiae compositae compositionem ex substantiis incompletis requirit, secus talem unitatem per se reiicit.

541. Nos *quoque,* iuxta hanc scholasticam doctrinam, divisionem substantiae in incompletam et completam non nisi gratuito et periculose reiici tenemus; in ratione huius nihil est quod absurdum vel repugnans iure videri debeat, unde divisio substantiae in incompletam et completam communi veterum calculo approbata, retinenda omnino est. Praeterea etiam ad unitatem sive substantiae sive naturae compositae per se requiri censemus partes substantiales mutuo intrinsece compleri et uniri. Caeterum ex nostra hac metaphysica positione nondum sequitur dari de facto substantias incompletas, nec compositas quae ex partibus incompletis in unitatem per se componentur.

542. Probatur. 1.ª *pars: notio substantiae incompletae nullam repugnantiam involvit.* Notio aliqua tunc repugnantiam involvit quando eius aliqua nota aliam reiicit, et in casu haberetur repugnantia si ratio substantiae rationem incompletionis excluderet; *atqui* non excludit; *ergo* nulla adest repugnantia in ratione substantiae incompletae.

Minor: Vera est animadversio Patris PALMIERI, rationem substantiae in indivisibili esse positam; ideoque quae vera sit substantia, ea complete erit substantia. Iam vero, etiam in ratione substantiae incompletae ratio formalis substantiae complete invenitur, nam et ea vere est *ens non in alio sed per se.* Incompleta vero dicitur non quia definitionem substantiae non plene verificet, sed quia tota quanta haec entitas ordinata est ut unita alteri substantiae novam substantiam constituat, in qua ordinatione nulla repugnantia involvitur; non enim ad subiectum inhaesionis sed ad subiectum sustentationis aut etiam informationis ordinatur; singulae vero substantiae incompletae sunt in toto.

Confirmatur ex communi consensu Scholasticorum, agitur enim de mera notione; iam vero in determinandis notionibus maximi momenti est dicendus consensus Scholasticorum, qui acutissime notiones examinant. Caeterum, nota Atomistas hanc repugnantiam non

[8] PALMIERI, *Ontologia* th.15 p.354.

directe in ipsa notione immediate invenisse, sed cum in Cosmologia compositionem hylemorphicam admittere nollent, huius fundamentum funditus inde ab ipsa Metaphysica conceptione evertere voluerunt.

543. 2.ª *pars, de unione in unitate naturae.* 1) Ubi non una per se substantia, non una per se natura; *atqui* ubi actu plures substantiae completae ibi non una per se substantia; *ergo.*

Maior, posita identitate reali substantiae et naturae, evidens est.

2) Ubi plures actu naturae completae, non una per se natura; *atqui* plures actu substantiae completae, ibi actu plures actu naturae completae; *ergo.*

Minor, posita identitate reali inter substantiam et naturam evidens est.

3) Non explicatur unde unitas naturae provenire possit ubi pluralitas substantiarum remanet; *ergo* haec doctrina non est admittenda.

Antecedens: Non *ex unitate effectus* ab illis procedentis, nam etiam ex duabus naturis completis, per accidens unitis, unitas effectus obtinetur: ut in compositione duplici currus ferrei, duae machinae unum effectum tractionis in seriem curruum efficiunt. Non ex unitate indivisibili actionis, nam etiam Deus et creatura in actionem indivisibiliter unam concurrunt, et tamen non inde unitas naturae habetur. Non *ex unitate virtutis,* quia non talis datur posita pluralitate naturarum.

544. Obiectiones. 1. Ratio substantiae est in indivisibili; *ergo* substantia quae dicitur incompleta partialis et quasi dimidia repugnat.

Dist. ant. Est in indivisibili ita ut nullo modo sit accidens, *conc.;* ita ut substantia non possit in partes dividi quae etiam definitionem substantiae adaequate expleant, *subdist.:* si sit substantia simplex, *conc.;* si sit composita, *nego.*

2. Divisio ut recta sit debet fieri in membra se invicem excludentia; *atqui* non est huiusmodi divisio in substantiam incompletam et completam, nam incompleta ut pars substantiae completae, in hac continetur; *ergo.*

Nego min. Nam conceptus completae substantiae non involvit conceptum incompletae substantiae, secus ac conceptus *compositae* substantiae.

3. Non est substantia quae substantiae non gaudet proprietatibus; *atqui* substantia incompleta non gaudet substantiae proprietatibus; *ergo.*

Dist. mai. Non est substantia transcendentalis quae non gaudet proprietatibus substantiae transcendentalis, *conc.;* quae non gaudet proprietatibus substantiae praedicamentalis, *nego. Contradist. min.* Admittimus quidem substantiam incompletam non esse substantiam praedicamentalem.

4. Ens vel est in se vel est in alio; si prius erit substantia; si alterum accidens; *ergo* inter substantiam et accidens non datur medium.

Transmitto totum, nemo enim asserit substantiam incompletam esse quid intermedium inter substantiam et accidens.

5. Tunc nova exsistit natura cum novum intrinsecum operationum principium datur; *atqui* iisdem manentibus substantiis potest novum intrinsecum principium operationum exsurgere; *ergo.*

Dist. mai. Si novum habetur principium primum, intrinsecum operationum, *conc.;* secus, *nego; contradist. min.*

6. Ens completum in ratione substantiae compleri ulterius potest in ratione naturae; *ergo* ex duabus substantiis completis una natura per se haberi potest.

Dist. ant.: compleri potest in ratione accidentali naturae, *conc.;* in ratione substantiali naturae, *nego.*

7. Ad rationem unius per se satis est quod adsit natura una completa subsistens, unum nempe suppositum; *atqui* ex pluribus substantiis actu completis et in suo esse specifico remanentibus potest resultare una natura completa subsistens; *ergo.*

Conc. mai., nego min. Exemplum afferri solet unionis hypostaticae in Christo, quod nihil probat quia in Christo non datur *unitas* naturarum, sed *unio* naturarum in una Persona.

ARTICULUS III

De supposito

Thesis 24. Subsistentia est perfectio positiva quae in creatis a natura singulari completa distinguitur distinctione saltem rationis ratiocinatae.

545. S. Th., 3 q.4; 3 *Dist.* 2 q.1; 4 *C. Gent.* c.55; Suárez, DM 34; Tiphanus. *Declaratio ac defensio schol. doctrinae SS. PP. Doctorisque Angelici de Hypostasi et persona...* (Parisiis 1881); Caietanus, *In 3* q.4 a.2; I. a Sto. Thoma, *Phil. Nat.* 1 q.7; *Curs. theol.* t.1 disp.4 a.1ss; Card. Franzelin. *De Verbo Incarnato* th.26-31; Card. Billot, *De Verbo Incarnato* c.2 q.2; M. Febrer. O.P., *El concepto de persona y la unión hipostática: Revisión tomista del problema* (Valencia 1951); Iturrioz. S. I., *Estudios sobre la metafísica de Fr. Suárez* (Madrid 1949) c.5; P. Muñiz. O. P., *El constitutivo formal de la persona creada en la tradición tomista:* CienTom 68 (1945) 5-89; D. Mingoja, O. P., *De unione hypostatica* (Catanae 1926); Descoqs, *La nature métaphysique de la personalité:* ArchPh 14 (1938) 524-560; D. García, *De rebus methaphysice perfectis seu de natura et supposito secundum primum totius Phil. principium* (Barcelona 1930).

546. Nexus. Minimum vidimus quo substantia in ratione substantiae constituitur; sed capacitas perfectionis etiam

in ipsa ratione substantiali multo maior est, eamque nunc breviter in analysim ducemus.

547. Notiones. Ad rationem *suppositi* attingendam haec sunt consideranda:

a) *Substantia* quidem *independentiam* quamdam implicat etiam in suo gradu imperfectissimo materiae primae, quae tantum officium sustentantis respectu formae exercere valet; ostendit tamen in se et pro se aliquid esse, cum accidens potius sit *entis ens* quam simpliciter *ens*. Haec perfectio etiam in gradu minimo eo attingitur quod hoc ens substantiale sit tantae perfectionis et in se sufficientiae, quo possit sine subiecto inhaesionis exsistere, quod quidem quamdam plenitudinem in essendo importat. Inveniuntur autem plurimae substantiae quae praeter hanc minimam plenitudinem et imperfectissimam sufficientiam, aliam plenitudinem obtinuerunt, ita ut possint et debeant dici quid *totum in se;* sic Paulus, sic canis, sic planta etiam in terra radicata, sic mineralia...

b) Ex ipsa ergo fere experientia hanc notionem quibusdam saltem substantiis applicabilem habemus: *quid totum in se*. Re vera, per hanc notionem non raro STUS. THOMAS rationem suppositi explicavit, ut exempla sequentia manifestant: "Hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento" [1]; "Haec nomina persona, hypostasis et suppositum integrum quoddam designant" [2]. "In significatione naturae includitur solum id quod est de ratione speciei; suppositum autem non solum habet haec quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia quae ei accidunt et ideo suppositum signatur per totum, natura autem sive quidditas ut pars formalis" [3]. Inde dici potest adesse in realitate ens *plene* substantiam, ad cuius complementum perfectivum illa totietas et plenitudo in independentia pertinet.

c) Quodsi haec independentia et plenitudo in analysim ducatur, multiplex entis ad ens communicatio distingui potest, in cuius exclusione illa plenitudo obtinetur. Alia quidem communicatio *extrinseca,* quae intentionalis potest esse sicut in causa finali; et realis, sicut in causa efficiente. Iam exinde asseri potest, hanc communicationem non excludi illa substan-

[1] 3 q.2 a.3 ad 2.
[2] *Comp. Theol.* c.211.
[3] *Quodl.* 2 q.2 a.4.

tiae plenitudine, sed potius quodammodo includi, cum ad perfectionem entis pertineat et appeti et influxu suo aliud ens producere. Alia vero est communicatio *intrinseca,* in qua res communicat vel praebet alicui suammet entitatem. Haec autem potest esse *rationis,* communicatio nempe superioris ad inferiora secundum abstractionem rationis; et *realis,* qua una res singularis communicat se ipsam alicui vel aliquibus. Haec communicatio realis multiplex potest esse: illa propria accidentis subiecto cui inhaeret; alia per identitatem perfectam et quasi intimam inclusionem eiusdem rei quae communicatur in illa cui communicatur; alia vero sine identitate, media aliqua unione, sive tamquam pars substantialis ad partem, sive tamquam natura ad altius suppositum.

Nunc vero: illa plenitudo substantiae ut est tota in se, excludit quidem illam communicationem intrinsecam *rationis,* sed in quantum est *res singularis,* ideoque haec incommunicabilitas non est specificativa huius plenitudinis entis; etiam illa communicatio *realis* propria accidentis excluditur propter minimum quod ad rationem substantiae requiritur, non iam ad constituendam plenitudinem quam quaerimus; sed per hanc plenitudinem excluditur illa communicatio alteri tamquam pars, sed potius propter rationem substantiae *completae* quam propter rationem plenitudinis entis; imo et etiam communicatio alteri supposito *superiori* a quo possideatur; et communicatio pluribus suppositis etiam per identitatem.

Exinde deducitur plenitudinem illam entis substantialis in illo esse, quod substantia, supposita singularitate et completione, praeterea sit superiori enti incommunicabilis a quo possideatur et habeatur [4].

Quando substantia has omnes incommunicabilitates habet, tunc plenitudinem totietatis obtinet et nomen suppositi accipit.

548. SUPPOSITUM ergo definiri potest *substantia completa incommunicabiliter subsistens* [5], aut brevius, *substantia (completa) incommunicabilis;* per hanc autem incommunicabilitatem excluditur formaliter, ex dictis, communicatio naturae substantialis ad alienum suppositum, eaque posita substantia redditur *tota in se.* Imo et formula positiva potest suppositum definiri *totum in se,* quo illa plenitudo ut perfecte *per*

[4] SUÁREZ, DM 34 s.5 n54; *De Inc,* d.11 s.3 n.8. SUÁREZ admittit subsistentiam partialem; et in essentia divina subsistentiam absolutam; cf. *scholion* 2.

[5] LUGO, *De incarnatione* disp.12 s.1 n.3.

hoc in se clausa, sibi et non alteri, optime exprimitur. Optima est etiam formula S. THOMAE: *subsistens distinctum*: "Est ergo ratio personae quod sit subsistens distinctum et omnia comprehendit quae in re sunt" [6]: *subsistens* quidem, ideo substantia singularis in se exsistens; *distinctum* vero, ideo substantia completa et alteri superiori non communicata.

549. Accurate ratio suppositi a ratione naturae, exsistentiae et individuationis est distinguenda. Natura quidem est principium operationum, et operationes dicuntur suppositorum, et suppositum dicitur etiam principium operationum; natura est principium *quo* operationum, suppositum vero est principium *quod* operatur. Exsistentia relationem intimam cum supposito habet, tam in sententia thomistica quam in suareziana (de hac in scholio), cum exsistentia in doctrina thomistica sit actus et principium omnis perfectionis; suppositum vero dicitur maxime perfectum. Tandem individuatio quamdam incommunicationem importat, illam nempe qua natura pluribus, sicut ipsa est, communicari non potest; haec vero incommunicatio in supposito importatur, non tamen ea est qua suppositum formaliter ut tale constituitur.

550. Suppositum etiam SUBSISTENTIA denominatur; haec vero dupliciter intelligitur:

a) *In concreto,* hoc est, quatenus est totum suppositum, quo sensu idem est subsistentia ac subsistens ipsum; sic videtur hic conceptus generatim apud antiquiores et apud Patres Ecclesiae intellectus fuisse.

b) *In abstracto,* hoc est, ratio formalis qua subsistens ut subsistens constituitur. Sic frequenter apud modernos philosophos et theologos Scholasticos. Usus hic fuit forte primo a CAIETANO introductus. Valde notandum est in unoquoque casu quo sensu expressio adhibeatur; saepe enim fere incomprehensibilis pluribus videtur subsistentiam non esse nisi quid ratione distinctum, aut modum aliquem etsi substantialem; hoc autem valet *de ratione ultima* qua substantia completa singularis ut suppositum constituitur; sed subsistentia in concreto totum ens cum omnibus suis perfectionibus includit.

551. Status quaestionis. *a)* Quaestio de natura formali suppositalitatis radices habet historicas dogmaticas. Dogmatice enim duplex factum statuitur. Essentia divina, perfectissima quidem, tribus Personis realiter inter se distinctis communicatur per identitatem; humanitas Christi perfectissima in suo ordine, Personae divinae communicatur a qua assumi-

[6] S. TH., 2 *Dist.* 5 q.1 a.1; cf. *De pot.* q.9 a.4 c.

tur, et sic illa humanitas non est suppositum. Inde apparet adesse differentiam inter naturam substantialem completam singularem et suppositum; ideoque quaerendum in quo formaliter ratio suppositi seu subsistentia (in abstracto) consistat. Hac de causa quaestio, quam hic instituimus, profuse etiam a Theologis, speciatim in tractatu de Verbo Incarnato, agitur.

b) Sed etiam philosophice quaeri potuisset quo formaliter illa ultima plenitudo substantiae, quam observare licet in plurimis substantiis non tamen in omnibus, constitueretur; quaestio vero apparuisset supervacanea, cum responsum clarum et facile videretur, eo nempe constitui quod substantia aliqua completa singularis esset. Nunc autem, ex parte philosophiae responsum dari nequit quod factis dogmaticis opponatur.

c) Quaestio ergo sic statui potest: Adestne aliqua differentia inter substantiam completam singularem et suppositum? Si vero adsit, quo formaliter illa substantia ut suppositum constituitur? Cuius naturae est? Quaenam distinctio eius a natura: rationis, realis maior, minor...?

d) Sic ergo nunc elementum novum apparet quod ultra gradus metaphysicos necessarium est ad complementum entis in ordine substantiali. Ut ergo compleantur quae de constitutione entis superius sunt dicta, sic nunc plena quaestio de constitutione metaphysica entis perfecti proponi potest: Adest quidem substantia, adsunt accidentia, adest exsistentia, subsistentia; haec elementa qua subordinatione inter se hierarchice uniuntur ut tandem iisdem ens perfectum habeatur?

552. Sententiae. *a)* Sit prima sententia *Scotistarum.* Constituta natura individua exsistente singulariter, posita negatione ulterioris communicationis, eo ipso *formaliter* habetur ens substantiale plenum et totum in se, hoc est, suppositum. Iuxta Scotistas vero triplex dari potest communicatio:

1) *in ordine ad subiectum inhaesionis,* haec vero in supposito per rationem substantiae excluditur; 2) *in ordine ad totum:* haec communicatio cum substantia bene compatitur, saltem per modum partis integralis; iuxta alios etiam per modum partis essentialis; haec vero communicatio in subsistentia completa excluditur non ratione subsistentiae, sed ratione ipsius entitatis sive naturae completae; 3) *in ordine ad alienum suppositum,* haec impeditur per propriam subsistentiam (com-

pletam); hac constituitur suppositum ut tale [7]. Sed haec communicatio ad alienum suppositum adhuc multiplex consideratur a Scotistis: 1) *actualis,* quae datur quando natura aliqua vere est supposito alterius naturae communicata. Sic natura humana Christi; 2) *aptitudinalis,* quae datur quando natura inclinationem habet et propensionem ad dependere et communicari alieno supposito. Idem exemplum offertur; 3) *potentialis,* est mera non repugnantia ad sic dependere ab alieno supposito. Datur haec quoque in natura humana Christi [8]. Ex his tribus negationibus, iuxta Scotistas non requiritur, ad constituendum formaliter suppositum, negatio tertiae communicationis; pro aliquibus sola negatio actualis communicationis ad alienum suppositum constituit formaliter suppositum ut tale; habetur quidem tunc negatio communicationis aptitudinalis, non tamen formaliter sed consequenter. Sunt tamen qui ad formale suppositum requirunt praeter incommunicationem actualem etiam ipsam aptitudinalem, ita ut duplici hac negatione substantia completa singularis constituatur formaliter ut suppositum. Iuxta hanc sententiam subsistentia consistit formaliter in aliqua negatione. Entitatis vero gradus sic ordinantur: natura substantialis completa, haecceitas, exsistentia singularis. Eo ipso habetur suppositum.

b) Altera sententia est asserentium subsistentiam consistere quidem *in positivo,* sed *ratione tantum* distincto a substantia singulari completa. Inter antiquiores citantur GANDAVENSIS, DURANDUS [9], PETAVIUS, THOMASSINUS et THIPHANUS cum aliis non paucis ut DE BENEDICTIS [10]; inter recentiores eminent CARD. FRANZELIN [11], PESCH, PESCH-FRICK, PALMIERI [12], MENDIVE, DESCOQS et alii [13]. Sententiae huius praecipuus fautor est TIPHANUS cuius sunt hae explicationes:

Tenet quidem adaequatam rationem hypostasis constitui ex triplici perseitate et perfectione, videlicet *perseitate substantiae,* qua opponitur accidenti, *perseitate singularitatis,* qua opponitur secundae et universali substantiae, et *perseitate ac perfectione totalitatis,* qua opponitur parti et substantiae imperfectae. Hae enim tres hypostasis

[7] MASTRIUS, *Metaph.* d.11 q.3 a.2.
[8] Cf. MASTRIUS, *Metaph.* d.11 q.4 a.2; ibid. q.3 a.2; v. d. WOESTIJNE, *Cursus Phil., Ontologia* p.237ss.
[9] DURANDUS, 1 *Dist.* 34 q.1 n.15.
[10] DE BENEDICTIS, *Phil. Perip. Metaph.* l.2 c.3, 1.
[11] Card. FRANZELIN, *De Verbo Incarnato* th.30.
[12] PALMIERI, *Ontologia,* th.16.
[13] DESCOQS, *La nature métaphysique de la personnalité: 2. Autour de la théorie Tiphaine-Franzelin:* ArchPh 14 (1938) III 114-122. Relationem uberrimam sententiarum et locorum ubi apud singulos Auctores inveniuntur videas apud URRÁBURU, *l. c.*

definitione continentur, cum hypostatis definiatur, substantia prima tota, vel substantia individua integra et perfecta. Iam vero, cum perseitas et perfectio totalitatis in hypostasis definitione habeat rationem differentiae ultimae, ea vel sola a quocumque sublata, duabus aliis remanentibus, ab eo perit hypostasis propria, ut patet, tum in humanitate Christi, tum in omnibus substantiis sive heterogeneis sive homogeneis, suam enim totalitatem coniunctione cum aliis amittunt fiuntque partes. Sed totalitas et integritas substantiae in rebus creatis duobus modis tolli potest, nempe divisione partium, seu detractione alicuius, et sola adiectione alterius substantiae. Inde natura et substantia prima est quidem de ratione intrinseca hypostasis, non contra; omnis natura singularis exsistens necessario vel est hypostasis propria vel in aliena est. Hypostasis et persona ratione totalitatis substantialis quam includit, nec non ratione singularitatis et individuationis, non realiter, sed solum ratione differt a natura, cum nullius rei totalitas et singularitas ab ipsa differat. Incommunicabilitas positiva et suppositi propria est idem quod substantiae totalitas, seu est ipsa substantiae perfectio qua est tota. Omnis substantia alteri, a qua substantialiter perficitur unita et communicata non est hypostasis, quia non est substantia tota et integra, habetque modum partis [14]. Iuxta hanc ergo sententiam subsistentia formaliter est aliquid positivum qua substantia completa ut *tota in se* constituitur; sed non aliquid a substantia completa exsistente realiter distinctum, sed tantum ratione etsi cum fundamento in re. Sic tota res componitur: Adsunt a parte rei realiter identificatae natura et individuatio, et iuxta fere omnes asseclas huius sententiae etiam exsistentia; si haec natura non est alteri supposito unita, tunc in ea exsurgit nova perfectio positiva, qua illa substantia redditur ut plene tota in se; non tamen exsurgit nova realitas a substantia illa distincta.

c) *Tertia sententia* eorum est qui suppositum formaliter dicunt constitui *aliquo ex natura rei naturae addito* sive illud distinguatur distinctione reali maiori vel minori. Haec autem sententia *duplici principali modo* proponitur:

1) Iuxta eos qui ab essentia substantiali reali exsistentiam eius realiter distinctam ponunt. Sed inter hos, iterum, triplex adest *sententia:*

1′ Suppositum *addit solam exsistentiam* supra naturam, non tamen ea includitur in illo intrinsece, sed tantum extrinsece, id est, per habitudinem ad illam. Haec sententia tribuitur a quibusdam CAPREOLO, quamvis alii graviter hanc attributionem renuunt [15].

2′ *Exsistentia substantialis* intrinsece ac formaliter constituit suppositum; et consequenter illud quod suppositum na-

[14] TIPHANUS, per totum librum; vide conspectum, de quo in textu, c.72.
[15] CAPREOLUS, III *Dist.* 5 q.3 a.3 ad 1, contra 2. concl. Plura de interpretatione Capreoli in hunc locum disputantur: cf. D. INNOCENTI, *Il Capreolo e la questione sulla personalità*: DivThom (Pi) (1940) p.27-40; FRAILE, *El constitutivo formal de la persona humana según Capréolo:* CiencTom 67 (1944) 129-199.

turae addit nihil aliud est quam ipsa exsistentia. Nostris diebus praecipuus huius sententiae fautor CARD. BILLOT exstitit[16]. A fautoribus huius sententiae tribuitur ea ut principi CAPREOLO: tenet contra TIPHANUM et SCOTUM suppositum necessario addere supra naturam singularem aliquam realitatem positivam, et contra CAIETANUM et SUÁREZ, hanc realitatem positivam non esse aliquem modum substantialem, sed nihil aliud quam *esse* substantiale quod naturae individuae completae debetur[17].

3′ Subsistentia est *quid realiter distinctum* tam a natura, quam ab exsistentia: secundum hanc sententiam primum subiectum actus exsistentiae est ipsum suppositum, a quo proinde ille actus realiter distinguitur; illud suppositum, non natura, est subiectum primum filiationis; proinde ratio formalis suppositi distinguitur realiter etiam a natura. Naturae ergo individuatae advenit nova realitas, quae est suppositalitas, et in hac tandem subiectatur ipsa exsistentia realis, realiter distincta, ut ultima actualitas et naturae et subsistentiae. Sic CAIETANUS[18], FERRARENSIS[19]. Haec sententia forte adhuc generalior est inter Thomistas etiam modernos[20].

In his sententiis sic realitates ordinantur: natura individua suscipit accidentia, et dein, interposita in sententia CAIETANI realitate modali suppositalitatis, habetur in omnibus realitas ultima exsistentia, quae est in sententia CAPREOLI et BILLOT formaliter ipsa subsistentia.

2) Iuxta eos qui naturam substantialem actualem eiusque exsistentiam realiter identificant. Naturae ergo substantiali, realiter propriam exsistentiam sibi identificanti, accedit nova aliqua entitas modalis, realiter ab ea distincta, quae illam totam in se et formaliter incommunicabilem reddit. Sic suppositum ut tale constituitur. Hanc sententiam docuit SUÁREZ[21], quem sequuntur plures ex eius asseclis etiam modernioribus. Iuxta hanc sententiam, naturae individuae exsistenti accedunt accidentia, et tandem additur modus subsistendi realiter distinctus.

553. Nos ex criteriis philosophicis tenemus saltem hoc,

---

[16] BILLOT, *De Verbo Incarnato* th.7. Cf. CAROSI, *La sussistenza, ossia il formale constitutivo del supposito:* DivThom (Pi) (1940) 393-420; (1941) 3-26.
[17] DEZZA, *Met. gen.* p.304-305.
[18] CAIETANUS, *In III* q.4 a.2.
[19] FERRARIENSIS, *In IV C. Gent.* c.43.
[20] HUGON, *Met. Ontol.* tr.3 q.1 a.4; GREDT, *Elem. Phil.* n.618.
[21] SUÁREZ, DM 34,2,5.

subsistentiam formaliter consideratam in aliqua perfectione positiva consistere, quae saltem distinctione rationis ratiocinatae a substantia completa singulari distinguitur. De ulteriore determinatione huius sententiae, in scholiis quaedam adiungemus. Nostra positio videtur nobis saltem probabilior.

554. Probatur *prima pars ex ratione subsistentiae.* Subsistentia est aliqua perfectio; *atqui* omnis perfectio aliquid positivum est; *ergo* subsistentia est aliqua perfectio positiva.

Maior: Subsistentia est ultimum complementum in linea essendi in se et per se, quo formaliter natura perfecta et tota est plene et absolute in se et sibi, et nullo modo alterius ad modum partis aut alicuius possessi ab alio et sub alio; inde illud totum quodammodo dici potest sui iuris fieri. Iam vero, ultimum complementum perfectio est, ad quam naturaliter ipsa ratio substantiae tendit, nam per hanc perfectionem substantia constituitur ut perfectum quid in suo ordine; haec plenitudo, independentia, totietas perfectionem supponit et quidem magnam, quod apparet ex defectu earum. *Confirmatur* maior ex ipso consensu Theologorum et Philosophorum, qui, exceptis tantum Scotistis, hanc esse perfectionem positivam tenent; et etiam ex Scotistis non desunt qui sub expressionibus negativis aliquid positivum asseri fateantur.

Minor: non esse non potest constituere ullam perfectionem, negatio enim nihil est; per merum ergo non-ens non possunt effectus supra assignati oriri.

555. *Secunda pars.* Comparata ratione substantiae completae singulari cum ratione suppositi, rationes inveniuntur re vera et obiective differre; *ergo* adest distinctio saltem rationis ratiocinatae.

Antecedens: aliter enim se habet ratio substantiae singularis completae si concipiatur ut tota in se et plene independens quam si alteri communicata et ab eo assumpta appareat. Fundamentum, saltem occasionale, huius distinctionis est separatio realis utriusque perfectionis. Data vero occasione etiam ipsa analysis conceptuum differentiam obiectivam denuntiat.

556. Scholion 1. *De sententiis allatis* aliquod verbum pronuntiandum videtur. a) *Sententia quidem Scotistica* theologice locutionibus SS. Patrum conformior videtur, quorum expressiones indicant, ideo naturam humanam Christi personam non esse, quia communicata Verbo; unde deduci posse

iudicant illam naturam personam fuisse eo solo quod Verbo non uniretur. Inconveniens vero *theologicum* hoc habet, quod illa natura de facto nulla perfectione careret etiam unita Verbo, cum iuxta generaliorem opinionem caret saltem perfectione personali; praeterea unio ipsa non clare apparet, nec unitas per se. *Philosophice* vero maximum inconveniens inde provenit quod subsistentia quid mere negativum esse dicatur. b) *Sententia* TIPHANI et aliorum *philosophice* omnia sat bene explicare videtur, ratio illa *totietatis* et independentiae suppositi clarissima redditur. Solet tamen obiici quod haec sententia ad scotisticam reducenda videatur etsi verbotenus aliter exprimatur. *Theologice* vero difficultatem habet in explicanda illa separatione reali naturae humanae Christi a propria suppositalitate. Caeterum de hac sententia asseruit SUÁREZ fortasse sola ratione naturali non posse convinci falsitatis. c) Sententiae reponentium in distincto aliquo reali, si distinctionem praeterea realem inter essentiam et exsistentiam praesupponant, habent difficultatem generalem huius distinctionis realis; sed et hoc notandum: si dicatur subsistentia ipsa formaliter exsistentia, gravis urgetur theologica difficultas, naturam humanam Christi non propriam habere exsistentiam, sed exsistentia infinita Verbi exsistere, de quo SS. Patres et Concilia nihil dixerunt, cum tam attente differentias inter naturam humanam Christi et nostram suppositatam considerarent. Si autem subsistentia supponatur distincta realiter et a natura et ab exsistentia, urgenda erit difficultas tot entitatum, subsistentia proponitur in hac sententia ut complementum naturae, cum tamen Christus naturam humanam integram assumeret. d) Si distinctio realis naturae ab exsistentia non praesupponatur, tunc difficultas philosophice ex modo subsistentiali provenit, et remaneret explicanda ratio cur Christus illam entitatem non assumpserit cum ea sit ultimo hominis perfectiva. Quibus omnibus consideratis haec erit nostra positio: si difficultas a separatione naturae et suppositalitate in Christo sine entitate reali deficiente ostendi potest, tunc praeferenda videtur sententia TIPHANI; si illa difficultas salvari non potest, tunc tenenda nobis est solutio suareziana. Illam vero difficultatem solutionem probabilem pati posse arbitramur: insuperabilis quidem foret si aliquando natura humana Christi et eius suppositalitas unitae fuissent, ita ut aliquando natura humana Christi verum fuisset humanum suppositum; non tamen est hic casus: unde quae realiter separantur, realiter distinguun-

tur, si aliquando unita fuerunt, concedo, secus... in casu probandum erit. Adest quidem in Petro animalitas cum rationalitate realiter identificata, cum tamen in bruto animalitas adsit sine rationalitate, unde datur separatio animalitatis et rationalitatis, quin inde sequatur distinctio realis animalitatis et rationalitatis in Paulo. Difficultas ergo contra TIPHANUM ex Theologia provenit, quodsi facta dogmatica non essent explicanda, tunc sententia TIPHANI esset tenenda, imo etiam ipsa distinctio rationis esset in dubium reponenda.

557. Scholion 2. *De sententia suareziana circa subsistentiam.* Fundamentum huius doctrinae est *conceptus substantiae,* qui formaliter nondum dicit ens *actu* per se, sed ens *exigens* perseitatem; posita ergo substantia in ordine exsistentiali in gradu a propria essentia requisito, adhuc erit ens exsistens ut exigens esse per se, quae exigentia erit aliquo complenda. Iam vero, subsistentiae est dare complementum exsistentiae substantialis, seu modum exsistendi, quo constituitur actu id quod proprie est in se sine adhaesione ad aliud ut ad sustentans et terminans exsistentiam naturae [22]: exsistentia ergo substantialis habet tantum aptitudinem ad hoc complementum, quae capacitas non est solum logica potentia, sed physica et realis, qualis est in re terminabili respectu termini ex natura rei distincti [23]. Inde subsistentia concipitur a SUÁREZ ut "ratio per se exsistentiae" [24], "ratio... qua constituitur aliquid ut in se et per se est" [25]; "non dicatur subsistentia esse exsistentia per se, sed dicatur potius perseitas exsistentiae, seu modus per se naturae exsistentis" [26]; "huiusmodi per se exsistentia pertinet ad summam perfectionem intensivam entis, est enim perfectio simpliciter simplex" [27], "est complementum substantiae" [28], "est veluti ultimus actus naturae" [29], "ultimus ac purus terminus naturae... per hunc autem modum terminatur" [30]; "est actus naturae substantialis et ultimus" [31], "non comparatur ad naturam ut forma sed ut purus terminus; ergo nec natura comparatur ad subsistentiam ut materia, vel proprium subiectum: comparatur ergo ut terminabile ad suum

[22] SUÁREZ, *De Inc.* d.11 s.3 n.10.
[23] DM 34 s.4 n.28; cf. *De Smo. Trin. Myst.* l.4 c.11 n.1-3.
[24] *De Inc.* d.11 s.4 n.5.
[25] Ibid. s.3 n.13.
[26] DM 34 5.4 n.29.
[27] *De Smo. Trin. Myst.* l.4 s.11 n.3.
[28] *De Inc.* d.10 s.2 n.6; DM 34,5.7 n.12.
[29] DM 34 s.4 n.35.
[30] Ibid.
[31] Ibid. n.40.

terminum, cum quo habet naturalem connexionem necessariam: et late loquendo seu reductive se habent ut actus et potentia" [32]. Iuxta SUÁREZ subsistentia potest esse completa et incompleta; prout det perseitatem exsistentiae naturae completae vel incompletae, ideoque patitur unionem cum alia natura et subsistentia incompleta; imo etiam ipsa essentia divina est subsistens subsistentia absoluta cum ea identificata, et propter infinitam suam perfectionem est communicabilis per identitatem tribus divinis Personis. Quodsi de subsistentia creata completa agatur tunc ipsa est etiam formaliter suppositum, includit enim omnes incommunicabilitates suppositi proprias: non enim potest ut pars alteri communicari, est enim subsistentia completa; nec per identitatem pluribus, non est enim, utpote quae creata, perfectionis infinitae sicut subsistentia divina. Conceptualiter ergo valde differunt apud SUÁREZ subsistentia et suppositalitas, cum incommunicabilitas huic propria multo maior sit quam incommunicabilitas a subsistentia importata [33]. "Ex dictis... colligi potest definitio seu descriptio subsistentiae creatae..., videlicet, esse modum substantialem ultimo terminantem substantialem naturam, constituentemque rem per se subsistentem et incommunicabilem" [34]. Haec autem conceptio suareziana momentum habere videtur ut problemati de distinctione suppositi a natura proprium philosophicum initium independens a Theologia detur, ac appareat momentum quaestionis respectu constitutionis substantiae in tota sua plenitudine in proprio ordine. Aliunde, plures expressiones a SUÁREZ adhibitae ad explicandam functionem formalem subsistentiae respectu naturae, non parvum habent sine dubio parallelismum cum expressionibus in Schola Thomistica adhibitis ad explicandam functionem exsistentiae respectu essentiae realis [35].

558. Obiectiones. 1. Si suppositalitas consisteret in positivo *a)* esset simul substantialis et accidentalis perfectio. Substantialis quidem ex suppositione; accidentalis vero, quia superveniret substantiae completae; nec esset actus primus, sed secundus; *b)* natura non esset tota essentia vel substantia suppositi, quod est absurdum.

Quoad a) *nego assertum;* ad probationem *dist.* secundum membrum; esset accidentalis, si substantia etiam in ordine substantiali esset plene et ultimo constituta, *conc.;* secus, *nego. Quoad* b), si

[32] Ibid. s.6 n.23; cf. n.24 et 28.
[33] Ibid. s.5 n.41.58.59.61: *De Inc.* d.11 s.3 n.22.
[34] DM 34 s.5 n.1; cf. n.53.60.
[35] Cf. ITURRIOZ, *Estudios sobre la Metafísica de Fr. Suárez* p.296-319. Etiam: *Existencia tomista y subsistencia suareziana:* Actas del primer Congreso Nacional de Filosofía (Mendoza, Argentina) p.798ss.

natura sive substantia compleretur alio a proprio ordine distincto, *conc.;* si alio intra proprium ordinem constituto, *nego.*

2. Si suppositalitas foret positiva entitas, vel esset de essentia hominis vel non. Si primum dicas, Verbum non assumpsit totam essentiam vel naturam humanam. Sin alterum, poterit homo esse sine subsistentia.

Dist. primum membrum mai.: esset de essentia hominis prout subsistens est, *conc.;* prout homo est, *nego.* Et *contradist. min.* Caeterum difficultates contra thesim a nobis propositam fere omnes a Theologia proveniunt, easque Theologis relinquimus solvendas.

ARTICULUS IV

De persona

559. Quiles, *La persona humana* (Buenos Aires 1942); Derisi, *La persona. Su esencia, su vida, su mundo* (La Plata, 1950); Descoqs, *Autour de la personne humaine:* ArchPh 14 (1938) cah.2; Maritain, *Para una filosofía de la persona* (Buenos Aires 1937); Iturrioz, *El hombre y su metafísica* (Madrid 1943); M. Scheler, *El puesto del hombre en el Cosmos;* J. M. Rubert Candau, *Ser y Vida* (Madrid 1950); R. Lombardi, *La historia y su protagonista* (Barcelona 1946); Duhamel, Maritain, Okinzyc, *La defensa de la persona humana* (Madrid 1949).

560. Nexus. Complementum necessarium doctrinae de supposito est doctrina de persona; de qua pauca breviter exponemus, eo vel magis quod nostris diebus plurima in Philosophia, tam in Metaphysica quam in Psychologia et Ethica de persona agantur, imo et extra Philosophiam ad novum ordinem societatis constituendum.

561. Persona definitur *suppositum rationale* (seu intellectivum). Ratio vero personae a supposito non in illa incommunicabilitate essentiali differt, qua formaliter suppositum ut suppositum constituitur; sed in natura quae incommunicabilis redditur, est enim rationalis. Inde omnis persona suppositum est, non tamen contra.

562. Sed ratione naturae perfectioris, in persona incommunicabilitas illa aut totietas propria suppositi *perfectior* redditur: natura enim rationalis est consciens sui etiam per reflexionem, et sic se etiam intentionaliter possidet; est etiam libera, ideoque dominium sui et suorum actuum habet et exercet; est propriissime sui iuris, ita ut omnia alia supposita ad personas tamquam ad finem immediatum subordinentur, ut medium quo persona suum proprium finem obtineat; persona

vero nulli ut medium subordinatur, sed directe suum proprium finem assequitur. Tandem persona est subiectum iuris.

563. Circa naturam personae est quaestio inter moderniores philosophos oborta (quin de quaestionibus proprie psychologicis agamus). Non enim pauci personam dicunt ad conscientiam propriorum actuum reduci. Sic DESCARTES personam hominis totam et unice in anima ponit; animae vero substantia cogitatio est; cogitationem vero fere hodiernorum conscientiam intelligit, quamlibet animae operationem. LOCKE identitatem personae in conscientia actuali propriarum operationum reponit, conscientia enim semper cogitationem comitatur, et quantum conscientia in transactas operationes, tantum et ipsa ratio personae protenditur. Pro KANT persona nihil est praeter ipsam conscientiam, quam subiectum de se habet in hac cogitatione: *ego cogito*. WOLFF rationem personae in memoria sui reponit, in quantum meminit se esse idem illud ens, quod ante in hoc vel illo fuit statu.

564. *Doctrina vero traditionalis* contra hos omnes rationem personae in aliqua entitate positiva reali (sive a natura realiter distincta sive non) reponit, quae sit tandem ultimum substratum actuum conscientiae. Hoc, si de ultimo constitutivo personae agatur; patet enim personam humanam totam naturam humanam dicere etiam quatenus animalis est; totum hoc quod homo est cum suis elementis constitutivis, cum sua naturali capacitate agendi, cum suis omnibus actibus. Ratio personae eiusque identitas nequit reponi in eo quod personam constitutam aut eius identitatem supponit. Conscientia vero sui prius subiectum supponit, quod *sui* sit conscium; identitas conscientiae identitatem personae supponit, ideo enim eadem est conscientia quia idem subiectum quod tunc cogitabat, cogiat etiam nunc etc. Et tandem, si tota ratio personae conscientia est, mutata conscientia, mutatur persona; cessante conscientia, cessat persona ut nova dein oriatur, quod absurdum esse clarum est.

565. "Persona significat id quod est *perfectissimum in tota natura*" [1] dicit STUS. THOMAS. Re vera, totus ordo cosmicus irrationalis, ut in Cosmologia dicitur, necessario debet naturae rationali submitti, cuius est gloriam divinam obiective in natura irrationali repositam, formalem reddere, per claram

[1] S. TH., 1 q.29 a.3; cf. q.30 a.4.

notitiam cum laude Dei quam homo per operationes spirituales assequi ex visibilibus potest. Ita, consequenter, homo speciatim quatenus persona spiritu praedita libero, imaginem Dei perfectissimam in ordine visibili reddit, est omnium maxima participatio perfectionis divinae, cuius est in mundo physico, quodammodo, per participationem divinae scientiae, divinae omnipotentiae, divini dominii, opus creativum Dei continuare et perficere, ut tandem mundus homini traditus huic quam maxime inserviat ad propriam perfectionem in gloriam Dei assequendam. Quae de homine ut creationis rege dicuntur verissima sunt, metaphysicam entium hierarchiam exprimunt, et dignitatem personae humanae quodammodo adumbrant.

566. Philosophia moderna, etiam recentissima, accurate tendit ad distinctionem statuendam inter personam humanam et reliquum entium ordinem. Sic homo dicitur *subiectum,* reliqua sunt *obiecta;* homo est *persona,* reliqua sunt *res* (*cosa*). Inde a fine saeculi XIX reactio valida observata fuerat contra tendentias mechanicistas eo usque praedominium habentes; sic iterum in philosophiam modernam conceptus vitae, spiritus, conscientiae redierunt. Sed contra physicismum tunc praedominantem, tendentia apparuit in homine *naturam* seu essentiam *negandi.* Huius tendentiae ultima expressio est *Exsistentialismus*, theoriam *subiectivitatis* proclamans: homo enim non habet essentiam, sed exsistentiam, quae ex se est mera apparitio in universo cum possibilitate essendi hoc vel illud per propriam actionem liberrimam obtinendam iuxta propriam decisionem. Libertas quidem hominis dicitur non iam *functionalis* seu *psychologica*, sed *ontologica* et *constitutiva:* ipsum ens humanum liberrimum est nullo modo determinatum ad hoc vel illud. Hominis est, proprium esse "proicere" (*proyectar*) et per propriam libertatem sese decidere ut sit quod esse debet. Re vera conceptionem *subiectivitatis*, ex praeiudiciis metaphysicis et criticis ortam, approbare nequaquam possumus. Sed tamen verum est, cum homo in mundo apparet personalitatem accipere (in sensu psychologico et morali) nondum factam, per propriam actionem perficiendam. Inde maximum habet momentum dominium sui quo homo determinat tamquam dominus—subordinatus quidem—quis esse debeat et quis futurus sit; inde tandem homo responsabilis fiet suique rationem reddere debebit. Haec ratio dominii sui cum suis praesuppositis rationalitatis et libertatis ita intime ad esse personae humanae pertinet, ut fere dici possit, etiam in ordine metaphysico, domi-

nium sui, saltem radicale quod in debitis conditionibus ad exercitium venire posse debebit, esse quid vere constitutivum personae, huiusque specificativum respectu suppositorum quae tali dominio non gaudent[2].

567. Persona est fundamentum *vitae socialis,* quatenus societas ab ipsa originem ducit et ad ipsam, tamquam ad proprium finem, tendit. Persona enim, utpote quae iuribus praedita propter suam rationalem naturam, in exercitio horum iurium necessario interferentiam cum aliis personis subit; quo autem ordo iuridicus conservetur, in quo omnium iura coordinate exerceantur, ordo socialis statuendus vinculo iuridico organice unitus; primus nucleus socialis invenitur minimo complexu iurium elementalium constitutus; quo autem gradu progressus humanus perficitur, sic etiam societas evolvitur et altiores fines intendit et consequitur, donec tandem ex continuo organico progressu finis quidam supremus attingatur, quod omnium bono sufficienter provideat. Origo personalis societatis statuit etiam normam vitae socialis, quae, in primis, ad bonum commune personarum attendere debet, ita ut hae propriam perfectionem in societate adipisci possint. Nostro tempore plures abusus in constitutione societatis animadverti potuerunt. Nam aut nimis parum ad valorem vinculi socialis naturalis attenderunt, sicut societates liberales; aut vinculum illud nimium strictum reposuerunt. *In primo casu* societas dissolvitur in individualismum; qui etsi primo aspectu plurimas partes videatur personae humanae eiusque libertati conferre, tandem contra hanc ipsam libertatem et dignitatem attentat; nam aut sine protectione persona particularis relinquitur ut potestatibus oeconomicis, politicis, socialibus succumbat (inde totum fere problema operariorum), aut homo in massam reducitur, quatenus tunc solum agit cum suffragium emittit, quod suffragium universale valorem habet tantum massivum seu numericum, non vero qualitativum iuxta qualitatem et dignitatem personalem votum emittentium; aut tandem in organizatione politica liberali suprema potestas partibus politicis traditur, quae absolute determinant in Gubernio aut in *Parlamento* plena a civibus potestate accepta. *In altero vero casu,* persona humana in partem societatis reducitur; sic v.gr. in *totalitarismo idealistico Hegeliano,* ubi persona humana totam suam dignitatem a Statu expostulat; etiam in *racismo,* ubi persona

[2] Cf. ITURRIOZ, *Cuatro lecciones sobre el existencialismo* c.4.

humana in tantum valet in quantum qualitatibus propriae nationis praedita est ita ut omnino et totaliter bono nationis submitti debeat; sic etiam in *collectivismo proletario,* ubi singulae personae integre bono proletariatus cum omnibus suis iuribus submitti debent. Vera conceptio christiana societatis est quae maxime ad dignitatem humanam attendit, quatenus homo, ut persona, est origo, finis et norma societatis [3].

568. Etiam in *oeconomico-laboralibus* personae humanae dignitas est norma suprema solutionis problematum quotidie exsurgentium. Debet enim homo vitam ducere iuxta dignitatem propriam tam in aspectu individuali, quam in familiari quam in sociali. Pro plurimis hominibus proprius labor est fons ea bona acquirendi quae pro dignitate propria necessaria et convenientia sint; unde proprio labori transfertur dignitas propria personae humanae in triplici illo ordine; praeterea, agnoscendus est etiam valor socialis divitiarum, cum pro *homine* Deus bona materialia creaverit, quae ordinatio divina subiacet etiam posito iure proprietatis privato [4]. Imo, etiam ipsae quae dicuntur *Societates anonymae,* ad fovendam industriam et oeconomiam constitutae, debebunt illa intentione personali perfundi, qua ducantur ad bonum sociale commune fovendum, non minus quam crematisticas utilitates proprias, in quarum persecutione omnino valorem personalem opificum, socialem divitiarum et propriae activitatis obliviscantur.

569. Persona est etiam fundamentum *historiae,* et sic a persona solutio problematis Historiae, quod hodie saepissime proponitur expetenda est. Non enim Historia sic est concipienda quasi ex propria lege et virtute procedat, ita ut homo debeat ipsi subiici; sed tota quanta ab homine ducitur, ita ut homo sit vere historiae protagonista, eius ductor et auctor. Activitas humana ex legibus humanis debebit processum historicum explicare. Nullo modo approbari potest solutio quae ad *historificandum* hominem tendit, ita ut homo sub historicis conditionibus necessario iuxta exigentias historiae sine libertate agat. Ex hac conceptione dignitas humana perit, cum homo non sui dominus nec sui iuris sit, sed simplex productum historiae. Caeterum agnoscenda est conditio historica humana, homo enim non potest agere independenter a conditionibus historicis in quibus vitam degit [5].

[3] Cf. ITURRIOZ, *La sociedad y su reconstrucción* (Bilbao 1945).
[4] Cf. ITURRIOZ, *Lo social de la justicia:* FomSoc 2 (1947) 395ss.
[5] Cf. ITURRIOZ, *Hombre e Historismo*: MiscCom 6 (1946) 49-94.

570. Persona est, ulterius, fundamentum *ordinis iuridici et moralis*. Persona quidem non potest legibus duci necessariis, sicut ordo physico-chimicus legibus ducitur physicis, et ordo animalium legibus instinctus. Debet tamen homo legibus duci iuxta naturam propriam, cum Deus per legem aeternam totam creationem ut supremus Dominus regere, et in supremam gloriam ipsius conducere debeat. Homo regitur lege morali iuxta naturam propriam personae humanae; modus enim personalis ducendi est per intellectum in voluntatem agere, ut haec actionem exercendam determinet; persona potest via intellectuali legem naturalem cognoscere, per propriam libertatem potest talem accipere eisque sese submittere et consequenter proprias actiones in conformitate ad talem legem ducere. Lex quidem moralis, etsi libera, certo ad finem a Deo intentum ducit, nisi enim expleatur, sanctio imponitur qua ordo a Deo statutus restituitur. Lex ergo moralis ut norma altioris dignitatis consideranda est, et non minoris efficacitatis quam lex physica. Norma vero proxima constitutionis moralitatis est persona humana, quatenus persona est imago Dei per peculiarem participationem perfectionis divinae.

571. Persona humana est etiam norma et supremus finis *paedagogiae*, cuius supremus valor in eo est, quod homo, ita instituatur, ut iuxta propriam dignitatem vitam peragere possit; inde instructio mentis, educatio animi et affectus, nullo modo neglecta ordinata cura corporis et sanitatis. Quodsi in paedagogia magni momenti sit instructio mentis, ut illum gradum culturae obtineat adolescens, quem ipsi correspondeat, tamen supremus valor paedagogiae in educatione cordis reponendus est, utpote quae erit tandem maxime in personam humanam influens, ut haec in tota sua actione semper iuxta propriam dignitatem procedat.

572. *Personalismus* tandem, qui hodie impense a philosophia christiana excolitur, recta tendentia est ex necessitatibus hodiernis summopere orta; cum ex tot tantisque eventibus dignitas personae humanae in ruinam venerit; caeterum persona humana, ut perfectissimum in tota natura, culmen dici potest unde philosophicum panorama realitatis optime perspici, recte ordinari et aestimari, et hierarchice sub homine et tandem sub Deo constitui valeat. Ideo, quanta nostrae societatis deordinatio, quae legibus caecis oeconomiae, statisticae, indicis productionis et commercii ducta, nullum fere respec-

tum ad valorem personalem hominis profitetur; qui sub moderna, quae dicitur, organizatione technica oberrans, nullibi sese in sua praestantia et primordiali excellentia adinvenire potest. Nova ergo humanae societatis reinstauratio ex ipsa hominis, ut persona est, dignitate initium habere debebit, ita ut persona, quae origo et finis est societatis, sit etiam ipsius norma.

CAPUT II

De accidentibus

573. Decem praedicamenta, in quae ens creatum dividitur, in duo quasi suprema genera colligi possunt, quae sunt substantia et accidens. Accidens autem sub se novem praedicamenta complectitur, in quae, per analogiam, verificatur, nullum enim accidens datur quod non sit unum ex novem illis praedicamentis, potest tamen ex omnibus communis accidentis ratio abstrahi.

Cum ergo iam de substantia sufficienter egerimus, nostrum est hoc secundum caput instituere ubi de accidentibus quaestio erit. Caput vero sic pertractabitur ut primo de accidente in genere, dein autem quaedam peculiariter de quibusdam accidentibus exponantur, quae magis ad Metaphysicum attinent; propositis dein quibusdam de aliis, ad alias partes Philosophiae relinquentur quae earum magis propria videantur.

ARTICULUS I

De accidente in genere

Thesis 25. Dantur accidentia realia realiter a substantia distincta, et spectata generali eorum ratione, nequit ostendi repugnare, ut a substantia separata per divinam potentiam exsistere possint.

574. S. Th. 1 q.3 a.6; q.45 a.4; 3 q.77 a.1; 1-2 q.51 a.4 ad 1; q.110 a.2 ad 3; 4 *Dist.* 12 q.1 a.1; *De ente et essentia* c.7; Suárez, DM, 32 s.1; 37 s.2; Urráburu, n.302ss; Palmieri, *Ontologia* c.2: B.Franzelin, *Quaestiones selectae* p.287ss.; Hugon, *Ontologia* pars 2.ª tr.3 q.3 a.1.

575. Nexus. Etsi accidens accidentibus quadam analogia conveniat, potest tamen quodammodo notio generalis abstrahi, cuius essentia et proprietates proportionaliter reliquis accidentibus convenient. Hac ratione generali accidentis perpensa, dein quaedam circa accidentia particulariter exponi poterunt.

576. Notiones. ACCIDENS in sensu valde indeterminato tamquam *contingens* sumi potest, et quidem *respectu essentiae,* quatenus salva rei essentia ei accedere vel ab ea recedere potest. Sic vero dupliciter intelligi potest, quo distinctior eius conceptus reddetur:

a) *In oppositione ad essentiam,* tunc accidens quamcumque formam vel quasi formam significat, quae ad essentiam sive genericam sive specificam iam constitutam accedit, eique denominationem aliquam contingentem, certe non essentialem, tribuit. Sumpto accidente hoc sensu, non eius entitas in se consideratur, sed tantum habitudo eius ad ens cui accidit; potest proin ens esse stricte accidentale vel etiam substantiale. Sic fere coincidit cum accidente quod *logicum* vocant, unum nempe ex quinque praedicabilibus: accidens enim *praedicabile* id definitur quod de pluribus tamquam aliquid contingenter eorum essentiae superveniens praedicatur.

b) *In oppositione ad substantiam* et tunc entitatem significat quae aliter se habet ac entitas substantialis. Hoc sensu accidens *praedicamentale* vocatur, pertinens ad praedicamentum, et genus constituens novem accidentium. Vocatur etiam accidens reale physicum, metaphysicum, atque de ipso tota quaestio in articulo proponitur.

577. *Notio accidentis:*

a) *Vulgaris*: per vulgarem experientiam mutationes observamus, in quibus aliquid transit, aliquid permanet; entitates percipimus quae solae exsistere non possunt, ut figura, motus, cogitatio, color... Inde aliquod entitatum genus dari deducimus, quae se aliter habent ac illae ex quibus notio vulgaris substantiae deducta est.

b) *Scientifica.* Facta reflexione super hanc experientiam, haec elementa accidentis constitutiva inveniuntur:

a' Accidens debet *ens aliquod* esse, realitas aliqua positiva per oppositionem ad meram privationem et ad meram fictionem. Hoc ex experientia directa apparet, per eam enim reales aliquas mutationes observamus, quibus denominationes reales correspondent, aliquid obiectivum adest vel abest recedens vel accedens, et sic substantiam realiter aliquatenus determinans. Observa tamen non inde a definitione quaestionem proponendam praeiudicari; hic tantum asseritur, *notionem* accidentis, quam ex experientia exhaurimus, realitatem aliquam implica-

re; aliud vero est utrum huic nostrae accidentis notioni aliquid obiectivum respondeat.

b′ Accidens apparet ut entitas *extranea* respectu substantiae quam afficit, et ab ea realiter distincta. Non ergo intra essentiam illius substantiae ut pars eius constitutiva est, neque ut substantia incompleta quae cum alia comparte incompleta tertiam aliquam completam constituit, neque ut pars integralis... quae omnia aliter comparti accedunt aut ab ea discedunt quam hae entitates quas accidentales experimur. Quanta autem talis distinctio huius entitatis a substantia sit, nondum a priori de omnibus determinari potest, sed casus particulares singillatim considerandi sunt.

c′ Accidens tandem ut realitas aliqua apparet *alia indigens* cui inhaereat ut exsistere possit; apparet enim ut dans alteri formam seu perfectionem, ita tamen ut ipsa sola forma et ex se non valeat exsistere, cum ex suametipsa natura alterius sit. Praeterea illa forma ita subiectum requirit, ut hoc iam essentialiter constitutum supponat in suo ordine independenter ab hac forma, ideoque essentialem compositionem non possit cum ea habere, nec quoad essentiam immutetur accessione aut recessione talis entitatis; hoc est, illud subiectum omnes characteres habet subiecti inhaesionis. Ex ulteriori analysi haec necessitas subiecti pro accidente clarescet.

d′ Sit ergo definitio accidentis: *ens indigens subiecto inhaesionis ad exsistendum.* Breviter dici solet: *Ens in alio,* aut *ens indigens alio.*

578. Corollaria. 1) *Accidens necessario imperfectionem importat,* estque ens aliquod physice incompletum, quia ipso essentiali conceptu suo importat ordinem ad compositionem cum subiecto, cum sit *ens in alio,* cuius nimirum essentiae debetur esse in alio.

2) Accidentia tamen suam habent *propriam essentiam et exsistentiam* distinctam ab essentia et exsistentia substantiae, quam informant, utcumque debilem atque imperfectam.

3) Accidens dicitur non tam ens quam *entis ens;* nam, etsi entitatem propriam habeat, sola tamen substantia est ratione sui aut per se ac propter se; accidens vero cum essentialiter postulet esse in alio, ex propria natura habet ut non sit sibi, nec sui, sed substantiae in qua est.

4) *Accidentis esse est inesse,* quo verbo *inesse* inhaerentia

accidentis designatur; vis autem huius effati non eo usque procedit ut inhaesionem *actualem* dicat essentiam accidentis constituere; sed tantum modum essendi sibi naturaliter debitum connotat.

5) Accidens *definiri nequit nisi per subiectum;* non enim habet essentiam completam, nec esse absolutum per se a subiecto, sed ab eo dependens.

6) Accidens ita substantiae unitur, ut *compositum* exinde resultans non sit unum per se sed unum per accidens, non enim novum aliquod esse specificum resultat, sed tantummodo alteratur, mutatur, ac varie afficitur illud idem esse specificum subiecti. Caeterum maior vel minor accessio ad unitatem per se iuxta naturam accidentium datur.

579. *Convenientia et discrimina formae substantialis et accidentalis.* a) *Convenientia:* Neutra forma habet esse absolutum a subiecto, independens a receptivo; nec essentiam completam, quia essentia utriusque ad aliud ut receptivum refertur; nec definitionem completam propriis terminis, sed per additamentum, nam in definitione accidentis ponitur subiectum, in definitione formae substantialis ponitur materia.

b) *Discrimina:* 1) Subiectum receptivum formae substantialis non habet esse per se sine esse formae, habet vero subiectum receptivum accidentalis formae. Ex coniunctione formae substantialis cum subiecto suo ens resultat per se, non vero ex coniunctione accidentis cum subiecto; ex coniunctione formae substantialis cum subiecto essentia nova resultat; non vero ex coniunctione accidentis cum subiecto. Forma substantialis est pars completae essentiae, non ita forma accidentalis.

580. *Divisiones accidentis. a)* Accidens dividitur in *praedicabile* sive logicum, nempe quidquid non essentialiter praedicatur; et in *praedicamentale,* quod constituit praedicamentum contradistinctum a praedicamento substantiae, nempe, ens indigens esse in alio tamquam in subiecto inhaesionis.

b) Accidens potest praeterea esse *physicum;* hoc vero dupliciter intelligi potest, vel ut est a substantia realiter distinctum, vel ut est ens indigens esse in alio; et accidens *metaphysicum,* quod etiam dupliciter intelligitur; vel ut est forma quaedam quae accidentaliter substantiae convenire concipitur et ab ea non realiter sed ratione tantum distinguitur, vel ut

est ens indigens esse in alio sed in quantum considerationi metaphysicae subest; quo in sensu coincidit cum accidente praedicamentali et accidenti logico opponitur.

c) Potest praeterea accidens esse *absolutum,* quod non est mera modificatio alterius sed entitate propria gaudet; et *modale* vero quod est modus accidentalis.

d) Praeterea datur accidens *intrinsecum,* quod vere subiecto inhaeret illudque intrinsece afficit; et *extrinsecum,* quod non proprie inhaeret subiecto sed solum extrinsece illud denominat.

e) Tandem habetur accidens *proprium,* quod necessario ex natura rei fluit; et *commune,* quod non ita fluit, et sine quo subiectum naturaliter esse potest. Hoc sensu accidens proprium est subdivisio accidentis praedicamentalis; accidens vero praedicabile non subdividitur in proprium, sed huic contraponitur.

581. Status quaestionis. *a)* *Notio vulgaris* accidentis, utpote quae immediate ex ipsa experientia desumpta, obiectivitate *quadam* in suo ordine evidenter gaudet, supponitur enim iam valor obiectivus experientiae. Non ergo quaestio de hac notione proponenda.

b) De notione scientifica accidentis fere ut antea de substantia est nunc quaerendum. In exponenda notione, accidens diximus ut realitatem quamdam a nobis *concipi.* Potest ergo, primo, quaeri, utrum hic noster *conceptus in se ipso* consideratus iam *repugnet;* hoc est, utrum realitas a nobis concepta cum realitate extramentali repugnet an non. Haec est quaestio de ipsa possibilitate huius conceptus.

c) Ulterius etiam quaeri potest, utrum nempe illi *nostro conceptui aliquid reale* realiter exsistens *respondeat* necne. Ut patet, si altera quaestio positive solvatur, tunc etiam prima a fortiori soluta manet.

d) Praeterea, si realis exsistentia accidentis realis ostenditur, tunc etiam eius *distinctio realis* a substantia reali ex ipsa harum natura patebit. Caeterum, ut quaesito solutio satisfactoria inveniatur, sufficiet ostendere exsistentiam saltem accidentis modalis, sic enim basis sufficiens pro reliquis philosophiae tractatibus construitur, ut ex rationibus earum propriis possint ipsae exsistentiam talium vel talium accidentium statuere et defendere.

e) Admissa vero exsistentia accidentium realium realiter a substantia distinctorum, nova et accuratior investigatio circa intrinsecam accidentis in genere naturam proponitur. Sumitur ut fundamentum consideratio generalis accidentis. *Ratio generalis accidentis* ea vocatur quae omni accidenti et ipsi soli ideo formaliter convenit quia accidens, hoc est, qua accidens ut accidens constituitur; *specialis* vero quae huic vel alteri accidenti ideo convenit quia tale accidens est. Considerata ergo ipsa ratione generali accidentis, investiganda nunc sumitur quaenam inseparabilitas accidentis a subiecto vi definitionis generalis requiratur.

f) Iam inde ab initio ultro concedi potest, dari quidem accidentia quaedam, quarum specifica ratio absolutam inhaerentiam seu inseparabilitatem importet, ut sunt accidentia modalia, vitalia... Non vero de his quatenus specialem notionem includunt quaeritur. Sumpta ergo ratione generali accidentis, quaeritur utrum *inde* formaliter demonstrari possit separationem accidentis a suo subiecto inhaesionis absolute repugnare etiam spectata omnipotentia divina seu absolute. Quod etiam aliter enuntiari potest, utrum ratio accidentis includat formaliter et essentialiter *actualem inhaesionem* in suo subiecto. Attente tamen considerandum est, nostrum non esse positive demonstrare accidentia separabilia dari posse, et multo minus dari de facto.

g) Duplex habitudo in quaestione dari potest: altera *positiva,* quae ex ratione generali positive demonstrat inhaerentiam actualem non formaliter in ea includi; altera *negativa,* quae iudicat argumenta sufficientia non dari ut ex ratione generali absoluta inseparabilitas demonstretur.

582. Sententiae. a) CARTESIUS affirmat intra substantiam et eius attributa non dari posse ullam distinctionem realem. Attibutum est qualitas inseparabilis a substantia eiusque propria manifestatio. Unaquaeque substantia possidet attributum aliquod principale ex quo omnes reliquae proprietates derivantur, quod constituit naturam seu essentiam rei; ita ut inter substantiam eiusque attributum non detur nisi simplex rationis distinctio. "Praeterquam quod omne attributum sufficiens sit ut substantiam cognoscibilem reddat, adest tamen unum in unaquaque substantia attributum quod eius naturam seu essentiam constituit et a quo omnia reliqua dependent. Scilicet: extensio quoad longitudinem, amplitudinem et profunditatem

constituit naturam substantiae materialis; cogitatio constituit naturam substantiae cogitantis. Quidquid enim ulterius corpori attribui potest praesupponit extensionem et non est nisi quid dependens ab eo quod extensum est; pariter, omnes proprietates quas nos in re quae cogitat invenimus non sunt nisi modi differentes cogitationis"[1].

b) *Cartesiani* multo ulterius sunt progressi, pro quibus ipsa notio accidentis repugnans est. Omne enim quod reale est aptitudinem involvit ut exsistat, et proinde substantia *est,* nam per *substantiam* ab eis nihil intelligitur aliud quam res quae solo concursu Dei ad exsistentiam indiget. Ideo admitti nequit realitas ulla nisi substantialis. Quae a Scholasticis accidentia dicuntur, ea non nisi modificationes substantiae sunt cum ea realiter identificatae. Mutationes vero substantiarum ex sola mutatione extrinseca per relationes extrinsecas ad alia optime explicantur. Pro Cartesianis ergo omne ens habet esse proprium sibi, ideo ens in alio concipi non potest, simul enim exsisteret sibi proprium et a se alienum. Consequenter, separabilitas accidentium a substantia absolute repugnat.

c) PALMIERI hanc quaestionem tam in *Cosmologia* quam in *Ontologia* pertractat. Sic in *Ontologia* asserit: "Abstractione facta a quibusdam proprietatibus quae ipsi (accidenti) a veteribus asserebantur, et re per se spectata, respondemus repugnantiam talis entis non esse manifestam... Manifestatio huius repugnantiae pendet ex ea demonstratione, qua evincitur omne ens, eo ipso quod est, esse substantiam, sive nullam rem realiter intercedere inter substantiam et nihilum. Atqui negare licet consequentiam huius argumenti: *istud est, ergo est per se.* Nam esse per se arguit perfectionem positivam subiecti, quae est ratio cur illud per se exsistat, quae non alia esse potest, quam realitas seu perfectio ipsius. Haec autem perfectio deesse potest, aut saltem non liquet cur debeat inesse alicui enti, eo quod ens est; cum non solum conceptus entis sine illa haberi possit, sed possit perfectio alia minor concipi, qua vere constituatur aliquod ens, qualis est ea, quam superius descripsimus, notionem exhibentes accidentis. In qua notione nulla apparet contradictio, nisi dicatur haec esse contradictio, quod aliquid sua exsistentia exsistat et tamen non exsistat per se... Si vero praeterea addas repugnantiam hanc visam non fuisse tot subtilissimis Scholasticis, imo hos censuisse oportere huiusmodi accidentia admittere pro explicandis saltem quibusdam factis supernaturalibus; argumento quidem extrinseco, sed non parum idoneo, constare poterit han repugnantiam manifestam non esse"[2]. Quo ostenditur non repugnantia notionis accidentis. Quid autem inde? Sic P. PALMIERI: "Hac disputatione non effectum est accidentia talia exsistere, neque demonstratum est ea esse possibilia... Quorsum autem hoc? Ut scilicet si aliunde tibi certo constet quasdam

[1] DESCARTES, *Principes* p.1.ª ch.53; cf. *Responsiones ad quartas obiectiones.*
[2] PALMIERI, *Ontologia* th.16,7.

vere haberi realitates, quas nequeas ad substantiam revocare, ne verearis illas admittere ac si essent quid repugnans" [3]. De facto autem P. PALMIERI accidentia absoluta non admittit [4], "modus vero, non est realitas distincta a re modificata" [5]. Inde de facto accidentia quae realiter dantur ea sunt absolute a substantia inseparabilia, id vero non ex ratione generica accidentis deducitur, sed forte a specifica talium accidentium.

d) *Scholastici* fere absoluta unanimitate accidentia realia realiter a substantia distincta admittunt, et generatim etiam eorum a substantia separabilitatem positive admittunt, imo de facto, etiam separata in Eucharistia.

583. Nos quidem *tenemus* dari accidentia realia realiter a substantia distincta, quo iam *ratio generica* accidentis ut possibilis et realis ostenditur, etsi non obtineatur demonstratio accidentis nisi modalis aut vitalis; quoad separabilitatem tamen, negativam habitudinem sumimus respectu probationis inseparabilitatis ex notione generali accidentis.

584. Probatur. 1.ª *pars: dantur accidentia realia realiter a substantia distincta.* Repugnat actio realis qua nihil novum et reale producatur; *atqui* plures dantur passim actiones, *ergo* plura nova producuntur. Sed non omnia quae producuntur sunt entitates substantiales; *ergo* accidentales; *ergo* dantur accidentia realia realiter a substantia distincta.

Maior constat ex ipsa notione actionis, quae non est nisi ipsa productio effectus. Iam vero, quod producitur ab eo quod producit realiter distinguitur, sicut dictum est cum de signis realis distinctionis agebatur; ac etiam ex se patet, nihil enim dum non exsistit sibi exsistentiam dare potest.

Minor: Constat ex experientia interna, iuxta quam innumerae cogitationes, volitiones, sensationes etc. habentur, quae sunt actiones reales; plurimi motus in corpore efficiuntur...

Minor subsumpta: Quod per has actiones producitur, non esse aliquid substantiale, ostenditur ex charactere effectus: *a)* effectus est quidem realiter a nobis distinctus, a nobis enim producitur. Praeterea, cogitationes, volitiones... characterem fluxus, dependentiae, effectionis... habent; *to ego,* e contra, characterem permanentiae, independentiae, causae... etc. Ergo non sunt realiter idem. *b)* Illae affectiones in nobis esse indi-

[3] Ibid. 10.
[5] *Ontologia* th.17 a.
[4] PALMIERI, *Cosmologia* th.25-26.

gent, ita ut extra nos solae exsistere nullatenus valeant; impossibilis est cogitatio quin sit aliquid cogitans, pariter sensatio, volitio...; *c)* illae affectiones intrinsece nos afficiunt, ut re vera ipse ego sim cogitans, sentiens, colens, sunt ergo re vera in nobis; *d)* et tandem ita sunt in nobis ut nobiscum uniantur quidem, non tamen ut aliquid nobis essentiale, aut nos substantialiter constituens, sed ut aliquid additum et accedens. Secus, ex transitu a statu cogitantis ad statum non cogitantis intrinsece mutaremur, et quidem quoad ipsum nostrum esse essentiale aut substantiale. Illae ergo affectiones nullo modo sunt substantiae, his enim competit non esse in alio tamquam in subiecto inhaesionis, sed independentia in essendo et subsistendo gaudere.

Consequentia recte deducitur, non enim medium inter ens per se et ens in alio dari potest; illis elementis praeterea plene definitio accidentis competit, quod in thesi intendebatur.

Confirmatur ex experientia externa, dantur enim in ordine rerum mutationes reales intrinsecae, eaeque non omnes substantiales, hoc est, saltem aliquae accidentales, quae realiter dari nequeunt nisi exsistant accidentia realia realiter a substantia distincta; nam ut detur *realis* mutatio accidentalis requiritur ut forma accidentalis *realis* aut nova oriatur, aut quae erat recedat et pereat, quod ex ipsa notione realis mutationis accidentalis patet. Talis vero forma accidentalis est ipsum accidens reale, quod proinde erit etiam realiter a substantia distinctum.

585. 2.ª *pars: de non demonstrabilitate repugnantiae separationis.* Repugnantia absoluta inseparabilitatis accidentis a substantia inde *ex ratione generali accidentis* ostenderetur, quod accidens *vi notionis* re cum substantia identicum sit; aut ex absoluta necessitate influxus quem *vi notionis* accidens a substantia recipere debeat; aut, tandem, ex inhaerentia in subiecto quam *notio generica* accidentis requirat; *atqui* haec tria capita talem repugnantiam non probant; *ergo* spectata *generali* accidentium *ratione,* nequit ostendi repugnare ut a substantia separata accidentia per divinam potentiam exsistere possint.

Consequentia patet, quia nullum aliud caput inveniri potest cuius ratio ex ipsa accidentis generica notione desumatur. Alia enim capita potius ex specifica accidentium ratione sumuntur (sic quoad accidentia vitalia, modalia...).

Minor: a) *non primum caput* (ex identitate), quia prima parte demonstratum manet dari accidentia realia realiter a sub-

stantia distincta; b) *nec alterum,* nam etsi ratio generica accidentis huius insufficientiam ad exsistendum per se essentialiter includat, et etsi naturaliter talis insufficientia influxu subiecti cui inhaeret complenda sit, tamen *vi* ipsa notionis generalis non exigitur ut talis influxus absoluta et insuperabili necessitate a subiecto proveniat. Non ostenditur repugnare quod talis influxus etiam a Deo praestari possit, non quidem ad modum subiecti inhaesionis, cui accidens inhaereret; sed ad modum causae efficientis, quae *efficienter* influxum materialem subiecti suppleat. c) Non *tertium* caput, in definitione enim accidentis generica talis inhaerentia poni debet, qua primo accidens a substantia distinguatur; ad hoc autem exigentia inhaesionis in subiecto sufficit, hoc enim formaliter a notione substantiae excluditur, non ergo *vi notionis generalis* accidentis inhaesio actualis in subiecto requiritur.

586. Corollarium. Sic tandem clarior et distinctior effecta est notio accidentis; ac simul etiam ipsa notio substantiae perficitur. Ratio ergo qua substantia ut substantia constituitur illa intrinseca eius perfectio est, qua sibi sufficiens redditur, ita ut non alio fulcimento egeat quo exsistere possit, qua sufficientia, imo et exigentia ut per se sit, plene iam notio substantiae obtinetur. Contra vero accidentis natura in eo radicaliter est quod intrinsece insufficiens est, ut per se exsistere possit, ideoque aliud postulet cuius influxu exsistere possit. Inde clare imperfectio maxima talis entitatis ostenditur.

587. Scholion. *De causis accidentis. Causa finalis* accidentium est ipsa substantia, fiunt enim re vera propter ipsam, quod clarius in proprietatibus apparet. *Causa* eorum *materialis* in qua fiant et a qua sustententur, requiritur; educitur autem accidens e potentia materiae, hoc est, per actionem eductivam, non creativam. Subiectum vero accidentium fundamentale est ipsa substantia, utrum autem accidens possit subiectum proximum accidentis esse disputatur [6]. *Causa formalis* accidentium non datur, ipsa enim sunt formae; eorum vero effectus formalis est compositum accidentale. Tandem *causa efficiens* accidentium communium videtur assignanda propria eorum. Circa accidentia propria, seu passiones aut proprietates, communis Auctorum vox tenet ea per dimanationem seu emanationem naturalem et resultantiam fieri. Circa talem vero dimanationem plurimae ortae sunt quaestiones et disputationes [7].

[6] Cf. URRÁBURU, n.281.
[7] Cf. URRÁBURU, n.320ss.

588. Obiectiones. 1. Nihil distinguitur realiter ab eo quod sibi tribuit determinationem sine qua non potest exsistere; *atqui*, substantia accipit ab accidentibus determinationes, sine quibus exsistere nequit; *ergo.*

Dist. mai.: si determinatio est essentialis et specifica, *conc.;* si secundaria et contingens, *nego. Contradist. min.*

2. Accidens iuxta ipsos Scholasticos non est id *quod* sed id *quo* aliquid est; non fit ipsum accidens, sed eo fit subiectum tale vel tantum, vel tali modo se habens; ac denique ratio entis analogice convenit substantiae et accidenti; *atqui* haec videntur aperte indicare nullam inesse accidentibus realem entitatem substantiae superadditam, *ergo.*

Neg. min. Nam accidens esse id *quo,* tantum significat eius realitatem esse substantiae inhaerere eamque accidentaliter afficere.; accidens praeterea non fit per se, sed per accidens vere causatur, fit enim in subiecto quod afficit; analogia denique illa est intrinseca.

3. Si accidentia differrent a substantia non possent de ipsa praedicari; *atqui* praedicantur, dicitur enim homo est albus, doctus...; *ergo.*

Dist. mai.: non possent praedicari in concreto, *nego;* in abstracto, *conc.; contradist. min.*

4. Nihil reale potest advenire post esse rei completum; *atqui* accidens fingitur accedere post esse rei completum; *ergo.*

Dist. mai.; post esse rei omnimode completum, *conc.;* solum specifice completum, *subdist.:* nihil reale substantiale, *conc.;* accidentale, *nego.*

5. Accidens definitur ens inhaerens in alio; *atqui* si separatum, iam non est inhaerens; *ergo* repugnat separabilitas etiam ex ratione generali.

Dist. mai. Inhaerens actu, *nego;* inhaerens exigitive, *conc. Contradist. min.*

6. Si separatum, *per se* subsistit, quod est contra rationem accidentis; *ergo.*

Resp. Dist. ant.: per se subsistit, hoc est, ex propria intrinseca sufficientia, *nego;* sine actuali subiecto inhaesionis, *subdist.;* et sine exigentia naturali eius, *nego;* cum exigentia naturali quae aliunde satisfit, *conc.*

7. Repugnat Deum sustentare accidentia in esse; *ergo.*

Resp. Dist. ant.: tamquam subiectum inhaesionis, *conc.;* in genere causae efficientis, *subdist.*: naturaliter, *conc.;* absolute, *nego.*

8. Si Deus produceret accidens sine causae materialis consortio, crearet; *atqui* repugnat accidens creari; *ergo.*

Trans. mai.; dist. min.: repugnat naturaliter, *conc.;* supernaturaliter et absolute, *nego.*

9. Repugnat non dari quod metaphysice exigitur; *atqui* accidens metaphysice exigit inhaerentiam; *ergo* repugnat accidens non inhaerens subiecto.

Resp. Dist. mai.: si metaphysice exigi significat, aliquid ad constitutionem metaphysicam rei pertinere, *conc.;* si significat ex consti-

tutione metaphysica rei iam constitutae exigi, *subdist.:* naturalîter, *conc.;* absolute, *nego. Contradist. min.*

10. Accidentia vel sunt vitalia vel non; priora propter immanentiam nequeunt a substantiis separari; caetera vero ut calor, color, sonus... ad modos reducuntur necessario substantiae affixos; *ergo.*

Resp. Trans. mai. Dist. min.: quoad primam partem: accidentia vitalia non possunt separari ex ratione generali accidentis, *nego;* ex ratione specifica talis accidentis, *conc.;* ad secundam partem, reliqua accidentia omnia reducuntur ad modos, *nego;* aliqua, *conc.* vel *trans.*

ARTICULUS II.

DE RELATIONE

Thesis 26. Dantur relationes reales tam transcendentales quam praedicamentales; quae non consistunt in ulla entitate vel modo realiter a fundamento distincto.

589. S. TH., 1 q.28 a.1-2; *De pot.* q.7; 1 *Dist.* 33 q.1 s.1; CAIETANUS, *In S. Theol.* 1 q.28 a.1; SUÁREZ, DM 47; LOSSADA, *Logica* tr.4 c.3; BILLOT, *De Deo uno et trino* p.380ss; B. FRANZELIN, *Quaest. sel.* p.206ss.; URRÁBURU, *Ontologia* p.966ss; I. A STO. THOMA, *Cursus Phil. Logica* 2 q.17; A. HORVATH, *Metaphysik der Relationen* (Graz 1914); A. MALTHA, *De divisione relationum:* Ang; S. BRETON, *L'"esse in" et l'"esse ad", dans la métaphysique de la relation* (Romae 1951).

590. Nexus. Inter accidentia de quibus Metaphysicus speciatim agere debet primum obtinet locum relatio, cuius cognitio tam in Philosophia interest quam in Theologia. Hic proprie praedicamentorum locus est; sed cum relatio tam praedicamentalis quam transcendentalis dari possit, sic notiones exponendae sunt ut non ad accidens solum restringantur.

591. Notiones. RELATIVUM considerari potest, in genere, quatenus enti *absoluto* contraponitur. Absolutum vero plura significat: *a)* quod independener a *conditione* ponitur, sic *hypothetico* opponitur; *b)* quod non est pura modificatio alterius eiusque pura determinatio, sic enti *modali* contraponitur; *c)* quod independens omnino est a reliquis entibus sic *dependenti* contraponitur; *d)* quod in se et ad se suam entitatem habet, et sic contraponitur *relativo.*

592. *Definitio nominalis.* Relatio venit a verbo *referre.* 'Referre' autem diversimode apud classicos adhibetur. *a)* Referre idem ac nuntiare seu *narrare* dicit, inde relatio est *narratio,* et grammatici relativa denominant quae antecendentia enarrant. *b)* Referre etiam significat rem unam alteri *conferre* et comparare; inde relatio idem est ac collatio seu compa-

ratio. *c)* Referre etiam dirigere et *in aliud tendere* significat tamquam ad finem.

Ex quibus interpretationibus id habetur, quod relatio et referre semper aliquam respicientiam ad aliud involvant, quae praesertim in ratione philosophica obtinet.

593. Relatio etiam *respectus* appellari solet. 'Respicere' autem plura significat praeter retro aspicere. *a)* Respectus rationem seu *observantiam* unius personae ad aliam significat, quod hispane 'cuenta, respeto' appellatur. *b*) Respectu etiam *providentiam* dicit, ut cum respicere salutem' dicimus. *c*) Respicere, vero communius *aspicere aliud* significat, et ex hac significatione philosophi relationem etiam *respectum* dixerunt. Sic ergo *vi nominis* relatio seu respectus rationem significat, qua una res alteri confertur, vel in illam dirigitur, vel quovis modo eam respicit.

594. *Notio philosophica.* Gradatim ad eam statuendam veniemus.

a) In amplissimo entis ambitu, praeter *substantias* etiam *accidentia* includuntur. Sed tam intra substantias quam inter accidentia triplex entium genus inveniri potest: quae ex se et ex propria ratione propriam tantum perfectionem dicunt, qua illud ens in proprio gradu entis constituitur: talia sunt entia *absoluta,* sive substantialia sive accidentalia. Dantur etiam quaedam quae proprie novam entitatem non dicunt, sed cum quodammodo alterius sint, tantum praeexsistentem ad se et in se modificant, ultimo eam ad aliquam denominationem suscipiendam determinando, quin nova aliena entitas addatur: talia sunt entia *modalia,* sive accidentalia sive substantialia. Adsunt praeterea, quae forte nullam novam entitatem afferunt, nec praeexsistentem modificant in se et quoad se nisi quatenus eam ad alias entitates respicere faciunt, cum quibus quodammodo unitur; haec sunt entia *relativa* (utrum et quomodo substantialia et accidentalia esse possint, dein explicabitur).

b) Inter has entitates relativas duplex genus assignari potest; relativorum quae ex sua propria ratione nihil prorsus novum absolutum addunt; sicut similitudo, quae ex se nihil substantiae addit, sed tantum huius cum alia communitatem in qualitate indicat; et aliorum relativorum, quae quidem illam respicientiam enti dant, sed *praeterea et simul etiam novam entitatem* absolutam accidentalem, sic v. gr. scientia, per quam

anima spiritualis in habitudine ad obiectum talis scientiae constituitur, sed simul etiam in se per scientiam perficitur.

c) Si hoc ultimum genus considerandum sumitur, licebit tunc facile in tali genere relativorum duplicem aspectum distinguere: a′ quatenus per illam entitatem substantia in se ipsa perficitur. Hic aspectus communis est omnibus accidentibus etiam absolutis, eoque fit ut illa entitas *in* alio inhaerere debeat. Sed et alio modo relatio *in* alio dicitur, quatenus omnis relatio ut affixum quid necessario concipitur, eius enim *esse* est non se, sed aliquid aliud (saltem ratione) ad aliud referre. Hoc sensu relatio implicat *in* alio affixa esse; hic est qui dicitur *conceptus in* relationis; cuius tamen totum esse est rem cui affigitur non in se perficere, sed ad aliud ducere. b′ quatenus per illam entitatem entitas cui inhaeret ad aliam respicit: hoc vero *conceptus ad* relationis dicitur.

d) Quod si duo hi *conceptus in* et *ad* inter se comparentur, primum illum communem esse etiam modo tam substantiali quam accidentali invenimus, unde per illum relatio nondum specificatur, etsi necessario omni enti relativo convenire debeat. Consequenter dicendum erit *respectum ad* elementum esse relationis constitutivum formale, eo enim posito primo et formaliter respicientia ad aliud exoritur, eoque sublato formaliter perit. Observa tamen hos duos *conceptus in* et *ad*, qui simul inveniuntur, non esse realiter inter se distinctos; entitas enim relativa tota habet respectum *in* et respectum *ad*, nisi agatur de relatione subsistente.

c) Ex quibus tandem *definitio* relationis deducitur: *relatio consistit in ordine unius rei ad aliam;* et etiam, relatio est *respectus seu habitudo unius ad aliud.* Unde apparet, hae definitiones non ex genere et differentia, sed ex effectu formali primario sumuntur. Ex genere et differentia (sensu latiori) definiri posset: *ens ad.*

595. Corollaria. *a)* Relatio *secundum rationem suam* non habet quod sit *aliquid absolutum,* sed solum quod *ad aliud* referat, unde secundum rationem suam non ponit perfectionem absolutam in subiecto, sed solum quod reddatur respiciens ad aliud.

b) Ideo relatio dicitur *ens* per analogiam respectu entis absoluti; non solum est analoga respectu substantiae, sed respectu omnium praedicamentorum etiam accidentalium.

c) Esse relationis debilissimum est, ut dicunt ARISTOTELES et STUS. THOMAS, si secundum suam rationem formalem sumatur.

d) Ideo, "quia cognoscibilitas proportionatur entitati rei cognoscibilis, ideo est obscurissimum (esse relationis) ac minime cognoscibile inter omnia praedicamenta" [1]. "Cum relatio sit minimae entitatis et per consequens minimae cognoscibilitatis... non est mirum si diversi de ea diversa opinantur... Materia difficilis et ambigua nimis... An autem quilibet de ea mentionem faciens sciat eam aut sapiat, nescio. Deus novit" [2].

596. *Elementa relationis in ordine physico.* Haec elementa relatio in ordine physico includit: a) *subiectum* aliquod per relationem habitudinem ad aliud habens. Hoc subiectum potest esse *proximum,* quod immediate relationem suscipit, et *remotum,* quod habitudinem ad aliud mediante subiecto proximo suscipit; b) *terminum,* illud ad quod subiectum per relationem formaliter refertur; c) *fundamentum* illud quod relationem in subiecto ponit, seu ratio propter quam unum ad aliud respiciens constituitur; vel illud secundum quod unum respicit aliud. *N. B.* Aliqui a fundamento distinguunt *rationem fundandi,* quae proprie est conditio necessaria ut in subiecto relatio exsurgere possit.

597. *Divisiones relationis.* Relatio potest esse *realis,* quae datur independenter a mentis consideratione. Quo autem relatio realis in genere dari possit haec elementa requiruntur: *Subiectum reale, fundamentum reale, distinctio realis* (sive positiva, sive saltem mixta) inter subiectum et terminum. Non vero necessario in omni relatione realis terminus requiritur. Relationi reali contraponitur relatio *rationis* seu *logica,* quae dari concipitur ex mentis consideratione. Quoad hanc divisionem notandum est: "solum in his quae dicuntur *ad aliquid* inveniuntur aliqua secundum rationem tantum et non secundum rem. Quod non est in aliis generibus...; ea vero quae dicuntur *ad aliquid* significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum; utpote quando aliquae res secundum suam naturam ad invicem ordinatae sunt, et invicem in-

---

[1] SILVESTER MAURUS.
[2] DOMINICUS A FLANDRIA, *In Metaph. Arist.* 1.5 q.16 a.8.

clinationem habent. Et huiusmodi relationes oportet esse reales"[3].

598. Relatio potest ulterius esse *secundum esse,* quae, iuxta STUM. THOMAM, habetur quando nomen est impositum ad significandam ipsam habitudinem relativam; et *secundum dici,* quae habetur quando nomen est impositum ad significandam qualitatem vel aliquid huiusmodi principaliter, ad quod tamen consequuntur relationes[4].

Circa hanc STI. THOMAE divisionem plures interpretationes proponuntur. Iuxta IOANNEM a STO. THOMA relatio *secundum esse* est relatio praedicamentalis, *secundum dici* est transcendentalis[5]; sic etiam HUGON, GREDET et alii, generaliter Thomistae. SUÁREZ vero sic interpretatur: relatio *secundum dici* inter ea datur quae in se absoluta sunt, sed a nobis instar relativorum concipiuntur et explicantur, quin ideo ipsis a parte rei relatio attribuatur; relatio vero *secundum esse* datur inter ea in quibus aut adest vera relatio aut adesse cogitatur[6].

599. Potest relatio esse *transcendentalis,* quae rei essentialis est et realiter cum ea identificatur. Ut haec relatio realis sit non requirit terminum realiter exsistentem. Non est quid pure relativum, sed includit aliquid absolutum nisi de relatione subsistente forte agatur. Haec relatio potest esse ordinis substantialis et ordinis accidentalis, prout subiectum cum quo relatio identificatur sit substantia vel accidens. Opponitur relatio *praedicamentalis,* quae accidentalis est et adventitia rei. Accidentalis dicitur non praecise quoad entitatem sed quatenus non est de essentia eius cui advenit, sensu ergo potius logico. Sed observa, posse relationem esse transcendentalem respectu subiecti proximi et praedicamentalis cum fundamento, dicendum erit omnem relationem praedicamentalem respectu ipsius fundamenti transcendentalem esse, et praedicamentalem solum respectu subiecti in quo accidentaliter ipsum fundamentum recipiatur. Quo autem relatio praedicamentalis possit realis esse, requirit terminum realem realiter exsistentem.

---

[3] S. TH., 1 q.28 l. c.; cf. 1 q.13 a.7; *De pot.* 7,11. Hanc relationem esse *veram* relationem tenent generatim Thomistae, duce CAIETANO. SUÁREZ vero, maximas difficultates expertus, eam reiicit ut veram.

[4] S. THOMAS, *De pot.* q.7 a.10: cf. 1 q.13 a.7 ad 1.

[5] I. A SANCTO THOMA, *Logica* q.12 a.2.

[6] SUÁREZ, DM 47 s.3 n.6. De his vero interpretationibus annotat P. DEZZA: "quae divisio ab aliquibus auctoribus falso identificatur cum divisione in relationem realem et rationis vel in relationem praedicamentalem et transcendentalem, cum contra habenda sit ut divisio non proprie ipsius relationis sed potius *nominum relativorum.* Etenim *relativa secundum esse* sunt nomina imposita ad significandas ipsas relationes (ut pater, filius etc.,): *relativa secundum dici* sunt nomina imposita ad significanda fundamenta relationum (DEZZA, *Met. gen.* n.296 p.333).

600. Variae solent assignari *differentiae* inter transcendentalem et praedicamentalem relationem.

1) *Praedicamentalis* respicit terminum pure sub ratione termini, *transcendentalis* vero non ut pure terminum, sed sub aliqua determinata ratione, vel subiecti, vel obiecti, vel finis, vel efficientis... Aliud vero ut pure terminum respicere significat circa illud nullum aliud munus exercere nisi respiciendi tantum.

2) Relatio *praedicamentalis* non est a natura per se intenta, sed consequitur posito fundamento et termino. Respectus vero *transcendentalis* saepe est maxime intentus, et ideo forma essentialiter includens talem respectum saepe fit formaliter ac per se primo per actionem propriam.

3) Relatio pura est *praedicamentalis* sed nunquam est principium agendi, quia non est a natura instituta ob aliquod peculiare munus per se necessarium ad *esse* vel *fieri* rei, sed solum est respectus ex consequenti resultans. Contra vero *transcendentalis.*

4) Relatio *praedicamentalis* non dat subiecto aliquod esse sed solum respicere. *Transcendentalis* vero concipienda est tamquam modus essentialis seu differentia formae alicuius vel entitatis, quatenus ad causandum aliquo modo vel operandum circa alia per se primo instituta est, vel e converso quatenus ab alia essentialiter pendet.

5) *Transcendentalis* intrinseca est entitati, nec requirit exsistentiam termini; *praedicamentalis* vero est accidentalis: et si realis sit, necessario postulat exsistentiam realem termini.

601. Relatio potest iterum esse *aequiparantiae* quae est relatio utrimque idem nomen habens, et *disquiparantiae,* cuius termini diversas denominationes suscipiunt.

602. Relativis affinia sunt entia *connotativa:* connotatio habetur quando subiectum consignificat terminum per se ipsum, et non per aliquid quod concipitur resultare ex extremis et fundamento. Connotatio est realis, et eius occasione potest creari relatio rationis.

603. *Triplex* datur *genus* relationis praedicamentalis.

1) Ad *primum* pertinent relationes praedicamentales, quae fundantur in unitate et multitudine, hoc est, in convenientia et disconvenientia, unitas enim intelligitur aliqualis identitas in aliqua forma vel natura.

2) Ad *secundum* genus, quae fundantur in potentia agendi patiendique et in earundem actionibus et passionibus.

3) Ad *tertium* genus quae fundantur in ratione mensurae et mensurati.

604. *Proprietates relationis: a)* habet contrarium (si fundatur in qualitate); *b*) suscipit magis et minus (iterum si fundatur in qualitate); *c)* dicitur ad convertentiam, explicatur enim per ordinem ad aliud, quod vicissim per ordinem ad primum dicitur; *d)* relativa sunt simul natura, talia nempe quae se mutuo inferant at perimant, quin tamen altera sit alterius causa; *e)* relativa sunt simul cognitione, unum enim claudit alterum in sui conceptu ac definitione.

605. *Oppositio relativa.* Ex ipsa descriptione relationis apparet inter subiectum et terminum oppositionem dari, respectus enim mutuus includitur. Quodsi relatio realis sit, etiam talis oppositio realis erit, ideoque distinctionem realem inter subiectum et terminum implicat, inde quidem relatio realis inter signa distinctionis realis proponitur.

606. Status quaestionis. *a)* In omnibus circa relationem quaestionibus *difficultas generalis* invenitur proveniens a natura ipsa huius entitatis; intellectus enim noster cognitionem a sensibilibus incipit; sensus autem apprehendunt quidem entitates absolutas, sed quae tales non sint—ut entitas relativa, entitas modalis, entitas moralis—sensus fugiunt, ideoque difficilis earum intellectualis apprehensio redditur. Unde nihil mirum quod circa relationem obscuritates dentur, quae simul multitudinem sententiarum fundant.

b) Proposito relationis conceptu, quaerendum nunc venit utrum re vera a parte rei entia dentur quae hanc mutuam respicientiam seu habitudinem independenter a mentis consideratione habeant. Qua in quaestione solvenda, accurate videndum est ne entia proprie connotativa ut relativa habeantur, ne quae a nostro intellectu per relationem explicantur, ut in se veram et realem relationem habentia dicantur.

c) Scopus huius tractationis ille est fere generalis pro omnibus praedicamentis, ut basis metaphysica pro reliquis philosophiae partibus statuatur; proinde hic fere sufficeret relationem in genere probare; sed attenta difficultate rei optandum videtur ut tam praedicamentales quam transcendentales probentur.

d) Stabilita realitate relationum etiam praedicamentalium, cum de transcendentalibus constet eas re cum ipso subiecto identificari, de praedicamentalibus quaeritur, utrum ipsae relationes, ut tales, aliqua entitate consistant a subiecto et termino et fundamento adaequate distincta, an cum aliquo eorum identificata. Quodsi etiam praedicamentalis cum fundamento identificetur, dicendum erit non adesse re vera entitates pure relativas ab absolutis realiter adaequate distinctas.

607. Sententiae. *a)* "Quidam philosophi dixerunt quod relatio non est aliquod unum genus entium, nec est aliquid in rerum natura; sed est tantum quidam respectus in omnibus entibus; et quod relationes sunt de intentionibus secundis, quae non habent esse nisi in anima" [7]. Tales sunt AVICENNA et AVERROES, ad quos alludit in textu S. THOMAS; praeterea etiam AUREOLUS, OCKAM et Nominales in genere.

b) "Iam vero recepta sententia et quasi philosophicum et commune axioma est dari in rebus creatis relationes reales proprium ac speciale praedicamentum constituentes" [8].

c) Philosophia moderna inde ab empirismo et sensismo, et praesertim sub idealismo transcendentali Kantiano realitatem relationum omnium negat, eas per meram effectionem intellectus, per categorias a priori... explicando.

d) Thomistae plerique et Scotistae generatim tenent relationem qua talem habere entitatem et a subiecto et a termino et a fundamento et a ratione fundandi distinctam; sed si ulterius eius naturam assignare velint, diversimode loquuntur: alii enim relationi entitatem modalem assignant, alii veram et propriam entitatem realem propria essentia gaudentem, alii formalem ex natura rei a fundamento distinctam.

e) Aliqui ex Thomistis, Suaristae et Nominales plures (qui relationes quodammodo admittant) relationem dicunt praedicamentalem cum entitate fundamenti realiter identificari. Inter hos vero auctores ulterior disputatio agitatur, de qua quaedam in Scholio indicabuntur.

608. Nos quidem sententiae Scholasticae adhaerentes admittimus certo relationes reales dari tam transcendentales quam praedicamentales; ulterius probabiliorem ducimus sententiam

[7] S. TH., *In I Dist.* 26 q.2 a.1.
[8] SUÁREZ, DM 47 s.1 n.10.

tenentem relationem saltem cum fundamento identificari realiter.

609. Probatur. 1. *Dantur relationes transcendentales.* Independenter a mentis consideratione datur respectus transcendentalis unius ad aliud; *ergo* dantur relationes reales transcendentales.

Antecedens: Omne ens creatum essentialiter dependet a Deo; *ergo* in eo habetur habitudo realis ad Deum, et quidem identificata cum tota essentia entis creati, totum enim hoc et totaliter a Deo dependet. Pariter: materia et forma essentialiter ad mutuam completionem ordinantur. Pariter: omne accidens essentialiter substantiam respicit. Pariter: potentiae naturales essentialiter ad suos actus producendos ordinantur et actus respectivi ad suum obiectum.

610. 2. *Dantur relationes praedicamentales.* Dantur a parte rei quae vocantur relativa communi sensu, et quidem propter obiectivam evidentemque rationem extra mentem nostram positam, quae tamen non necessario eorum physicam entitatem comitantur; *atqui* talis relatio est realis et praedicamentalis; *ergo* dantur relationes reales praedicamentales.

Minor: Est *relatio,* quia est verus respectus unius ad aliud; *realis* vero, quia talis respectus independeter a mentis consideratione datur; *praedicamentalis* denique quia non identificatur cum tota rei entitate, sed ei adventitia est et accidentalis.

Maior: a) Multa dicuntur similia in accidentalibus, et quidem propter veram et a mente independentem convenientiam in qualitate, quae convenientia, sicut nec ipsa qualitas, non ad essentiam rei pertinet. *b)* Potentia per actum, imo et ipsum suppositum per potentiam et actum huius, veram habitudinem habet ad obiectum actus: sic homo respectum habet ad obiectum scientiae, si hoc est exsistens; iam vero, talis respectus verus et realis est, et supposito et etiam facultati adventitius et accidentalis.

611. 3. *Entitatem relationis a fundamento non distingui realiter.* Positis subiecto et termino relationis, eo ipso quod ulterius fundamentum ponatur mutuae respicientiae, etiam respicientia habetur, quin ulla nova entitas addatur; *ergo* relatio non consistit in ulla entitate vel modo realiter a fundamento distincto.

Antecedens: nam si de similitudine, ex. gr., agatur, posita qualitate in qua subiectum et terminus conveniunt, eo ipso similitudo habetur. Pariter: posito actu per potentiam, eo ipso haec habitudinem ad obiectum actus habet.

Confirmatur: si pro omni nova relatione nova entitas esset ponenda, entitates essent innumerae continuo ponendae et tollendae in ordine rerum, et sic mutationes reales accidentales continuo darentur. Nec explicaretur in sententia contraria quaenam esset causa talis novae entitatis efficiens, non enim terminus qui longissime distare potest, nec fundamentum quod potest non mutari.

612. Scholion. *De Connotatoribus.* Inter auctores qui identitatem relationis cum fundamento tenent, ulterior exsurgit disputatio, utrum relatio cum fundamento identificetur prout est tantum in subiecto, an etiam prout est in termino. Aliqui, quos *Connotatores* appellare solent, tenent identificari relationem cum fundamento prout est in subiecto tantum, exigere tamen essentialiter terminum, non quidem ut partem formalem et constitutivam, sed ut quid in obliquo seu extrinsece significatum. Hanc sententiam tenet P. SUÁREZ (etsi aliqui hoc negent), et inter recentiores FRICK, PESCH, DELMAS et alii. Alia vero sententia tenet relationem identificari cum fundamento prout exsistente in utroque extremo, hoc est, in fundamento adaequate sumpto. Huius sententiae est P. LOSSADA, et inter recentiores etiam P. URRÁBURU. Quaestio ex utraque parte solutionem probabilem habet.

613. Obiectiones. 1. Relatio importat comparationem duorum extremorum; comparatio autem est opus intellectus; *ergo* relatio quaelibet pendet ex intellectu, atque adeo non datur nisi relatio logica.

Dist. mai.: relatio prout actu detecta et cognita, *conc.;* prout exsistens in rebus, *nego. Conc. min. Dist. cons.* quoad primum membrum: pendet ex intellectu ut cognoscatur, *conc.;* ut constituatur, *nego.*

2. Si creatura importaret transcendentalem relationem ad Deum, vel accidens ad substantiam etc., quicumque cognoscit intuitive creaturam, cognosceret intuitive Deum, et quicumque accidens intuetur, substantiam intueretur; *atqui* hoc falsum est; *ergo.*

Dist. mai.: quicumque adaequate cognosceret intuitive creaturam vel accidens, cognosceret intuitive etiam Deum et substantiam, *trans.;* quicumque inadaequate dumtaxat cognosceret, *nego. Contradist. minorem.*

3. Repugnat ut relativum sit de essentia rei absolutae ut sic; alioquin res illa, prout absoluta, respectiva foret. Sed relatio transcendentalis est aliquid essentiale absoluto prout absoluto; *ergo* dari nequit.

Dist. mai.: de essentia rei absolutae quae totaliter et sub omni respectu absoluta sit, *conc.;* quae sub aliquo aspectu absoluta, sub alio relativa sit, *nego.*

4. De essentia relationis est *esse ad.; atqui* de essentia fundamenti (et subiecti et termini) non est *esse ad.; ergo* relatio realis praedicamentalis realiter distinguitur a fundamento, subiecto et termino.

Dist. mai.: De essentia metaphysica relationis est *esse ad, conc.;* de essentia physica relationis est *esse ad, subdist.*: tantum, *nego;* etiam, *conc.* Ut relatio sit realis non requiritur ut separata et contradistincta ab omni absoluto exsistat, sed solum ut in realitate aliquid detur quod conceptui relationis respondeat; sicut et in gradibus metaphysicis accidit, nam differentia specifica est realis, etsi qua talis et separata et distincta realiter non exsistat, sed identificata realiter cum ratione generica et differentia individuali.

5. Quae separantur realiter distinguuntur; *atqui* relatio a suo fundamento separatur; *ergo* realiter distinguitur.

Dist. mai.: quae separantur intrinseca mutatione et quoad id quod dicitur in recto, *conc.;* quae separantur extrinseca mutatione, et quoad id quod in obliquo connotatur, *nego.*

6. Denominatio intrinseca separatur intrinseca mutatione; sed relatio est denominatio intrinseca; *ergo* separatur per mutationem intrinsecam.

Dist. mai.: denominatio intrinseca absoluta, *conc.;* relativa, *nego.* Nam desitione termini extrinseci cessat esse realitas intrinseca formaliter et actu respiciens.

7. Manente forma manet effectus formalis. Sed forma relationis cum fundamento identificatae, integra maneret, etiam ablato termino; *ergo* et ipsa relatio.

Dist. mai.: manente forma materialiter tantum, *nego;* formaliter ut connotat terminum, *conc.* Relatio essentialiter includit respicere terminum, quo munere cessante relatio formaliter desinit.

8. Hinc sequitur relationem esse proprium reale non habere.

Dist. ant.: esse proprium a fundamento realiter distinctum, *conc.;* esse proprium etsi realiter cum fundamento identicum, *nego.*

ARTICULUS III

De modo

Thesis 27. Dantur modi reales.

614. St. Th. (plura habet ubi de accidentibus) *Opusc.* 48; Aegidius Romanus, *Theoremata de esse et essentia theor.*15 (ed. Hocedez, p.92ss); Suárez, DM 7 s.1 n.16-21.27-29; s.2 n.6-8; Ioannes a St. Thoma, *Cursus phil. Logica* q.2 a.3; Tiphanus, *De hypost. et persona* c.40-60: Palmieri, *Ontologia* th.17; Delmas, *Ontologia* p.523-542; Urráburu, *Ontologia* p.376; Alcorta, *La Teoría de los modos en Suárez* (Madrid 1949).

615. Nexus. Enti absoluto ens relativum contraposuimus; sed etiam ens modale ipsi contraponendum est, quod non

parvam affinitatem cum natura intima entis relativi habet. Modus quidem non constituit praedicamentum proprium, cum nec soli praedicamento accidentis nec soli praedicamento substantiae adscribendus sit; videtur tamen conformior tractatus circa modum inter accidentia, etsi quaedam etiam agentes de distinctione dicenda erant.

616. Notiones. Definitionem modi superius allatam sic ulterius explicamus ex P. Lossada: "Conceptum quidditativum non uno modo explicant Auctores. Quorum variis explicationibus omissis, haec videtur satis idonea: "Realis et ultima determinatio condistinctae a se indifferentiae ad aliquam determinationem rei exsistentis propriam". Hinc oritur quod modus sit etiam divinitus inseparabilis a re modificata: repugnat ex terminis actualis et ultima determinatio non actu determinans; et repugnat pariter actu determinans sine re actualiter determinata, ac proinde actualiter exsistente, si determinatio est ad denominationem rei exsistentis propriam. Sed ut magis innotescat natura modi, oportet observare sequentia: 1. Modus necessario connotat indifferentiam, quam determinet; alioquin non erit modus, licet sit entitas impotens exsistere sine alia... Sufficit autem ex parte rei determinabilis indifferentia obedientialis... 2. Cum modus sit determinatio ultima in suo genere vel munere, debet esse determinans absolute non conditionate dumtaxat. Unde si dentur entitates duae talis indolis, ut utraque possit seorsim exsistere sine alia, nequeant tamen ambae simul exsistere, nisi unitae neutra erit modus modalis unio alterius... Et hoc etiam ultimae determinationis munere provenit, quod in eodem genere dari nequeat modus modi... Potest tamen in diverso genere dari modus modi... 3. Modus, quidquid aliqui dicant, non debet semper esse determinatio rei ad aliud extremum ab ipso distinctum: quamvis enim saepe versetur inter extrema duo, non hoc habet ex communi conceptu modi. 4. Non debet modus intrinsece uniri rei, quam modificat, nisi ex munere speciali sit intrinsecus... 5. Non omnis modus est pure modus, id est, eam tantum perfectionem habens, quam explicat nudus conceptus ultimae determinationis ad tale munus... sed potest dari modus secum insuper identificans perfectiones alias; quae non inferuntur ex conceptu isto, sed ex aliis indiciis colliguntur. Hinc inferes

quod passim dicitur, modus esse tenuis entitatis, intelligendum esse de modis pure talibus"[1].

617. Etiam negative ulterius explicari potest verbis P. SUÁREZ: "Appellamus modum non quidem illa generali significatione, qua omnis qualitas solet modus substantiae appellari... Neque etiam illa generali ratione loquendi, qua omne contrahens vel determinans solet appellari modus contracti...; neque illa generalitate, qua modus dici solet omnis determinatio, vel limitatio praefixa unicuique rei finitae iuxta mensuram eius... Sed ab hac generali ratione modi recedendo, et applicando illam ad praesentem, appellatur inhaerentia quantitatis modus eius, quia est aliquid illam afficiens, et quasi ultimo determinans statum et rationem exsistendi eius, non tamen addit illi propriam entitatem novam, sed solum modificat praeexsistentem"[2].

618. Sicut de relatione dicitur quod entitas sit debilissima, ideoque obscurissima, id fere pariter etiam de modo dici valet. Ideo enim relatio entitas est debilissima quia proprium eius est non entitatem absolutam in suo ordine absolute afficere, ideoque hoc sensu dici potest per entitatem relationis nihil novi absoluti entitati afferri. Pariter modus qua talis nihil novi extrinsecus adveniens entitati modificatae affert, in quo cum relatione in contrapositione ad ens absolutum convenit, nec est entitas omnino distincta, nec sufficit constituere ens seu entitatem in rerum natura[3], nec addit propriam entitatem novam, sed solum modificat praeexsistentem[4]; unde notandum est "hanc esse conditionem essentialem modi, ut realiter sit ipsa res quam modificat, et cum ea habeat intrinsecam adaequationem in praestando suo effectu, vel quasi effectu formali, quia re vera modus ipse nihil est aliud quam res ipsa cuius est modus, taliter se habens, vel sic terminata"[5].

619. *Divisiones modi.* Modi possunt esse *accidentales*, illi sunt qui substantiae superveniunt omnino completae, ac proinde eam nonnisi in linea accidentali complent, eis videli-

[1] LOSSADA, *Metaphysica* disp.3 n.21.
[2] SUÁREZ, DM 7. s.1 n.17.
[3] Ibid. n.16.18.19 .
[4] Ibid. n.17.
[5] SUÁREZ, *De Incarnatione* disp.3 s.4 n.5. Probe tamen nota modum vere esse entitatem ex natura rei a re modificata distinctam; habereque consequenter et propriam essentiam, et propriam exsistentiam et propriam causam in re distinctam ab essentia, exsistentia et causa rei modificatae. Cf. SUÁREZ, DM 30 s.9 n.15-18; s.11 n.30-31; *De Trin.* l.4 c.4 n.10; cf. etiam n.8-12.

cet *inhaerendo;* praeter affixionem modo essentialem, includunt hanc inhaesionem accidentis propriam. *Substantiales* vero sunt qui substantiam, sub aliqua ratione substantiali incompletam et de se indifferentem, ulterius in linea substantiali determinant.

620. Possunt praeterea esse modi *physici,* qui a subiecto realiter distinguuntur, et *metaphysici,* qui non ex natura rei sed ex operatione tantum mentis, etsi cum fundamento in re, distinguuntur. Praeterea distinguuntur modi *intrinseci,* qui rei modificatae intrinsece uniuntur; et *extrinseci,* qui extrinsece modificant rem quam denominant quin in ipsa recipiantur etsi realiter sint absolute inseparabiles.

621. Status quaestionis. *a)* Directe quaestio circa realitatem modorum statuitur, quae ut demonstrata maneat, singulae eius notae constituentes probari debebunt.

b) Sed haec ipsa probatio, simul etiam rationem intrinsecam modi probat, hoc est, ipse conceptus modi ostenditur non repugnare, proinde etiam ipsa notio modi comprobatur.

c) Imo, consequenter, etiam ipsa natura distinctionis modalis confirmatur, quam quidam auctores admittere renuunt.

622. Sententiae. *a)* *Philosophia Scholastica* communiter modos reales admisit, explicite quidem inde a saeculo XVI per influxum doctrinarum CAIETANI. Inter defensores modorum, praeter ipsum CAIETANUM nominari possunt SONCINAS, FONSECA, SOTO, VAZQUEZ, SUAREZ, MASTRIUS et SCOTISTAE in genere, MARTINEZ DEL PRADO, CONIMBRICENSES, COMPLUTENSES, SALMANTICENSES, CARD. LUGO, IOANNES A STO. THOMA, SILV. MAURUS, ARRIAGA, COMPTON, HURTADO, QUIROS, LOSSADA, A. MAYR, OVIEDO, RHODES... et inter recentiores, URRABURU, ROBLES DEGANO, MERCIER, MUNCUNILL, PESCH, FRICK, GARRIGOU-LAGRANGE etc. etc.

b) Realitatem modorum tamen negant *Nominales,* Card. PTOLEMAEUS, MARTINON, et potissimum TIPHANUS, qui amplissime et vivide modos impugnat ut novitatem contradictiones implicantem. Ut oppugnatores etiam aestimandi sunt plurimi Scholastici cartesianismo affecti. PALMIERI sic refutat doctrinam modorum: "Ipsa loquendi ratio, nimirum: modus non est ens in rigore, non affert novam entitatem propriam subiecto, satis docet nec clarum conceptum huius rei potuisse animo informare auctores eius, et manifeste pugnantia di-

ci... Nulla est necessitas, imo repugnat ut determinatio quae essentiae exsistenti necessaria est ut sit, aut sit talis, cum his aut illis affectionibus, ei adveniat per aliquid superadditum..." [6]. Observari etiam licet animadversio quae inter recentiores contra modos datur, sed potius quam contra ipsam naturam modi, intendunt eorum nimiam multiplicationem cohibere aut unum alterumve modum ut innecessarium reiicere.

c) Inter modernos philosophos plures dantur qui de modis agunt eosque asserunt, sed sensu omnino alio ab illo quem Scholastici docuerunt. Citari possunt ex ALCORTA [7] DESCARTES, SPINOZA, MALEBRANCHE, *Empiristae* anglici LOCKE, HUME, BERKELEY, WOLFF, HEGEL, HUSSERL, HEIDEGGER.

623. Nos vero realitatem modorum eorumque a subiecto distinctionem realem minorem tenendam censemus, etsi non omnes qui asseruntur forte ut veri modi reales sint admittendi.

624. Probatur. (*Ex ratione modi.*) Dantur quaedam reales modificationes ultimaeque rerum determinationes, sine quibus subiectum potest exsistere, quaeque, prout condistinctae ab earum subiecto, non sunt in primis purum nihil, nec tamen sunt aliquid pure rationis, seu ipsum subiectum aliter conceptum; sed aliquid prorsus independens a nostro modo concipiendi, quamvis non habeant entitatem capacem exsistendi extra subiectum, etiam per miraculum omnipotentiae divinae; *atqui* in hoc consistit praecise modus; *ergo* dantur modi reales et quidem ante mentis operationem a re modificata distincti.

Quoad maiorem: Sumatur ex. gratia *unio,* quae in duplici casu considerari potest. *a)* Ut est *unio* inter materiam et formam substantialem, et concrete inter animam spiritualem et materiam seu corpus. Quod unio *realiter* detur, patet, ex ea enim verum compositum reale resultat. Quod haec unio sit *ultima determinatio* substantiarum incompletarum, etiam clarum est, has enim substantias ex natura sua non repugnat etiam aliam materiam aut alium spiritum sumere potuisse; iam vero sine tali unione potest saltem anima spiritualis exsistere, et etiam materia quatenus alia forma informatur; unio vero ut purum nihil considerari non potest cum vere detur, nec mere ut a mente confictum nam anima et corpus realiter uniuntur; sed praeterea unio ex se exsistere non potest, ut patet, nec novam affert entitatem cum unio in se et ex se nihil sit, sed

[6] PALMIERI, *Ontologia* th.17 p.397.
[7] ALCORTA, *La teoría de los modos en Suárez* p.33.

tantum modificat vere et realiter entitatem praeexsistentem. Iam vero, aliquando unio indifferentiam substantialem determinat, et tunc est modus substantialis; aliquando tantum indifferentiam accidentalem, unde est modus accidentalis.

Similiter etiam de actione argui potest, quatenus est modus *extrinsecus* respectu agentis, *intrinsecus* vero respectu passi; et quoad modos accidentales, etiam de figura, de motu... [8].

Confirmatur etiam a priori, nam "ratio ponendi hos modos... a priori esse videtur, quia cum creaturae sint imperfectae, ideoque vel dependentes, vel compositae, vel limitatae, vel mutabiles secundum varios status praesentiae, unionis aut terminationis, indigent his modis quibus haec omnia in ipsis compleantur. Quia nec per entitates omnino distinctas hoc semper fieri necesse est, imo nec commode intelligi potest, neque etiam fieri potest, per id quod sit omnino nihil, et ideo saltem requiritur modus realis" [9].

625. Obiectiones. 1. Quod est ineptum ad exsistendum non est quidquam; *atqui,* modi nequeunt exsistere; *ergo* son sunt quidquam.

Dist. mai. Quod est ineptum omni modo ad exsistendum, *conc.;* quod saltem ut alteri affixum exsistere potest, *nego.* Et *contradist. minorem.*

2. Nihil est medium inter ens et nihilum; *atqui* modi non sunt ens; *ergo* nihilum.

Dist. mai. Si ens intelligitur quod est aptum quocumque modo ad exsistendum tunc nihil est medium, *trans.;* si intelligitur quod entitatem propriam habet, et ut separatum exsistere potest, nihil est medium, *nego.* Et *contradist. min.*

3. Necessarium non est, immo repugnare videtur, quod determinatio, qua essentia exsistens indiget *ut sit,* vel ut talis cum his aut illis affectionibus, ei adveniat per aliquid distinctum; *ergo* modi reiiciendi sunt.

Negando assertum quoad primam partem, modi enim sunt rei praeexsistentis. Quoad alterum membrum, *dist.;* repugnat determinationem ut sit talis res per aliquid extrinsecum venire, si sit talis ex exigentia suae naturae, *conc.;* si ex exigentia naturae sit indifferens ut sit talis vel talis, *nego.*

4. Sed repugnat res exsistens indeterminata ut sit talis; *ergo* modi non sunt necessarii.

Dist. ant. Indeterminata ex propria natura, *nego;* indeterminata aut per propriam entitatem aut per alienam, *conc.* (saltem si de prioritate naturae agatur).

5. Modorum nulla est necessitas, nam indifferentia illa de qua agunt defensores, tollitur ex eo solum, quod per agens extrinsecum unum immediate alteri uniatur... *ergo* inutiliter ponuntur modi.

Nego assertum, et quoad rationem additam, *dist.,* et actio illa agentis terminat in modum unionis, *conc.;* secus, *nego.*

---

[8] Si uberiora desideres, cf. DELMAS, *Ontologia* p.534-540.
[9] SUÁREZ, DM 7, s.1 n.19.

6. Sed modi omnes commode explicantur per relationes aut connotationes; *ergo* superflue finguntur.

Nego assertum, ex argumentis positis. Conferas explicationem apud DELMAS, *Ontologia* n.387.

ARTICULUS IV

DE ACTIONE ET PASSIONE

Thesis 28. Actio eductiva non videtur realiter distingui a passione, neque recipitur in agente sed in passo.

626. ARISTOTELES, 9 *Metaph.* c.9; *De anima* 1.2 c.2 tex.24; 1.3 c.2 tex.139-140; S. TH., 1 q.18 a 3 ad 1; q.54 a.1 ad 3; *De pot.* q.3 a.15; CAIETANUS. *In S. Theol.* 1.25.11; SUÁREZ, DM 48-49; LOSSADA, *Phys.* tr.3 disp.1 c.2; URRÁBURU, *Ontol.* p.1015ss; DELMAS, *Ontol.* n.490ss; GREDT, *Elem. Phil.* n.281; QUILES, *Met. gen.* p.358ss.

627. Notiones. Superius de potentia activa egimus, quae etsi in se plene constituta sit nondum tamen formaliter ex se agens actu est, quod praecipue de potentia libera valet, haec enim etiam praesuppositis omnibus praerequisitis potens adhuc est et agere et non agere. Imo etiam causa necessaria etiam positis omnibus praerequisitis ex parte ipsius, potest adhuc non esse agens actu ideo quia concursus divinus sublatus est. Ad hoc ergo ut potentia activa agens actu constituatur aliquid aliud requiritur praeter ipsam potentiam ut talem consideratam.

Porro, si res ex parte illius consideratur, quod a potentia activa procedit, idem materialiter effectus quoad se potest ab una et alia (numerice) potentia procedere, saltem a potentia divina. Ad hoc ergo ut entitas effectus ab hac praecise causa procedens constituatur, aliquid praeter naturam materialem effectus attenditur. Imo, non mera mutua coexsistentia duorum entium, quorum alterum potentia sit, alterum effectus, sufficit, ut hic ab illa dependens dici debeat.

Illud quo potentia iam ut actu formaliter agens constituitur, et illud quo effectus hic ab hac causa dependens fit, illud *actio* est, quod est quid intermedium inter potentiam et effectum nexum dependentiae huius ab illa statuens.

628. *Definitio actionis.* ACTIO apte definiri potest, *ultima formalis determinatio virtutis activae ut causet effectum, et ipsius effectus ut fluat vel exsistat dependenter a tali causa.* Quae definitio seu potius descriptio recte intelligenda est. Cum dicitur *ultima formalis determinatio virtutis activae* non est intelligenda actio ut forma aliqua, quae quasi potentiam suam passivam virtutem determinat, actio enim ante hanc determinationem virtutis activae nondum datur, sed illa determinatio virtutis activae ipsa est actio, qua quidem determinatione ipsa

potentia activa perficitur, non tamen per actionem in se receptam, sed quatenus e potentia ad actum transit, hoc est, quatenus sese perficiendo virtus activa (ideo enim potentia activa perfectionem involvit) influxum suum effectui communicavit. Ex parte autem effectus actio est ultima actualitas et ratio formalis, per quam effectus indispensabiliter physice pendet ab hac causa et sic de non-esse ad esse transit. Actio, igitur, est actus secundus potentiae activae, ultimus actus agentis quatenus agens est, et nihil aliud importat quam ordinem originis, secundum quod a causa aliqua vel principio procedit in id, quod est a principio. Ab ARISTOTELE dicitur *actus huius ab hoc*.

629. *Triplex consideratio actionis.* Ex dictis, actio tripliciter considerari potest:

a) *Principiative,* hoc est, quando potentia activa plene omnibus praerequisitis instructa est, et praeterea etiam illa perfectione ornatur qua iam non potentia tantum sed actuali exercitio virtutis agens est, tunc potentia ipsa talibus conditionibus actio principiative dici potest.

b) *Terminative,* est ipse effectus seu terminus qui per influxum virtutis activae obtinetur, et quidem connotando hunc ipsum modum productionis.

c) *Formaliter* et tunc est ipse formalis influxus virtutis activae in terminum; non consideratur ut est in agente vel in patiente, sed ut est ab agente ad patiens.

630. *Divisiones actionis.* Actio potest esse *immanens,* quae recipitur in ipso agente; et *transiens,* quae non recipitur in ipso agente. Haec actio transiens, qua talis, non est perfectio agentis, etsi in eo perfectionem praesupponat; immanens vero, etiam qua actio, ipsum agens perficit.

631. Potest etiam esse *artificialis,* quae ope artificii a potentia ponitur; et *naturalis* quae sine artificio per ipsam naturam ponitur.

632. Potest etiam esse *substantialis,* cuius terminus substantia est; et *accidentalis* cuius terminus accidens est. Accidentalis vero subdividi potest in *augmentationem,* quae est mutatio secundum quantitatem; *alterationem,* quae est mutatio secundum qualitatem, et *motum localem,* qui est mutatio secundum situm.

633. Potest, tandem, esse, *creativa,* quae est productio rei ex nihilo sui et subiecti, seu ex nullo praesupposito subiecto; in qua definitione specificum est, quod non sit subiectum praevium ex quo terminus producatur; et *eductiva,* quae est productio rei ex praesupposito subiecto.

634. Corollarium. Actionem esse realitatem nemine cogitante, in rerum natura repertam et aliquo modo etiam tum a causa tum ab effectu distinctam, clare ex ipsa eius notione et simplici reflexione constat. Unde enuntiari potest, dari actiones re a causa et ab effectu distinctas, quae sunt actiones praedicamentales, realia accidentia. Circa hoc autem etiam aliae sententiae dantur; sunt enim qui teneant, actionem mere extrinsecam denominationem esse, ex forma vel effectu producto desumptam. Alii (Scotistae) actionem volunt relationem esse extrinsecus advenientem, hoc est, talem, quae non necessario ex positione subiecti et termini exsurgat. Tandem videtur natura actionis in illa speciali dependentia effectus a sua causa reponenda, quare consistit in reali quodam modo transcendentalem relationem includente ad principium effectivum.

Ex quibus omnibus haec facile deducuntur: repugnat actio realis sine agente et sine termino; actio dicit essentialiter respectum ad determinatam causam hic et nunc agentem, est enim modus, ideoque se ipso est determinatio huius et non alterius; actio in se ipsa importat etiam relationem transcendentalem ad terminum productum.

635. PASSIO multiplici modo sumi potest: *a)* ut rei attributum seu proprietas metaphysica; sic attributa entis passiones dicuntur; *b)* ut affectus animi, passio irae...; *c*) ut receptio formae disconvenientis aut amissio formae convenientis; *d)* ut receptio cuiuscumque formae. Sic hic. In omni quidem actione reali productio alicuius effectus datur, quod si actio eductiva sit, habetur aliquod subiectum in quo mutatio aliqua fiat et a quo aliquid novum educatur quatenus subiectum novam aliquam formam suscipit. Haec mutatio in subiecto passivo facta passio proprie talis dicitur.

636. *Definitio passionis.* Describi potest simili modo ac actio cui contraponitur, *ultima formalis determinatio potentiae passive ut recipiat formam, et ipsius formae ut* a tali potentia pendeat tamquam a subiecto praesupposito. Potentia quidem passiva est quaedam capacitas recipiendi aliquam formam, quae

capacitas ultimo determinari debet ut actu et formaliter formam suscipiens constituatur, haec autem determinatio non ad modum actionis fit, sed contra, ad modum susceptionis, et sic passio est exercitium potentiae passivae, quo non iam potens formam suscipere, sed eam actu habens constituitur. Est pari modo actus secundus potentiae passivae, actus patientis ut patiens est, *actus huius ut in hoc.*

637. Status quaestionis. Naturam actionis indicavimus supra in corollario, resumptis opinionibus quae circa eam proferri solent, inter quas etiam nostram innuimus. Quaestio vero nunc instituenda potius de actione eductiva agit in comparatione ad passionem. Sic duplex statuitur quaestio.

a) Ac in primis, quoniam actio realitas quaedam est, et etiam passio, quaeritur *utrum duae realitates* realiter distinctae sint, an e contra, una tantum quae duplicem denominationem per diversum respectum eiusdem realitatis suscipiat.

b) Independenter a prima hac quaestione, quaeri etiam potest circa *subiectum in quo actio eductiva* recipiatur, est enim realitas aliqua accidentalis, quae subiectum inhaesionis requirere videtur in quo recipiatur.

c) Quaestio haec tantum de actione *eductiva* proponitur, in qua quidem actio et passio separari non possunt, inseparabilitas vero nondum est signum realis identitatis. Tandem solum de actione formaliter considerata valet.

638. Sententiae. *a)* *Thomistae* generatim in primis alteram quaestionem solvunt, tenentes actionem quidem in agente recipi, passionem vero in passo. Quod si hoc asserant, logice iam concludunt actionem et passionem realiter differre. Sunt vero qui distinctionem tantum modalem ponant ut *Complutenses.*

b) *Scotistae* inter actionem et passionem distinctionem statuunt ante mentis operationem, non tamen realem sed formalem tantum. Actio vero subiectum habet agens, passio passum.

c) SUÁREZ et eius asseclae generatim tenent actionem et passionem re identificari; cum vero passio evidenter et iuxta omnes in passo subiectetur, consequenter etiam actio in passo recipitur.

d) IOANNES A STO. THOMA sententiam mediam adinvenit, distinguit enim quasi duplicem formalitatem in una realitate

actionis: quatenus reddit agens actuatum in actu secundo et transmutatum de otio in actum, relinquit formalitatem in agente inchoantem ipsum effectum; ut autem reddit ipsum effectum in actu secundo causatum et procedentem a causa, ponit formalitatem in effectu, qua redditur actio consummata.

Sententiae sub *a*) *c*) *d*) enumeratae, omnes secum S. THOMAM contendunt.

639. Nos autem, in re sat obscura, ut magis probabilem sententiam sumimus asserentem actionem et passionem re non distingui, quo posito unicam illam entitatem in passo recipi concludendum est.

640. Probatur 1. *Actio eductiva non videtur realiter distingui a passione.* Per solam actionem eductivam omnia videntur realiter praestari etiam quae per passionem praestanda dicuntur; *ergo* actio eductiva non videtur realiter distingui a passione.

Antecedens, nam *a)* actio eductiva ex ipsa sua natura essentialiter respicit non modo agens sed etiam subiectum quo novam formam educit; hic vero respectus proprius est passionis. *b)* actio eductiva ex ipsa sua notione rem producit dependenter a praevio subiecto, sed a potentia passiva, per solam ergo eductionem formaliter nova forma a potentia passiva dependens constituitur: haec vero dependentia est ipsa passio. *c*) posita actione eductiva nulla superest in potentia passiva indifferentia ad formae receptionem actualem, quae ulterius per novam realitatem amoveri debeat. Hoc est, ipsa actio eductiva omnia praestat quae in definitione passionis requiruntur, actio enim eductiva realiter est ultima formalis determinatio potentiae passivae ut recipiat formam (nam forma *e* potentia passiva et in *ea* educitur), et ipsius formae etiam ut a tali potentia pendeat tamquam a subiecto praesupposito.

641. 2. *Actio recipitur in passo.* Actio eductiva et passio realiter identificantur; *atqui* passio recipitur in passo; *ergo* et actio.

Minor evidens est et ab omnibus sententiis admittitur.

642. Scholion 1. *Qualitas* recte describi potest: accidens substantiam determinans tamquam accidentalis differentia et complementum essentialis perfectionis eiusdem, sive in ordi-

ne ad exsistentiam sive in ordine ad operationem. Re vera omne accidens aliquo modo determinatio substantiae est, reservatur vero peculiare nomen qualitatis ad genus aliquod accidentium, quibus substantia in se ipsa determinatur intrinsece. Qualitas talis solum in substantiam finitam cadere potest.

Qualitas multiplex esse potest: *naturalis aut supernaturalis, spiritualis aut materialis, vitalis aut non vitalis, propria aut communis, connaturalis aut contraria.* Qualitas habere potest contrarium; est fundamentum relationis similitudinis vel dissimilitudinis; est capax intensionis et remissionis, hoc est, mutationem patiendi, qua in eodem subiecto et secundum eamdem partem perficitur, vel maiorem subiecto confert effectum formalem. Quomodo haec intensio aut remissio fieri possit, disputatur; videtur vero fieri per realem additionem gradus ad gradum.

643. Scholion 2. *Praedicamentum quando.* Duratio est permanentia rei in exsistendo et non videtur ab ipsa exsistentia distingui. Potest esse increata (seu aeternitas) et creata. *Aeternitas* proprissime, iuxta definitionem classicam BOETHII, definiri potest *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* Proprissime dixi, nam ut vera aeternitas detur requiritur duratio initio et fine carens, sed quae sit absolute indefectibilis, necessaria, et, consequenter, increata. Sensu non tam proprio, aeternum dici potest ens initio et fine durationis carens; et minus proprie, ens fine durationis carens. Duratio creata potest esse successiva, et tunc dicitur *tempus,* et permanens, quae, si de entibus natura sua incorruptibilibus agatur, *aevum* dicitur; videtur vero aevum carere successione quoad esse substantiale. De tempore plura in Cosmologia dicuntur.

644. Scholion 3. Praedicamentum *ubi. Ubi* est id vi cuius res dicitur esse hic vel alibi. Si locus stricte sumatur, latius patet ubi quam locus, *locus* enim stricte dicitur superficies corporis aliud ambientis. Locus hic, presse sumptus, etiam locus extrinsecus dicitur. Locus vero in sensu minus proprio est idem ac ubi vel ubicatio. Definiri potest *ubi,* hoc sensu, *ultima cuiusque rei determinatio ut sit praesens hic potius quam alibi.* Plura de hac quaestione in Cosmologia.

645. Scholion 4. *Situs* aliquando pro loco accipitur, aut pro ordinis relatione. Proprie vero, ut est praedicamentum,

difficulter declaratur. Sic LOSSADA ex SUÁREZ: *positio seu dispositio partium corporis in loco. Habitus* hic exprimit eam significationem, secundum quam aliquid dicitur *indui* vel *ornari* per aliquid corpori adiacens, cuiusmodi sunt vestes, arma tegentia...

646. Obiectiones. 1. Actio et passio spectant ad diversa praedicamenta; *ergo* constituunt duas essentias completas, ac proinde realiter distingui debent.

Conc. ant., et dist. primum membrum consequentis: duas essentias physice completas, *nego;* logice, *conc.*

2. Duo formales effectus aeque primarii et primo diversi, quales sunt agere et pati nequeunt ab eadem forma provenire, quia formalis effectus non distinguitur a forma, vel saltem eius diversitas a formae diversitate provenit.

Dist. assertum: si forma sit absoluta undequaque, *conc.;* si forma sit relativa non potest duos formales effectus praestare alterum intrinsecum, alterum extrinsecum, *nego.*

3. Actio et passio diversarum sunt potentiarum, nam actio est actus potentiae activae et passio est actus potentiae passivae; *ergo* actio et passio realiter distinguuntur.

Dist. ant.: ita sunt diversarum potentiarum ut etiam sint in diversis potentiis, *nego;* ut sint in eadem potentia, *conc.*

4. Sicut se habet actio ad agens, ita passio ad passum. Sed passio recipitur in passo, et actio in agente; *ergo.*

Dist. mai. Quoad denominationem, *conc.;* quoad modum se habendi physice, *nego.*

5. Actio ut actio, quatenus contradistincta a passione, est accidens; *ergo* inhaeret alicui. Sed non inhaeret passo; *ergo* agenti.

Dist. ant.: est accidens sive logicum sive physicum, *conc.;* praecise physicum, *nego. Dist. cons.*: inhaerentia sive physica sive logica, *conc.;* praecise physica, *neg. Contradist. min. subs.*: non inhaeret passo denominative, *conc.;* physice, *nego.*

6. Actio in eo est subiective cuius est actus. Sed est actus agentis; *ergo* in eo inhaeret.

Dist. mai.: in eo cuius est actus *a quo, nego;* cuius est actus *in quo, conc. Contradist. min.*: est actus *a quo* agentis, *conc;* actus *in quo* agentis, *nego.*

7. Agens creatum agendo perficitur et mutatur; *ergo* in se recipit actionem suam.

Dist. antec.: Agendo immanenter, *conc.;* agendo transeunter, *subdist.*: tamquam terminus propriae actionis, *nego;* tamquam praesuppositum ad agendum, *trans.* Non *ergo* agens transeunter perficitur actione quia hanc in se recipit, sed quia eam producit, quatenus perfectionem supponit ut agere possit, eamque exercet dum agit.

PARS II

AETIOLOGIA SEU TRACTATUS DE CAUSIS ENTIS FINITI

647. Verum est plurima de causis in variis Philosophiae tractatibus exponi, ubi ratio philosophica immediata plurium entium investiganda, ex causis solutionem adaequatam suscipit. "Ratio autem causae universalior est et abstractior: nam secundum se abstrahit a materia, tam sensibili quam intelligibili: et ideo propria eius consideratio ad Metaphysicum pertinet. *Primo* quidem quatenus ipsamet ratio causae, seu causalitas (ut aiunt) aliquem gradum entis participat: de quo oportet declarare quid et quo modo sit. *Secundo,* quia ipsa causalitas est veluti proprietas quaedam entis ut sic: nullum est enim ens quod aliquam rationem causae non participet. *Tertio,* quia ad scientiam pertinet considerare causas sui obiecti. Quamvis autem non omne ens comprehensum sub obiecto huius scientiae, habeat veram ac propriam causam, nam Deus causam non habet, tamen omnia alia praeter ipsum causam habent: et in eis non solum determinatae seu particulares rationes entis, sed etiam ipsa entis ratio per se ac proprie causatur, it ut verum sit dicere, ens in quantum ens specificative, etsi non reduplicative, habere causam. Eo vel maxime quod eiusdem doctrinae est rationem causae et effectus contemplari: nullum autem est ens, quod non sit vel effectus vel causa. Accedit quod licet Deus non habeat veram et realem causam: quaedam tamen rationes eius concipiuntur a nobis ac si essent causae aliarum, ad quas melius declarandas utile etiam erit varias rationes causandi praenoscere. Ob has ergo rationes ad Metaphysicum pertinet causarum consideratio" [1].

Hanc vero Partem in tria capita dividemus, quorum primum rationem et divisionem generalem causae, et alterum causas extrinsecas, tertium vero causas intrinsecas expediet.

[1] SUÁREZ, DM 12 prooem.

CAPUT I

De ratione et divisione causae

648. Aristoteles, 4 et 5 *Metaph.; 2 Physic.;* Cicero, *De causis;* S. Th., *Comment.* in citatos libros arist.; *De potentia; S. Theol.* 1 q.33 a.1; 1-2 q.1 a.2; 3 *C. Gent.* c.21; Suárez, DM 12 s.1-3; I. a Sto. Toma, *Phil. nat.* p.1.ª q.10ss; Urráburu, *Ontologia* disp.7 c.1; De Regnon, *La Métaphysique des causes* (Paris 1906); De Backer, *Disp. met. de causis entis finiti* disp.1.

649. Si in omni scientia omni in tempore momentum habeat maximum ratio causae, cum scientia debeat suas conclusiones ex causis demonstrare, modernis his temporibus momentum obtinuit supremum tractatus metaphysicus de causis, cum contra rationem causae eiusque realitatem in philosophia, inde ab Empirismo et Sensismo difficultates agitentur plurimae, quarum confirmatio his nostris diebus in scientiis physico-chimicis reperta dicitur; causam enim certam et adaequatam, scientifice stabilitam quorumdam phaenomenorum ignorant; eam consequenter vel simpliciter negant, vel ad meras leges probabiles reducunt.

Nostrum quidem non est hoc in loco rationem causae eiusque realitatem per habitudinem ad scientias defendere, hoc enim Cosmologiae proprium dicendum est, quae de lege naturali tractatum accuratum instituit; sed illa superiori methodo problema proponendi, quae Metaphysicorum est, ratio causae explicanda et defendenda venit.

ARTICULUS I

De causa, occasione et conditione

650. Nexus. Plures rationes hic interveniunt quae inter se quamdam habitudinem habent; quae cum confusionem tironibus gignere valeant, accurate proponendae sunt; earum enim recta cognitio ipsi problematis solutioni non parum conferet.

651. Principium intelligitur hoc in casu *rei.* Principium vero rei dupliciter dici potest:

a) *Ratione ordinis et cuiuscumque connexionis,* et hoc multipliciter; primo in omni actione aut negotio *illud unde inchoatur,* principium dicitur; secundo, in successione seu ordine temporis, et sic aurora dicitur principium diei; tertio in ordine loci, sic qui primus sedet dici potest principium caeterorum, et locus unde fons oritur dicitur principium eius; et

tandem, quidquid alteri praesupponitur, potest dici principium eius, ut fundamentum dicitur principium domus. Haec acceptio principii latissima est, et fere aequivoca denominatio.

b) *Ratione alicuius habitudinis per se inter ipsum et id cuius est principium,* ita ut ex illo aliquo modo per se oriatur. Quod dupliciter accidere potest: primo per positivum influxum et communicationem sui esse, qui modus respectu rerum creatarum est semper cum dependentia et causalitate; quare huiusmodi principium semper induit rationem causae, si solum ad philosophiam attendamus [1]. Secundo potest aliquid ex alio per se oriri ut ex principio, non per positivum influxum, sed solum propter necessariam et per se habitudinem ad illud. Hoc secundo modo privatio principium dici potest, etsi proprie influxum non habet in rem quae fit, sed ipsum fieri habet intrinsecam habitudinem ad privationem, est enim essentialiter transitus de non esse ad esse, ideoque per se supponit quodammodo privationem et ex illa tamquam ex necessario termino per se fit.

652. Ex his hae quasi *proprietates principii* deduci possunt:

a) commune esse omni principio ut sit aliquo modo prius principiato; imo sit vere primum, dicens negationem prioris: principium enim simpliciter dicitur quod ita est principium in illa ratione ut non sit principiatum;

b) ad rationem principii non satis esse ut sit prius alio, sed necessarium esse ut inter illa sit aliqua connexio, vel consecutio unius ab alio quod principium denominatur;

c) rationem principii non esse mere aequivocam, nec proprie univocam sed vere analogam et quidem multipliciter prout ad ipsam impositionem nominis attendatur vel ad rem significatam, tam quoad relationem principii, quam quoad proximam rationem talis relationis et tandem id quod principium nominatur.

653. Sic ergo principium in communi et confusissime sumptum describi potest, ex STO. THOMA: *Principium est id a quo aliquid procedit quocumque modo* [2] ubi verbum *procedit* sumi potest pro quacumque consecutione vel connexione,

[1] Solum in divinis personis invenitur principium cum vero influxu et communicatione proprii esse sine causalitate, de quo quaedam in Scholio annotabimus.
[2] 1 q.33 a.1.

non praecise et stricte pro vera origine, ut indicatur addito verbo *quocumque modo*. Qua ratione haec Aquinatis definitio latius patet, quam illa aristotelica: *Id unde aliquid est,* ubi particula *unde* stricte originem vel alium modum emanationis significat.

654. *Definitio* vero *aristotelica* iam quamdam primariam divisionem principiorum indicat illis verbis: *Id unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Hic enim includuntur principia *rei* et principia *cognitionis;* et quidem principia rei tam quoad *fieri* tam quoad esse [3].

655. Principium potest esse *extrinsecum,* quod non constituit intrinsece ipsum principium sicut pater est principium filii; et *intrinsecum,* quod intrinsece principiatum constituit, sicut anima spiritualis hominis est principium.

656. CAUSA est aliquod principium; hoc enim latius quam illa patet; ideoque causa est etiam id a quo aliquid procedit aliquo modo; modus autem quo talis procedentia sit, determinat principium ad rationem causae et talis causae.

Nam principium, ut causa sit, debet, in primis, sensu stricto sumi, habens ergo habitudinem per se inter ipsum et principiatum; et quidem habitudinem intrinsecam, et talem qua principium principiato positive et realiter esse quodammodo confert, ita quidem ut principiatum saltem dum oritur a principio vere dependens sit.

Quae in hac definitione colligi possunt: *Causa est principium per se influens esse in aliud;* in qua definitione *principium* dicit rationem genericam, quae in primis specificatur per rationem *per se influens,* qua excluditur privatio et omnis causa per accidens, quae per se non conferunt aut influunt esse in aliud. Hic autem influxus non stricte intelligendus est ille proprius causae efficientis, sed generalior, quo intelligitur dare vel communicare. Additur autem *in aliud,* quo significatur ad causalitatem necessarium esse ut illud esse quod causa per se primo influit in effectum, sit causatum ab ipsa causa, et consequenter quod sit esse distinctum a proprio esse quod causa in se habet; et ita dicitur dependentia effectus a causa, pendere enim in suo esse ab alio proprie est habere esse distinctum ab illo et participatum seu aliquo modo fluens ab esse illius.

[3] Cf. ARISTOTELES, *Metaph.* 1.5 1.1; STUS. THOMAS in hunc locum; SUÁREZ, DM 12 s.1; cf. etiam FONSECA, *In V Metaph.* c.1.

657. Ex quibus hae differentiae inter principium et causam deducuntur:

a) Principium latius patet quam causa, utpote quod est ratio generica causae.

b) Causatum a causa necessario pendet; non tamen omne principiatum a principio.

c) Causatum a causa realiter etiam quoad essentiam realem distinguitur; non tamen necessario omne principiatum a principio, etsi quaedam distinctio realis inter principium et principiatum intercedat necessarium sit.

d) Causatum contingens et finitum est; non vero necessario principiatum.

658. Effectus, ex oppositione ad causam, est *id in quod aliud influit esse per se,* ubi verus et positivus influxus per se requiritur, praesupposita distinctione reali essentiae realis inter influens esse et effectum; unde effectus natura posterior est causa. Quoad prioritatem vero temporis, causa formaliter, seu actu causans, simul est ac effectus, etsi mere entitative considerata potest prior effectu etiam tempore esse. Inter causam et effectum realis datur distinctio, etiam quoad entitatem naturae, saltem inadaequata iuxta naturam ipsius causae. Inter causam et effectum realis mediat relatio in causalitate fundata.

659. Causalitas est id quo causa in actu formaliter et immediate constituitur ut causans; hoc autem nihil aliud est quam influxus ille quo unaquaeque causa in suo genere actu influit esse in effectum. Hic vero influxus necessario oportet ut sit aliquid distinctum in re a ratione ipsius causae, cum possit res illa quae causa denominatur, in re manere sine hoc actuali influxu. Non potest autem hic influxus esse sola relatio praedicamentalis causae ad effectum: nam haec, qualiscumque illa sit, resultat ex influxu ipso causae ut terminato ad effectum, unde est aliquid prius illa relatione, quid medium inter entitatem et relationem causae. Quid autem haec causalitas sit in unoquoque genere causarum considerandum erit.

660. Occasio est *id ad cuius praesentiam causa inducitur ad agendum.* In eo vero *differt a causa,* quod ad huius rationem influxus causalis necessario pertinet; occasio vero

talem influxum non necessario includit, saepe tamen illum habet, etsi vera occasio dari potest quae nullum exerceat influxum causalem. Caeterum, occasio, etiam cum influxum causalem exercet, non est causa perfecta adaequata et sufficiens, sed insufficiens, et saepissime etiam mediata.

661. CONDITIO est *id quod ad agendum requiritur, quod tamen esse non influit;* saepe enim ad hoc ut causa effectum habeat, praeter ipsius virtutem influxivam, aliquid aliud requiritur, cuius est non proprie esse influere, sed virtutem causae aliquo modo praeparare, applicare, et hanc virtutem prohibens removere. *Duplici* capite *differt a causa*: primum est quod causa influit, conditio non influit sed positive influxum causalem a se excludit; secundum, consequenter, variata causa necessario variatur actio seu causalitas; non vero variata conditione. In eo vero ab occasione differt, quod haec rationem causae non excludat, conditio vero causa esse non possit; e contra, occasio necessaria non est ad agendum, saepe autem conditio est quid absolute necessarium ut agens agere possit.

662. Scholion. Nisi mysteria divina per revelationem agnita fuissent, non tanta cura distinctio inter causam et principium per se esset proponenda, sola enim ratione dixissemus *principium per se influens* veram esse causam. In mysterio autem Trinitatis Pater vere communicat essentiam divinam Filio, uterque Spiritui Sancto; sic Filius est a Patre procedens et ab utroque Spiritus Sanctus; ideoque Pater est Principium Filii, et Pater et Filius sunt Principium Spiritus Sancti; sed tamen nec Pater est causa Filii, nec Pater et Filius sunt causa Spiritus Sancti, non enim datur distinctio realis in essentia, cum una eademque perfectissime essentia divina communis sit tribus divinis personis realiter distinctis, et consequenter nec datur vera dependentia quae necessario per influxum causalem suboritur. Quomodo autem haec omnia explicentur, Theologorum est, quantum humana ratio, per fidem illuminata, investigare potest.

ARTICULUS II

DIVISIONES CAUSAE, SPECIATIM DE DIVISIONE IN QUATTUOR MEMBRA

663. Causa potest esse *prima,* quae a nulla dependet, a qua tamen caeterae omnes causae dependent. *Secunda* autem est quae dependenter a prima operatur; possunt vero a secunda etiam aliae causae dependere.

664. Potest etiam esse *intrinseca,* quae causat tamquam pars intrinsece effectum constituens; *extrinseca* vero quae a suo termino saltem formali et immediato adaequate distinguitur.

665. Causa *adaequata,* sive *totalis,* illa est quae sola potest esse influere, quantum sufficit ut effectus exsistat; *inadaequata* vero, seu *partialis,* quae alterius causae consortio eget ut effectum exsistere faciat.

666. Causa *in actu primo est* potens causare nondum tamen causans; et poterit esse in actu primo *proximo,* si omnia praerequisita ad agendum adsunt, *remoto* vero si nondum omnia praerequisita adsunt. Causa *in actu secundo* est quae actu causat et influit.

667. Divisio causae in *per se* et *per accidens* duplici sensu intelligitur:

a) Causa *per se* illa est quae per propriam entitatem, qua talem, vere esse influit; *per accidens* vero, quae influit solum in quantum cum alia causa coniuncta est, quae proprie et per se esse influit; sic scriptor est causa per se scriptionis, per accidens vero cantus.

b) Causa *per se* est, quae ex intentione operatur et influit esse; *per accidens* vero quae, etsi vere influit esse, id tamen praeter intentionem accidit; sic agricola est causa per se culturae agrorum, per accidens vero inventionis thesauri.

668. Causa *immediata* est qua nulla datur effectui propinquior; *mediata* vero quae influit in aliam causam effectui propinquiorem. Si haec *mediata* nullo modo immediate effectum producat, dicitur *pure* mediata: non vero pure mediata si simul etiam ipsum effectum immediate producat.

669. Divisio celeberrima illa est quadrimembris qua causa dividitur, inde ab ARISTOTELE, in *efficientem, formalem, materialem* et *finalem.* Haec divisio, proposita ab ARISTOTELE [1], in omni philosophia scholastica praevaluit unanimi fere consensu. Haec divisio causarum a diversitate modi influendi esse desumitur, cum ad habendum ens compositum concursus harum quattuor causarum sit necessarius: Nam

a) Ut fiat illud quod non erat, necessario requiritur aliquod agens, capax producendi talem effectum; illud enim

[1] 2 *Phys.* c.3; 5 *Metaph.* c.2.

quod fit, nequit sibi dare quod non habet, sicut nequit simul quoad idem esse et non esse. Ens actu, sine cuius actione effectus non produceretur, vocatur causa efficiens.

b) Ut causa efficiens agat talem effectum determinatum debet et ipsa, dum agit, esse determinata. Determinatur autem agens qua tale a bono ad quod tendit quatenus illud appetit. Illud bonum ad quod agens tendit est finis; et in quantum influit ut effectus sit hic et non alius, est causa, sc. causa finalis.

c) Effectus vero est in se talis, quatenus est intrinsece determinatus ad talem gradum perfectionis per suam formam. In entibus autem materialibus, forma est principium intrinsece determinans, a quo essentia habet quod sit talis perfectionis: sic est causa formalis.

d) Alterum principium intrinsecum a quo eadem essentia habet quod sit quantitativa, multiplicabilis intra eamdem speciem, est causa materialis (cf. n.206,b).

His vero causis productio cuiuscumque entis redditur intelligibilis, explicatur enim cur hoc ens fiat et cur tale fiat[2].

Nota vero non inde dici concursum harum quattuor causarum necessarium esse ad productionem cuiuscumque entis; sed in productione entis non aliam ultra quattuor has causas intercedere. Quodsi de causa exemplari quaeratur, ad supradictas eam reduci posse ostendemus (cf. infra n.758).

670. Circa hanc divisionem notandum est *a)* eam non esse immediatam, nam prior esse posset divisio in causam intrinsecam, quae sub se materialem et formalem includeret, et extrinsecam, quae finalem et efficientem importaret; *b)* neque esse *atomam,* sed ulteriores etiam patitur divisiones, ut supra vidimus; *c)* esse vero, ut communiter dicitur, adaequatam, quia per illam, ut notavimus, satisfit omnibus interrogationibus quae circa efficientiam alicuius rei quaeri solent, nimirum *a quo, ex quo, per quid et propter quid; d)* has autem causas non necessario inter se ita distingui ut necessario etiam diversa subiecta requirant; sed una realitas potest in se quattuor causas verificare, ut anima spiritualis quae respectu hominis est forma, respectu suarum facultatum est causa materialis, respectu actionum suarum est efficiens, respectu suarum facultatum est etiam finalis; *e)* eam, communiter haberi ut divisionem analogam.

[2] ARNOU, *Met. gen.* p.199.

671. *Principia quaedam* circa causam.

a) *Effectus* non quamcumque *causam postulat* sed *sufficientem* vel adaequatam; ideoque effectus non potest superare virtutem ac perfectionem suae causae adaequatae.

b) *Quidquid est in effectu est aliquo modo in causa adaequata,* nempe vel *formaliter et virtualiter* vel *eminenter. Virtualiter* contineri effectum in causa est adesse in causa virtutem proportionatam effectum producendi. *Formaliter* contineri effectum est causae inesse perfectionem effectus secundum eumdem conceptum et rationem. *Eminenter* demum continetur effectus in causa, quando haec non continet perfectionem illius secundum eamdem rationem et conceptum, sed excellentiori modo: Si ad effectum concurrunt plures causae, quae adaequatum principium illius efficiant, planum est non requiri ut in singulis reperiatur tota perfectio effectus [3].

c) *Propter quod unumquodque tale et illud magis,* quod axioma intelligendum est de his quae sunt unius ordinis seu in eodem genere causae; imo de his quae graduum sint capacia, et quibus formaliter convenit praedicatio et perfectio quae uni propter aliud inest.

d) *In causis per se ordinatis procedi nequit in infinitum* quin veniatur ad primam. Causae per se ordinatae intelliguntur quarum alia pendet ab alia tum in essendo, tum in causando [4].

672. Tandem, cum multiplici hac causa multiplex prioritas relationem habet, quam breviter exponemus.

Prioritas logica convenit obiecto, quod nos in alterius cognitionem inducit.

Prioritas ontologica, de qua in Metaphysica, rebus in se spectatis convenit. Distinguitur potissimum:

a) Prioritas *temporis,* quae est proprissima et hinc vox transfertur ad alias prioritates denominandas.

b) Prioritas *naturae* vel causalitatis, quae inter causam et effectum intercedit.

c) Prioritas *originis* quae inter personas divinas intercedit, quippe quarum una ab alia procedit, attamen absque causalitate.

---

[3] Cf. Cuesta, *Ontologia* p.435.
[4] Cf. Urráburu, n.385 p.1096-1101.

d) Prioritas *metaphysica,* qua unum alterum praecedere concipitur, quocum quidem realiter identicum est, cuius autem ratio ontologica est. Sic essentia metaphysica prior est proprietate sua [5].

CAPUT II

De causis extrinsecis

ARTICULUS I

DE CAUSA EFFICIENTE EIUSQUE DIVISIONE

673. ARISTOTELES, 2 *Phys.* c.3; 5 *Metaph.* c.2; S. TH., ibid., et *S. Theol.* 1 q.49; q.104 a.1; q.105 a.5; CAPREOLUS, 4 *Dist.* 1 q.1; CAIETANUS, *In S. Theol.* 1 q.45 a.5; et 3 q.62 a.1 et 4; SUÁREZ, DM 17 s.1-2; I. A STO. THOMA, *Phys.* p.1.ª q.26; DE BACKER, *De causis entis finiti* disp.2; DE REGNON, *La Métaphysique des causes* l.3; QUILES, *La esencia de la filosofía tomista* p.402; DELMAS, *Ontologia* p.668ss; HUGON, *Metaph. ontol.* tr.4 q.2 a.5.

674. Nexus. Iuxta hanc divisionem fundamentalem quadrimembrem in duo capita quaestiones de causa reducemus; quorum in primo de causis extrinsecis, hoc est de efficiente et finali, in altero de causis intrinsecis, hoc est de materiali et formali, quaedam principaliora breviter exponemus.

675. CAUSA EFFICIENS ad rationem genericam *principii* pertinet, estque, hoc sensu, id a quo aliquid procedit aliquo modo; modus vero quo procedit est per intrinsecam habitudinem, est ergo principium *per se,* ita ut vere alteri *esse* communicet ideoque vera est causa. Nunc autem, quo haec causa specificatur et a reliquis causis distinguitur est peculiaris modus *esse* alteri communicandi, qui est *per actionem* seu operationem suam.

Definitio aristotelica causam efficientem dicit *id unde primum principium est mutationis aut quietis.* In qua definitione *primum principium* non est necessario intelligendum de causa prima; sed primum in proprio ordine, et quidem in ordine exsecutionis realis, cum in ordine intentionali prior sit causa finalis. Hoc sensu, *primum principium* est quodammodo specificativum causae efficientis, distinguitur enim et a causa finali, quae ad ordinem intentionalem pertinet, et a causa for-

[5] Cf. DONAT, *Ontologia* n.400.

mali, forma enim per influxum causae efficientis producitur, et a causa materiali, cuius influxus est posterior influxui causae efficientis. Imo, per particulam *unde* indicari videtur haec causa esse extrinseca, quod non competit causae materiali et formali. Tandem, illa mutatio, quam ARISTOTELES dicit, sensu latiori intelligenda est, ita ut etiam creationi applicari valeat, hoc est, cuicumque effectioni rei.

Quae omnia sic breviter in hac definitione colligi possunt: *Causa efficiens est principium per se (extrinsecum) a quo primo est actio vel effectio rei.*

Unde quod a causa efficiente proprie et immediate procedit est ipsa actio, qua posita effectus profluit dependenter a causa. Quod quidem in effectu quamdam insufficientiam et contingentiam arguit, quatenus non habet esse nisi dependenter ab alio, siquidem de non esse ad esse non nisi per actionem alterius transire valet.

676. CAUSALITAS causae efficientis alia esse non potest nisi ipsa *actio,* haec enim illam actu constituit agentem et causantem ita ut iam hic effectus sit ab hac causa dependens.

677. *Divisiones causae efficientis.* Causa efficiens potest *prima* vel *secunda* esse; *adaequata* vel *inadaequata, mediata* vel *immediata*... quae divisiones faciles ex superius dictis de causa in genere intelliguntur.

678. Praeterea potest esse *universalis,* cuius vis ad omnes prorsus effectus producendos sese extendit; quod si sint omnes prorsus effectus sine ullo limite, tunc erit *absolute* universalis; si vero sint omnes alicuius ordinis, tunc erit universalis *relative. Particularis* ea est quae sive unius sive plurium specierum distinctarum effectus producere potest.

679. Potest etiam esse *physica,* et est quae vere et realiter virtute propria et per se producit effectum; *moralis* vero est (nisi ut *libera* intelligatur) quae non exsequitur virtute sua effectum, sed tantum inducit ac determinat aliam causam ut effectum exsequatur. Haec *moralis* a causa *finali* facile distinguitur: moralis enim operatur quia est iam actu; finalis vero influit ut obtineatur et sit.

680. Ulterius esse potest *necessaria,* quae adstantibus omnibus praerequisitis non potest non taliter agere; *libera* vero

quae adstantibus omnibus praerequisitis potest agere vel non agere vel aliter agere.

681. *Naturalis* causa efficiens intelligitur illa cuius operatio non excedit vires activas et exactivas totius naturae; *supernaturalis,* e converso, est illa cuius actio excedit vires activas et exactivas totius naturae.

682. *Univoca* dicitur quae effectus producit eiusdem speciei infimae, quare dicitur effectum continere formaliter; *aequivoca* producit effectum diversae speciei, et hunc continet eminenter.

683. Divisio alia attentius consideranda est illa in *principalem et instrumentalem.* Quodammodo solus Deus est causa principalis cui caetera omnia tamquam instrumenta subiiciuntur; etiam suppositum dici potest causa principalis, cui omne principium agendi substantiarum tamquam instrumentum submittitur; et, in genere, quaecumque causa sub alia agit huius instrumentum dici potest. Sed magis stricte loquendo, *instrumentum,* in sententia communi, hoc saltem importat, causam quamdam alteri subordinatam, quae dicitur principalis, qua haec utitur ad effectum aliquem obtinendum qui propriam facultatem ac virtutem talis instrumenti excedit. Circa naturam instrumenti plures sunt opiniones:

a) *Principalis* est illa quae attingit effectum praecipue intentum; *instrumentalis* illa quae non attingit huiusmodi effectum ut sibi improportionatum, sed solum dispositive conducit ad illum, aliquid praevium efficiendo, quo materia disponatur ad terminum actionis causae principalis obtinendum. Sic MASTRIUS [1].

b) *Principalis* est illa quae propria virtute influit in effectum; *instrumentalis* illa quae aliena virtute operatur; virtus enim causae principalis, in qua instrumentum operatur, est aliquid fluens nec perseverans in eo, sed tamdiu solum durans, quamdiu durat actio et usus actualis instrumenti; et videtur aliud non esse, quam influxus et efficacitas a principali agente impressus instrumento, ut ad effectum praecipue intentum concurrat. Sic aliqui Thomistae.

c) Communius autem Thomistae dicunt *principalem* causam eam quae per se ac sine motione alterius vim habet operandi; instrumentalem vero, quae solum agit ut mota ab alio.

[1] *Physica* disp.7 q.5 a.2 n.72ss.

d) *Instrumentalis* est illa quae concurrit seu elevatur ad producendum effectum se nobiliorem, seu ultra mensuram propriae perfectionis et actionis; *principalis* autem quae producit effectum sibi aequalem aut inferiorem, ita ut non egeat speciali iuvamine superioris agentis.

684. Circa hanc varietatem sententiarum, haec videntur tenenda: Causa *instrumentalis* est essentialiter partialis et inadaequata; et ita quidem inadaequata ut sit insufficiens non modo quantitative sed etiam qualitative; inde influxum requirit non sibi aequalem sed sibi superiorem. Quod instrumentum operetur in virtute causae principalis, significat instrumentum de se improportionatum esse et insufficiens ad effectum, et solum posse concurrere iuxta mensuram virtutis et elevationis causae principalis; id vero non significat causam instrumentalem per se non suo gradu concurrere, ideoque videntur prima et secunda sententia reiiciendae, si quidem nimis attenuant influxum causae instrumentalis. Nec ad hanc elevationem videtur necessaria intrinseca mutatio ipsius instrumenti per receptionem in se virtutis causae principalis ut requirit tertia sententia; elevatio enim eo solum explicari et intelligi potest, quod causa instrumentalis virtutem propriam exerceat, improportionatam quidem ad effectum, sed cum coniuncta sit cum causa principali, etiamsi nihil sibi intrinsece inhaerens recipiat, valet effectum sibi superiorem producere.

685. *Effata* quaedam circa causam efficientem:

a) *Nihil agit nisi in quantum est actu;* nam quod non exsistit aut caret principio operationis operari non potest.

b) *Operatio sequitur esse,* seu *modus operandi sequitur modum essendi;* operatio enim priorem exsistentiam principii supponit et aliunde non potest superare causam. Potest vero causa libera sibi inferiorem operationem quandoque exercere.

c) *Nihil agit ultra suam speciem,* nempe in ordine rerum naturali.

d) *Omne agens agit sibi simile,* agens enim agit ut communicet suam similitudinem vel ut imprimat suam formam; quod intelligendum est de causa per se et quidem principali. Ratio vero ea videtur esse praecontinentia effectus in causa.

e) *Quanto causa est altior tanto communior et efficacior et profundior est ac de remotiore potentia reducit ad actum* [2].

[2] Sic S. Th., *Metaph.* 7 lect.8 c.

ARTICULUS II

DE REALITATE CAUSAE UBI DE PRINCIPIO CAUSALITATIS

Thesis 29. Principium causalitatis est certissimum, ideoque conceptus causae est obiective realis.

686. ARISTOTELES, 2 *Physic.* c.3; 4 c.1; 1 *Metaph.* c.3; 5 c.1-7 et 9; S. TH., *Commentarium* in citatos arist. libros; *S. Theol.* 1 q.2 a.3 ubi de tertia via; q.48 a.1; q.106 a.5; q104 a1; q.85 a.6 2 *C. Gent.* c.15; III c.69; SUÁREZ, DM 17; cf. DM 1 c.6; 29 s.1 n.20ss; DE BACKER, *Disp. met. de causis entis finiti* disp.2 et 3; DE REGNON, *La métaphysique des causes* l.3 (Paris 1906); MANSER, *La esencia del tomismo* c.3 n.4; FUETSCHER, *Die ersten Seins-und Denkprinzipen* (Innsbruck 1930); *Acto y potencia* c.20 et 21; GEYSER, *Das Gesetz der Ursache* (München 1933); DESCOQS, *Instit. Metaph. gen.* 476-578; J. HESSEN, *Das Kausalprinzip* (Augsburg 1928); DROEGE, C. SS. R., *Der analytische charakter des Kausalprinzips* (Bonn 1930); DE RAEYMAEKER, *Philosophie de l'être, La causalité dans le monde* (Louvain 1946); CUESTA, *Ontologia* p.409-424; MICHOTTE, *La perception de la causalité* (Louvain-Paris 1946); GARRIGOU-LAGRANGE, *Dieu* p.170-185; *Le sens commum;* ROIG GIRONELLA, *Investiagaciones metafisicas:* I. P. *Carácter analítico y sintético del principio de causalidad* (Barcelona 1948); I. QUILES, *La esencia de la filosofía tomista* p.383ss.

687. Nexus. Hucusque notiones et divisiones causae ita exposuimus ut non attenderemus ad earum obiectivitatem, potius, hanc supponentes doctrinam de causis iuxta traditionem scholasticam evolvimus. Sed ipsa ratio causae contra impugnationes modernas defendenda est, quo etiam nexus intrinsecus causalis clarior reddetur.

688. *Principium causalitatis* est enuntiatum necessitatem causae efficientis pro certis quibusdam conditionibus formulans. *Principium,* quidem, in ordine cognitionis, etsi in ipso ordo rei quoad fieri pronuntiatur.

689. Hoc principium multifariam enuntiari potest:

a) *Quidquid fit causam habet;* vel *nihil fit sine causa;* vel, *nihil transit a non esse ad esse sine causa.*

b) *Non datur effectus sine causa;* vel, *omnis effectus habet causam.*

c) *Quidquid exsistere incipit, efficientem sui causam habet;* vel, *quidquid incipit, habet causam;* vel *incipiens habet causam efficientem realiter distinctam ab incipiente.*

d) *Omnis exsistentia contingens habet causam;* vel *quidquid contingenter exsistit, causam sui efficientem postulat ut exsistat;* vel, *quidquid non a se exsistit, efficientem sui causam requirit ad hoc ut exsistat;* vel, *contingens habet causam sui efficientem realiter a se distinctam.*

690. Si hae formulae inter se comparentur, duae primae ut axiomaticae et evidentissimae habendae sunt imo et tautologicae; siquidem in conceptu ipso tou *fieri* implicatur tota ipsa realitas causae et causalitatis; si enim aliquid vere *fit,* aliquid vel aliquis adest qui aliud *facit,* cui consequenter *esse* communicat. Pariter, si vere datur *effectus,* cum hic necessario respicientiam ad causam implicet, iterum principium devenit evidentissimum et axiomaticum. Si vero *tertia formula* in examen ducitur, ea quidem certissima est, non vero sese ad totam causalitatem extendit; mere enim philosophice ostendi non potest impossibilem fuisse creationem ab aeterno; ideoque dari potuisset quod non inciperet esse, habuisset tamen causam sui efficientem. *Quarta* vero *formula* sub hoc respectu plene omnes casus attingit, siquidem etiam creatum ab aeterno esset contingens, et contingentia ostenderet radicem suae insufficientiae ad exsistendum et necessitatem causae efficientis. Quoad usum, vero, tertia formula admitti potest, illo semper notato de possibilitate efficientiae ab aeterno.

691. Status quaestionis. *a)* In primo Libro proposuimus et defendimus principium rationis sufficientis, cuius valorem ad omnem prorsus ordinem extendendum ostendimus, ita ut etiam ipsa exsistentia, in fieri considerata, rationem sufficientem habere debeat; unde quidquid exsistit habet rationem sufficientem suae exsistentiae etiam dynamicae consideratae. Iam vero, talis ratio sufficiens est aut in intrinseco rei, ita ut ex ipsa sua natura exsistentia sufficienter explicetur, aut ex extrinseco.

b) Casus hic considerandus est ille in quo ratio sufficiens exsistentiae ab extrinseco venit; inde hoc apparet quod res exsistere inceperit, aut saltem contingens sit, ideoque non est se sufficiens ad suae exsistentiae plenam rationem.

c) Proprie quaeritur quidnam sit illud extrinsecum quod rationem sufficientem talis inceptionis reddat. Non vero solvendos sumimus singulos casus, ita ut rationem singularem omnium quae exsistere inceperint concrete quaeramus, sed potius legem proponimus generalem, quae facti specifice sumpti naturam et internam connexionem explicet.

d) Inde principium causalitatis, etsi in sua forma est cognoscitivum, legem vero enuntiat obiectivam ordinis realis, iuxta quam nihil esse incipit quin causam habeat quae ipsi esse indiderit. Hoc ergo principium proprie causam ef-

ficientem attendit, cuius est actione extrinseca aliquid aliud a non esse ad esse revocare, cooperantibus forte etiam aliis causis.

e) Hoc principium in suo valore formali proponitur ut *absolutum* et independens ab omni conditione; non enim forma hypothetica enuntiatur: "si aliquid incipit exsistere" tunc necessaria lex est exigens causam efficientem; sed absolute. Unde principium proponitur ut validum etsi nunquam aliquid esse inceperit, ideo etiam ante primam cuiuscumque entis finiti creationem.

f) *Exsecutio* vero principii est quodammodo conditionata; verificatur enim lex, si de facto aliquid incipit exsistere. Proinde veritas et absoluta certitudo principii stare potest quin de facto ulla sit causa.

g) Quare ulterius quaeritur si conceptus causae quem proposuimus supra, obiectivus sit: hoc est, utrum in ordine realitatis aliquid sit, cui conceptus causae vere et realiter applicari possit; quod tunc obtinebit, si de facto lex principii causalitatis verificata est; non enim quaeritur tantum de causa in actu remoto, qualis Deus fuerat in tota aeternitate ante creationem, sed de causa in facto esse, quam effectus consecutus est.

h) Non tamen hic quaestio potius Critica proponitur de natura huius principii, utrum ut analyticum tenendum sit, an potius ut syntheticum, an ut inductivum tantum.

692. Sententiae. *a)* Antiquitas philosophica valorem principii causalitatis et obiectivitatem causae palam agnovit, exceptis tantum *Scepticis* ac nominatim AENESIDEMO et SEXTO EMPIRICO, iuxta quem causalitas est quid subiectivum cum causa et effectus tantum relationes indicent; causa nec ante effectum, nec eodem tempore, nec post effectum exsistere valet [1].

b) PLATO principium explicite enuntiavit; ARISTOTELES amplissime de causis est loquutus; etiam PLOTINUS et *Neoplatonici* veram causalitatem agnoverunt. Et post hos tota traditio usque ad mediaevum.

c) *Philosophia Scholastica,* duce STO. THOMA, in omnibus suis formis agnovit etiam principium causalitatis et ve-

[1] *Pyrrhonicarum institut.* l.3 c.5; *Adv. Phys.* l.1 c.3.

ram rationem causae. Etiam Arabici hanc traditionem propugnaverunt [2].

Si vero principium sub hac forma proponatur: "Quidquid movetur ab alio movetur", plurimae disputationes sunt inde ab HENRICO GANDAVENSI subortae, cum non pauci adessent qui universalitatem talis principii admittere cum suis omnibus consequentiis nollent, quae disputatio etiam usque ad nostra tempora invaluit.

d) Inter moderniores Philosophos, NICOLAUS DE BEGUELIN (1714-1789), natione Helvetus, Academicus Berolinensis, confundit principium causalitatis cum principio rationis sufficientis; affirmat tale principium non esse analyticum, quia in eo fit transitus ad realem exsistentiam; non esse certum, cum in eo demonstrando vitiosus circulus habeatur; non esse totum, cum ex eo fatalismus et libertatis ruina sequatur [3].

e) Empirismus anglicus multa de hoc principio et de realitate causae disputavit.

LOCKE (1632-1704) causam per meram praecedentiam unius phaenomeni respectu alterius explicuit. Non inde tamen deduci posse videtur negatio omnis prorsus causalitatis apud LOCKE, quia ex facto nostrae exsistentiae concludit ad exsistentiam entis aeterni.

HUME (1711-1776) praecipuus adversarius principii causalitatis et causae habendus est inter *Sensistas*. Iuxta eum illud principium "quidquid incipit exsistere debet causam suae exsistentiae habere" declarat ut fundamento destitutum; omnis enim certitudo ex comparatione idearum et ex inventione relationum inter eas inalterabilium exsurgit: hae autem relationes sunt: *similitudo, quantitas et numerus, gradus alicuius qualitatis, oppositio.* Harum nulla in enuntiata propositione invenitur. Non ergo est intuitive certa. Praeterea, intuitive ostenditur propositionem illam nec intuitivam nec certam esse: nam ut esset certa requireretur demonstrare impossibilitatem

[2] Inter Arabicos citatur ut adversarius ALGAZEL, qui etsi aliquando obscure loquutus, tamen etiam sufficienti claritate in favorem causae in genere sese expressit: "Nec hoc dicimus nisi quia hoc accidens essentiae vel est causatum vel non, sed si non fuerit causatum, tunc habet esse per se; quidquid autem habet esse per se, nec destruitur ad destructionem alterius, nec ponitur ad positionem alterius, accidens vero ad esse suum eget eo cui est accidens sine dubio. Igitur non habet esse per se. Ergo est causatum. Et eius causa vel est in essentia subiecti vel extra essentiam subiecti, et haec divisio perfecta est sine dubio... Unde impossibile est ut essentia sit causa essendi; omnis igitur essentia (quidditas) habet insuper esse; eius igitur causa est praeter essentiam (quidditatem) eius. Necesse est enim causam esse ad hoc ut faciat debere esse aliud..." (ALGAZEL'*s Metaphysics.* A Mediaeval Traslation. Edited by R. J. T. MUCKLE, C. S. B., p.30-31).

[3] *Acta Academiae Berol.* 1775, vol.1 p.3-14.

incipiendi exsistere sine principio productivo; hoc autem demonstrari non potest, quia idea causae separabilis est ab idea effectus. Sed hoc principium exortum est ex simplici experientia et observatione successionis; experientia vero non dat nexum internum. Origo ideae causae sic explicatur: Causa et effectus non sunt ad modum qualitatis alicui obiecto inhaerentis; idea causalitatis debet derivari ex aliqua relatione: quaenam illa est? Obiecta quae dicuntur a nobis causa et effectus sunt quidem obiecta contigua: haec contigüitas percipitur ut essentialis ad notionem causae. Praeterea aliqua prioritas in tempore ex parte causae respectu effectus observatur. Etsi haec prioritas sub controversia sit, tamen ea est pro HUME tam ex experientia quam ex ratione admittenda. Ex attenta analysi experientiae nullam aliam praeter has duas relationes detegere possumus: habetur contigüitas et successio. Hae tamen duae relationes ex se solae non sufficiunt ad ideam causae explicandam in qua includitur etiam quaedam connexio necessaria inter causam et effectum: sed ope memoriae observamus nexum constantem inter illa obiecta, quae dicimus causam et effectum. Nulla autem ratio inveniri potest ad talem nexum asserendum, nisi associatio idearum facta in nostra imaginatione propter unam ex his tribus relationibus, *similitudinis, contigüitatis, successionis.* Idea ergo causae et effectus reducitur ad memoriam quae dicit talia obiecta semper inter se unita fuisse et inseparata; ulterius vero intimam connexionem penetrare impossibile est [4].

STUART MILL (1806-1873) simili modo de causa loquitur. Magni quidem principium causalitatis facit, et notionem causae tenet ut radicem et fundamentum totius doctrinae de inductione. Sed totum fundamentum rationis causae et principii causalitatis est ordo constans phaenomenalis inter antecedens et consequens; data vero quadam sensatione, exsurgit quaedam idea substantiae cum qua constanter tales sensationes coniunguntur; haec idea substantiae dicitur causa talium sensationum: sed nexus ille causalis non est obiectivus sed tantum psychologicus [5].

f) KANT formulae causalitatis veteri alteram hanc voluit subrogandam: "Unum phaenomenon necessario apprehenditur ut consequens aliud ex invariabili regula." Hoc autem

[4] *Treatrise of human Nature* 1.1 pars 3.ª s.4-7. Cf. expositionem huius systematis apud MARÉCHAL. *Le point de départ...* 2 p.167ss.
[5] *System of Logic, Rationative and Inductive* 1.3 et 4.

principium non est analyticum, sed syntheticum a priori; praedicatum enim seu conceptus causae, vel phaenomeni antecedentis, minime continetur identice in subiecto seu in conceptu eventus reive quae incipit. Sed est iudicium syntheticum, quia in eo conceptus praedicati conceptui subiecti extraneo et diverso additur; a priori autem, eo quod sit iudicium necessarium, universale et independens ab experientia, quam antecedit facitque possibilem. Oritur hoc principium per synthesim categoriae causae et effectus cum 'schemate' sensibili successionis regularis. Principium ergo valorem habet mere subiectivum; ideoque, si rebus transphaenomenalibus applicatur, ducit ad conclusiones transcendentes ideoque problematicas.

g) Recens Philosophia, quae in intuitione fundatur et realitatem ut continuo fluentem docet, causalitatem et principium causalitatis ut quid subiectivum tantum existimat, quod a reali fieri prorsus alienum est et tantum ordinem phaenomenicum regit, quatenus intellectus realitatem stabilem concipit et distinctam in causam et effectum.

h) Non parva pars *Scientificorum modernorum* etiam stricte dictam causalitatem negant, causalitas enim leges naturae supponit, hae vero certo detegi et probari non possunt, cum totus ordo naturae tantum legibus staticis subiiciatur, nec illa fixitas in processibus haberi possit quae iuxta principia causalitatis necessario haberetur.

i) Inter modernos *Neoscholasticos* magni quidem habetur principium causalitatis cuius certum valorem omnes admittunt. Sed quaedam disputationes circa eius evidentiam, probationem, naturam ortae sunt: disputatur enim utrum hoc principium directe vel indirecte ad principium contradictionis reducatur, an potius ad principium rationis sufficientis, an independens et primarium habendum sit; item de natura eius, utrum analytica an synthetica sit. De quibus quaedam in Scholio.

693. Nostra sententia: imprimis principium causalitatis ut certissimum tenemus, quatenus aliquam obiectivam insuperabilem necessitatem exprimit. Sensu saltem latiori principium habemus ut analyticum. Causam vero realem esse pariter certissimum tenemus, ita ut doctrina haec de causalitate in genere unum ex praecipuis fulcimentis philosophiae sanae, antecedenter ad omne systema consideranda sit.

694. Probatur 1. *Principium causalitatis.* Quod incipit exsistere, antequam inciperet exsistere, erat mere possibile; *atqui* merum possibile nequit exsistentiam sortiri nisi aliud ens eam sibi communicet; *ergo* quod incipit exsistere necessario postulat aliud ens a quo exsistentiam accipiat, seu causam.

Maior: nam aut erat impossibile aut mere possibile. Non impossibile, nam dein incepit exsistere; *ergo* mere possibile.

Minor duplici ratione ostenditur:

a) Merum possibile, et pariter etiam contingens, ex se indifferens est ad exsistendum; *atqui* quod ex se indifferens est ad exsistendum, nequit exsistere nisi ab alio determinetur; *ergo* merum possibile requirit aliud ens a quo ad exsistendum determinetur, nempe causam.

b) Merum possibile, et pariter contingens, ex se insufficiens est ad exsistendum; *atqui* quod est ex se insufficiens ad exsistendum nequit exsistere nisi ab alio haec insufficientia suppleatur; *ergo* merum possibile nequit exsistentiam sortiri nisi aliquod aliud ens eam sibi communicet. *Minor* haec: Illa enim sufficientia non potest venire a propria essentia exsistente, ex hypothesi, cum de re agatur quae nunc incipit exsistere, et ratio huius inceptionis quaeratur. Neque venit ab essentia possibili, quae est nihilum actuale nullam habens exsistentiam. Praeterea, si ipsa essentia possibilis esset ratio sufficiens exsistendi, omnia possibilia exsisterent, aut saltem ratio sufficiens esset danda de non exsistentia, qua ostenderetur cur quaedam non exsisterent; sic ens contingens ens fere necessarium deveniret, sed simul contradictorium, cum deberet exsistere sed non exsisteret et quidem sine ratione sufficiente.

Confirmatur ex sensu communi omnium, homines enim consensu universali et invincibili iudicant omne quod incipit exsistere habere causam sui. Factum hoc etiam ab adversariis admittitur, cum eius explicationem quaerunt; sed in ea exquirenda implicite principium admittunt, causam enim quaerunt cur haec persuasio hominum inceperit.

695. 2. *Realitas causae.* 1) *Ex principio causalitatis*: nam si dantur aliqua quae inceperint exsistere, datur et causa; *atqui* dantur quae inceperint exsistere, ergo dantur et causae; *ergo* conceptus causae est realis.

2) *Ex experientia interna*: nam conscientiae testimonio

constat nos et in anima nostra et in corpore nostro et in rebus extra nos varias et multiplices modificationes ad libitum producere, et prorsus ad libitum saepe vel maiorem vel minorem membrorum motus ciere; *atqui* eo ipso conscientiae testimonio constat conceptum causae esse obiective realem; *ergo* conceptus causae est obiective realis.

Maior: Conscientia nobis testatur nos saepe ad libitum producere in nobis cogitationes, iudicia, ratiocinia, actus voluntatis... Testatur etiam ad libitum nostrum motus corporeos in nobis provocare, surgendi, sedendi... et per eos etiam modificationes externas producere ut cum scribimus, aedificamus, transferimus; item hos actus quoad intensitatem et remissionem a nostra voluntate dependere.

Minor: In conscientia enim horum actuum continetur proprium *ego* ut principium vere et realiter illas modificationes producens eisque actione sua exsistentiam communicans; conscientia enim praebet illos actus ut a nobis pendentes quoad initium exsistentiae, quoad durationem et qualitatem; imo, conscientia testatur nos in illis omnino aliter habere ac in aliis casibus in quibus ipsa conscientia nostram passivitatem testatur; unde conscientia clare dicit illas modificationes exsistentiam ex nostra activitate sortiri, quod quidem rationem causae efficientis implicat.

3) *Confirmatur experientia externa,* quae etiam plurima praebet quae incipiunt exsistere ut flores, fructus, animalia, homines, artefacta innumera; quae omnia exsistentiam a nihilo sortiri non possunt, nec a se ipsis cum nondum erant, ergo ab alio quod ipsis exsistentiam vere communicet.

4) *Confirmatur* tandem *ex absurdis* quae ex non admissa causa sequerentur, tam in scientiis, quae vere tales non essent; quam in modo agendi communi hominum, in artibus technicis, in tota ordinatione vitae individualis et socialis.

696. Scholion 1. *Circa rationem principium causalitatis demonstrandi,* non parvae sunt disputationes ortae inter auctores neoscholaticos. Sunt enim qui principium causalitatis directe vel indirecte ad principium contradictionis reducere conentur, alii vero talem reductionem impossibilem dicunt. Hanc alteram positionem defendit A. DE MARGERIE [6] cui plures auctores consenserunt ut A. BOUYSSONIE [7], FONSE-

[6] A. de MARGERIE, *Le principe de causalité est-il una proposition analytique ou une proposition synthétique a priori?:* Congrès scientifique international des catholiques tenu a Paris en 1888, t.1 p.267-286.

[7] A. BOUYSONNIE, *La raison et les principes premiers:* Ann. de la Phil. chré-

GRIVE [8], et alii. Alii vero contrarium tenuerunt ut DOMET DE VORGES [9], FARGES [10] et alii. Post articulos a J. LAMINNE [11] publicatos, controversia renovata est, ipsi enim responderunt P. DE MUNNYNCK [12], BITTREMIEUX [13] et alii. Disputatio etiam inter recentissimos adhuc viget; ex. gr. CUESTA, qui tenet "principium causalitatis, sicut omnes aliae veritates, esse reductibile ad principium contradictionis. Nam 'incipiens exsistere sine causa' importat contradictionem, siquidem quod exsistit sine causa extra se, debet esse necessarium; si autem necessarium est, semper debuit exsistere, et proinde numquam potuit incipere exsistere" [14]. Contra vero HELLÍN, qui recensitis duabus positionibus, addit: "Nos sequimur primam opinionem, scilicet non posse demonstrari ex principio contradictionis". Examinatis argumentis a contrariis propositis, continuat: "Haec omnia dicta sunto, non ad infirmandum principium causalitatis, ut patet, sed contra ad ostendendum illud principium habere tantam vim, ut non desumat firmitatem ex alio, sed ex sua propria et immediata evidentia" [15]. Res quidem non facilis, cuius solutio forte inveniri potest in diverso modo rem proponendi; qui enim principium causalitatis ad principium contradictionis reducunt non illud intendunt, quod principium in se evidentiam non habeat, eamque ab alio praestitam requirat, sed in ipsis suis terminis, si negetur, implicari contradictionem. Qui vero nolunt talem reductionem admittere, id intendunt, quod evidentia principii causalitatis in ipsa sua natura radicetur, quin novum principium afferendum sit cuius luce res evidens evadat. Nos quidem, si in tanta varietate opinari licet, aestimamus evidentia propria hoc principium causalitatis gaudere, eo praecise

---

tienne 42 (1900) p.140-158.314-331; *De la réduction a l'unité des principes de raison:* RevPhil 13 (1908) 107-122.

[8] G. L. FONSEGRIVE, *La causalité efficiente* (Paris 1893). Similis sententiae sunt etiam Al. v. SCHMID, J. B. VINATI et alii.

[9] E. DOMET DE VORGES, *Le fondement de la notion de causalité; De fundamento notionis causalitatis:* DivThom (Pi) (1888) 428-433.437-442.

[10] A. FARGES: *Nouvel essai sur le caractère analytique du principe de causalité:* RevThom (1897) p.598-608; *Acte et puissance* p.180-192. Fere eodem tempore similem sententiam pronuntiaverunt V. ERMONI, TH. ESSER O. P., J. FUSIER.

[11] J. LAMINNE, *Le principe de contradiction et le principe de causalité:* RevNéoscolPh 19 (1912) 453-488.

[12] DE MUNNYNCK O. P., *La racine du principe de causalité:* RevNéoscolPh 21 (1914) 193-211.

[13] BITTREMIEUX, *Notes sur le principe de causalité:* RevNéoscolPh 22 (1920) 310-329. Pariter KREMER, et R. GARRIGOU-LAGRANGE tam in opere suo *Le sens commum* quam in *Dieu* (p.170-182).

[14] CUESTA, *Ontologia* p.420.

[15] HELLÍN, *Theologia naturalis* p.148ss. Clarissimus hic Auctor tenet "principia contradictionis et causalitatis esse principia prima et independentia" (ibid. p.150).

quod negato principio in contradictionem veniendum sit; non tamen ideo iudicamus principium contradictionis esse superius et evidentius principium; forte principium causalitatis non est nisi casus peculiaris tam principii contradictionis quam principii rationis sufficientis.

697. Scholion 2. Sub aliis terminis eadem fere disputatio apud auctores, praecipue germanos orta est, utrum nempe principium causalitatis *analyticum* an potius *syntheticum* dicendum sit. Fere qui reductionem huius principii ad principia contradictionis et rationis sufficientis negant, simul etiam characterem analyticum principii reiiciunt. Imo ISENKRAHE de evidentia principii dubitavit [16]; HESSEN vero, cum causalitatem nec mediate nec immediate iustificare posset, declaravit esse postulatum in realismo [17]. ENGERT iustificationem inductivam quaesivit [18] sicut etiam BECHER [19]. Praecipuus vero hac in re est GEYSER, qui post plura tentamina, in quibus diversimode iustificationem principii causalitatis conatus est, videtur tandem per reflexionem in facta humana interna causalitatis fundamentum posuisse, quin argumentum hoc inductivum esse admitteret [20]. Characterem analyticum denegant etiam DESCOQS [21], DE VRIES [22] et alii. Sunt vero plurimi qui reductibilitatem ad principium contradictionis admittentes, simul etiam characterem analyticum principii agnoscunt ut URRÁBURU, DE BACKER, DELMAS, DROEGGE, GREDT, MARITAIN, NINCK, MERCIER, FRICK, SLADECZEK, ARNOU, DEZZA, CUESTA et alii quam plures. Cum Auctores qui reductibilitatem principii causalitatis ad principium contradictionis reiiciunt iidem fere sint, qui etiam characterem analyticum principii negent, inde videtur quaedam intimior explicatio differentiae requirenda. Qui characterem analyticum admittunt omnes fere expresse notant, analyticum esse quidem non vero strictissimo illo sensu, quem KANT et alii requirunt, nempe ita ut in subiecto formaliter et immediate

[16] C. ISENKRAHE, *Ueber die Grundlegung eines bündigen kosmologischen Gottesbeweises* (1915).

[17] HESSEN, *Das Kausalprinzip.* Cf. FRANZELIN, *Sind die Grundlagen unserer Gotteserkenntnis erschüttert* (Wien 1929); etiam contra HESSEN scripserunt T. A. GRAV, ST. L. von SKIBNIEWSKI...

[18] ENGERT, *Zur Kritik der Gottesbeweise:* Boner ZeitsTheolSeel 4 (1927) 1ss.

[19] Citatur a HESSEN, *Das Kausalprinzip* p.162-7.

[20] GEYSER, inter plura quae de his scripsit, sufficiat hoc citare: *Das Gesetz der Ursache.* Untersuchung zur Begründung des allgemeinen Kausalgesetzes (München 1933). Cf. FAULHABER, *Zum augenblicklichenstand des Kausalproblems:* Philosophia Perennis 1 p.413-430.

[21] DESCOQS, *Instit. Metaph. gener.* p.554ss.

[22] DE VRIES, *Denken und Sein* p.107ss.

etiam praedicatum exprimatur; sed vere analytico sensu, quatenus evolutior analysis subiecti necessitatem praedicati cum quo comparatur, ostendit. Sunt etiam qui de analysi *extensiva* loquantur, sicut SENTROUL et ROIG GIRONELLA. Itaque, si principium analyticum sumitur, ut principium in quo praedicatum ex analysi terminorum apparet necessario a subiecto requiri in eoque sive virtualiter sive formaliter contineri, tunc principium causalitatis est analyticum, quod a classicis dicebatur *principium per se notum* etiam quoad nos. Si vero principium analyticum intelligitur illud fere tautologicum in quo praedicatum formaliter continetur in subiecto, tunc concedi potest principium causalitatis non esse analyticum. Inde tamen non est expressio illa adhibenda, esse principium syntheticum a priori, siquidem haec nimis transcendentalismum kantianum sapit.

698. Obiectiones. 1. Causa externa incipientis propterea postularetur, quia aliter ratio sufficiens incipientis non adesset; *atqui* adest ratio sufficiens, nempe ipsa haec exsistentia incipiens; *ergo* non alia causa requiritur.

Dist. min. Exsistentia incipiens est ratio formalis qua differt incipiens a non incipiente, *conc.;* est etiam ratio sufficiens cur ipsa exsistentia inceperit esse, *nego.* Ad rem, et quoad argumenta quae moventur, valde notandum est exsistentiam quidem sufficienter explicare, cur res exsistat, exsistit enim per exsistentiam quam habet; sed in principio causalitatis quaeritur praecise *cur exsistentiam habeat et unde;* illa ergo ipsa exsistentia incipiens, qua incipiens exsistit, explicanda est.

2. Iudicium causalitatis ab experientia et inductione pendet; *ergo* experimentale est nec valorem illum absolutum et universalem habet.

Dist. mai. Quatenus experientia et inductio materiam praebent ad abstractionem ope rationis factam, *conc.;* ad inductionem mere talem, quae ex factis saepe iteratis praedicatum cum subiecto connecti inducit, *nego.*

3. Principium causalitatis aut est lex a priori mere subiectiva, aut est mere experimentalis et inductiva; *ergo* non habet valorem absolutum. Nam aut experientiam attendit aut non. Si non eam considerat, a priori est et sine fundamento obiectivo; si eam considerat tunc necessario inductiva est, quia experientia non ostendit connexionem causalem.

Nego anteced. Ad probationem eligo alterum membrum et *dist.*: experientiam considerat mere experimentaliter, *nego;* addita reflexione abstractiva rationis, *conc.;* et ad rationem additam, pariter *dist.*: experientia sola sine rationis influxu non ostendit connexionem causalem, *conc.;* simul cum ratione, *nego.*

4. Principium causalitatis exstruitur ex persuasione qua fingimus connexionem causalem; *atqui* talis persuasio est erronea; *ergo.*

Dist. mai. Ex persuasione pure experimentali quae meram apparentiam ostendit, *nego;* ex persuasione unita cum ratiocinio de natura incipientis, *conc. Contradist. min.*

5. Iudicium in quo ad exsistentiam fit transitus experimentale est; sed causalitatis iudicium ita se habet; *ergo* experimentale est.

Dist. mai. Si sit iudicium factum exsistentiae particularis affirmans, *conc.;* si sit iudicium legem intrinsecam ordinis exsistentialis ostendens, *nego. Contradist. min.*

6. Idea causae valida est pro phaenomenis de quorum causalitate et causatione habemus experientiam; *atqui* ex hac inductione incompleta non licet efformare principium necessarium et universale; *ergo* principium causalitatis nequit admitti ut principium necessarium et universale.

Dist. mai.: valida est tantum pro illis si nulla reflexio intellectualis de natura causae et incipientis exsistere addatur, *conc.;* si addatur, *nego. Contrad. min.*

7. Plura sunt phaenomena scientifice comprobata, speciatim in mundo microphysico, quae casu et sine lege fixa deveniunt; *atqui* id non deveniret si principium causalitatis vere et metaphysica necessitate vigeret; *ergo* tale principium nec certissimum nec universale est.

Dist. mai. Plura deveniunt sine ulla lege a nobis scientifice cognita et comprobata, *conc.;* sine ulla lege in se, *nego.* Non enim exinde quod progressus scientificus hodiernus leges cuiusdam ordinis ignoret, deduci potest tales leges non exsistere; unde non est conclusio scientifica tales leges non dari, sed tantum ignorari, etsi ulterius scientia conetur, quasdam quasi leges probabiles formulari, quae pro hodierna scientifica investigatione ordinanda et dirigenda sufficientes sint.

ARTICULUS III

De occasionalismo

Thesis 30. Res creatae non modo occasiones, sed verae causae efficientes esse possunt.

699. S. Th., 1 q.105 q.115 a.1; *3 C. Gent.* c.9; Caietanus, *Comm. in S. Theol.* 1 c.; Ferrariensis, *In III C. Gent.* c.69; Suárez, DM 18, s.1; Malebranche, *De la recherche de la vérité;* J. Vidgrain, *Le christianisme dans la philosophie de Malebranche* (Paris 1923) ubi ampla bibliographia; Gouhier, *La philosophie de Malebranche et son experience religieuse* (Paris 1926); Wehrlé, *Malebranche:* DTC.

700. Nexus. Etsi causalitatem efficientem in genere nuper ostendimus, ideoque realitatem causae, nunc peculiariter de causa efficiente *creata* agendum est, cuius efficaciam aliquando negatam invenimus.

701. Notiones. *Occasionalismus* est doctrina eorum qui realitatem causae creatae negantes, totam efficaciam soli Deo

tribuunt, qui solus, occasione a creatis data, operantur. Distingui potest triplex occasionalismus:

a) *Rigidissimus,* qui tam spiritibus quam corporibus omnem efficientiam denegat.

b) *Rigidior,* qui saltem spiritibus quamdam efficientiam concedit.

c) *Benignus,* qui solis rebus vita carentibus omnem efficientiam abiudicat.

702. Status quaestionis. *a)* Realitatem quidem causae ostendimus, eam tamen nullatenus specificavimus utrum creata an increata fuerit, saltem formaliter, etsi de facto causa probata creata fuerit. Nunc autem formaliter de ipsa creata causa qua creata quaerimus, utrum ipsi vera et propria causalitas assignanda sit.

b) Punctum ergo difficultatis esset hoc: Positis omnibus praerequisitis ut ens creatum agat, utrum hoc sit quod per se et per propriam actionem effectui esse influat; an e contra, tota apparens actio entis creati consideranda sit ut mera occasio, non causalis, ad cuius praesentiam solus Deus agat qui sit solus effectui esse influens.

c) Sed non de quacumque causalitate agitur, sed proprie quaeritur utrum res creata vere causa *principalis* dici debeat, etsi secunda; hoc est, ea virtute instructa sit, talemque de facto exerceat causalitatem quae sufficiens sit ad effectum proportionatum producendum, quin elevari ab altiori virtute debeat ad talem effectum.

d) Quaestio in genere proponitur; sufficit enim hoc in loco probare rationi entis creati non repugnare causalitatem efficientem etiam propriam causae principalis; dein Psychologia superior et inferior, Cosmologia ostendent quaenam peculiariter causae sint admittendae, et quisnam proprius earum effectus.

703. Sententiae. a) *Philosophi Arabes* quidam dixerunt Deum tantum esse causam. Sic in *Mutakallimum* et iuxta quosdam dogmaticos, quorum doctrina sic a STO. THOMA proponitur: "Ex hoc autem quidam occasionem errandi sumpserunt, putantes quod nulla creatura habet aliquam actionem in productione effectuum naturalium: ita scilicet quod ignis non calefacit, sed Deus causat calorem praesente igne; et si-

militer dicunt in omnibus aliis effectibus naturalibus [1]... AVICENNA [2] vero posuit formas substantiales ab intelligentia agente effluere. Accidentales autem formas esse ponebat materiae dispositiones, quae ex actione inferiorum agentium materiam disponentium proveniebant: in quo a priore stultitia declinabat... Propter has igitur rationes ponit AVICEBRON in libro *Fontis Vitae* [3] quod nullum corpus est activum; sed virtus substantiae spiritualis, pertransiens per corpora, agit actiones quae per corpora fieri videntur. Quidam etiam *Loquentes* in lege Maurorum dicuntur ad hoc rationem inducere, quod etiam accidentia non sint ex actione corporum, quia accidens non transit a subiecto in subiectum. Unde reputant impossibile quod calor transeat a corpore calido in aliud corpus ab ipso calefactum: sed dicunt omnia huiusmodi accidentia creari a Deo" [4]. Sententiam AVICEBRONIS alibi amplius explicat: "Et ad hoc inducit tres rationes: quarum prima est quod omne agens post Deum requirit subiectam materiam in quam agat; corporali autem substantiae non subiicitur aliqua materia, et sic videtur quod agere non possit. Secunda est quia quantitas impedit actionem et motum: cuius signum ponit, quia multitudo quantitatis retardat motum et addit corpori gravitatem; et ita substantia corporalis quae est implicita quantitati, agere non potest. Tertia ratio est, quod substantia corporalis est remotissima a primo agente, quod est agens tantum et non patiens, substantiae autem mediae sunt agentes et patientes; unde oportet substantiam corporalem, quae est ultima, esse patientem tantum et non agentem" [5].

b) Doctrina vero temporibus recentioribus soli Deo causalitatem tribuens dicitur *Occasionalismus*.

1) *Cartesianismus* ansam huic doctrinae dedit, quatenus CARTESIUS negat quidquam in mundo corporeo effici praeter motum localem ab ipso Deo rerum initio impressum, addita passiva resistentia, vi cuius corpora in eo statu, in quo ab agente extrinsece ponuntur, quantum est de se remanent; unde nonnisi subiecta et receptacula motus mechanici esse videntur sine propria intrinseca et efficaci activitate. Inde post cartesianismum grave problema de mutuo influxu inter cor-

[1] Cf. AVERROES, *In IX Metaph.* text.7; *In XII Metaph.* text.18.
[2] AVICENNA, *Metaph.* tr.9 c.5.
[3] AVICEBRON, *Fons vitae* tr.2,9; tr.3,44.45. Hanc opinionem Avicebronis pluries Stus. Thomas explicat: cf. locos citatos initio.
[4] MAIMONIDES, *Guía de los descarriados* I c.73. Refert S. THOMAS in 3 *C. Gent.* c.69.
[5] S. THOMAS, *De pot.* q.3 a.7.

pus et spiritum apparuit, quod a LEIBNIZ per praestabilitam harmoniam solutum fuit.

2) CLAUBERG est inter primos occasionalistas habendus, qui cartesianismum in Germaniam introduxit.

3) Primus vero proprie Occasionalista fuit GEULINCX (1625-1669), qui anno 1646 profesor Lovaniae est renuntiatus, expulsus vero dein propter doctrinas erroneas, et calvinista effectus. Origo doctrinarum eius in difficultate est ad mutuam actionem inter corpus et animam explicandam, quam solvit asserendo Deum solum esse causam, res creatas occasiones tantum esse actionis divinae.

4) Occasionalismum perfecit et auxit MALEBRANCHE (1638-1715), Berullianus. Conatus erat synthesim inter Augustinismum et Cartesianismum instituere, sibi enim problema a cartesianismo propositum de relatione inter animam et corpus solvendum proponebat.

De hac quaestione in opere *De inquirenda veritate* profuse pertractat. Iuxta MALEBRANCHIUM, idea causae aut potentiae agendi repraesentat nobis aliquid divinum; potentia summa est summum Numen; potentia inferior apparet ut Divinitas inferior sed vera quidem. "Aliquid igitur divini admittitur in omnibus corporibus quae nos ambiunt, dum admittuntur formae, facultates, qualitates, virtutes et entia realia idonea ad producendos quosdam effectus vi naturae suae: atque hoc pacto plerique, veneratione qua colunt Philosophiam Ethnicorum, in ipsorum opiniones sensim sine sensu revertuntur. Illi equidem fide sustinentur, sed si cor Christianum sit, forsan merito dicere possumus mentem esse paganam." Praeterea, potentiae quae in nos agere possunt, aliquo amore aut timore dignae sunt: amor vero et timor est vera adoratio. Nulla ergo corpora, magna, parva, praedita esse vi sese movendi evidens est. Praeterea, "nullam videmus connexionem necessariam, inter illarum (mentium) voluntatem et motum ullius corporis; contra, videmus nullam mentem creatam posse movere ullum corpus, ut causam veram aut praecipuam". "At vero cum attendimus ideam Dei... cognoscimus talem connexionem inter ipsius voluntatem et motum omnium corporum esse, ut nemo concipere possit... Sola igitur ipsius voluntate corpora moveri dicere debemus"; "itaque corpora per se omni actione destituta sunt." Corporum visibilium aut

invisibilium motu omnia produci constat... Omnes igitur naturae vires nihil aliud sunt quam Dei voluntas.

Non modo corpora, sed nec mentes, etiam nobilissimae, possunt esse causae, quia in eadem versantur impotentia. Nihil possunt cognoscere, nisi Deus illuminet; nihil possunt sentire, nisi Deus eas modificet; nihil possunt velle, nisi Deus eas versus se moveat. Causae ergo naturales non sunt verae causae; nihil sunt quam causae occasionales, quae non agunt nisi vi et efficacia voluntatis divinae. Causa vera est causa inter quam et effectum mens deprehendit connexionem necessariam. Iam, nullum est ens inter cuius voluntatem et effecta mens deprehendat connexionem necessariam praeter ens infinite perfectum. Deus igitur solus est vera potentia. Deus ipse creaturis potentiam suam communicare nequit, si rationis lumina sequamur; non potest efficere ut sint verae causae; illas non potest facere veros deos. Sed etiamsi id posset, concipere non possumus cur id vellet. Si Religio nos docet unicum esse verum Deum, haec philosophia nos docet unicam esse veram causam [6].

704. **Nos** autem hanc sententiam cum Divo Thoma *stultam* appellare possumus, cum doctrinam evidentissimam neget; et cum Suárez etiam *temerariam* et *erroneam*, cum sententia contraria sit iuxta doctrinam Catholicam certissima; ideo certo tenemus etiam res creatas esse de facto veras causas efficientes.

705. Probatur. a) *Ex experientia interna.* Idem argumentum quo ex hoc capite propositum est ad probandam realitatem causae, pari modo hic etiam valet, cum ibi de facto causa demonstretur creata.

b) *Ex absurdis* quae posito occasionalismo sequerentur: nam

1) Nullus esset *scientiarum naturalium valor,* quae totum suum fundamentum in activitate reperiunt; imo, inventa stupenda scientiarum nostrorum dierum essent consideranda ut gravissimi errores.

2) Nulla esset *differentia inter corpora viventia et non viventia,* cum vita in operatione immanente maxime consistat; omnes praeterea activitates vitales, quae a philosophia ut ab-

[6] Malebranche, *La recherche de la vérité* l.6 p.2.ª c.3: *De errore periculosissimo Philosophiae veterum.*

solute a vivente ponendae consideratae fuerant, nunc iam Deo essent tribuendae, ideoque non essent vitales.

3) Nulla esset *differentia inter hominem et brutum* nisi in externa structura organorum, quorum tamen nullus esset intrinsecus finis. Activitates nostrae intelligendi, volendi... essent fallaciae nostrae conscientiae.

4) Nulla esset *teleologia in realitate,* cum organa quae ad finem aliquem creatae videntur, nullum intrinsecum haberent finem; nec adesset mutua coordinatio entium superiorum et inferiorum, nec ordo intrinsecus in natura...

5) Nostra activas nullum haberet *valorem moralem;* nec enim proprie essemus nos auctores occasionum, siquidem omnis activitas occasionem ponens non nostra sed etiam ipsa esset solius Dei; inde nulla responsabilitas, nulla libertas, nullum meritum, nulla culpa, nulla sanctio.

6) Indeque deesset *ratio sufficiens* ut tot qualitatibus corpora ornarentur; ut tot organa perfectissima in entibus vitalibus adessent; ut tot facultatibus spiritus praeditus esset, ut tot conditiones pro activitate singulorum requirerentur, ut tandem nihil horum ageret, sed solus Deus.

706. *Confirmatur* 1) *ex ratione a priori*: quia habere vim agendi non repugnat rebus creatis, sed potius est maxime consentaneum perfectioni et constitutioni tam physicae, quam physiologicae et psychologicae earum, Deus enim unamquamque rem in natura sua perfectam condidit; ideoque negandum non est creasse tales res, quae habeant connaturalem virtutem agendi. Nulla probabilis ratio persuadet necessitatem infinitae perfectionis ad omnem actionem; non ergo ostendi potest efficacitatem realem ex parte virtutis activae finitae repugnare[7].

2) *Ex auctoritate* DIVI THOMAE, qui pulcherrime docet internam foecundidatem gradui entitativo perfectionis proportionalem, ita ut omne ens simpliciter dici queat agens: "Quod dat alicui aliquod principale dat eidem omnia quae consequuntur ad illud... Facere autem aliquid actu, consequitur ad hoc quod est esse actu, ut patet in Deo; ipse enim est actus purus et est prima causa essendi omnibus... Si igitur communicavit aliis similitudinem suam quantum ad esse, in quantum res in esse produxit, consequens est quod communicavit eis similitudinem suam quantum ad agere, ut etiam res creatae habeant proprias actiones. Amplius. Perfectio effectus determinat perfectionem causae; maior enim virtus perfectionem effectus iuducit. Deus autem est perfectissimum agens. Oportet igitur quod res ab Ipso creatae perfectionem ab eo consequantur. Detrahere ergo perfectioni creaturarum, est detrahere perfectioni divinae virtutis. Sed, si nulla creatura habet aliquam actionem ad ali-

[7] Cf. SUÁREZ, DM 18, s.1 n.8.

quem effectum producendum, multum detrahitur perfectioni creaturae; ex abundantia enim perfectionis est quod perfectionem quam habet possit alteri communicare. Detrahit igitur haec positio divinae virtuti. Item, sicut est boni bonum facere, ita summi boni est aliquid optime facere. Deus autem est summum bonum... Igitur eius est facere optime omnia. Melius autem est bonum quod, alicui collatu. sit multorum commune quam quod sit proprium, quia bonum commune semper invenitur esse divinius quam bonum unius tantum. Sed bonum unius fit multis commune, si ab uno in alia derivatur; quod non potest esse, nisi in quantum diffundit ipsum in alia per propriam actionem; si vero potestatem non habet illud in alia transfundendi, manet sibi ipsi proprium. Sic igitur Deus rebus creatis suam bonitatem communicavit ut una res quod accepit possit in aliam rem transformare. Detrahere ergo actiones proprias a rebus creatis est divinae bonitati derogare. Adhuc, substrahere ordinem rebus creatis est eis substrahere id quod optimum habent; nam singula in se ipsis sunt bona, simul autem omnia sunt optima propter ordinem universi; semper enim totum melius est partibus et est finis ipsarum. Si autem a rebus substrahantur actiones, substrahitur ordo rerum ad invicem; rerum enim quae sunt diversae secundum suas naturas non est colligatio in ordinis unitatem, nisi per hoc quod quaedam agunt et quaedam patiuntur. Inconveniens igitur est dicere quod res non habent proprias actiones"[8].

707. Scholion 1. Haec doctrina, nuper a STO. THOMA exposita circa activitatem entis creati, maximi momenti est pro philosophiae traditionalis defensione contra impugnationes modernorum. Saepe enim dicitur philosophia traditionalis dynamicitatem entis non agnovisse, sed ens finxisse omnino staticum. Certe, si dynamismus entis eousque perferendus est, ut tota realitas quoad totam suam substantiam in perpetuo fluxu constituatur, tunc certe philosophia traditionalis non poterit tales conclusiones admittere, etsi praesta sit ad intimam activitatem nuclei etiam substantialis admittendam; non inde tamen deduci poterit ille continuus et creativus fluxus quem modernus Vitalismus metaphysice toti naturae, maxime viventi, imponit. Sed tamen verum dynamismum entis, iuxta quem ratio ipsa entis includit rationem virtutis effectivae, philosophia sana et traditionalis semper amplexa est, eamque profundissimis, ut nuper ex STO. THOMA audivimus, rationibus ex ipsa divinitate haustis fundavit et confirmavit.

708. Scholion 2. *De indole et effectu proprio causae secundae.*

a) Causae secundae *indigent quidem concursu* causae primae, non tamen quia causae creatae non sint in suo genere com-

[8] S. THOMAS, 3 *C. Gent.* c.69.

pletae, aut suo effectui proportionatae, sed ob dependentiam essentialem in operando, quae ipsis essentialis est, licet sint in se completissima causa in suo ordine. Potest ergo virtus causae secundae, ita completa esse in suo genere, ut nihil requirat aliud nisi concursum illum causae primae, quem postulat, quia est virtus participata et quia effectus ab ea producendus est essentialiter ens per participationem, quod ex vi ipsius participati requirit influxum primi entis.

b) Iuxta STUM. THOMAM rem saepe pulchre evolventem, Deus est causa ipsius esse, creatura vero est causa effectus sub aliquo aspectu particulari. Ideo causa efficiens creata non potest habere pro obiecto formali suae activitatis ens contingens *ut tale.*

c) Quando causa secunda effectum producit, Deus quodammodo dici potest causa partialis illius effectus; etiam tunc in ordine causae primae agit ut causa completa, cuius officium est concurrere cum causa secunda; tamen effectus totus etiam a Deo pendet; dicitur vero causa partialis non ex defectu potentiae, sed quia liberrime decrevit agere iuxta indolem creaturae; quae postulat adiuvari.

d) Sed etiam posito hoc concursu divino, dicendum est causas secundas esse, non mere instrumentales, sed vere principales; instrumentum enim effectum producit sibi superiorem et quidem virtute causae principalis; causae secundae, e contra, etsi potentiam naturalem quam habent, a Deo habeant, et concursum omnipotentiae requirant, continent tamen virtualiter suos effectus eisque sunt proportionatae, et quidem non in virtualitate passiva, sed activa. Ideo, cum effectus faciant proportionatos suae formae, et per virtutem propriam operentur, quam habent receptam cum natura, dici debent verae causae principales.

709. Obiectiones. 1. Conceptus supremae potentiae agendi est conceptus supremae divinitatis: *ergo* conceptus inferioris potentiae activae erit conceptus cuiusdam divinitatis inferioris; unde qui causis naturalibus suas asserunt activitates et actiones, videntur incaute paganos imitari, qui quaedam inferiora numina fingebant summo Jovi subiecta. His causis timor et amor debetur, hoc est adoratio; *ergo* causis creatis vera efficientia deneganda est.

Quoad primum negando consequentiam, non enim omnis activitas spectat praecise et immediate divinitatem. Pariter de timore et amore, non enim omnis timor et amor est adoratio.

2. Causa dicitur quae communicat esse; *atqui* solius Dei est esse communicare; *ergo* solus Deus causa esse potest.

Dist. mai. Causa dicitur solum quae communicat esse qua esse, *nego;* etiam quae communicat esse qua esse et tale esse, *conc. Ad min. contradist.* Ad productionem quidem entis creati tam Deus quam creatura concurrit, ita ut Deus et creatura totum effectum producant; quodsi ratio propria unicuique causae tribuenda sit, tunc Deus, in quantum prima causa, communicat esse qua esse, creatura vero in quantum causa secunda communicat talitatem esse.

3. Virtus agendi videtur infinitam perfectionem prae se ferre. *Ergo* nequit creatae causae competere.

Dist. ant.: virtus agendi quae sit perfectissima et ab omni alia independens, *conc.;* quae sit imperfectior et ab alia dependens, *nego.*

4. Causare res idem est ac communicare exsistentiam entibus quae nihil sunt ante quam causentur; *atqui* hoc solius divinitatis est; *ergo.*

Dist. mai. Est communicare exsistentiam entibus quae nihil sui sunt ante quam causentur, *conc.;* quae nihil sui et subiecti sunt, *subdist.;* si de causatione creativa agatur, *conc.;* si de eductiva, *nego. Contradist. min.*

5. Res creatae a solo Deo pendent essentialiter, *ergo* a solo Deo efficiuntur.

Dist. ant. A solo Deo dependent tamquam a causa prima, *conc.;* tamquam a causa secunda, *nego.*

6. Causa quae eget concursu alterius superioris dicitur instrumentalis. A. causa creata concursu divino indiget, *ergo* aut non operatur, aut, si operatur, erit ad summum causa instrumentalis.

Dist. mai.: causa quae indiget concursu superioris ad effectum sibi improportionatum et superiorem, *conc.;* ad effectum sibi connaturalem et inferiorem, *nego.* Nam concursus divinus quae creaturae necessarius est, non ideo debetur quia creatura improportionata sit perfectioni sui effectus, sed ex dependentia quam in agendo creatura habet a Deo. Agit vero propria virtute quae effectui proportionalis est in ordine causae secundae.

ARTICULUS IV

De causa finali

Thesis 31. Principium causalitatis est certissimum et finis est veri nominis causa.

710. Aristoteles, 2 *Phys.* c.3; 5 *Metaph.* c.2; S. Th., *Comm.* in citatos locos arist.; 1 *C. Gent.* c.44; 3 *C. Gent.* c.2; 1-2 q.1ss; Caietanus, *Comm. in I-II* q.1ss.; Ferrariensis, *Comm. in III C. Gentes* c.2; Suárez, DM 23-24; Leibniz, *Discours de Métaph.;* De Backer, *Disput. Metaph. de causis entis finiti,* d.5. *De causa finali;* Garrigou-Lagrange, *Le réalisme du principe de finalité* (Paris 1932); *Dieu* p.185ss.316ss; P. de Regnon, *Métaphysique des causes* 1.6; Steinbuchel, *Der Zweckgedanke in der Philosophie des Thomas von Aquino:* Beitr-GPhMA (Münster 1912); Maréchal, *Le point de départ de la Métaphysique* 5 p.262-354.

711. Nexus. Tam doctrina de causa efficiente quam de causa finali considerari possunt quodammodo ulterior expli-

catio principii rationis sufficientis; sola enim causa efficiente nondum plene tota ratio sufficiens alicuius entis clarescit, dum in naturam ipsius finalem vel ad intentum agentis non perveniamus. In tractatu ergo de causis, etsi brevissimo et summario, consideratio de fine deesse non potest.

712. Notiones. FINIS iuxta communem rationem inter *causas* reponitur, ideoque concipitur tamquam principium per se influens esse in aliud; huius causae finalis specificativum, est peculiaris illa ratio qua esse influit; quae ratio obscurior est, ideoque accuratius exponenda, non vero eo minus causativa ut ostendemus, siquidem causa finalis quodammodo omnium praecipua dici potest, et maxime rationem originis entis reddens.

Definiri solet *id propter quod aliquid fit,* seu quod idem est, *cuius gratia aliquid fit.* In his definitionibus *propter quod, cuius gratia,* peculiarem modum influendi esse proprium et specificativum huius causae exprimunt; quod vero hoc modo aliquid *fiat* significat veram et realem causalitatem. Finis ergo includit aliquod obiectum respectu cuius ex parte agentis tendentia habetur, quae multiplicis generis esse potest; ad hanc tendentiam obtinendam, ut tandem quiescat, actiones ex parte agentis ponuntur, quae aliquid producunt. Hoc quod producitur dicitur ratione illius obiecti exsistentiam obtinuisse, ideoque esse ex illius influxu habere. Quae accuratius erunt adhuc exponenda.

713. *Divisiones finis.* Finis dividitur in finem *qui* vel *cuius,* illud ad quod obtinendum vel cuius gratia agens movetur ad operandum; et in finem *cui,* hoc est, cui procuratur finis qui intenditur. Hi duo fines interdum ita iunguntur, ut aliquando ex utroque unus integer coalescat finis. Et tandem in finem *quo,* qui est possessio et assecutio actualis boni quod intenditur. Hi tres fines etiam aliter denominantur: finis *qui* etiam dicitur *obiectivus,* est enim obiectum quod intenditur; finis *cui* dicitur *subiectivus,* est enim subiectum cui intenditur obiectum; et finis *quo* dicitur *formalis,* est enim *quo* tandem intentio quiescit ut in termino.

714. Finis etiam potest esse *efficiendus* seu *qui fit,* quem, cum nondum exsistat, agens intendit in rerum natura ponere; et finis *obtinendus,* quem, cum iam exsistat, agens intendit possidere.

715. Finis potest etiam esse *operis,* ad quem actio vel opus suapte natura ordinatur; *operantis* vero quem agens sibi pro lubitu intendit.

716. Huic divisioni affinis est illa alia in finem *intrinsecum,* quem actio, praesertim, intentionalis, intrinsece respicit tamquam sui specificativum; et in finem *extrinsecum* quem actio non ita respicit, quamvis haec ad illum obtinendum utilis esse possit, et de facto dirigitur ab operante.

717. Finis *ultimus* est ille, in quo plene sistit operantis intentio quin ulterius progrediatur; *non ultimus,* ille in quo non sistit agentis operatio, sed ulterius progreditur. Finis vero ultimus potest esse *absolute ultimus,* si in absoluta intentione agentis ille est qui nullo modo ratione alterius intenditur sed cuius ratione omnes alii fines intenduntur; et *relative ultimus,* qui in serie quadam actionum ultimus est et cui reliqui subordinantur.

718. Finis, tandem, potest esse *proximus,* qui primo et immediate intenditur; et *remotus,* qui mediante proximo vel proximiori intenditur.

719. PRINCIPIUM FINALITATIS. a) *Formulis variis* principium finalitatis enuntiatur:

1) *Omne agens agit propter finem.* Est formula classica frequenter adhibita, quae directe afficit naturam ipsam agentis, ex qua ostenditur. Expressius potest hac formula enuntiari necessitas intrinseca agendi propter finem: *Omnia agentia necesse est agere propter finem* [1].

2) *Opus per se ordinatum est propter finem.* Est formula quae potius naturam operis ab agente producti attendit; quoad expressionem, est formula restrictior, et fere tautologica quodammodo dici potest, si illa ordinatio per se intelligitur praecise ordinatio secundum finem aliquem intentum obtinendum.

3) *Quidquid fit, fit propter finem.* Est etiam formula opus ipsum respiciens, sed potius quam in ipsa sua constitutione, mentem in eius origine defigit. Hoc sensu dici potest eadem esse ac prima formula. Aequivalenter dicitur etiam: *Omnis effectus est propter finem:* formula in se obscurior et quae mediationem quamdam implicat, etsi ad praecedentem

[1] S. TH., 1-2 q.1 a.2.

reducitur. Tandem: *Quidquid contingenter exsistit, habet causam finalem:* nam quidquid fit est contingens; sed etiamsi aliquid contingens non proprie inceperit adhuc eius intrinseca natura causam finalem expostulat.

Comparatis his formulis cum formulis principii causalitatis clare et immediate parallelismus apparet inter utrumque principium, unde affirmare licet omne contingens saltem duplicem causalitatem implicare, et efficientem et finalem, ut possit eius ratio sufficiens reddi.

Ex his tribus formulis illa prima videtur logice prior; cum autem magis usitata inter auctores sit et clarior, eam etiam nostrae disquisitionis basim desumimus.

720. b) *Omne agens.* "Distinguamus tria agentia propter finem: Primum et supremum est intellectuale agens increatum, quod est solus Deus. In secundo ac medio ordine sunt agentia intellectualia creata: inter quae nobis notiores sunt homines, et ideo de illis semper loquemur, quamvis eadem ratio sit de intelligentiis creatis. In tertio et infimo ordine sunt agentia naturalia, seu intellectu carentia, quamvis inter ea nonnulla sit differentia eorum quae sensum et appetitum habent et reliquorum" [2].

721. *Modus agendi propter finem* horum agentium est etiam omnino diversus: "Primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicuius finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem quae est eius bonitas... Et ideo ipse solus est maxime liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem" [3]. Quoad alia duo agentia sic idem Doctor Angelicus loquitur: "Haec autem determinatio sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas, ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quae dicitur appetitus naturalis. Tamen, considerandum est quod aliquid sua actione vel motu tendit ad finem dupliciter: uno modo sicut se ipsum ad finem movens, ut homo; alio modo sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit ad finem. Illa ergo quae rationem habent, seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis; illa vero

[2] SUÁREZ, DM 23 s.1 n.8.
[3] S. TH., 1 q.44 a.4 c et ad 1.

quae ratione carent, tendunt in finem propter inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a seipsis, cum non cognoscant rationem finis; et ideo nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur... Et ideo proprium est naturae rationalis ut tendat ad finem quasi se agens, vel ducens ad finem; naturae vero irrationalis, quasi ab alio acta, vel ducta; sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia; sive in finem non apprehensum sicut ea quae omnino cognitione carent"[4].

722. Ex dictis sensus formulae *Omne agens* differt prout de agente intellectuali dicatur vel de non intellectuali: *Agens intellectuale, prout intellectuale agens, agit formaliter propter finem.* Additur *prout intellectuale:* non enim raro homo ex inadvertentia agit, aut fere distractione ductus, quo in casu non agit intellectualiter seu secundum modum suae naturae, et tunc fere comparatur brutis. Imo, "quando homo per seipsum agit propter finem, cognoscit finem; sed quando ab alio agitur, vel ducitur, puta cum agit ad imperium alterius, vel cum movetur altero impellente, non est necessarium quod cognoscat finem"[5]. Nota tandem: "Actio vero quandoque quidem terminatur ad aliquod factum, sicut aedificatio ad domum, et sanatio ad sanitatem; quandoque autem non, sicut intelligere et sentire. Et si quidem actio terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit per actionem in illud factum; si autem non terminatur ad aliquod factum, impetus agentis tendit in ipsam actionem. Oportet igitur quod omne agens in agendo intendat finem; quandoque quidem actionem ipsam; quandoque aliquid per actionem factum"[6].

723. Si autem de agente non intellectuali agatur, sive cognoscens sit materialiter finem (ut bruta), sive non, tunc dicitur: "*Omne agens non intellectuale ducitur in agendo ad finem sive cognoscatur materialiter sive non*". Tunc autem requiritur cognitio formalis finis in eo qui haec agentia irrationalia ducit. Actio ergo horum agentium tandem ad actionem agentium intellectualium reducitur, quo sensu, etiam casus hic ultimus fere eodem modo considerari potest ac casus agentium rationalium.

[4] Ibid. 1-2 q.1 a.2; cf. 3 *C. Gent.* c.2.
[5] Ibid. 1-2 q.1 a.2 ad 1.
[6] S. TH., 3 *C. Gent.* c.2, ubi notat: "sed sciendum quod actiones contemplativae non sunt propter alium finem sed ipsae sunt finis".

724. c) *Propter* finem. Hac particula peculiaris influxus finis in agens indicatur, indeque nunc venit explicanda *causalitas finis,* seu *finalizatio.*

1) Ac in primis finis est aliquod *bonum*; "inde enim manifestum est omne agens agere propter finem quia quodlibet agens tendit ad aliquod determinatum. Id autem ad quod agens determinate tendit oportet esse conveniens ei, non enim tenderet in ipsum nisi propter aliquam convenientiam ad ipsum. Quod autem conveniens est alicui est illi bonum. Ergo omne agens agit propter bonum" [7].

2) Hoc autem bonum debet necessario esse *cognitum,* iuxta effatum "nil volitum quin praecognitum". Finis vero non movet secundum esse quod habet in cognitione; nam etsi finis non indigeat exsistentia reali neque vero esse essentiae, tamen voluntas non tendit in finem ut illum in esse cognito ut sic assequatur, sed ut in illo proprio esse reali, quod in eo apprehendit iuxta eius conditionem, assequatur; unde apprehensio seu iudicium illius convenientiae realis quam bonum habet, proprie et formaliter loquendo, non est ratio movendi seu finalizandi, sed est conditio necessaria per modum approximationis necessariae ad tale genus causalitatis [8].

3) Prima *mera complacentia* quam bonum cognitum in voluntate causat, nondum habet propriam causalitatem finalem, quia ex se non est activa seu inductiva ad aliquid, ideoque nihil causat; complacentia ergo etiam intensissima potest adhuc inefficax esse, merus actus amoris; qui, cum finem ut finem amat, debet ad aliquid inducere, ad electionem et exsecutionem mediorum; per hanc inductionem seu allicientiam primo habetur finalizatio. Haec autem allicientia, etiam hoc primo momento, multiplex esse potest: a′ Quatenus ex intensitate amoris nos et omnia quotquot sunt et esse possunt illi bono penitus dedita volumus, ideoque quodammodo quasi offerimus et dicamus et consecramus; b′ Quatenus quod intensissime amamus, si non exsistat, volumus in exsistentiam ducere illudque efficere; c′ Quatenus illud bonum aut nobis acquirendum volumus aut aliis communicandum.

4) Nulla autem res potest proprie et per intrinsecam denominationem exercere causalitatem finis nisi quae *per se bona sit et expetibilis,* nam de ratione finis est ut alia appe-

[7] Ibid. c.3.
[8] SUÁREZ, DM 23, s.8

tantur propter ipsum, ipsum vero non propter alia [9]; ideo bonum mere utile non est finis.

5) Posita vero motione *metaphorica*, non enim est physica motio, quasi in actu primo ex parte finis in voluntatem, seu illa allicientia finis, causalitas in actu secundo, seu primum aliquid ex fine fluens, est ipsa haec motio metaphorica in actu secundo, quando voluntas ipsa in actu secundo movetur, quae motio in re non est aliquid distinctum ab ipsomet actu voluntatis; una eademque actio voluntatis causatur et a fine et a voluntate ipsa; quae prout est a voluntate est sub causalitate effectiva, prout est a fine est sub causalitate finali [10].

6) Hanc primam motionem series actuum internorum sequi potest, actuum imprimis, circa finem ipsum, dein circa electionem mediorum, in qua deliberatio intervenit quam decisio voluntatis sequitur; dein series actuum externorum venit, qui exsecutionem mediorum ponunt ut finem vel efficiant vel obtineant. Tandem actus voluntatis versantur circa finem iam obtentum, seu possessionem formalem finis [11].

7) Tandem aliquando *causalitas causae finalis* est ipsa actio causae efficientis, tam in ordine intentionis quam in ordine exsecutionis, quatenus provenit ex amore finis. Vocatur *motio*, quia est re vera impulsus et attractio quaedam; *metaphorica*, non quia non sit omnino realis, sed ut distinguatur a motione physica propria causae efficientis.

8) Sic clarescit quomodo finis sit *primum in ordine intentionis*, quatenus initio seriei actuum allicientia metaphorica finis ponitur; *ultimum in exsecutione*, quatenus, obtento fine, omnis ulterior actio suspenditur ut pax, quies et gaudium in possessione boni succedat.

725. Quae hic de causalitate finis dicuntur *aliter sunt de Deo intelligenda*, Deus enim eminentissimo modo amat se propter se et alia propter bonitatem suam absque ulla causalitate finali circa eumdem amorem vel sui vel aliorum. Unde metaphorica motio finis non ita locum habet in divina voluntate sicut in nostra; nam in nostra illa motio dicitur metaphorica sed est vera causalitas, quia in actu propter finem elicito, est vera dependentia ab ipso fine; in divina autem

[9] Ibid. s.6 n.5.
[10] Ibid. s.4 n.7 et 12.
[11] Ibid. s.3.

voluntate non est talis motio metaphorica, sed eminens quaedam amandi ratio, quae sicut est sine distinctione actuum vel potentiarum, ita etiam est sine ulla vera motione etiam metaphorica. Quando ergo Deus dicitur amare se vel alia *propter* bonitatem suam, illa particula *propter* non significat veram causam ipsius amoris, sed rationem tantum voluntatis divinae cur Deus amet. Sicut Deus illo actu quo se amat necessario, libere amat creaturam sine additione vel augmento reali, ita etiam actus, ut terminatus ad Deum, potest dici ratio, nostro modo concipiendi, ut extendatur ad creaturas, nulla interveniente causalitate propria. Sicut terminatio fit eminentissimo modo sine augmento reali, ita etiam sine causalitate reali in Deo[12].

726. Etiam *causalitas* finis *respectu agentium naturalium* explicanda venit; actiones enim eorum sunt propter finem et sunt effectus finalis causae; non tamen ut praecise egrediuntur ab ipsis naturalibus agentibus, sed ut simul sunt a primo agente, quod in omnibus et per omnia operatur, vel prout ipsa proxima agentia substant directioni et intentioni superioris agentis; et ideo non tam dicuntur operari propter finem, quam dirigi in finem a superiori agente[13].

727. *Bruta* vero non cognoscunt formaliter rationem finis aut medii, nec in ipso fine cognoscunt propriam rationem convenientiae, nec discernunt obiectum quatenus est conveniens per se vel propter aliud. Aliquo tamen modo cognoscunt et apprehendunt rem aliquam aut motionem ut sibi convenientem, et naturali instinctu iudicant sibi esse appetendum, prosequendum vel fugiendum tale obiectum. Ex quo fit ut causalitas finis aliquo modo participetur a brutis, quia illa appetitio elicita sine dubio causatur ex metaphorica motione obiectiva boni convenientis, quae non potest ad aliud genus causalitatis revocari. Nihilominus tamen addendum est illam causalitatem adeo esse imperfectam in eo genere, ut sit quasi materialis motio finis potius quam formalis[14].

728. Status quaestionis. *a)* Eo fere modo quo quaestionem de principio causalitatis et de realitate causae proposuimus, quaerimus etiam nunc circa principium finalitatis et realitatem causae finalis.

[12] Ibid. s.9 n.5ss.
[13] Ibid. s.10 n.5.
[14] Ibid. s.10 n.14-5.

b) Ac in primis *circa principium finalitatis,* sensu superius explicato, eius absoluta certitudo investigatur in tota sua universalitate, tam quoad agens Supremum, quam quoad agens intellectuale creatum, quam, tandem, circa agens non intellectuale, sit illud mere naturale, sit etiam cognoscitivum. Principium quidem est in ordine cognitionis, legem vero ordinis obiectivi enuntiat in natura ipsa agentis fundatam.

c) Non tamen implicatur *quaestio de natura* huius principii, utrum analyticum sit necne; quaestio enim, etsi generatim in se complicatior est, hoc in casu adhuc difficilior redditur; eam tamen ad scholion amandamus.

d) Circa realitatem vero causae finalis, hoc quaeritur: utrum realiter influxus detur ex parte finis, ita ut vere et realiter dici possit ipsum alicui dare *esse,* hoc est, aliquid ex eo realiter procedere.

729. Sententiae. a) *Philosophia graeca* inde ab initio ordinem mundi mirata, eiusdem explicationem tum a mechanismo tum a finalismo expetivit. Inter mechanicistas annumerantur EMPEDOCLES (s. V. a C.) et DEMOCRITUS (natus c. 460 a. C.): quae eveniunt sunt antecedentium materiales effectus, omnia vero ex concursu fortuito accidunt. Sic explicat ARISTOTELES: "Sicut caelum pluit (aiebant) non ut frumentum augeat, sed ex necessitate. Quod enim in altum attollitur (vapor aqueus), refrigerari oportet, et refrigeratum, quum sit in aquam mutatum, descendere. Accidit autem ut hoc facto frumentum augeatur. Similiter et si cui pereat frumentum in area, non huius gratia pluit, ut periret, sed hoc accidit. Quare quid prohibet sic etiam partes se habere in natura? veluti dentes necessario oriri, anteriores quidem acutos et ad scindendum aptos, molares latos et ad molendum cibum idoneos? Non enim huius causa factum id esse sed contigisse..." [15]. Caeteri vero philosophi, generatim, finalitatem in rebus agnoscunt; sic ANAXAGORAS, SOCRATES, PLATO et praesertim ARISTOTELES. *Epicurei* potius ad atomismum DEMOCRITI redeunt. *Stoici* finalitatem agnoscunt eamque per divinam mundi animam explicant. *Neoplatonismus* est finalisticus.

b) *Philosophia Scholastica* finalismum clarissime et constantissime docuit, de qua doctrina SUÁREZ scripsit: "Hoc est receptum dogma et quasi primum principium in philosophia

[15] ARISTOTELES, 2 *Phys.* c.9.

et theologia" [16]. Adsunt tamen quaedam expressiones apud OCKAM, quae aliquod dubium implicare videntur, ut cum dicit: "Non potest demonstrari quod omnia propter quae agunt causae naturales cognoscuntur vel diriguntur ab aliquo... Causa mere naturalis quae ex natura sua determinat sibi certum effectum et non alium, non requirit praecognoscentem nec ductorem. Saltem ratio naturalis non concludit quod requirat. Verbi gratia, ignis approximatus ligno calefacit eum, sive hoc intendatur a cognoscente sive non. Et si quaeras quare tunc plus calefacit quam frigefacit, dico quod natura sua talis est" [17]. Etiam NICOLAUS DE ALTRICURIA crisim finalitatis instituit.

c) In philosophia moderna, CARTESIUS neque intrinsecam neque extrinsecam finalitatem negare videtur, asserit tamen abstinendum esse ab investigatione finis: "Nos non sistemus ad examinandos fines quos Deus... in creando mundo sibi proposuerit, et omnino ex nostra Philosophia investigationem causarum finalium reiiciemus: non enim tantum de nobis praesumptionem habere debemus ut credamus Deum nos partes suorum consiliorum fecisse" [18]; ideoque CARTESIUS omnia mechanistice explicare conatur, dicique debet verus institutor mechanicismi moderni.

SPINOZA, mechanicismo cartesiano addictus, finalitatis principium de medio tollit, qui rerum convenientiam a natura quidem divina derivat, non tamen secundum intentionis propositum, sed ex caeca et fatali evolutionis necessitate. Finalium causarum opinionem ex ignorantia ortam duxit, quae causam cum effectu permiscet, Deique excellentiae detrahit [19].

LEIBNIZ, vero, mechanicismo dynamismum et finalismum opponit.

HUME et *Empiristae,* qui omnem causalitatem negant, consequenter etiam causalitatem finalem reiiciunt.

KANT finalitatis principium iudicii *teleologici* nomine designat, quo homines communissime credunt omnia in mundo apte convenire et propter finem exsistere. Hoc vero iudicium non est *constitutivum,* nihil enim confert ad statuendum de naturae finibus ut sunt in se, sed *regulativum,* eo quod facto-

---

[16] SUÁREZ, DM 23, s.1 n.7.
[17] G. OCKAM, *Quodl.* 2 q.2.
[18] DESCARTES, *Principes de Phil.* 1 c.28.
[19] SPINOZA, *Ethica* p.1.ª appendix.

rum observationem apte dirigat, rationisque exigentiam compleat; et potius quam obiectum, exprimit subiectivam necessitatem rem finalistice concipiendi; et enuntiatur: "ex peculiari mentis meae conditione naturam concipere nequeo possibilem, nisi a me supponatur causam dari, quae cum intentione, ideoque intelligenti modo, agat". Principium itaque finalitatis deducitur per quamdam analogiam, quae probari nequit, ex modo procedendi hominis in operibus artis, quasi omnia ordinentur in mundo finaliter a quodam intellectu.

Saeculo XIX omnes theoriae invaluerunt; nam post Materialismum crassum, Evolutionismum materialisticum et Positivismum, qui uno ore ordinem finalem renuerunt, voces etiam finalisticae audiebantur: SHOPENHAUER finalitatem a quadam voluntate inconscia, E. V. HARTMAN (1842-1906) a principio inconscio, quod ratio sit simul ac voluntas, dependentem ponunt; WUNDT (1832-1920) et PAULSEN (1846-1908) finalismo accedunt. Sed ope reactionis vitalisticae iterum amplissimus regressus ad finalismum observari potuit; in biologicis quidem HANS DRIESCH (1867 - 1941), in historicis W. DILTHEY (1832-1912), in culturalibus R. EUCKEN (1846-1926), in psychologicis plures sicut STERN, MUELLER-FREIENFELS... sicut prius in scientificis NEWTON et alii finalismum defenderunt. Etiam in Gallia finalismus praedominium habet; sic apud JOUFFROY (1796-1842), JANET (1823-1899), RENOUVIER (1815-1903), RAVAISSON (1813-1900), LACHELIER, BOUTROUX, LE SENNE, BLONDEL, LAVELLE..., qui omnes, implicatis forte quibusdam imperfectionibus, finalismum contra mechanicismum metaphysicum defenderunt aut defendunt. BERGSON autem tendentiam quamdam finalem in tota evolutione per impulsum vitalem admittit, non tamen proprie causas finales; nam si adesset intellectus aliquis praevie motum vitalem ordinans, non hic plena creationistica imprevisibili libertate procederet, quam BERGSON ut fundamentale in suo evolutionismo asserit. *Exsistentialismus* tandem, qui christianus agnoscatur, finalismum admittit; atheus vero omnino reiicit; sed tamen, etiam cum in actionibus hominis finalitatem agnoscant, in mundo extrahumano eam cognoscere nequeunt.

730. Nostra sententia, omnino philosophiae sanae et traditionali adhaerens, tenet valorem obiectivum certissimum principii finalitatis et certissimam realitatem causae finalis.

731. Probatur. *1ª pars: principium finalitatis est certissimum.* Omne agens intelligitur aut Deus aut creatura rationalis aut creatura irrationalis; *atqui* tam Deus quam creatura rationalis quam creatura irrationalis agit propter finem; *ergo* omne agens agit propter finem.

Ad maiorem, nam nullum aliud agens excogitari potest ex plena enumeratione partium.

Ad minorem: a) *Deus agit propter finem* (sensu superius explicato), quod quidem evidentissimum est et absolute requisitum ab infinita perfectione actionis divinae; Deus enim scit quid facit, scit quorsum est quod facit illudque eo ordinat quo est et esse debet. Ratio vero finalis omnis actionis divinae ad extra communicantis est communicatio ipsius bonitatis divinae.

b) *Agens intellectuale agit propter finem,* quod sic ex STO. THOMA ostenditur: "Agens autem non movet nisi ex intentione finis: si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. Ad hoc ergo quod determinatum effectum producat, necesse est quod determinetur ad aliquid certum. quod habet rationem finis. Haec autem determinatio in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas... Illa ergo quae rationem habent se ipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis... Et ideo proprium est naturae rationalis quod tendat in finem quasi se agens vel ducens ad finem..." [20]. Breviter: Intellectualiter agit qui sub luce intellectus per imperium voluntatis actionem ponit. Sed hoc significat propter finem agere, agit enim sciens et volens, sufficiente ratione motus ad hanc actionem et non illam, hac intensitate et non illa, nunc et non tunc ponendam, quae omnia finalitatem implicant, ut patet.

c) *Agens non intellectuale agit propter finem* (modo superius explicato). Agens enim, etiam non intellectuale, effectum producit determinatum, ergo eius actio est determinata; ut actio vero agentis sit determinata oportet ut ipsum agens quando agit, sit determinatum ad illum effectum producendum; *atqui* esse determinatum ad producendum effectum aliquem est praecise tendere in aliquem finem determinatum seu

[20] S. TH., 1-2 q.1 a.2 c.

agere propter finem; *ergo* agens etiam non intellectuale agit propter finem.

Quoad valorem huius argumenti notandum est: Ope observationis generalis sat facilis, omnes possumus mirum ordinem macrocosmicum contemplari; cui ordini, si ope scientiarum mirum etiam ordinem in microcosmo addimus, facile inde ascendimus ad exsistentiam supremi Ordinatoris comprobandam; qua probata, tunc certissime deducimus plenissimum ordinem finalem etiam in minimis et occultissimis exsistere. Ideoque videtur, sine supposita exsistentia divina, plene et universalissime principium finalitatis quatenus omne prorsus agens etiam non intellectuale et etiam minimum et occultissimum amplectitur, certo ostendi non posse, etsi quasi per inductionem et per quamdam analogiam et proportionem certo ducimur ad concludendam finalitatem cum ope progressus scientiarum constanter finalismus corroboratur et extenditur.

732. Haec omnia breviter ex STO. THOMA *confirmantur:* "Omne agens vel agit per naturam vel per intellectum. De agentibus autem per intellectum non est dubium quin agant propter finem; agunt enim praeconcipientes in intellectu id quod per actionem consequuntur, et ex tali praeconceptione agunt; hoc enim est agere per intellectum. Sicut autem in intellectu praeconcipiente exsistit tota similitudo effectus, ad quam per actiones intelligentis pervenitur, ita in agente naturali praeexsistit similitudo naturalis effectus, ex qua actio ad hunc effectum determinatur; nam ignis generat ignem et oliva olivam. Sicut igitur agens per intellectum tendit in finem determinatum per suam actionem, ita agens per naturam. Omne igitur agens agit propter finem... Item, si agens non tenderet ad aliquem effectum determinatum, omnes effectus essent ei indifferentes. Quod autem indifferenter se habet ad multa, non magis unum eorum operatur quam aliud; unde a contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus nisi per aliquid quod determinetur ad unum. Impossibile igitur esset quod ageret. Omne igitur agens tendit ad aliquem determinatum effectum, quod dicitur finis eius" [21].

733. *2ª pars: finis est veri nominis causa.* Finis vere influit esse in aliud; *ergo* est veri nominis causa.

Antecedens: a) Omne agens, hic loquemur praecipue de intellectuali creato, agit propter finem, ita ut finis sit ratio cur actus suos ponat, et non mera occasio nec conditio. Finis enim *influit* a′ *in actum amoris inefficacis* seu simplicis complacentiae, quo inefficaciter amatur ipse finis; b′ *in actum amoris efficacis* seu intentionis quo finis ut finis amatur;

[21] S. TH., 3 *C. Gent.* c.2.

c′ *in actus quibus eliguntur media* necessaria ad finem intentum; d′ *in actus quibus applicantur media* et quibus fit exsecutio et consecutio finis; e′ et, si agitur de producendo fine praecognito non vero exsistente, in illud quod ut finis concipiebatur esse verum influit; aut saltem habetur possessio formalis finis cum consequentibus actibus gaudii, pacis... Iam vero, in tantum tota haec series actuum internorum et externorum esse habet, in quantum agens, sub influxu finis motione metaphorica ductus, eis esse dat; unde verissime dicendum est finem eis omnibus esse indidisse.

b) Modificatio finis etiam modificationem effectuum secum affert: nam variato fine, variatur aut cessat actio; si finis dispareat, disparet actio; si finis amor augeat, hoc est si motio metaphorica intensior sit, augent et correspondentes actus in intensitate; et contra. Unde signum clarum habetur esse omnium actionum a fine dependere.

c) Ex fine desumitur magna ex parte mensura actuum in ordine morali et etiam in physico, quia actus specificantur ex obiectis.

734. Scholion. De natura principii finalitatis haec videntur dicenda. Si intelligatur de agente intellectuali intellectualiter agente, tunc certo dici potest principium esse *analyticum* etiam strictiori sensu. Difficultas autem apparet, si de agente naturali tantum enuntietur. Tunc videtur principium non esse analyticum, sed vera probatione ostendendum esse. Nisi enim universalis finalitas praesupponatur, difficulter illa quae de determinatione effectus dicuntur, sustineri possunt; exclusio enim effectus indeterminati et incerti est quod per finalitatem intenditur, per quam natura tota quanta ordinata est et ordinatissime ad suos effectus tendit. Iam vero, ordinatissima tendentia totius naturae in omnibus agentibus naturalibus et in omnibus actionibus a priori et sine ullo alio principio non videtur posse evidens reddi; quodsi actio gubernativa divina ponatur, ordinatissime universum creans et componens, tunc certo ad finalitatem universalissimam concludere possumus. Hoc vero iudicium non videtur ullo modo analyticum dici posse.

735. Obiectiones. 1. Si finis causa esset, posset aliquid causa sui ipsius esse; potest enim sanitas ut finis se ipsam causare; *atqui* hoc absurdum est; *ergo* finis non est causa.

Dist. mai. Causa efficiens, *nego;* finalis *subdist.;* sub diverso re-

spectu, quatenus bonitas possibilis attrahit et haec realis attractio rem bonam producit, *conc.;* sub eodem respectu, *nego.*

2. Finis requirit cognitionem eius; *atqui* plurima agunt sine ulla cognitione; *ergo* non omnia agunt in finem.

Dist. mai.: Requirit cognitionem in agente sive mediato sive immediato, *conc.;* praecise in immediato, *nego. Contradist. min.*

3. Quod non exsistit nullum potest habere effectum; *atqui* finis, ut intentus, nondum exsistit; *ergo* non potest habere effectum.

Dist. mai: quod non exsistit nec physice nec intentionaliter, *conc.;* quod non exsistit physice sed certe intentionaliter, *nego. Contradist. minorem.*

4. Sed quod non exsistit nisi intentionaliter nullam veram causalitatem habere valet; *ergo* non datur causa finalis.

Dist. ant.: nullam causalitatem per motionem physicam, *conc.;* per motionem metaphoricam, quae etiam vera causalitas est, *nego.*

5. Quod est posterius non potest esse causa alicuius quod est prius; *atqui* finis est actione posterior; *ergo.*

Dist. mai. Quod est posterius absolute et omnimode, *conc.;* quod est posterius in ordine exsecutionis sed prius in ordine intentionis, *subdist.:* non potest esse causa physica, *trans.;* finalis per motionem metaphoricam, *nego.*

6. Tota series actuum a voluntate procedit; *ergo* sola voluntas est causa, non vero finis.

Dist. ant. A voluntate tamquam a causa efficiente, *conc.;* a voluntate tamquam a causa adaequata, *subdist.:* si sit sub motione metaphorica finis, *conc.;* secus, *nego.*

7. Voluntas nonnulla determinat propter malum; *ergo* non propter finem qui est aliquod bonum.

Dist. ant.: propter malum ut bonum apprehensum, *conc.;* propter malum ut malum, *nego. Dist. par. cons.:* non propter finem proprie talem, *conc.;* propter finem ut talem falso apprehensum, *nego.*

8. Sed plura casu accidunt; *ergo* non omnia propter finem.

Dist. ant.: Plura ex inadvertentia ad finem qui de facto ab agente habetur, *conc.;* plura sine ullo fine, *subdist.:* a nobis cognito aut a nobis posito, *conc.;* Deo etiam incognito et ab eo non intento, *nego.*

CAPUT III

De causis intrinsecis entis.

736. Ut complementum, debent quaedam de causis intrinsecis entis finiti addi, quae etsi proprio loco amplius in philosophia cosmologica et psychologica exponentur, debent tamen etiam hoc loco quadantenus explicari, cum maxime ad intelligentiam plenam entis finiti conferant. Sic ergo de causa materiali et formali quaedam indicabimus additis tandem quibusdam de causa exemplari.

ARTICULUS I

DE CAUSA MATERIALI ET FORMALI

737. ARISTOTELES, 5 *Metaph.* c.1; 11 *Metaph.* c.2; S. TH., *Com. in V Metaph.* l.3; *De principiis naturae;* 1 q.7 a.2; q.77 a.6; SUÁREZ, DM 13-16; DELMAS, *Ontologia* p.768; DE REGNON, *La métaphysique des causes,* l.4; DE BACKER, *De causis entis finiti* disp.4. *De causis internis.*

738. CAUSA MATERIALIS, siquidem causa, est principium per se influens esse in aliud; ex peculiari autem modo influendi esse contradistinguitur haec causa a reliquis. Ille autem peculiaris modus duplicem includit determinationem: aliam communem cum causis intrinsecis, qua distinguitur haec causa a finali et ab efficiente; aliam autem peculiarem et specificativam qua distinguitur a causa formali.

Definiri solet: *Id ex quo aliquid fit ut inexsistente.* Ac in primis ratio generalis causae clare exprimitur; est vero *inexsistens,* hoc est, intus exsistens quo distinctio huius causae a causis extrinsecis enuntiatur; sed dicitur *ex* quo, qua particula *ex* peculiaris et specificativus influxus huius causae dicitur. Sed quoniam etiam privationes... sunt aliquid *ex* quo fit, in definitione materiae haec particula *ex* simul cum *inexsistentia* est intelligenda. Materia ergo hoc in loco intelligitur subiectum aliquod determinabile et perfectibile ex quo insito aliquid fit et intrinsece constituitur.

739. *Divisiones materiae.* Materia distinguitur *ex qua, in qua,* et *circa quam.* Materia dicitur *ex qua* forma educitur et etiam *ex qua* compositum constat, qui sensus valde differunt. Dicitur etiam materia *in qua* introducitur forma. Tandem dicitur materia *circa quam* operatur agens. Materia *ex qua* solet in *transeuntem* et *manentem* dividi: materia ex qua *transiens,* quae non tantum habitudinem causae materialis sed etiam habitudinem termini a quo includit: sic lignum est ex quo ignis fit; non est proprie causa materialis de qua hic agatur. Materia vero ex qua *manens* est propria et interna causa materialis, quae manet in composito.

740. Etiam dividi solet in materiam *metaphysicam,* quae est genus respectu differentiae; et materiam *physicam* quae est propria materia ut est causa materialis.

741. Etiam dicitur materia *prima* vel per negationem prioris subiecti quatenus nullum prius subiectum supponit;

aut per respectum ad secundam, quatenus hanc unita formae substantiali constituit; *secunda* vero dicitur aut per respectum ad materiam primam praesuppositam, aut ipsum compositum quod ex unione materiae et formae resultat.

742. *Materia est veri nominis causa,* quod facile per partes ostenditur:

a) *Respectu compositi* vere est causa, nam compositum vere *ex* materia est, quatenus materia totum proprium esse composito tribuit, quo hoc ad gradum entis materialis reducatur. Sic, materia realiter hominem tamquam pars intrinseca constituit, et homo habet suum esse per influxum materiae.

b) *Respectu formae* est etiam vera causa; nam forma materialis *in fieri* a materia dependet ex qua educitur; *in facto esse* etiam dependet, quia in materia per influxum subiectivum materiae conservatur; et *in operari,* quia materia etiam concurrit suo gradu et modo ad operationem formae.

c) Caeterum, verum est materiam imperfectius obire munus causae quam causam efficientem, quia haec causat ut dans, materia ut recipiens et sustentans; inde non dicitur simpliciter influere esse, sed addito, in genere subiecti sustentativi.

743. *Causalitas materiae* similiter dupliciter intelligitur:

a) *Respectu compositi* est *unio,* hac enim posita tunc vere et realiter materia suum esse composito tribuit in hoc influens.

b) *Respectu formae* est eductio quatenus passio vel sustentatio est; eatenus enim materia formae dat esse, quatenus haec per actionem agentis a materia educitur et dein in ea conservatur ipsi unita.

744. FORMALIS CAUSA definitur illa *quae causat intrinsece constituendo compositum tamquam pars specificativa, saltem principaliter, quidditatis illius.* Hac definitione exprimitur ratio generalis causae, et quidem causae intrinsecae, quia sui communicatione tamquam pars essentialis constituit compositum; dein vero elementum specificativum huius definitionis ponitur: forma enim in tantum dat vel communicat esse composito ab intrinseco, in quantum compositum per formam quidditative specificatur et determinatur ut sit hoc et non

illud. Cum enim compositum ex duplici parte constet, ex materia et forma, illud quo potentialitas materiae, quae omnino ex se indeterminata est, ad hunc gradum entitatis in linea essentiali determinatur, est forma: sic, in composito humano, materia ex se eadem est quam materia propria bruti aut mineralis, capax quidem huius vel illius formae, non tamen specificans quodnam corpus sit compositum. Eo autem quod huic materiae forma humana, nempe anima spiritualis, uniatur compositum determinatissime est praecise corpus humanum.

745. Forma potest esse *substantialis,* cuius est compositum substantiale in gradu substantiae determinare et specificare. *Accidentalis* vero illa est quae suum subiectum in gradu accidentali determinat. Dari autem formas accidentales et substantiales non huius est loci probare.

746. FORMA EST VERI NOMINIS CAUSA. a) *Respectu compositi:* evidens est formam composito esse influere, quatenus ipsum in gradu essentiali determinat et specificat.

b) *Respectu materiae acerrime disputatur.* Ac in primis omnes admittunt formam esse causam formalem materiae si haec reduplicative sumitur, in quantum constituit compositum; materia enim ut ens completum, et compositum constituens, per formam formaliter constituitur. Si autem agatur de materia prout est in se, tenent Thomistae materiam, ita esse puram potentiam, ut ex se nullum actum habeat, ideoque nec exsistentiam. Proinde, materia omnem actualitatem, ipsam quoque exsistentiam, a forma accipit. Alii vero tenent materiam potentiam quidem esse, et non posse exsistere nisi determinatam per formam in composito; sed etiam materiam propriam exsistentiam habere cum etiam propriam habeat essentiam realem.

747. *Causalitas formae respectu compositi* est unio, in quantum est informatio; haec vero unio potest esse sive substantialis sive accidentalis prout compositum inde resultans sit etiam substantiale vel accidentale. Unio autem distingui potest *in fieri*: tunc est *unitio* causae materialis et formalis, et pertinet ad actionem causae agentis, vel quatenus formam ex materia et in materia adducit, vel quatenus formam creat materiam informantem. Hoc sensu unio seu unitio non est causalitas causae formalis, sed causae efficientis. Unio autem

in facto esse est actualis informatio formae compositum constituens: haec est propria causalitas formalis.

748. *Effectus formalis* est id quod resultat ex forma materiam informante. Potest esse *primarius,* qui est ipsum compositum ex unione formae cum materia resultans sine ullo addito: ipse complexus formalis utriusque causae partialis intrinsecae. *Secundarius* est adaequate distinctus a forma, et resultat a composito iam per informationem constituto. Forma debet dici causa formalis effectus formalis primarii, non tamen secundarii, aut saltem non in ordine formali.

Alia plura circa utramque causam in Cosmologia et Psychologia explicabuntur et quaedam etiam ex hic dictis probabuntur.

749. Scholion 1. *Comparatio mutua causarum.* Dupliciter causae inter se comparari possunt:

a) *Relate ad perfectionem:* Imprimis causae extrinsecae causis intrinsecis perfectiores sunt, ideoque Deus causa extrinseca esse potest et est omnium perfectissima; non vero causa intrinseca. Si vero finalis et efficiens inter se comparentur, quoad ipsam entitatem nihil est quo finalis necessario efficientem, aut contra, superet; quoad causalitatem autem, quodammodo dici potest finalis superior, quatenus ipsa causam efficientem movet, alio vero sensu, efficiens superior est, quia ipsius est in ordine reali esse quasi physice influere. Si causae internae inter se comparentur, longe superior est causa formalis quam causa materialis.

b) *Relate ad mutuam causalitatem* in eodem instanti. Si sermo sit *de eodem genere causae,* sententia communis est omnium, repugnare quod duo sint sibi invicem causae quoad primum *esse* reale: hoc nullam difficultatem involvit si de causis finali, formali, materiali agatur. Sed etiam eodem modo videtur quoad causam efficientem tenendum: nam si duo se invicem causarent, unumquodque illorum esset simul natura prius et posterius altero, penderet simul et non penderet quoad idem primum *esse* ab alterius influxu. Communissima sententia negat etiam mutuam causalitatem relate ad causas morales. Si sermo sit de mutua causalitate *in diverso genere*: nullum dubium est circa mutuam causalitatem inter finalem et efficientem causam. Sed relate ad alias causas, quae non causant secundum *esse* intentionale, sed secundum *esse* phy-

sicum et reale, negandum est possibilem esse mutuam naturae prioritatem; eam nihilominus Thomistae aliquando circa materiam et formam admittunt.

750. Scholion 2. *De casu, fortuna et fato.* Ad complenda quae de causis hucusque diximus, haec addamus.

a) *Casus* sumi potest pro *effectu casuali,* est ille qui per accidens et praeter intentionem et opinionem coniungitur effectui per se intento ab aliqua causa; ideoque raro evenire debet, et semper praeter intentionem et scientiam. Casus sumi potest etiam *pro causa,* et est causa producens fortuitos effectus. Iam vero, quae de casu dicuntur reducuntur ad causam per accidens; adest vero tunc vera et certa causalitas, quamvis ea suum influxum praeter intentionem, scientiam et exspectationem agentis exercet.

b) *Fortuna* etiam *pro effectu* sumi potest, qui intelligitur ipse causalis qui tamen specialiter in rebus humanis accidit, proprissime respectu agentium liberorum et in electione et proposito operantium. Sumi etiam potest *pro causa,* et pariter est ipsa causa per accidens in iis quae fiunt propter finem secundum electionem.

c) *Fatum* fingitur a multis instar cuiusdam ferreae legis cui agentia omnia subiiciuntur; antiqui definierunt *causarum colligantiam ex astrorum motu et vi efficaciam trahentem.* Haec vero conceptio plurimis erroribus et quidem gravissimis scatet. Si vero sumatur pro serie vel ordine causarum ex divina providentia fines Dei certissime attingentium, definiri potest: *Ordinatio secundarum causarum ad effectus divinitus praevisos.*

ARTICULUS II

DE CAUSA EXEMPLARI

751. ARISTOTELES, 2 *Phys.* t.28; *Metaph.* l.1 c.7; l.5 c.2; S. AUGUSTINUS, *Lib. 83 qq.* q.46; S. TH., *Comm.* in citatos locos arist.; 1 q.15; q.44 a.3; *De verit.* q.3 a.1-3; SUÁREZ, DM 15 s.1-2; DE REGNON, *La Métaph. des causes* l.5; DE BACKER, *De causis entis finiti* disp.6; HUGON, *Metaph. ontol.* tr.4 q.2 a.2; DELMAS, *Ontol.* p.778ss.

752. Nexus. Quattuor causarum generibus, quae hucusque vidimus, solet addi causa exemplaris, quae, etsi novum genus non constituat, non parum tamen confert ad specificatio-

nem effectus, ideoque quaedam de ipsa innuenda sunt, hoc ultimo loco, post expositionem reliquarum causarum.

753. Exemplar, in genere, est forma ad cuius imitationem agens per intellectum operatur. Potest esse *externum,* res ipsa oculis subiecta, quam quis imitandam sibi proponit; *internum* vero est similitudo operis faciendi, quae mente praeformatur. A Graecis dicebatur *idea,* latine dicitur forma vel species, aut etiam ratio rei faciendae. Hoc exemplar internum est proprie causa exemplaris, et ex verbis Sti. Thomae definiri potest: "Forma quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem" [1]. Et uberius dici potest *forma vel similitudo mente praeconcepta cuius instar aliquod opus fit non casu sed ex intentione operantis.*

754. Elementa quibus exemplar constituitur:

a) *Forma,* sive *idea* requiritur ut determinans opus, quatenus ad formam respiciens artifex operatur: est species quaedam rei externa, per quam ita regulatur et mensuratur species interna tam operantis quam operis, ut nihil prorsus in eis sit, quod non sit exemplaris imitatio exactaque reproductio.

b) *Mente praeconcepta,* seu idea efformata in mente artificis, qui excogitat rem faciendam. Haec praecognitio omnino requiritur ut in agentem forma influere possit. Hic vero conceptus est practicus, non pure aestheticus, quatenus est operationis realiter directiva. Exemplar est conceptus formalis potius quam obiectivus. Sed advertendum, esse cognitum ut *quod* non constituere causam exemplarem formaliter, licet aliquo modo requiratur; exemplar enim causat per proprium et intrinsecum esse ad cuius similitudinem fit opus.

c) *Cuius instar aliquod opus fit,* requiritur ut de facto opus productum exemplar imitetur, nam in hac imitatione effectiva vera causalitas causae exemplaris ponitur.

d) *Ex intentione agentis* non enim quaecumque imitatio materialis sufficit, mera obiectiva coincidentia in forma externa, similitudo obiectiva; debet obtineri similitudo ex agente per se intendente talem similitudinem; secus enim influxus exemplaris, est nullus, cum actionem agentis formaliter dirigere debeat.

e) *Qui determinat sibi finem.* "Videmus etiam quod aliquid propter finem dupliciter operatur: uno modo ita quod

[1] *De ver.* q.3 a.1.

ipsum agens determinat sibi finem, sicut est in omnibus agentibus per intellectum: aliquando autem agenti determinatur finis ab aliquo principali agente, sicut patet in motu sagittae... Si ergo aliquid fiat ad imitationem alterius per agens, quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideae" [2]. Unde requiritur ut agens sit intellectuale et quidem intellectualiter operans.

755. Causa exemplaris *in actu primo remoto* est ens in quantum imitabile; *in actu primo proximo* est idea rei imitandae; *in actu secundo* sunt actiones in quantum dependent ab idea directrice.

756. *Causa exemplaris est vere causa realis,* nam quod constituit artificem in ratione artificis est vera realis et per se causa; exemplar autem artificem in ratione artificis formaliter constituit, agens enim intellectuale per formam agit in intellectu conceptam, per quam in specie agentis rationalis proprie constituitur. Aliunde, opus arte factum, quatenus per se ac non fortuito factum, proprie sic pendet ab idea praecedenti, ut eius perfectionem quodammodo sapiat atque imitetur.

757. *Causalitas causae exemplaris* reponenda videtur in externa operis productione, prout orta seu determinata ab interno actu voluntatis, qui sit intentio ideam imitandi; his enim positis nihil aliud desideratur ut opus hic et nunc ab exemplari causa pendeat ac procedat; aliunde sine utroque huiusmodi actu, interno et externo, impossibile est exemplar causare.

758. Quoad *genus causae* ad quod exemplar sit revocandum, disputatur. Hoc videtur tenendum: quod causa exemplaris aliquo modo naturam causae efficientis participet ab omnibus admitti solet; sub respectu quodam generico etiam participat quodammodo naturam causae finalis, idea est enim id propter quod fit ideatum. Quodammodo participat etiam naturam causae formalis, exemplar enim est actus determinans artefactum ad certam speciem. Sed tamen, cum exemplar sit causa extrinseca, ideoque in hoc absolute videatur a causa formali differre; et praeterea, cum finis influat ad modum boni allicientis voluntatem, forma vero in mente non tamquam bonum acquirendum, sed tamquam forma actionem dirigens elu-

[2] S. TH., *De verit.* q.3, a.1.

ceat, videtur causa exemplaris ad causam efficientem esse revocandam, saltem principaliter et quoad propriam suam formalem causalitatem. Forma enim proxime complens artificem in ratione artificis ad agens pertinet; exemplar autem est forma proxime complens artificem, qui propter ideam continet in se similitudinem effectus; sic tandem artifex constituitur potens operari.

EPILOGUS

Causa exemplaris cuius brevis expositio nunc explicit, terminus fuit quo tota nostra Metaphysicae generalis expositio simul etiam explicit.

Illa vero intrinseca complexitas huius causae, quae quodammodo naturam causae et efficientis et formalis et finalis implicat, quo etiam complexitas effectus eius manifestus redditur, qui fere totus et sub omni respectu productus fuisse ab exemplari videatur, illa inquam multiplicitas ad altiorem considerationem nunc nos invitat, ut in divinitate ipsa omnis entis creati et creabilis adaequatum ac perfectissimum exemplar, apicem ac nostrarum explicationum summam contemplemur, laudemus, adoremus.

Exemplar enim hoc divinum paternam duxit Dei Providentiam, quae universum conderet, homine ornaret, spiritu puro coronaret; itàque ex ipso omnis entis natura intima delineatur, ut quantum perfectionis, speciei et decoris in innumera varietate entium creatorum detegatur, obscurissima sit participatio luminis uberrimi quo exemplar illud lucidissime splendescit; Deus tandem fons est qui ad se quantum perfectionis ab ipso scaturierat iterum attrahit, ut in oceanum infinitae beatitudinis ac gloriae conversus mundus, ibi finem ultimum inveniat, ubi et originem ex amore divino sese communicaturo invenit.

A Deo omne ens procedit, per divinam illuminationem omne ens in suo gradu perficitur, ad Deum summum bonum omne ens ordinatur.

Ipsi gloria in saecula et saeculorum.

INDEX NOMINUM

N.B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

INDEX RERUM

N. B.—Numeri romani tractatum designant, arabici autem numeros marginales.

VOLUMEN HOC, PRIMUM IN COLLECTIONE "PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA", SUMPTIBUS "BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS" AC TYPIS "SUCESORES DE RIVADENEYRA, S. A.", FELICITER, DEO DANTE, EXPLICIT DIE SEPTIMO MARTII, IN FESTO S. THOMAE AQUINATIS "DOCTORIS ANGELICI", ANNO MCMLIII

LAUS DEO VIRGINIQUE MATRI

BIBLIOTECA DE AUTORES CRISTIANOS

VOLUMENES PUBLICADOS

1 SAGRADA BIBLIA, de NÁCAR-COLUNGA, 4.ª ed., corregida en el texto y copiosamente aumentada en las notas. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. D. GAETANO CICOGNANI, Nuncio de Su Santidad en España. Reimpresión. 1952. LXXXIV + 1700 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.

2 SUMA POETICA, por JOSÉ MARÍA PEMÁN y M. HERRERO GARCÍA. 2.ª ed. 1950 XVI + 824 págs.

3 OBRAS COMPLETAS CASTELLANAS DE FRAY LUIS DE LEON. Edición revisada y anotada por el P. Fr. FÉLIX GARCÍA, O. S. A. 2.ª ed. 1951. XII + 1800 págs. en papel biblia.

4 SAN FRANCISCO DE ASIS: *Escritos completos*, las *Biografías* de sus contemporáneos y las *Florecillas*. Edición preparada por los PP. Fr. JUAN R. DE LEGÍSIMA y Fr. LINO GÓMEZ CANEDO, O. F. M. 2.ª ed. 1949. XL + 888 págs., con profusión de grabados.

5 HISTORIAS DE LA CONTRARREFORMA, por el P. RIBADENEYRA, S. I. *Vida de los PP. Ignacio de Loyola, Diego Laínez, Alfonso Salmerón y Francisco de Borja. Historia del Cisma de Inglaterra. Exhortación a los capitanes y soldados de la "Invencible"*. Introducciones y notas del P. EUSEBIO REY, S. I. 1945. CXXVI + 1356 págs., con grabados.

6 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo I: *Introducción. Breviloquio. Itinerario de la mente a Dios. Reducción de las ciencias a la Teología. Cristo, maestro único de todos. Excelencia del magisterio de Cristo.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. LEÓN AMORÓS, Fr. BERNARDO APERRIBAY y Fr. MIGUEL OROMÍ, O. F. M. 1945. XL + 756 págs.—Publicados los tomos II (9), III (19), IV (28), V (36) y VI (49).

7 CODIGO DE DERECHO CANONICO Y LEGISLACION COMPLEMENTARIA, por los Dres. D. LORENZO MIGUÉLEZ, Fr. SABINO ALONSO MORÁN, O. P., y P. MARCELINO CABREROS DE ANTA, C. M. F., profesores de la Universidad Pontificia de Salamanca. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. Fr. JOSÉ LÓPEZ ORTIZ, Obispo de Túy. 4.ª ed. Reimpresión. 1952. XLVIII + 1076 págs.

8 TRATADO DE LA VIRGEN SANTISIMA, de ALASTRUEY. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. ANTONIO GARCÍA Y GARCÍA, Arzobispo de Valladolid. 3.ª ed. 1952. XXXVI + 988 págs., con grabados de la *Vida de la Virgen*, de Durero.

9 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo II: *Jesucristo en su ciencia divina y humana. Jesucristo, árbol de la vida. Jesucristo en sus misterios*: 1) *En su infancia.* 2) *En la Eucaristía.* 3) *En su Pasión.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. LEÓN AMORÓS, Fr. BERNARDO APERRIBAY y Fr. MIGUEL OROMÍ, O. F. M. 1946. XVI + 848 págs. Publicados los tomos III (19), IV (28), V (36) y VI (49).

10 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo I: *Introducción general y bibliografía. Vida de San Agustín*, por POSIDIO. *Soliloquios. Sobre el orden. Sobre la vida feliz.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. VICTORINO

Capánaga, O. R. S. A. 2.ª ed. 1950. XII + 828 págs., con grabados.—Publicados los tomos II (11), III (21), IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69) IX (79) y X (95).

11 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo II: *Confesiones* (en latín y castellano). Edición crítica y anotada por el P. Fr. Angel Custodio Vega, O. S. A. 2.ª ed. 1951. VIII + 740 págs.—Publicados los tomos III (21), IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79) y X (95).

12-13 OBRAS COMPLETAS DE DONOSO CORTES (dos volúmenes). Recopiladas y anotadas por el Dr. D. Juan Juretschke, profesor de la Facultad de Filosofía de Madrid. 1946. Tomo I: XVI + 956 págs. Tomo II: VIII + 870 págs.

14 BIBLIA VULGATA LATINA. Edición preparada por el P. Fr. Alberto Colunga, O. P., y D. Lorenzo Turrado, profesores de Sagrada Escritura en la Universidad Pontificia de Salamanca. 1951. Reimpresión. XXIV + 1592 + 122 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 4 mapas.

15 VIDA Y OBRAS COMPLETAS DE SAN JUAN DE LA CRUZ. *Biografía*, por el P. Crisógono de Jesús, O. C. D. *Subida del Monte Carmelo. Noche oscura. Cántico espiritual. Llama de amor viva. Escritos breves y poesías.* Prólogo general, introducciones, revisión del texto y notas por el P. Lucinio del SS. Sacramento, O. C. D. 2.ª ed. 1950. XL + 1436 págs., con grabados.

16 TEOLOGIA DE SAN PABLO, del P. José María Bover, S. I. 1952. Reimpresión. XVI + 980 págs.

17-18 TEATRO TEOLOGICO ESPAÑOL. Selección, introducciones y notas de Nicolás González Ruiz. Tomo I: *Autos sacramentales*. 1946. VIII + 924 págs. Tomo II: *Comedias teológicas, bíblicas y de vidas de santos*. 1946. XLVIII + 924 págs.

19 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo III: *Colaciones sobre el Hexaémeron. Del reino de Dios descrito en las parábolas del Evangelio. Tratado de la plantación del paraíso.* Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por los PP. Fr. León Amorós, Fr. Bernardo Aperribay y Fr. Miguel Oromí, O. F. M. 1947. XII + 800 págs.—Publicados los tomos IV (28), V (36) y VI (49).

20 OBRA SELECTA DE FRAY LUIS DE GRANADA: *Una suma de la vida cristiana*. Los textos capitales del P. Granada seleccionados por el orden mismo de la *Suma Teológica* de Santo Tomás de Aquino, por el P. Fr. Antonio Trancho, O. P., con una extensa introducción del P. Fr. Desiderio Díaz de Triana, O. P. Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. Fr. Francisco Barbado Viejo, Obispo de Salamanca. 1952. Reimpresión. LXXXVIII + 1164 págs.

21 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo III: *Contra los académicos. Del libre albedrío. De la cuantidad del alma. Del maestro. Del alma y su origen. De la naturaleza del bien: contra los maniqueos.* Texto en latín y castellano. Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Evaristo Seijas, Fr. Eusebio Cuevas, Fr. Manuel Martínez y Fr. Mateo Lanseros, O. S. A. 1951. Reimpresión. XVI + 1056 págs.—Publicados los tomos IV (30), V (39), VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79) y X (95).

22 SANTO DOMINGO DE GUZMAN. *Orígenes de la Orden de Predicadores. Proceso de canonización. Biografías del Santo. Relación de la Beata Cecilia. Vidas de los Frailes Predicadores. Obra literaria de Santo Domingo.* Introducción general por el P. Fr. José María Garganta, O. P. Esquema biográfico, introducciones, versión y notas de los PP. Fr. Miguel Gelabert y Fr. José María Milagro, O. P. 1947. LVI + 956 págs., con profusión de grabados.

23 OBRAS DE SAN BERNARDO. Selección, versión, introducciones y notas del P. Germán Prado, O. S. B. 1947. XXIV + 1516 págs., con grabados. (Agotada. Se prepara la 2.ª ed.).

24 OBRAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA. Tomo I: *Autobiografía y Diario espiritual*. Introducciones y notas del P. Victoriano Larrañaga, S. I. 1947. XII + 884 págs.

25-26 SAGRADA BIBLIA, de Bover-Cantera. Versión crítica sobre los textos hebreo y griego. 2.ª edición, notablemente mejorada, en un solo volumen. 1951. XVI + 2064 págs. en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.

27 LA ASUNCION DE MARIA. Tratado teológico y antología de textos, por el P. José María Bover, S. I. 2.ª ed., con los principales documentos pontificios de la definición del dogma. 1951. XVI + 488 págs.

28 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo IV: *Las tres vías o incendio de amor. Soliloquio. Gobierno del alma. Discursos ascético-místicos. Vida perfecta para religiosas. Las seis alas del serafín. Veinticinco memoriales de perfección. Discursos mariológicos.* Edición, en latín y castellano, preparada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1947. VIII + 976 págs.—Publicados los tomos V (36) y VI (49).

29 SUMA TEOLOGICA de Santo Tomás de Aquino. Tomo I: *Introducción general* por el P. Santiago Ramírez, O. P., y *Tratado de Dios Uno.* Texto en latín y castellano. Traducción del P. Fr. Raimundo Suárez, O. P., con introducciones, anotaciones y apéndices del P. Fr. Francisco Muñiz, O. P. 1947. XVI + 1296 págs., con grabados.—Publicados los tomos II (41) y III (56).

30 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo IV: *De la verdadera religión. De las costumbres de la Iglesia católica. Enquiridión. De la unidad de la Iglesia. De la fe en lo que no se ve. De la utilidad de creer.* Versión, introducciones y notas de los PP. Fr. Victorino Capánaga, O. R. S. A.; Fr. Teófilo Prieto, Fr. Andrés Centeno, Fr. Santos Santamarta y Fr. Herminio Rodríguez. O. S. A. 1848. XVI + 900 págs.—Publicados los tomos V (39), VI (50), VII ((53), VIII (69), IX (79) y X (95).

31 OBRAS LITERARIAS DE RAMON LLULL: *Libro de Caballería. Libro de Evast y Blanquerna. Félix de las Maravillas. Poesías* (en catalán y castellano.) Edición preparada y anotada por los PP. Miguel Batllori, S. I., y Miguel Caldentey, T. O. R., con una introducción biográfica de D. Salvador Galmés y otra al *Blanquerna* del P. Rafael Ginard Bauçá, T. O. R. 1948. XX + 1148 págs. con grabados.

32 VIDA DE NUESTRO SEÑOR JESUCRISTO, por el P. Andrés Fernández, S. I. 1948. LVI + 612 págs., con profusión de grabados y 8 mapas.

33 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo I: *Biografía* y *Epistolario.* Prólogo del Excmo. y Rvmo. Sr. Dr. D. Juan Perelló, Obispo de Vich. 1948. XLIV + 900 págs. en papel biblia, con grabados.—Publicados los tomos II (37), III (42), IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

34 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo I: *Nacimiento e infancia de Cristo,* por el Prof. Francisco Javier Sánchez Cantón. 1948. VIII + 192 págs. con 304 láminas.—Publicados los tomos II (64) y III (47).

35 MISTERIOS DE LA VIDA DE CRISTO, del P. Francisco Suárez, S. I. Volumen 1.º: *Misterios de la Virgen Santísima. Misterios de la infancia y vida pública de Jesucristo.* Versión castellana por el P. Galdos, S. I. 1948. XXXVI + 916 págs.—Publicado el volumen 2.º (55).

36 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo V: *Cuestiones disputadas sobre el misterio de la Santísima Trinidad. Colaciones sobre los siete dones del Espíritu Santo. Colaciones sobre los diez mandamientos.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. Bernardo Aperribay, Fr. Miguel Oromí y Fr. Miguel Oltra, O. F. M. 1948. VIII + 756 págs.—Publicado el tomo VI (49).

37 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo II: *Filosofía fundamental.* 1948. XXXII + 828 págs. en papel biblia.—Publicados los tomos III (42), IV (48), V (51), VI (52) VII (57) y VIII (66).

38 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo I: Fray Alonso de Madrid: *Arte para servir a Dios* y *Espejo de ilustres personas;* Fray Francisco de Osuna: *Ley de amor santo.* Introducciones del P. Fr. Juan Bautista Gomis, O. F. M. 1948. XII + 704 págs. en papel biblia.—Publicados los tomos II (44) y III (46).

39 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo V: *Tratado de la Santísima Trinidad.* Edición en latín y castellano. Primera versión española, con introducción y notas del P. Fr. Luis Arias, O. S. A. 1948. XVI + 944 págs. con grabados.—Publicados los tomos VI (50), VII (53), VIII (69), IX (79) y X (95).

40 NUEVO TESTAMENTO, de NÁCAR-COLUNGA. Versión directa del texto original griego. (Separata de la Nácar-Colunga.) 1948. VIII + 452 páginas en papel biblia, con profusión de grabados y 8 mapas.

41 SUMA TEOLOGICA DE SANTO TOMÁS DE AQUINO. Tomo II: *Tratado de la Santísima Trinidad*, en latín y castellano; versión del P. Fr. RAIMUNDO SUÁREZ, O. P., e introducciones del P. Fr. MANUEL CUERVO, O. P. *Tratado de la creación en general*, en latín y castellano; versión e introducciones del Padre Fr. JESÚS VALBUENA, O. P. 1948 XX + 888 págs., con grabados.—Publicado el tomo III (56).

42 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo III: *Filosofía elemental* y *El criterio*. 1948. XX + 756 págs. en papel biblia. Publicados los tomos IV (48), V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

43 NUEVO TESTAMENTO. Versión directa del griego con notas exegéticas, por el P. JOSÉ MARÍA BOVER, S. I. (Separata de la Bover-Cantera.) 1948. VIII + 624 págs. en papel biblia, con 8 mapas.

44 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo II: FRAY BERNARDINO DE LAREDO: *Subida del monte Sión;* FRAY ANTONIO DE GUEVARA: *Oratorio de religiosos y ejercicio de virtuosos;* FRAY MIGUEL DE MEDINA: *Infancia espiritual;* BEATO NICOLÁS FACTOR: *Doctrina de las tres vías.* Introducciones del P. Fr. JUAN BAUTISTA GOMIS, O. F. M. 1948. XVI + 840 páginas en papel biblia.—Publicado el tomo III y último (46).

45 LAS VIRGENES CRISTIANAS DE LA IGLESIA PRIMITIVA, por el P. FRANCISCO DE B. VIZMANOS, S. I. Estudio histórico-ideológico seguido de una antología de tratados patrísticos sobre la virginidad. 1949. XXIV + 1308 páginas en papel biblia.

46 MISTICOS FRANCISCANOS ESPAÑOLES. Tomo III y último: FRAY DIEGO DE ESTELLA: *Meditaciones del amor de Dios;* FRAY JUAN DE PINEDA: *Declaración del "Pater noster";* FRAY JUAN DE LOS ANGELES: *Manual de vida perfecta* y *Esclavitud mariana;* FRAY MELCHOR DE CETINA: *Exhortación a la verdadera devoción de la Virgen;* FRAY JUAN BAUTISTA DE MADRIGAL: *Homiliario evangélico.* Introducciones del P. Fr. JUAN BAUTISTA GOMIS, O. F. M. 1949. XII + 872 páginas en papel biblia.

47 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo III: *La Pasión de Cristo*, por JOSÉ CAMÓN AZNAR. 1949. VIII + 108 páginas, con 303 láminas.

48 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo IV: *El protestantismo comparado con el catolicismo.* 1949. XVI + 77? páginas en papel biblia.—Publicados los tomos V (51), VI (52), VII (57) y VIII (66).

49 OBRAS DE SAN BUENAVENTURA. Tomo VI y último: *Cuestiones disputadas sobre la perfección evangélica. Apología de los pobres.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. BERNARDO APERRIBAY, Fr. MIGUEL OROMÍ y Fr. MIGUEL OLTRA, O. F. M. 1949. VIII + 48* + 784 páginas.

50 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VI: *Del espíritu y de la letra. De la naturaleza y de la gracia. De la gracia de Jesucristo y del pecado original. De la gracia y del libre albedrío. De la corrección y de la gracia. De la predestinación de los santos. Del don de perseverancia.* Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. VICTORINO CAPÁNAGA, O. R. S. A.; Fr. ANDRÉS CENTENO, Fr. GERARDO ENRIQUE DE VEGA, Fr. EMILIANO LÓPEZ y Fr. TORIBIO DE CASTRO, O. S. A. 1949. XII + 948 págs.—Publicados los tomos VII (53), VIII (69), IX (79) y X (95).

51 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo V: *Estudios apologéticos. Cartas a un escéptico. Estudios sociales. Del clero católico. De Cataluña.* 1949. XXXII + 1004 págs. en papel biblia.—Publicados los tomos VI (52), VII (57) y VIII (66).

52 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VI: ESCRITOS POLÍTICOS: *Triunfo de Espartero. Caída de Espartero. Campaña de gobierno. Ministerio Narváez. Campaña parlamentaria de la minoría balmista.* 1950. XXXII + 1068 págs. en papel biblia.—Publicados los tomos VII (57) y VIII (66).

53 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VII: *Sermones.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. AMADOR DEL FUEYO, O. S. A. 1950. XX + 952 págs.—Publicados los tomos VIII (69), IX (79) y X (95).

54 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo 1: *Edad Antigua (1-681)*: *La Iglesia en el mundo grecorromano*, por el P. Bernardino Llorca, S. I. 1950. XXXII + 968 págs., con grabados.—Publicado el tomo IV (76).

55 MISTERIOS DE LA VIDA DE CRISTO, del P. Francisco Suárez, S. I. Volumen 2.º y último: *Pasión, resurrección y segunda venida de Jesucristo*. Versión castellana por el P. Galdos, S. I. 1950. XXIV + 1216 págs.

56 SUMA TEOLOGICA de Santo Tomás de Aquino. Tomo III: *Tratado de los Angeles*. Texto en latín y castellano. Versión del P. Fr. Raimundo Suárez, O. P., e introducciones del P. Fr. Aureliano Martínez, O. P. *Tratado de la creación del mundo corpóreo*. Versión e introducciones del P. Fr. Alberto Colunga, O. P. 1950. XVI + 948 págs., con grabados.

57 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VII: Escritos políticos: *El matrimonio real; Campaña doctrinal. Campaña nacional. Campaña internacional. Desenlace. Ultimos escritos políticos*. 1950. XXXII + 1068 páginas en papel biblia.—Publicado el tomo VIII (66).

58 OBRAS COMPLETAS DE AURELIO PRUDENCIO. Edición en latín y castellano, dirigida, anotada y con introducciones por el P. Fr. Isidoro Rodríguez, O. F. M., y D. José Guillén, catedráticos en la Pontificia Universidad de Salamanca. 1950. VIII + 84* + 800 págs.

59 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. Juan de Maldonado, S. I. Tomo I: *Evangelio de San Mateo*. Versión castellana, introducción y notas del P. Luis María Jiménez Font, S. I. Introducción biobibliográfica del P. José Caballero, S. I. 1950. XVI + 1160 págs. en papel biblia.—Publicado el tomo II (72).

60 CURSUS PHILOSOPHICUS, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo V: *Theologia Naturalis*, por el P. José Hellín, S. I. 1950. XVI + 928 páginas.

61 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo I: *Introductio in Theologiam. De revelatione christiana. De Ecclesia Christi. De sacra Scriptura*, por los PP. Miguel Nicoláu y Joaquín Salaverri, S. I. 1952. 2.ª edición. XXIV+1160 págs.—Publicados los tomos II (90), III (62) y IV (73).

62 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo III: *De Verbo incarnato. Mariologia. De gratia Christi. De virtutibus infusis*, por los PP. Jesús Solano, José A. de Aldama y Severino González, S. I. 1950. XX + 784 páginas.—Publicado el tomo IV (73).

63 SAN VICENTE DE PAUL: BIOGRAFIA Y ESCRITOS. Edición preparada por los PP. José Herrera y Veremundo Pardo, C. M. 1950. XII + 912 págs. en papel biblia, con profusión de grabados.

64 LOS GRANDES TEMAS DEL ARTE CRISTIANO EN ESPAÑA. Tomo II: *Cristo en el Evangelio*, por el Prof. Francisco J. Sánchez Cantón. 1950. VIII + 124 págs., con 255 láminas.—Publicado el tomo III (47).

65 PADRES APOSTOLICOS: *La Didaché o Doctrina de los doce apóstoles. Cartas de San Clemente Romano. Cartas de San Ignacio Mártir. Carta y martirio de San Policarpo. Carta de Bernabé. Los fragmentos de Papías. El Pastor de Hermas*. Edición bilingüe, preparada y anotada por D. Daniel Ruiz Bueno, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1950. VIII + 1136 págs. en papel biblia.

66 OBRAS COMPLETAS DE JAIME BALMES. Tomo VIII y último: *Biografías. Misceláneas. Primeros escritos. Poesías. Indices*. 1950. XVI + 1020 págs. en papel biblia.

67 ETIMOLOGIAS, de San Isidoro de Sevilla. Versión castellana total, por vez primera, e introducciones parciales de D. Luis Cortés, párroco de San Isidoro de Sevilla. Introducción general e índices científicos del Prof. Santiago Montero Díaz, catedrático de la Universidad de Madrid. 1951. XX + 88* + 568 págs.

68 EL SACRIFICIO DE LA MISA. Tratado histórico-litúrgico. Versión española de la obra alemana en dos volúmenes *Missarum sollemnia*, del P. Jungmann, S. I. 2.ª ed. 1952. XXVIII + 1272 págs.

69 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo VIII: *Cartas*. Edición en latín y castellano, preparada por el P. LOPE CILLERUELO, O. S. A. 1951. VIII + 936 págs.—Publicado el tomo IX (79) y X (95).

70 COMENTARIO AL SERMON DE LA CENA, por el P. JOSÉ M. BOVER, S. I. 1951. VIII + 336 págs.

71 TRATADO DE LA SANTISIMA EUCARISTIA, por el Dr. D. GREGORIO ALASTRUEY. 2.ª ed. 1952. XL + 436 págs. con grabados.

72 COMENTARIOS A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. JUAN DE MALDONADO, S. I. Tomo II: *Evangelios de San Marcos y San Lucas*. Versión castellana, introducción y notas del P. JOSÉ CABALLERO, S. I. 1951. XVI + 888 págs. en papel biblia.

73 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo IV: *De sacramentis, De novissimis*, por los PP. JOSÉ A. DE ALDAMA, FRANCISCO DE P. SOLÁ, SEVERINO GONZÁLEZ y JOSÉ F. SAGÜÉS, S. I. 1951. XXIV + 888 páginas.

74 OBRAS COMPLETAS DE SANTA TERESA DE JESUS. Nueva revisión del texto original con notas críticas. Tomo I: *Bibliografía teresiana*, por el P. OTILIO DEL NIÑO JESÚS, O. C. D. *Biografía de Santa Teresa*, por el P. EFRÉN DE LA MADRE DE DIOS, O. C. D. *Libro de la Vida*, escrito por la SANTA. Edición revisada y preparada por los PP. EFRÉN DE LA MADRE DE DIOS y OTILIO DEL NIÑO JESÚS. 1951. XII + 912 págs. en papel biblia.

75 ACTAS DE LOS MARTIRES. Edición bilingüe, preparada y anotada por D. DANIEL RUIZ BUENO, catedrático de lengua griega y profesor a. de la Universidad de Salamanca. 1951. VIII + 1192 págs. en papel biblia.

76 HISTORIA DE LA IGLESIA CATOLICA. Tomo IV: *La Iglesia en su lucha y relación con el laicismo*, por el P. FRANCISCO JAVIER MONTALBÁN, S. I. Revisada y completada por los PP. BERNARDINO LLORCA y RICARDO GARCÍA VILLOSLADA, S. I. 1951. XII + 960 págs.

77 SUMMA THEOLOGICA SANCTI THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. I: *Prima pars*. 1951. XXIV + 860 págs.—Publicados los tomos II (80), III (81), IV (83) y V (87).

78 OBRAS ASCETICAS DE SAN ALFONSO MARIA DE LIGORIO. Tomo I: *Obras dedicadas al pueblo en general*. Edición crítica. Introducción, versión del italiano, notas e índices del P. ANDRÉS GOY, C. SS. R. 1952. XVI + 1040 págs. en papel biblia.

79 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo IX: *Los dos libros sobre diversas cuestiones a Simpliciano. De los méritos y del perdón de los pecados. Contra las dos epístolas de los pelagianos. Actas del proceso contra Pelagio*. Edición en latín y castellano, preparada y anotada por los PP. Fr. VICTORINO CAPÁNAGA y Fr. GREGORIO ERCE, O. R. S. A. 1952. XX + 788 págs.—Publicado el tomo X (95).

80 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. II: *Prima secundae*. 1952. XX + 856 págs.—Publicados los tomos III (81), IV (83) y V (87).

81 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinisin quinque volumina divisa. Vol. III: *Secunda secundae*. 1952. XXVIII + 1240 págs.—Publicados los tomos IV (83) y V (87).

82 OBRAS COMPLETAS DE SAN ANSELMO. Tomo I: *Monologio. Proslogio. Acerca del gramático. De la verdad. Del libre albedrío. De la caída del demonio. Carta sobre la encarnación del Verbo. Por qué Dios se hizo hombre*. Edición en latín y castellano, con extensa y documentada introducción general, preparada por el P. JULIÁN ALAMEDA, O. S. B. 1952. XVI + 904 págs.

83 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. IV: *Tertia pars*. 1952. XX + 808 págs.—Publicado el tomo V (87).

84 LA EVOLUCION HOMOGENEA DEL DOGMA CATOLICO, por el P. FRANCISCO MARÍN-SOLA, O. P. Introducción general del P. EMILIO SAURAS, O. P. 1952. VIII + 840 págs.

85 EL CUERPO MISTICO DE CRISTO, por el P. EMILIO SAURAS, O. P. 1952. VIII + 928 págs.

86 OBRAS COMPLETAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA. Edición crítica. Transcripción, introducciones y notas de los PP. CÁNDIDO DE DALMASES e IGNACIO IPARRAGUIRRE, S. I. 1952. XVI + 1180 págs.

87 SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS, cura fratrum eiusdem Ordinis, in quinque volumina divisa. Vol. V: *Supplementum. Indices.* 1952. XX + 1072 págs.

88 TEXTOS EUCARISTICOS PRIMITIVOS. Edición bilingüe de los contenidos en la Sagrada Escritura y los Santos Padres, preparada por el P. JESÚS SOLANO, S. I. Tomo I: *Hasta fines del siglo IV.* 1952. XL + 752 páginas, con grabados.

89 OBRAS COMPLETAS DEL BEATO JUAN DE AVILA. Edición crítica. Tomo I: *Epistolario. Escritos menores.* Biografía, introducciones y notas del Dr. D. LUIS SALA BALUST, catedrático de la Pontificia Universidad de Salamanca. 1952. XL + 1120 págs.

90 SACRAE THEOLOGIAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Teología en España de la Compañía de Jesús. Tomo II: *De Deo uno et trino. De Deo creante et elevante. De peccatis,* por los PP. JOSÉ M. DALMAU y JOSÉ F. SAGÜÉS, S. I. 1952. XX + 1032 págs.—Publicados los tomos III (62) y IV (73).

91 LA EVOLUCION MISTICA, por el P. MTRO. FR. JUAN G. ARINTERO, O. P. 1952. LXIV + 812 págs.

92 PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo III: *Theodicea. Ethica,* por los PP. JOSÉ HELLÍN e IRENEO GONZÁLEZ, S. I. 1952. XXVIII + 924 págs.

93 THEOLOGIAE MORALIS SUMMA, por los PP. EDUARDO F. REGATILLO y MARCELINO ZALBA, S. I. Tomo I: *Theologia moralis fundamentalis. Tractatus de virtutibus theologicis,* por el P. MARCELINO ZALBA, S. I. 1952. XXVIII + 976 págs.

94 SUMA CONTRA LOS GENTILES, de SANTO TOMÁS DE AQUINO. Edición bilingüe, con el texto crítico de la leonina. Tomo I: *Libros I y II: Dios: su existencia, su naturaleza. La creación y las criaturas.* Traducción dirigida y revisada por el P. Fr. JESÚS M. PLA, O. P. Introducciones particulares y notas de los PP. Fr. JESÚS AZAGRA y Fr. MATEO FEBRER, O. P. Introducción general por el P. Fr. JOSÉ M. DE GARGANTA, O. P. 1952. XVI + 720 páginas.

95 OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo X: *Homilías.* Edición en latín y castellano, preparada por el P. Fr. AMADOR DEL FUEYO, O. S. A. 1952. XXXVI + 952 págs.

96 OBRAS DE SANTO TOMAS DE VILLANUEVA. *Sermones de la Virgen María* (primera versión al castellano) y *Obras castellanas.* Introducción biográfica, versión y notas del P. SANTOS SANTAMARTA, O. S. A. 1952. XII + 664 págs.

97 LA PALABRA DE CRISTO. Repertorio orgánico de textos para el estudio de las homilías dominicales y festivas, elaborado por una comisión de autores bajo la dirección de Mons. ANGEL HERRERA ORIA, obispo de Málaga. Tomo I: *El juicio final. La misión del Precursor. El testimonio de Juan a los judíos. Predicación del Bautista. Presentación y purificación en el templo. El Dulce nombre de Jesús.* 1953 LXXII + 940 págs.

98 PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA, por una comisión de profesores de las Facultades de Filosofía en España de la Compañía de Jesús. Tomo I: *Introductio in Philosophiam. Logica. Critica. Metaphysica generalis,* por los PP. LEOVIGILDO SALCEDO y JESÚS ITURRIOZ, S. I. 1953. XXIV + 904 págs.

EN PREPARACION

OBRAS DE SAN AGUSTIN. Tomo XI.
PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE SUMMA. Tomo II. (Aparecidos ya el I y III.)
OBRAS DE SAN ANSELMO. Edición bilingüe. Tomo II y último.

THEOLOGIAE MORALIS SUMMA. Tomos II y III. (Aparecido ya el I.)
COMENTARIO A LOS CUATRO EVANGELIOS, por el P. JUAN DE MALDONADO. Tomo III y último: *Evangelio de San Juan.* Versión castellana por el P. LUIS MARÍA JIMÉNEZ FONT, S. I.
SUMA TEOLOGICA. Edición bilingüe. Tomos IV, V y sucesivos.
EL ROSTRO DE CRISTO EN EL ARTE ESPAÑOL. Tomo V de la serie "Los grandes temas del arte cristiano en España", por el señor marqués de LOZOYA y don CÉSAR OVIDIO PAREDES HERRERO.
LA VIRGEN MADRE EN LA ESCULTURA. Tomo VII de la serie "Los grandes temas del arte cristiano en España", por don MANUEL GÓMEZ-MORENO y la señorita MARÍA ELENA GÓMEZ-MORENO.
SUMA CONTRA LOS GENTILES. Ed. bilingüe. Tomo II y último.
HISTORIA DE LA IGLESIA. Tomos II y III, por los PP. VILLOSLADA y LETURIA, S. I. (Aparecidos ya el I y el IV.)
PATROLOGIA MARIANA. Tomo I: *Patrología mariana antigua.* Tomo II: *Patrología mariana medieval*, por el P. SANTIAGO ALAMEDA, O. S. B.
TEXTOS EUCARISTICOS PRIMITIVOS. Tomo II: *Siglos V a VII.*
SANTA TERESA. Edición crítica. Introducciones y estudios biográficos por el P. EFRÉN DE LA MADRE DE DIOS, C. D. Tomos II y III.
OBRAS COMPLETAS DEL BEATO JUAN DE AVILA. Edición crítica por don LUIS SALA BALUST. Tomos II y III.
LA PALABRA DE CRISTO. Tomos II y sucesivos.

Este catálogo comprende la colección de obras publicadas hasta el mes de marzo de 1953.

La B. A. C. viene publicando, al menos, doce volúmenes nuevos cada año.

Al hacer su pedido haga siempre referencia al número que la obra solicitada tiene, según este catálogo, en la serie de la Biblioteca de Autores Cristianos.


Dirija sus pedidos a LA EDITORIAL CATOLICA, S. A. (Departamento de Extranjero), Alfonso XI, 4. Madrid (España)


SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.

SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.

Salcedo, P. Leovigildo.
Philosophiae scholasticae summma :
mentem Constitutionis Apostolicae "
scientiarum Dominus" P. Leovigildo
Salcedo ... [et. al.]. -- Madrid :
Biblioteca de Autores Cristianos, 1
1955.
3 v. ; 20 cm. -- (0 Biblioteca d
Autores Cristianos ; 137)

1. Philosophy--Handbooks, manuals
etc. I. Title II. Series




SICUT CERVUS AD FONTES
B.A.C.